NATIONALE
13
11 D
INV

13-20, fol. 1-1

Digitized by Google

PRIVILEGIORUM
IN PERSONA
SANCTI PETRI
ROMANO PONTIFICI
A CHRISTO
DOMINO
COLLATORUM
VINDICIÆ

In duas Partes, & quinque Tomos distributæ

A F. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO.

PARS II. TOMUS V.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCLIX.
TYPIS HÆREDUM JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

OPus, Cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ* a R. P. F. Hieremia a Bennettis noſtri Ordinis Cappuccinorum, Prælectore, ac Guardiano, ſumma vi, acri ingenio, ordinata methodo, ac luculentiſſimo ſtylo elaboratum, attente, nec non jucunde perlegi, jubente Reverendiſſimo P. Seraphino a Capricolle meritiſſimo Generali. Et quia nil Catholicæ fidei diſſonum, nil Chriſtianis moribus adverſum in eo offendi, ideo publicis Typis dandum nedum exiſtimo, imo peropto: in hac etenim ſum ſententia: Polemicum Armentarium iſtud eſſe, quo ſive gladios ad feriendum, ſive ſcuta ad hoſtilia tela retundenda Studioſi cuncti deſumere poſſunt, ac præcipue debent S. Franciſci Filii, pro illius nimirum Cathedræ defenſione, ac munimine, cujus infallibili veritati, ac conceſſæ divinitus poteſtati Seraphicus S. Pater illos ſubditos eſſe ſpeciali lege devovit.

Romæ hac die 2. Julii 1758.

F. Hilarion a Feroleto Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Ex-Provincialis, ac Definitor Generalis.

QUod de Privilegiis Romani Pontificis a primis uſque ſæculis ſenſit, tenuitque ipſa univerſalis Eccleſia a Reverendo P. Hieremia a Bennettis Concionatore, ac Philoſophiæ, & Theologiæ Exlectore, nec non Guardiano Cappuccino in opere, cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ*: de mandato Reverendiſſimi Patris Seraphini a Capricolle totius noſtri Ordinis Miniſtri Generalis, ſumma animi mei voluptate, perlecto, mira eruditione in lucem prolatum, plurimiſque undique petitis argumentis confirmatum, conſtabilitumque ſum admiratus. Ea propter quum nihil, quod vel mores, vel fidem lædat, offenderim, quo Romani Pontificatus, vel Heterodoxis Oſoribus, vel Orthodoxis Cenſoribus omne præcludatur effugium, atque ad eorum omnium utilitatem, qui ad capeſſendam veritatem optime ſunt inſtituti, ac comparati, publica luce dignum cenſeo.

Romæ apud Immaculatam Conceptionem die 4. Julii 1758.

F. Joſephus Maria à Savorniano Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Ex-Provincialis, & Definitor Generalis.

NOS F. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS

Totius Ordin. Fratr. Min. S. FRANCISCI Cappuccinorum Minister Generalis (licet immeritus).

Reverendo in Christo P. F. Hieremiæ a Bennettis Concionatori, & Prælectori nostræ Provinciæ Cappuccinorum Pedemontanæ salutem, & omne bonum.

CUm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones per duos idoneos, ac Definitores Generales, veluti Theologos Censores revisum fuerit quoddam a te Opus compositum, cui Titulus: *Privilegiorum in Persona Sancti Petri Romano Pontifici a Christo Domino Collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque distributæ* &c. Tenore præsentium ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus, servatis servandis, pro utilitate publica Typis mandare possis.

Datum in nostro Conventu Urbis die 6. Julii anno 1758.

F. SERAPHINUS, *qui supra*.

Opus

A. M. D. G.

OPus hoc Rev. admodum Patris Hieremiæ de Bennettis ex Ordine Minorum Cappuccinorum juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi S. P. A. Magiſtri accurate, cogitateque a me lectum *Omnia Privilegia B. Petro Apoſtolorum Principi, in ejuſque Perſona Romano Pontifici a Chriſto collata* ita copioſe, & orthodoxe explicat, ita erudite, ſolideque confirmat, ut non immerito pulcherrimum, abſolutiſſimumque Opus appellari poſſit; ac dignum mihi propterea viſum ſit, quod ad majorem Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem Typis edatur; quum in eo nihil offenderim, quod a Fide Catholica, aut bonis moribus abhorreat.

Ex Aracæli die 20. Novembris 1758.

F. Johannes de Luca Venetus Epiſcoporum Examinator.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtol.

F. M. de Rubeis Patr. Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena O. Præd. Reverendiſs. Patris Mag. Sacri Pal. Apoſt. Soc.

ELENCHUS

PARTIS II. TOMI V.

VINDICIARUM.

Articulus XI. *Ex Potestate Suprema Pontificis in Caussis præsertim Fidei.* a pag. 1.

Prolegomenon. *De Hæreticorum Confugiis ad Apostolicam Sedem, & Confessionibus eidem redditis.* ibidem

§. I. *Ex Jure declarandi, damnandique sive Hæreses, sive Hæreticos.* 31.

§. II. *Ex Jure præscribendi Fidei formulas, recipiendique Fidei professiones.* 182.

Articulus XII. *Ex Jure definiendi Facta dogmatica, Librosque prohibendi Regulis morum, aut Religioni infestos.* 245.

Appendix. *De Romanis Pontificibus Erroris sive circa doctrinam Fidei, sive circa disciplinam Morum injuste accusatis.* 399.

§. I. *De S. Petro.* 410.

§. II. *De SS. Clemente, Eleuthero, Victore, Zephyrino, Cornelio, & Stephano.* 426.

§. III. *De SS. Sixto II, Marcellino, Liberio, & Felice II.* 440.

§. IV. *De SS. Innocentio I, Zosimo, Sixto III, Leone M., Gelasio I, & Anastasio II.* 525.

§. V. *De S. Hormisda, Johanne II, Vigilio, S. Gregorio M., Sabiniano, & Bonifacio IV.* 623.

§. VI.

§. VI. *De Honorio I, S. Martino I, Johanne VII, S. Gregorio II, S. Gregorio III, & Stephano III.* 655.

§. VII. *De Hadriano I, Eugenio II, S. Nicolao I, Johanne X, Johanne XIII, & Silvestro II.* 694.

§. VIII. *De S. Gregorio VII, Alexandro III, Innocentio III, Johanne XXII, Martino V, Innocentio VIII, Sixto V, & Clemente XI.* 714.

EX POTESTATE

Suprema Pontificis in Cauſſis præſertim Fidei.

ARTICULUS XI.

De Hæreticorum confugiis ad Apoſtolicam Sedem, & confeſſionibus eidem redditis.

PROLEGOMENON.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, appoſite inquiebat S. Auguſtinus lib. de utilit. Cred. cap. 17, *Nolle primas dare, vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*: nolle ei nempe ſummum illum Sacerdotii deferre gradum, quo tanquam Eccleſiarum omnium Mater, ac Magiſtra a Chriſto D. conſtituta a tota retro Antiquitate religioſe habita ſemper eſt, ac ſuſpecta. Qua perinde graviſſima eos proxime ſententia percelli, (atque percellerentur utinam heterodoxi dumtaxat, non etiam Catholicorum complurimi!) quis dubitet, qui geminas eidem Primatui adnatas prærogativas, & Eccleſiaſtici Principatus velut individuas partes, ſupremam ſcilicet in decernendo auctoritatem, ac in docendo indefectibilitatem, abjudicare non ambigunt? At enim hos ego impietatis, & arrogantiæ

profecto non accusabo apud Ecclesiæ Patres sive Græcos, sive Latinos, in hanc utique cum S. Augustino unanimes conspirantes veritatem, cui Osores isti victas dare manus detrectant, condemnabunt magis ipsimet Acatholici cum veteres, tum novatores, quorum utique hac in re minime suspecta haberi poterit fides, quasi Romanorum Pontificum amplificandis, exaggerandisque prærogativis studuerint plus æquo, fuerintque propensi, qui factis, dictisque, ideſt tam confugiis ad Apostolicam Sedem interpositis, quam confessionibus sacratissimæ eidem Sedi repensis, eas esse dubio procul Romani Pontificis ambas prærogativas ejusdem Primatui congenitas, conglutinatasque, ultro citroque fassi, professique sunt: abunde siquidem honesto viro, æqui bonique æstimatori videri debet, si veritati alioquin apertissimæ, de qua dubitatio vel levis majores nostros nunquam incessit, detur ab inimico homine testimonium. *Firmum est*, ajebat opportune Novatianus lib. de Trinit. cap. 18. inter opera Tertulliani, & S. Cypriani sæpius recensito, ac separatim vulgato an. 1709. Lond. a Willelmo Wistono Arianissimi eumdem accusante, nec non ab Edmundo Welkmanno an. 1724, & a Johanne Jakſonio an. 1728. ab hac macula illum abstergentibus, *Firmum est*, inquam, *genus probationis, quæ ab Adversariis sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur*. Et rursus S. Eucherius hom. 2. de Pasch. *Validis absque dubio*, inquiebat, *nititur privilegiis, qui causſam asserit de Adversarii instrumentis*. Non ero tamen hac in re minime necessaria prolixior; neque, quo par esset, ac possem, argumentum hoc persequar, de quo copiosius me aliis in locis agere memini.

Ut igitur a confugiis, quæ vice plus simplici ad Apostolicam Sedem, velut ad supremum Ecclesiæ Tribunal, ab Hæreticis habita sunt, dicendi exordium capiam, Marcion genere Ponticus a patre Episcopo, filio longe meliore, cui molesti, ingrati, perque graves ipsius erant mores, sed & suspecta evaserat fides, ab Ecclesia ejectus, quum sibi ademptum omnem prorsus in patris gratiam redeundi, amissumque in Ecclesia gradum recuperandi modum frustra sæpe tentatum perspexisset, ut voti demum compos fieret, unum sibi supereſſe adhuc aditum haud difficilis intellexit, scilicet si Apostolicam adiret Sedem, ac in Romanæ Eccle-

siæ

ſiæ communionem adreperet. Ut præconceptam itaque ſpem ratam faceret, perduceretque ad optatum exitum, quod animo induerat, propoſitum, Romam profectus, nullum non lapidem movit, ut Romana Civitate donaretur, ac nobiliſſimæ Eccleſiæ, ex qua profecto in Eccleſiam univerſam inviolata Chriſtianæ communionis jura dimanare non ignorabat, Sacrorum jungi conſortio ex ſententia ſuccederet, quin etiam in Clerum, ut immigrandi aditum ſibi aperiret, nihil non egit, ſategitque. At enim comperta improbi hominis fraude, ſubleſtaque fide ad omnem fallendi artem compoſita, Presbyteri, qui poſt S. Hygini obitum Eccleſiam adminiſtrabant, ejuſdem fores nequidem patere ei paſſi ſunt. Videſis, ut rem uberius denarrent S. Irenæus lib. 1. cap. 28, Tertullianus de præſcrip. cap. 30, S. Ephiphanius hær. 42, & Philaſtrius de hæreſ. cap. 46. Non itaque veteratorem iſtum fugiebat ſupra Epiſcopos omnes, qua late patet Orbis, Romanum Pontificem auctoritate longe præſtare, ipſiuſque unius judicio omnium Epiſcoporum ſententiam cadere, aut ſtare. Tertullianus porro loco mox indicato auctor eſt a Marcione ad communionis jus comparandum in Eccleſiam Romanam ducenta inlata fuiſſe ſeſterria, ex quibus aureorum quinque confici millia obſervarunt B. Rhenanus, Budæus, Pamelius, ac Baronius ad an. 167. n. 6; pœnitentiæ quin etiam locum eidem factum commemorat ea lege, ut quos in errorem abduxerat, ad unitatem redintegrare conaretur, quam morte præventus adimplere nequiverit. At vero lapſum hoc loci Tertullianum, quamque de Marcione deſcribit, periocham in Cerdonem potius quadrare ex SS. Irenæo lib. 3. cap. 4, & Epiphanio hær. 42. n. 2. etſi haud imperite augurentur Lupus in ſchol. ad cap. 30. de præſcrip., Tillemontius tom. 2. p. 609, & Coutantius in epiſt. Rom. Pontif. pag. 62. §. 1. n. 3, confer tamen, quæ dixi tom. 3. Art. 5. §. 2. pag. 378, & ſeq. Nec prope, nec procul hinc aberant Montaniſtæ, qui tametſi condemnati, in Oriente quidem in Conciliis Anchialenſi ſub Sota, cui interfuit S. Serapion Antiochenus, de quo Euſebius lib. 5. cap. 19; & Hierapolitano ab Epiſcopis 26. habito, cui præfuit S. Apollinarius, teſte Auctore Synodici apud Juſtellum tom. 2., in Occidente quoque in Conciliis Aquilejenſi ſub S. Sotere ab Epiſcopis

pis 12 ; & Lugdunenſi ſub S. Irenæo apud eumdem Synodici Auctorem, Euſebiumque lib. 5. capp. 3, & 4, rati nihilo ſecius cuncta omnia contra ſe acta fore perquam facile, ut in nihilum cederent, ſi vel in unius Romani Pontificis communionem irrepere ſibi fas foret, ad eumdem, qui Baronio eſt S. Anicetus, S. Soter aliis, Valeſio, & Maſſuetio S. Eleutherus, S. Victor Ludovico du Four, Pagio, & Coutantio, aliiſque, quibus favere videtur S. Optatus lib. 1, eſt S. Zephyrinus, confugerunt : a quo principio quidem Eccleſiæ communio, ſi fides adhibenda eſt Tertulliano lib. adv. Praxeam cap. 1, eis eſt reſtituta, quippe quorum pietatis fuco, fictaque pœnitentia deceptus fuerat, ſed a Praxea, qui ſectæ nefandiſſimæ valedixerat, certior factus, hominumque detecta fraude, Montaniſtas abſtinuit, & anathemate damnavit. Non moror heic autem Bovverum hiſt. Pontif. par. 1. §. 53, aut Schuzium in diſſert. hiſt. theolog. de infallib. Roman. Pontif. Αὐτοκατάκριτος, ideſt a ſe ipſa damnata de genere Proteſtantes Montaniſmi hæreſim S. Victori impudentiſſime aflantes, ſiquidem hanc ab eo labem abunde deterſit, ac Sycophantas iſtos depexuit vir doctiſs. Wilibaldus Heiſſius Ord. Min. vindic. Sum. Pontif. par. 2. Sæculo II. cap. 15. art. 4. §. 3, & art. 5. §. 2.

Origenes quum plurium, graviumque errorum perſonam ſibi impoſitam intellexiſſet, graviſſimeque propterea apud probos fama ſe laborare, quin etiam damnationi perinde in ſe a Demetrio Alexandrino ejaculatæ ſubſcripſiſſe Romanum Pontificem, quem S. Pontianum autumat Coutantius pag. 116. §. unic., maculam omnem, ac ſuſpicionem ab ſe amoliri, & abſtergere, non quidem apud Alexandrinum Præſulem, ſed apud S. Fabianum Pontificem M. officio, religionique duxit. Cujus rei gratia ad ipſum epiſtola exarata, teſtibus Euſebio lib. 6. cap. 26, & S. Hieronymo epiſt. 65. ad Pammach., & Ocean. cap. 4, exſecrari ſe quidem ait, quod ejuſmodi ſcripſerit, ſed accuſare quoque Ambroſium ceu ſcandali auctorem, deque temeritatis cauſſa eumdem poſtulare, quod ſecreto ad amicum ſcripta in palam imprudenter produxiſſet. Perſpectum itaque, arcteque pèrſuaſum animo habebat ſupremum controverſiarum de Religione Judicem Romanum eſſe Pontificem, cui profecto a cunctis, qui nomine cenſeri

ri vellent christiano, exacta fidei ratio foret reddenda. Ad hæc Ruffinus ejusdem interpres, ac defensor, ea de caussa se, perinde atque Origenem, fama apud bonos haud leviter laborare percipiens, adeo nec hebes, nec in historia Ecclesiastica hospes erat, quin suæ & famæ, & fidei meliori altera consultum iri ratione non posse facile perspiceret, quam si apud Sedem Apostolicam erroris maculam omnem prorsus elueret. Ea de re primum a S. Siricio, cui nondum comperta erat hominis subleſta fides, litteras, quas, *Formatas* nuncupant, quasque tanquam fidei tesseram catholicis impertiri Episcopis solemne erat, impetravit, eisque postea jactabundus, teste S. Hieronymo in epist. 16. ad Principiam, & lib. 3. Apolog., a S. Anastasii litteris ad Johannem Hierosolym., & Venerium Mediol., quibus adornata ab ipso Origenis latina versio, ceu multorum errorum undique scatens accusabatur, se se tuitus est, & defendit. Præterea se ubique lacessitum, vellicatumque ob eosdem Origenis errores, quibus versionem asperserat suam, nec modum detrectationibus de se ullum imponi modum intelligens, suæ ut opitularetur famæ, fideique integritati, de qua graviter apud Catholicos periclitari, ac in dies magis, magisque decedere comperiebat, ad S. Anastasium Siricii successorem Apologia inscripta inter opera, S. Hieronymi tom. 5. edit. Martianæi pag. 259. rejecta, ab se quidem Origenis libros περὶ ἀρχῶν de Principiis latinos factos fatetur, ab ejusdem tamen placitis se valdequam abhorrere profitetur, cujus utique rei vadem, testemque vult esse formulam, quam fidei suæ eidem emittit, propria eadem faciens ipsa, *Quæ etiam Apostolica Sedes tradere, & docere consuevit*, contestatus tandem ad calcem epistolæ se in ea commori velle fide, quam cum Romana tenerent Ecclesia Alexandrina, & sua Aquilejensis: siquidem non eum latebat S. Romanæ Ecclesiæ præ ceteris cunctis cum dogmatum, tum Decretorum habendam esse rationem.

Porro a S. Anastasio exaratam hoc de argumento epistolam ad Johannem Hierosolym. confictam de industria, ad calumniam struendam, a S. Hieronymo suspicatus olim est Ruffinus, ac recens suppositionis adhuc suspectam habere non destitit Petrus Halloixius de vita Origenis p. 333. At neutri dubitandi locum reliquit S. Doctor

ctor lib. 2., & 3. Apolog. Ex eadem epiſtola anathemate confoſſum a S. Anaſtaſio Ruffinum exiſtimant Garnerius epiſtolam ab ſe editam ad calcem Marii Mercat. ideo interpolare non veritus, Pagius ab eodem in errorem inductus ad an. 401. n. 9, non ſecus ac Sommier lib. 4. hiſt. dogm. S. Sedis cap. 4, ac Blanchinius in Not. hiſt. ad S. Anaſtaſium; idque indicare videtur S. Hieronymus lib. 3. adv. Ruffin., & epiſt. 16. ad Princip. At verſionem quidem ab eo adornatam damnatam a Pontifice, non etiam Ruffini perſonam, verius cenſent viri Cl. Fontaninus hiſt. litter. Aquilejenſis cap. 19, Contantius in monito prævio ad epiſt. 2. S. Anaſtaſii, Vallarſius in adnot. ad epiſt. 127, olim 16. S. Hieronymi ad Principiam, Bernardus de Rubeis de antiq. Eccl. Aquil. monum., Cacciarus in hiſtorica diſſert. pro Ruffino par. 2. §. 22., quem & §. ſeq. a nota Pelagianiſmi ipſi a Baronio, Noriſio, Natali, Pagio &c. impacta abſtergit, & Orſius hiſt. Eccleſ. lib. 22, hiſce ſane haud contemnendis ducti momentis. Nam S. Anaſtaſius in epiſtola ad Johannem Hierosolym., cujus, præter editam, antiquiſſimum exemplar inter Codices Sæculo IX. collectos a Pacifico Eccleſiæ Veronenſis Archidiacono ſervari in Archivo ejuſdem Cathedralis teſtatur Cl. Blanchinius in Not. ad S. Anaſtaſium tom. 3. ſect. 40. p. 62, & in epiſtola ad Venerium Mediol., quæ in nova operum S. Hieronymi editione a Vallarſio Claſ. 3. n. 95, & ex ipſo a Manſio in Supplem. Concil. tom. 1. pag. 258. exhibetur, inſcripta tametſi ad Simplicianum, S. Anaſtaſius, inquam, a Ruffino elucubratam equidem librorum Origenis de Principiis latinam verſionem improbat, illius tamen perſonæ parcit, atque ſuſpicione laborare illum utique ſcribit, latere ſe vero, num idem hæreticum gereret animum, Origeniſque erroribus opinione adhæreret. Præterea Ruffino communione, quinimo amicitiæ neceſſitudine conjunctiſſimos ſeſe dedere, quoadusque in vivis egit, Viri ſanctiſſimi, Venerius Mediolanenſis, Chromatius Aquilejenſis, Laurentius Concordienſis, Petronius Bononienſis, Gaudentius Brixienſis, Paulinus Nolanus, Auguſtinus Hipponenſis, & Johannes Hieroſolymitanus: abſit autem tales tantoſque Præſules ſocietate, gratiaque ſua donatum voluiſſe hominem hæreticum, cum Origene eodem in luto hærentem, ideoque ab Apoſtolica Sede Eccleſiaſti-

ſiaſtica communione mulctatum exiſtimemus. Poſtremo S. Gelaſius in decreto de Libris Canonicis,& Apocryphis Ruffinum *Religioſi* hominis titulo cohoneſtare non dedignatuseſt, id unum admonens illum aS.Hieronymo circa liberum arbitrium nonnulla erroris nota inuſtum. Putasne vero a S. Gelaſio eo honoris nomine decoratum hominem, cui S. Anaſtaſius hæresis dicam inflixiſſet, quemque irrogato anathemate ab Eccleſia abſtinuiſſet, ſuaque a ſocietate feciſſet exorrem? Legendæ etiam litteræ Apoſtolicæ Benedicti XIV. ad Johannem V. Portugalliæ Regem, ubi de Ruffino eruditiſſime pro more diſſerit: cæterum de libro περὶ ἀρχῶν latine a Ruffino reddito agit & diligenter Walchius diſſert.de Pelagianiſmo ante Pelagium. Interea Coutantius inNot.ad Apolog.Ruffini, Cacciarus, & Orſius loc. indic. obſervare non deſinunt S.Hieronymum equidem de Ruffino victoriam retuliſſe, non nihil tamen cenſuræ modum exceſiſſe, neque ſatis Ruffini objectis occurriſſe, quæ præſertim ex ipſius Commentariis in Eccleſiaſtem, atque in Epiſtolam ad Epheſios, Origenis placitis omni ex parte refertiſſimis, inſtruxerat.

In viam redeundo nunc meam, unde paulliſper deflexeram, paucis, quoad ejus fieri poterit, perſtringam, quæ huc conferunt, alibi tamen uberiori perſequutum oratione me memini. Fortunatum, ut damnationis fulmen arceret a capite, ad Petri Cathedram cum quinque pſeudo-Epiſcopis, qui ei ſacrilegas impoſuerant manus, appellatione interpoſita confugiſſe, auctor eſt S. Cyprianus epiſt.55. ad S. Cornelium edit. Pamel., ſive 59. edit. Oxon. Quos proxime imitati Donatiſtæ adverſus Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem S. Melchiadis tribunal adiere, alterum ſane eidem minime ſuperſtare perſuaſum habentes. Donatus nimirum a Caſis nigris cum 10. Epiſcopis partibus ſuis individue addictis, Pontifice coram cauſſam pro ſe, ſuiſque contra Cæcilianum dicturus, comparuit: quamvis poſtea cauſſa lapſus, apud Synodum Arelatenſem experiri rurſus judicio maluerit, atque ab iſta, in qua pariter ceciderat cauſſa, ad Conſtantinum Imp. provocare non erubuerit: quo de argumento alibi abunde. Quod mirum videri non debet, quippe manendi in ſententia iſtiuſmodi homines non uſum habent. Quæſo vero, fuit ne unquam peſtilentius furentium hominum genus,

nus, qui ad oppugnandam Ecclesiam exasperioris impetu odii se contulerint, & ad catholicos Episcopos exiliis, carceribus, plagis, mortibus affligendos, divexandos, deque medio, si fieri posset, delendos, omnem præsidii modum ab arte, a vafritie, ab audacia, a violentia, a mendacio, a maledicentia comparare magis sategerint, quam Ariani? At hi tamen non adeo sensum exuerant omnem, quin propitium habendi Romanum Pontificem necessitatem incumbere sibi perciperent, quo infesto, inque partes ingredi suas refragante, fore perquamfacile, ut conatus suus frustra tadem cederet omnis. Ergo, qui familiam ducebant, Eusebiani cum privatis, tum publicis in Conventibus pessimæ caussæ suæ prospexisse meliori, quo potuissent modo, parum habentes, litteris missis, legatisque, quorum partes cum explevere, tum promovere Macarius, Martyrius, Hesychius, Carponas, & Pistus, de quibus loquitur S. Julius in epist. ad Eusebianos apud S. Athanasium in Apolog. 2, ad Apostolicam Sedem plurimi criminis nomine S. Athanasium detulere, ut ei nempe motæ in Arianos quæstionis vicem rependerent, quodque maxime ipsorum intererat, impactam maculam hæresis eluere, ac Romanæ Ecclesiæ communionem suffurari conati sunt. Quorsum hæc? nisi exploratum vel hæretici isti habuissent, posse supra Episcopos omnes unum Romanum Pontificem, cujus dicto obedientes esse, doctrinæque inhærere omnes deberent, qui Catholico vellent censeri nomine. Quod autem hi per litteras, legatosque procurarunt, id per semet præstare duxere Valens, & Ursacius, magni inter Arianos nominis homines, qui eidem Pontifici libello pœnitentiæ ultro oblato, veniam poscentes eorum, quæ impie contra S. Athanasium peccaverant, ea lege impetrarunt, ut anathema Ario dicerent, & voci ὁμοούσιον subscriberent. Ita referunt S. Hilarius frag. 2., & S. Athanasius in epist. ad Solit. Confer notas Doctiss. PP. Benedict. in præf. locum S. Hilarii, & Hermantium in elucidatione ad S. Athanasium tom. 1. in ejus vita, ac Pagium ad an. 347. n. 10, & seqq. Quæ, sodes dic, quid aliud significant, nisi vel ab Arianis Sedis Apostolicæ Tribunal tanquam omnium supremum agnitum, & assertum, eidemque reddendam ubique gentium ab Episcopis rationem?

Atque ex his habes, quibus manifestæ suppositionis cum Baro-

Baronio, Binio, & Labbeo redarguas epiſtolam, qua fertur Liberius de damnato Romæ S. Athanaſio Urſacium, Valentem, ac Germinium certiores feciſſe. Quamquam ſi poſtea eò impudentiæ inauditæ, impietatiſque progreſsa legitur Arianorum procacia, ut in S. Julium ſententiæ iniquiſsimæ telum intorſerint, non hinc prior optima de poteſtate Romani Pontificis labefactatur perſuaſio: quid enim frequentius hominibus hujuſce furfuris, ut quos deſperatæ cauſsæ furor ſemel abſtraxit, in diverſas, & adverſas rationes perinde diſtrahat, & abripiat? Ita nempe iterum exemplo confirmant ſuo iidemmet Ariani, qui e Synodis Sirmienſi, Ariminenſi, ac Seleucienſi litteris, ac legationibus repetitis, Imperatoriſque inſuper Conſtantii opera adhibita, Liberium P. M. ſuas in partes trahere pertentarunt. Quorſum id, niſi quia ſuarum ſummopere eſſe rationum non ignorabant, aſſertorem habere Romanum Pontificem? At enim res ex voto non ceſſit: quamvis enim Sirmienſi formulæ ſyngrapham adjeciſſe feratur, Ariminenſi tamen apponere detrectaſſe non modo, ſed imo Acta omnia damnaſſe, auctores liquidi ſunt, ac locupletes S. Siricius in epiſt. ad Himerium Tarac., ac Theodoretus lib. 2. cap. 17. Quid ad hæc, quod Semiariani Euſtathius Sebaſtenus, Silvanus Tarſenſis, & Theophilus Caſtabalenſis e Synodo Lampſacena anno 365. ad Liberium litteras communionis poſtulatum profecti, ea lege demum impetrare meruerunt, ut fidei, quam Romana teneret Eccleſia, juxta formulam a Concilio Nicæno elucubratam, profeſſionem coram Pontifice emitterent? Quas litteras, de quibus loquuntur S. Baſilius in epiſt. 82, Socrates lib. 4. cap. 12., & Sozomenus lib. 6. cap. 11, ubi primum Synodo Tyanenſi anno 367. exhibere licuit, ſuis extemplo Sedibus reſtituti ſunt, neque quidpiam amplius negotii faceſſitum eſt illis. Tanti nempe Romani Pontificis fiebat poteſtas, ac de fide pronuntiatum, ut vel a Semiarianis ſuſpicio omnis amoveretur, ſi ſemel eos a Romano Pontifice communionis gratia donatos conſtaret; ideoque ſuo iidem ſtarent loco, a quo deturbari nequidem a Concilio poſsent, poſtquam id juſſiſset Pontifex. Confer doctiſs. Coutantium in Monito prævio ad Liberii epiſt. 14. pag. 450.

Tantus profecto nondum veteres illos Veteratores obduxerat ſtupor, quantus poſtea Novatores turpiter occupavit, quin

lib. 7. cap. 3. Poſtremo ad eumdem S. Damaſum Priſcillianus, Inſtantius, & Salvianus ob hæreſim in Concilio Cæſaraugustano (anno 381. non utique, veluti Baronio, & Coutantio viſum eſt, ſed anteriori 380, uti Pagio, & Harduino ex Æra 418. advertere licuit), anathemate damnati, & loco dejecti, Romam profecti confugerunt, cauſsam ſuam contra Synodi ſententiam dicturi. Sua itaque ſummopere intereſse ſciebant, ſi ſtantem pro ſe Pontificem haberent; foreque neceſse, ut ſententia penitus caderet Synodus. Verumtamen voti nequaquam compotes ſunt facti: ſiquidem a Pontifice fraude detecta, compertoque jampridem hominum ingenio, quibus mentiri, ac pejerare religioni non erat, ne in conſpectum quidem admiſſi ſunt, Severo Sulpitio teſte lib. 2. hiſt. ſacræ, quo loci ſubjungit eoſdem ad ſe accedentes adverſatum fuiſse Mediolanenſem Antiſtitem S. Ambroſium. Quod dictum eo demum accipi ſenſu non patiar, quo imaginatur Coutantius, id eſt arbitratus in Not. epiſt. non extantium S. Damaſi §. 12. n. 18. pag. 597. hac agendi ratione SS. Damaſum, & Ambroſium docuiſse, quo loco Synodorum latæ in hæreticos ſententiæ haberi debeant: quandoquidem ex innumeri-aliis exemplis diſcimus a Romanis Pontificibus pro ſuprema poteſtate Synodorum in hæreticos prolata judicia fuiſse non infrequenter ad incudem revocata.

Non opus eſt pluribus hanc perſequi rem, de qua mihi ſermonem inſtituendi ſæpius occaſio recurrit: ſummis dumtaxat tangam digitis, quæ huc magis conferre videntur, aliis vero in locis fuſiori tractanda calamo dimitto. Pelagium itaque, Cæleſtiumque contra Synodorum ſententias ad SS. Innocentium, & Zoſimum ſupplices confugiſse fide affirmant ſua S. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 30, & ſeqq., lib. de peccato Orig. cap. 5, & ſeqq., & lib. 2. contra Julian. circa finem, ac Marius Mercator in Common. cap. 1. Ad eumdem S. Zoſimum geminas ab ſe ſcriptas epiſtolas, quibus a Pelagiana ſe expurgare hæreſi ſtuduerat, ideoque in Pontificis irrepere gratiam, memorat Julianus apud S. Auguſtinum lib. 1. oper. imperf. cap. 18. Ex eis una quoque commemoratur a Mario Mercatore lib. Subnotationum cap. 6. pag. 46, & cap. 9. pag. 58. Tom. 1. edit. Garnerii: quo loci adnotat ex litteris

teris illis nihil eumdem retuliſſe, ſiquidem S. Zoſimi Tractoriæ jam in Orbem emiſsæ ſubſcribere detrectaſset. Alteram Juliani epiſtolam ipſum eſse fidei libellum, in quo præter alia ad plenariam Synodum provocat pag. 27, quique proſtat in append. Tomi 10. oper. S. Auguſtini pag. 110. nov. edit., edituſque a Garnerio eſt ex Codice Veronenſi a Sirmondo eruto Tom. 1. pag. 319, ſuſpicatur Coutantius in Notit. epiſt. S. Zoſimi non extantium §. 11. n. 28. pag. 1001. At hunc libellum non ad S. Zoſimum P. M., velut exiſtimavit Garnerius, a quo perinde in errorem pertracti ſunt Coutantius, & Fabricius Bibliot. med., & infimæ Latin. lib. 9. pag. 196. edit. Patav. 1754, bene vero ad Auguſtinum Primatem Aquilejenſem ex Emin. Noriſio obſervaſse me memini Tom. 3. Artic. 5. §. 3. pag. 512, & ſeq. Ad hæc Julianum *ab Apoſtolica ſententia*, uti locum Marii Mercat. præfat. in Tract. Neſtorii legendum ex archetypi fide jubet Baluzius pag. 33, atque ita legi debere ex S. Auguſtino lib. 1. contra Julian. cap. 12. confirmat doctiſs. Coutantius §. 12. n. 30, non vero *ab Eccleſiaſtica ſententia*, uti legere maluit Garnerius pag. 58, Julianum, inquam, gradu deturbatum, & ab Eccleſia depulſum, loci recuperandi cupidine in Apoſtolicæ Sedis communionem irrepere denuo tentaſse auctor eſt S. Proſper in Chron. ad an. 439; ubi ſubtexit hortatu S. Leonis tum Diaconi a S. Sixto III. fraudulento homini, qui fluxam ſemper fidem ſuam fecerat, nullum patere aditum fuiſse permiſsum. Quid ad hæc, quod Neſtorius duabus epiſtolis, ſemel & iterum S. Cæleſtinum P. M. cum de ratione, qua ſibi cum Juliano, aliiſque Pelagianæ ſectæ anteſignanis foret agendum, conſuluit, tum fidei ſuæ accuratam eidem rationem, quam ſi Pontifici allubere contingeret, tutum ſe a commota tempeſtate non dubitabat, reddendam eſse è re ſua duxit? Ejus perinde veſtigiis inhærentem Eutychem pattocinium fidei, cauſsæque ſuæ peſſimæ adverſus S. Flavianum, ac Synodum Conſtantinopolitanam apud S. Leonem M. quæſiviſse abunde dictum abs me Tom. 3. Art. 5. §. 1. pag. 403, & ſeqq. eſt. Ad quæ illud obſervatu quammaxime dignum nunc judico, quod in Epheſina pſeudo-Synodo, referentibus Liberato Brev. cap. 12, ac Theodoro Lect. in libello Concilio Chalced. act. 1. inſerto, quamvis innumeros pro-

prope, hæreſi Eutychianæ qui ſubſcribere ultrocitroque non detrectatent, Ægyptios, Thraces, ac Palæſtinos Dioſcorus inveniſſet, non plus minus tamen decem rapuit, qui damnationis ſententiæ in Pontificem M. latæ adhætere voluerint: ii videlicet licet hæretici facti, & Catholicæ fidei adverſarii, ac proditores, Romani tamen Pontificis dignitatem ſummopere veriti ſunt, & reveriti, ut opportune obſervarunt Baronius, & Pagius ad an. 449. n. 168. Tom. 8. nov. edit. Lucen. pag. 47, & ſeq. Accipe demum hujuſce religionis documentum adhuc unum, vel alterum. Photium apud Hadrianum II. legatione, ac litteris jus ſuum contra S. Ignatium, perperam tametſi, proſequutum legimus inter alios in Anaſtaſio præfat. ad Synodum VIII. Abaelardum ad Innocentium II. provocatione interpoſita perditæ cauſsæ ſuæ patrocinium, quo certo majus ſe poſse nanciſci deſperabat, quæſiviſse intelligimus ex S. Bernardo in epiſt. 189, & 190, nec non ex Gaufrido Clareval. Abaelardi olim diſcipulo lib. 3. vitæ S. Bernardi cap. 5. Atque hæc obiter de confugiis: nam aliis in locis multa adhuc erunt attexenda; atque heic attexta uberius ibi enucleanda.

Jam ad Caput 2. accedo de confeſſionibus ab hæreticis Romano Pontifici haud raro redditis, unde cum geſtis dictorum, ac veterum cum Novatoribus Ὁμολογία, ſive imo Ὁμοδοξία liquido adpateat. Atque quidem apertiſſima in hanc vetitatem a Schiſmaticis frequentiſſime collata teſtimonia, ex eorum explicatiſſimis confeſſionibus abunde, opinor, planafacta ſunt, ubi de Eccleſiæ Orientalis traditione, ac teſtimoniis diſserendi opportunitas adſuit. Quod ad hæreticos attingit, principio, antequam ad iſtos deſcendam, peto, ut in tot retro Sæcula obiter retorqueatur oculus ἀπὸ παλῶν, pacataque mente perpendatur, tot inter veteres Religionis, Eccleſiaſticæque Reipublicæ perturbatores non utique viſos fuiſse, auditoſque, qui fronte præfracta, elato præ faſtu ſupercilio, projectoque omni præ furore pudore Romanum Pontificem laceſsere probris, contumeliiſque proſcindere auſi ſint unquam. Hæc ultima audendi devexioti hac ſub ætate demum veniam, animum, copiamque Symmiſtis ſuis fecere Lutherus, & Calvinus, ut effuſa, effrænique maledicendi licentia, ac libidine Bacchantum inſtar in Romanos Pontifices efferrentur. Proh Superi procaciſsimorum

morum hominum protervitatem? Ecquisnam aequi, justique æstimator non stomacetur, non horrescat, non infremat ad criminationes, ad convicia, ad contumelias, quas ore blasphemo, tanquam canes præ rabie furentes, in Apostolicam Sedem, quam verecundiæ simul, ac veritatis legibus semper adacta tota retro Antiquitas tanto in honore habuit, adeoque ut persuasum vel apud Ethnicos ipsos esset, universis Orientis, Occidentisque Episcopis potestate sua Romanum Pontificem longe præstare: ac propterea Ammianus Marcellinus post enarratam S. Athanasii damnationem, quam ab Episcopis Occidentis, & Orientis Constantius Imp extorserat, non acquievisse eum tamen subjungit, sed *Auctoritate quoque, qua potior est, æternæ Urbis Episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti*, in Apostolicam, inquam, Sedem effundere, & profundere ab Antesignanis suis procacissimis obtrectatoribus edocti sunt Jo: Balænsin hist. Papatus; Matthias Sutelivius de conform. Papat. & Turchis.; Jo: Sleidanus in hist.; Mornæus Plesæus in Myst. iniq.; Georgius Nigrinus in Papistica inquisit.; Stephanus Szegedinus in speculo Rom. Pontif.; Johannes Gisenius in Papismo; Daniel Chamierus in Panstratia cathol.; Nicolaus Hunnius in apostasia Rom. Eccl.; Jo: Gerardus in confess. cathol. par. 1; Georgius Millius in serm.; Maximilianus Philon in exam., & inquisit. Papist.; Jo: Henricus Heideggerus in hist. Papat.; Jacobus Heilbruner in Papatu acathol.; Jo: Wolfius in lection. memorab., & reconditis; Nicolaus Honigerus in speculo Rom. Pontif.; Matthæus Goebelius in Cæsareo-Papia Romana; Antonius Reiserus in Roma non gloriosa; Daniel Hofmannus; Matthias Hoe; Ludovicus Sekendorsius in hist. Luteran.; Jo: Wolfangus Jægerus; Abrahamus Calovvius in Mataeologia Papist.; Petrus Juriæus de præjudiciis Papat.; Gilbertus Burnetius in hist. Reformat. Eccl. Anglic.; Simeon Patrikius; Josephus Addisonius in Itiner. Ital.; Jo: Placetæus de insanabili Eccl. Rom. scepticissimo; Maximilianus Missonius in nov. itin. Ital.; Banck de tyran. Pap.; Jo. Guntherus de Ecclesia Luther. Apostol., Romana vero Apostat.; Christianus Weisius, & Jo: Ulricus Wolmarus de Spuriis in Ecclesia, & relitter. claris; Daniel Maichelius de variis Eccl. Rom. molimin., ac methodis in revocandis hæreticis; Christophorus Matth. Pfaffius

Instit.

Inſtit. Theolog. par. 3. ſect. 2; Erneſt. Auguſtus Bertlingus in Inſtruct. de Jubilæo Papali, contra quem conſule Emin. Quirini præfationem ad Librum *Injuſtæ ſeceſſionis* &c; Erhardus Erhardt in examine ſcripturiſtico Jubilæi Papal. 1750; Archibaldus Bonverus, & Frider. Eberhardus Rambac in hiſt. Papali; Jo: Fidelis Schantzius in cogitatibus de erroneis præjudiciis Papatus; Gotfridus Sebuzius de infallibilitate Rom. Pontif. αυτοκατακριτῶ. At quorſum operam ludo ſexcentos hujuſce furfuris Sycophantas perſequendo, quibus plus quam ſexcenties duriſſimum os jamdudum obſtruxere nobiliſſimi de noſtris ſcholis Thelogi? Potius novo præliandi genere Novatores iſtos aggredi præſtat, & comprimere: quo tamen putas, ſi Superis placet? Non altero, quam quod de ipſorum penu ſuppeditabitur, ex Symmiſtis nempe ſuis eos in aciem producendo, atque opponendo, qui ſive verecondia, ſive veritate cogente, bene de Romano Pontifice loquuti ſunt.

Atque ut exordium capiam a Jo: Wicleſo, hic in epiſtola ad Urbanum VI. an. 1384. inſcripta, quam refert Foxus lib. 1. Comment., & ex ipſo Jodocus Coccius in Theſau., *Gaudeo*, ſcribit, *plane detegere cuicumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici, quia ſuppono, quod, ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem meam confirmabit, & ſi ſit erronea, emendabit.... Suppono iterum, quod Romanus Pontifex, quum ſummus Chriſti Vicarius in terris ſit, ad illam legem Evangelii inter viantes maxime obligetur.... Si in iſtis erravero, volo humiliter, etiam poſt mortem, ſi oporteat, emendari: & ſi in perſona propria ad votum potero laborare, vellem præſentiam Romani Pontificis humiliter viſitare.* Hæc loquebatur, dum adhuc veritatis lumen adſpiciebat, quibus animo nedum depoſitam prodere cogebatur opinionem in Eccleſia receptiſſimam de Romano Pontifice ſuprema prædito poteſtate, ac in fide falli, & fallere neſcio. Nec diſpar ibat admodum verbis, modo non falleret mens, Pezibramus peſtilentiſſimus Huſſita, qui in fidei profeſſione anno 1450. emiſſa inter alia ſic enuntiabat: *Profiteor fideli corde, & ore, quia omni voluntate, & deſiderio ſum in ſpe, eſſe cupio in re, ex integro inviolabiliter, & inſeparabiliter membrum S. Matris Eccleſiæ Catholicæ, univerſalis, & Romanæ per totum Orbem diffuſæ, in Apoſtolicis Sedibus a B. Pe-*

a B. Petro Apoſtolorum Principe fundatæ, & uſque modo continuatæ, & ſuper firmam Petram tam firmiter roboratæ, quod portæ Inferi non poſſint adverſus eam quomodolibet prævalere. Ita plane ſincere profiteri oportet hominem, cui veræ fidei jubar affulgeat, ac ſalutem aſſequendi æternam votum cordi inſit. Confer litteras nobilium Bohemorum, ac Moravorum ad Concilium Conſtantienſe; nec non fidei profeſſionem eodem in Concilio editam a Hieronymo Pragenſi ſeſſ. 19. apud Harduinum tom. 8. pag. 451, & 454. Locum hic quidem Laurentio Vallæ facere liceat, quin tamen eumdem, etſi fama, fideque haud leviter laboraverit, inter hæreticos collocandi mens ſit, quibus nihiloſecius viri hujus teſtimonium acceptum haberi non nequit. Is ergo in orat. ad Eugenium IV. præpoſteræ, quam pridem tenuiſſet, agendi rationis pœnitentia ductus, apud Pontificem excuſat ſe, veniamque petit, quod pro Baſileenſibus aliquando ſtetiſſet, ac ſcripſiſſet. Quod non eſt aliud, quam primas ſupra Concilium Pontifici M. fore largiendas fateri: de quo videndus Raynaldus ad an. 1446. n. 9.

Locupletem nunc, ſiquem alium, Lutherum hujuſce rei teſtem advoco, quem nemo recuſet: quid enim, ſi tanta ſeveritate non tam, quam ſævitie, quae hominem prodat præ furoris impetu ſui impotem, omnesque honeſti, juſtique limites prætergreſſum, adverſus Romanos Pontifices debacchatus eſt, quid, inquam, tum inde? Exemplo ſuo docuit, quid vel ab invitis veritas extorquere valeat. Is ergo in Libello, quem conſcriſperat de auctoritate Rom. Pontificis, cujus meminere Ulembergius in ipſius vita cap. 4, Cochlæus de actis, & ſcriptis Lutheri, ac Sanderus de viſib. Monarch. lib. 7: *Non video*, inquit, *quomodo ſint excuſati a Schiſmatis reatu, qui voluntati Dei contravenientes ſeſe a Romani Pontificis auctoritate ſubtrahunt. Ecce hæc eſt una prima mihi inſuperabilis ratio, quæ me ſubjicit Romano Pontifici, & Primatum ejus confiteri cogit.* Bene heic ſe habet Lutherus, nam iis pugnat telis, quibus profecto ſibi jugulum petat: pergit deinde, *Ad hoc*, ſubjungens, *facit unus ille conſenſus omnium Fidelium, qui hodie ſub Romano Pontifice ſunt.* Quibus appoſite quidem, ſimilibuſque Sanderus loco cit. Lutheranos exagitat. *Ipſe Lutherus*, de ipſo quoque ſcribens Ulembergius cap. 3. inquit,

quit, *mira quadam calliditate multorum animos ſibi adjunxit; dum Eccleſiæ Romanæ, & Pontificis judicio ſe, ſuaque omnia ſubmitteret: ſimulate quidem, quemadmodum poſt ſatis apparuit; at ita tamen, ut conſilia eorum, ad quos hujus cauſſæ cognitio pertinebat, hærerent, & ob hanc ipſius ſubmiſſionem ſuſpenderentur.* Cujuſmodi quidem ſubdolae hominis fidei ſpecimen in eo exhibet Ulembergius, quod Lutherus die 3. Martii anno 1519. ad Leonem X. P.M. litteris inſcriptis, ſe ipſum, cauſamque univerſam voluntati, cenſuraeque Pontificiae ſubjecit, permiſitque: Deum etiam teſtatus, & creaturas omnes, ſe nunquam id hactenus egiſſe ſerio, ut poteſtatem Romani Pontificis laederet, ac labefactaret, ſeu Apoſtolicae Sedis auctoritati dolo, fraudeque quidpiam detraheret: quin imo ultrocitroque profeſſus ejuſdem poteſtatem in Eccleſia ſupremam eſſe, ſolaque Divina inferiorem. Atque utinam ex animo! Nam quam vere, quam bene in Reſolutionibus diſputatis ad eumdem Pontificem ſcripſit Lutherus in haec verba: *Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero cum omnibus, quæ ſum, & habeo: vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba: vocem tuam vocem Chriſti in te præſidentis, & loquentis agnoſcam.* Similia regerit in Reſolutionibus aliquarum propoſitionum apud Nardium in expunct. 1. *Primum*, inquiens, *quod me movet Romanum Pontificem eſſe aliis omnibus ſuperiorem, eſt ipſa voluntas Dei, quam in ipſo facto videmus. Neque enim ſine voluntate Dei in hanc Monarchiam venire unquam potuiſſet Romanus Pontifex. Et voluntas Dei, quoquo modo fuerit nota, cum reverentia ſuſcipienda eſt; ideoque non licet temere Romano Pontifici in ſuo Primatu reſiſtere.* Haec ille, dum adhuc integros habere videbatur ſenſus, qui repetitâ vice Auguſtae coram Legato Cajetano haec inſuper e ſcripto diſerte profiteri non eſt dedignatus: *Ego Martinus Lutherus proteſtor me colere, & ſequi S. Romanam Eccleſiam in omnibus meis dictis, & factis præſentibus, præteritis, ac futuris. Quod ſi quid contra vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto habere, & haberi volo.* Quid plura? Citatus ad Comitia Auguſtana a Maximiliano Imper. an. 1518. indicta coram Legato Apoſtolico ab iis appellatione interpoſita ad Pontificem provocavit: (quamquam

poſtea, velut haereticorum hominum praeferre ſolet ingenium, a Leone X. damnatus a Pontifice appellarit ad Concilium): qua tamen praepoſtera agendi ratione patefecit, quid ab homine Catholico de Romano Pontifice recta fide foret credendum. Vide & Surium in Comment. an. 1517, ac Raynaldum ad an. 1519. n. 40.

Antequam ad alterum Novatorum Anteſignanum appellam, Calvinum nempe, pauca diſſerere de Eraſmo non pœnitebit, a cujus nomine Proteſtantes haud abhorrere perſpectum eſt. Eraſmus ergo, emunctæ, ut norunt omnes, vir naris utique, & ab aſſentandi vitio quammaxime alienus, negari quidem nequit, quin ſive ob aſperitatem ingenii, ſive ob Theologicae rei imperitiam in errores temporum inflecti viſus fuerit, quædamque fidei orthodoxæ parum conſona ſcripſiſſe; jureque propterea in violatæ Religionis culpam ſæpius vocatus ſit. Revera tamen de ejus orthodoxia dubitare non ſinunt Johannis Roffenſis, qui in lib. de verit. Corp., & Sang. Chriſti in Euch. in præf. inter acerrimos Lutheri hoſtes adnumerare Eraſmum non omiſit: Jo. Cochlæus, qui in Invect. eumdem inter Leonis X. amicos, & laudatores commemorare non dubitavit: Hadrianus VI, qui in epiſt. anno 1518. exarata eumdem digno mactare elogio non detrectavit: Fabricius denique, de Religione Eraſmi diſſertatione edita Hamburgi 1717, eumdem copulare illorum catalogo, qui Romanæ ſtuduiſſent Eccleſiæ, non abnuit Salut. Luc. Evang. pag. 73. Sed & de Eraſmi orthodoxia adeundus Richardus Prior Belliloci in apologia an. 1688. Coloniæ hoc de argumento elucubrata. Indubium eſt illud Eraſmum a Sedis Apoſtolicæ obſequio nunquam deſciviſſe, uti fidem invictam faciunt cum ipſius epiſtola anno 1524. die 13. Febr. ad Clementem VII. lib. 19. epiſt. 1. inſcripta, velut etiam agnovit ipſemet Franciſcus Brujus hiſt. Pontif. tom. 4. pag. 446, tum Pauli III. epiſtola ad ipſum die 1. Aug. an. 1535. apud Raynaldum n. 28. reddita, qua Eraſmum multa perpeſſum ab hæreticis pro tuenda Apoſtolicæ Sedis auctoritate memorat, quem propterea laudibus cumulat, ac pingui donat Sacerdotio. At enim præſtat ipſum audire, qui tot in locis, tamque liquido in Romani Pontificis meritas laudes prodit, ejuſque Divina privilegia celebrat, ut de ſincera ejus ſententia nefas ſit ſuſpicari. Enim vero lib. 1. de

de ratione concionandi *Expedit*, ait explicitiſſime, *ad arcenda Schiſmata unum eſſe Pontificem Romanum, qui præſideat Eccleſiis omnibus*. In Spongia vero adverſus Huttenum ſuſpicionem omnem de oppugnata ab ſe Pontificia poteſtate his amolitur verbis: *Non indixi bellum Romano Pontifici. Non profeſſus ſum me protectorem Lutheranæ factionis. Conſtat Græciam in Romani Pontificis poteſtatem conceſſiſſe. Lutherum non agnoſco; Romanam Eccleſiam agnoſco*. Quum rurſus Romæ, alibique in ſuſpicionem violati juris Pontificii vocatum ſe intellexiſſet, itemque fama iccirco haud leviter laborare, quod favorem Lutheranæ cauſſæ impendere crederetur, omnem ab ſe ut invidiam depelleret, fidemque liberaret ſuam, cum in epiſt. 1. lib. 14. ad Card. Campegium ita ſcribit: *Quid mihi neceſſitudinis cum Luthero, aut quid ab illo ſperem præmiorum; ut ab eo ſtare velim adverſus doctrinam Evangelicam, aut adverſus Eccleſiam Romanam, quam opinor a Catholica non diſſentire, aut adverſus Pontificem Romanum totius Eccleſiæ Principem? . . . Non ſum tam imprudens, ut obſiſtam ei, cui nec Regibus tutum eſt obſiſtere*: tum in reſponſione ad exhortationem Alberti Pii Carporum Principis ſic fatur: *Tot ſcriptis tribuo Romano Pontifici totius Eccleſiæ Primatum, frementibus cunctis, qui Romano Pontifici male volunt. Ego apud Lutherum non alio nomine pejus audio, quam quod ubique ſartam tectam volo Pontificis auctoritatem*. Similia habet in ſcholiis ad epiſtolam S. Hieronymi ad S. Damaſum, quem a S. Doctore habitum ſupremo in Eccleſia Capitis loco & ipſe agnoſcit; in epiſt. 5. lib. 14. ad Leonem X; epiſt. 112. lib. 19; epiſt. 47. lib. 31. ad Vulturium Neocomum, ac epiſt. 58, & 59. ejuſdem libri. Qui poſtremo ſalubrius capere conſilium nequivit, quam quo Eccleſiae Romanae judicio, ſe, libroſque ſuos demiſſiſſimo animi obſequio ſubjiceret.

Ad Calvinum nunc aggrediendo, is equidem lib. 4. Inſtit. capp. 6, & 7. Romanae Eccleſiae Primatum effutit neque ex Chriſti inſtituto, neque ex veteris Eccleſiae uſu originem ſumpſiſſe: honore ordinis, non poteſtatis jure S. Petrum ceteris Apoſtolis fuiſſe priorem, atque etſi dignitate reliquos antecelluiſſet, Apoſtolis ipſi Primatum deferentibus, id ad perpetuitatem non eſſe trahendum. Cui baſi poſtmodum ſuos quoque ſuperſtruere.

errores M. Antonius de Dominis, & Ed nundus Richerius, ut de aliis nunc ſileam, non erubuere. Non tamen inficias it, quin in perſona S. Petri Romanae Eccleſiae Primatum plerique ex Patribus acceptum detulerint; quin Apoſtolicam Sedem ſummo honoris loco ſemper habuerint, de eaque reverenter loquuti ſint: *Idque*, inquit, *ex triplici capite: opinio enim illa, quæ neſcio quomodo invaluerat, fundatam, & conſtitutam eam fuiſſe Petri miniſterio, ad conciliandam gratiam, & auctoritatem plurimum valebat. Itaque in Occidente Sedes Apoſtolica honoris cauſſa vocabatur. Deinde quum illic eſſet Caput Imperii, & hac ratione credibile eſſet præſtantiores tum doctrina, tum prudentia, & multarum rerum uſu viros illic eſſe, ne & Urbis nobilitas, & alia etiam Dei dona multo excellentiora contemni viderentur. Acceſſit ad hæc & tertium, quod quum Orientales, & Græcæ Eccleſiæ, Africanæ etiam multis opinionum diſſenſionibus inter ſe tumultuarentur, hæc ſedatior aliis, & minus turbulenta fuerit. Ita factum eſt, ut pii, & ſancti Epiſcopi ſedibus ſuis pulſi, illuc ſe, veluti in aſylum, aut portum quemdam ſæpe reciperent .... Hoc ergo Romanæ Eccleſiæ plurimum addidit auctoritatis, quod non ita dubiis illis temporibus tumultuata eſt, ut reliquæ, ac doctrinæ ſemel traditæ fuit aliis omnibus tenacior. Has, inquam, tres ob cauſſas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris veterum teſtimoniis commendata.* Multa, ut vides, falſis vera commiſcet Calvinus, agitque eo, quo ſolent modo, qui luci tenebras offundere ſatagunt. Veterum in eam commendat ſtudium, ſtudiumque ejuſdem dogmata retinendi ſemel tradita; ac nullum notari tempus poſſe, quo ab exercendo in alias Eccleſias imperio abſtinuerit, fatetur. Quorſum itaque totum id non Divinæ, ſed humanæ dumtaxat inſtitutioni deputat? Veritati certe, quod enucleatius teſtimonium exhibuerat lib. 1. Inſtit. cap. 1., oblitus videtur, aut obducere nebulam voluiſſe, ubi de Romana Eccleſia ſic pronunciaverat: *Veritatem præconio ſuo celebrat puram, & ſinceram retinet, ac ad poſteros tranſmittit.* Cui teſtimonio adjungendum alterum haud obſcurum, quo in Comment. ad cap. 43. Iſajae Romanam Eccleſiam hac merita cohoneſtat laude: *Veritatem tuetur, & propagat, ut a poſteris in omne ævum colatur.* Viden hinc vero, ut Στιγματίαι

hic

hic verbis hiſce ſemet, ac ſuos compungat? Non his ego moveor, novi enim neceſſe eſse, ut qui veritati ſemel lumen obſtruxit, ſecummet andabatarum more digladietur.

Luthero, & Calvino haec non tam propria, quam ipſorum Gregalibus facta communia, qui haud infrequenter, aut a noſtratibus diſputatione fatigati, aut veritate ipſa vincente preſſi Romano Pontifici rectum denegare teſtimonium nequivere. In his Centuriatores Magdeb., quorum familiam duxit Matthias Flaccus dictus Illyricus, qui infames Centurias XIII. illas concinnavit, uſus opera Martini Copi, Jo: Wigandi, Matthaei Judicis, Baſilii Fabri, Marci Pancratii Veldpokii, Andreae Corvini, & Thomae Holthuteri; quibuſve in labore exſcalpendi ſcriptorum loca adjutrices manus dedere Ambroſius Hidfeld, David Cicelerus, Gaſpar Leunculus, Willelmus Radenſis, Nicolaus Beumullerus, Bernardus Niger, & Petrus Schraeder; Amannenſis officium autem praeſtavit Conradus Agrius, Centuriatores, inquam, a priſcis Eccleſiae Patribus quin apertiſſime agnitus fuerit, aſſertuſque S. Petri in Eccleſia Primatus, adeo impudentes non fuere, qui inficiati ſint. Sed ideo Cent. 3. col. 84, & 85. Tertulliano, S. Cypriano, & Origeni ingenti crimini vertunt, quod ſuper Petrum fundatam Eccleſiam affirmare non dubitaverint; & Cent. 4. col. 54. S Optatum, & Arnobium in culpam vocant, quod S. Petrum quidem *Apoſtolorum Caput*, Pontificem quoque *Epiſcopum Epiſcoporum* nuncupare religioni duxerint. Quid quod his ſuccenturiatus Melanchton in epiſt. 74. eò pervenit, ut in haec ſcribere non pœniteret: *Quemadmodum ſunt aliqui Epiſcopi, qui præſunt pluribus Eccleſiis &c., ita Pontifex Romanus omnibus Eccleſiis præſidet, & hanc politicam Canonicam* (dixiſſet verius Divinam) *nemo, puto, ſapiens improbat, aut improbare debet &c. Monarchia enim Pontificis Romani in hunc finem, meo quidem judicio, utilis eſt, ut unitas doctrinæ ſervetur. Huic igitur articulo de Primatu Papæ facile aſſentiremur, ſi de ceteris conveniremus.* At hoc poſtremum quid aliud per Deum immortalem eſt, quam ſecummet pugnare, ſiquidem, ipſo fatente, ſi Pontificis Romani Primatus ad unitatem doctrinæ tuendam adeo confert, in Primatum ipſum prius concedere oportet, quam de ceteris convenien-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

veniendi dogmatibus ratio inquiratur ? Age nunc autem Bucerus audiatur, qui in præpar. ad Concil. *Ingenue*, inquit, *confitemur apud veteris Eccleſiæ Patres Romanam Eccleſiam præ ceteris Primatum obtinuiſſe, ut quæ Cathedram S. Petri habeat, cujuſque Epiſcopi ſucceſſores Petri fere ſemper habiti ſunt*. Itaque ex jugi traditione, in eo nondum prorſus extincta, præclara, quæ de Romano-Pontifice edocuerant SS. Patres, didicerat, nulloque, quæ didicerat, limite coarctare debebat. Bunnius quoque in tract. pacificat. ſect. 14. digno hoc elogio Romanam exornat Eccleſiam, qui proinde nulla tergiverſatione ſuam ab eadem defectionem excuſare, ac defendere poſſit: *Quomodo*, inquit, *in propagatione fidei permanſerit, ex quo ab Apoſtolis fidem percepit, Verbum, & Sacramenta a Chriſto D. tradita retinuerit; quod ſane ſingulare Dei donum eſt, & manifeſtum opus Spiritus Sancti*. Poſt quæ tam explicita, quem non miſeret hominis inſano conſilio ab eadem Romana Eccleſia aberrantis; Scripturæ ſacræ interpretationes, quas illa tradit, exſibilantis; Sacramentorum ſeptenarium, quod illa retinet, explodentis; & fidei dogmata, quæ illa colit, ejurantis ? Deſperati pariter hominis, deploratæ cauſsae patrocinium, quod adferret opportunius, non habentis, reſponſio eſt, quam invictiſſimo a traditione petito argumento aptare conatus eſt Bulingerus Decad. 5. ſerm. 3. §. ult. *Ad Veteres*, ajens, *Eccleſiæ ſcriptores, quos illi nobis objiciunt, neſcio quid de Primatu Petri teſtificantes, uno verbo reſpondemus: non perinde nos curare, quid ſenſerint Veteres, quam quod inſtituerit Chriſtus*. Sua ergo ſententia pro S. Petri Primatu ſtabant veteres Patres: quibus an minus explorata fuerit Chriſti D. inſtitutio, quam novellis iſtis Nebulonibus, Lector *æquus* dijudicet.

Diſpeream modo, ſi quidquam preſſius a Theodoro Beza ſcribi potuiſſet ad damnandam ſuorum injuſtam Romana ab Eccleſia ſeceſſionem. Nam, uti refert Florimundus hiſt. lib. 8. cap. 5, dum concionando themate ſumpto ex Act. 7. de ſucceſſione Patriarcharum verba facere cæpiſſet, & Catholicæ Eccleſiæ amplitudinem extollere, tum ad Apoſtolorum ſucceſſionem tranſiens, *Si*, inquit, *Adverſarii noſtri* (ideſt Catholici) *a vobis quærant, ubi ſit apud vos Cathedra, & ſucceſſio Petri, cedamus illud; quoniam vere*

vere Catholici, & Papiſtæ hanc habent ſucceſſionem Apoſtolicam perſonalem ad hanc uſque diem, velut per manus traditam, & propagatam; id inficiari non poſſumus. Atque reapſe haec ipſa Bezae confeſſio in cauſſa fuit, cur Johannes Druet paſtor, unaque ſex alii ſupra ſeptuaginta Lutetiam Pariſiorum profecti, Cardinali Florentino coram hæreſi ejurata, ad Eccleſiæ Romanæ dogmata redierint. Johannes Ivellus in replic. ad Hardingum pag. 386. de Apoſtolica Sede id ſcribit, quo rubore ſuffundat ex ſuis Anglo-Calviniſtis quotquot ſeceſſione ab eadem facta dicteriis eam proſcindere non deſiſtunt, neque ullum ſcommatibus, quæ in faciem ſedentis in ea Pontificis jaculant, facere ſciunt modum. *Tam Auguſtinus*, inquit ibidem, *quam ceteri Patres Sedi Romanæ reverentiam exhibuerunt ob Religionis puritatem, quæ ibi ſine macula longo tempore conſervata eſt.* In eo quidem peccat, quod poſtea errorum vitiliginibus eam fœdatam effutit, at enim cognoſcere facile debuerat inſolens συνφωνεν eiſdem adhuc dogmatibus, ob quæ olim præconiis a veteribus Patribus celebrata eſt, Romanam indivulſe hærere Eccleſiam, in eaque dogmata eadem in ævum conſervanda integra, & intemerata dixiſſe etiam Patres. Naperus in Apocalyp. cap. 12, & in Inſtitut. Gallic. Genevae impreſſis anno 1562. nefas eſſe dubitationi ſupponere ſcribit, quod in fide ab Apoſtolis accepta longum poſt tempus vel detrimenti, vel mutationis aliquid Romana Eccleſia paſſa ſit: *Notum* ait, *& indubitatum eſt, quod ab Apoſtolorum temporibus uſque ad ſupradicta*, (nempe in eo is verſatur errore, quod tandem erroribus Romana ſuccubuerit Eccleſia, avitaeque fidei jacturam fecerit) *nulla doctrinæ mutatio facta fuerit Romæ.* At noſcere quam poterat, tam debuerat ex eodem Dei Verbo ſcripto, & tradito ſemel ab Apoſtolis conſignatam doctrinam apud Apoſtolicam Sedem ad diem uſque ſupremum Mundi duraturam. Haec de fidei puritate: quid vero de poteſtatis ſumma? *Proteſtantes*, affirmat Blondellus de Prim. pag. 24, *neque Apoſtolicæ Cathedræ dignitatem unquam veteri Romæ denegaſſe, neque Primatum, quem habet in vicinas Eccleſias, imo etiam, quem aliqua ratione obtinet in univerſas.* Adeo nempe tota retro Antiquitate teſte Romanae Eccleſiae Primatus conſtabat, ut impudentia etſi praediti ſumma inficiari tamen omnino Proteſtantes nequirent. In

In Janſenio ſermonem ſiſto, qui ut fidei ſuæ, famæque, qua graviter periclitaturum ſe fore proſpiciebat, meliori, quo poſſet, modo conſuleret, id ſuſcepit conſilii, ut ſe ſuumque *Auguſtinum* S. Romanæ Eccleſiæ judicio ſubmitteret. Itaque vafritiei ſummæ vir, qui poſtquam errores propinaſſet ſuos, ne quid adverſum illis accideret, ſibique cavendum ſtuduit, ad libri peſtilentiſſimi calcem profitetur in obedientia S. Romanæ Eccleſiæ ſe vivere, & mori velle. Tanti enim. ſua intereſſe noverat, ſi apud Romanum Pontificem peſſime non audiret. Sed ſubſtine adhuc, donec unum adjiciam inter Proteſtantes doctrina illuſtrem, cujuſque ideo teſtimonium illis non acceptum eſſe nequeat, Hugonem nempe Grotium tot laudibus, inflatiſque buccinis a ſuis deprædicatum, quem baccaris inſtar eſſe ad avertendum, quo tenentur miſeri, faſcinum volo. Verſat egregie hoc argumenti genus Illuſtriſs. Jacobus Benignus Boſſuetius, ſingularique diſſertatione circa doctrinam, & criticem Grotii hunc, hujuſque Symmiſtas vexat idcirco, quod nec ei ſatis iſti conſentiant, nec is ſibimet conſtet. Itaque Grotius in Annot. ad Caſſandri conſult. art. 7, quo is loci ad unitatem Eccleſiæ tuendam unius ſummi Rectoris neceſſitatem adſtruit, hunc apponit calculum: *Bene Caſſander ad Eccleſiam diſcernendam a Schiſmaticis addidit unitatem ex Chriſti ipſius dicto Jo: 13, 35... Eſt enim Eccleſia corpus quoddam, & proinde juncturis quibuſdam compaginatum Epheſ. 4, 16. Hae junctura ſunt Epiſcopi in parte minore ... & in majore Metropolitæ, ... Primates, ... Patriarchæ, & in toto Corpore is, qui Princeps eſt Patriarcharum Epiſcopus Romanæ Urbis: quæ omnia conformata ſunt ad exemplar Principatus ejus, quem Petrus inſtituto Chriſti habuit in Apoſtolos* &c. Atque Principatus in Romano Pontifice utilitatem perſpectam, ingenueque probatam fuiſſe Melanchtoni, Jacobo Regi, aliiſque Proteſtantibus confirmat. Idem rurſus in Animad. adver. Rivetum art. 1. Exercitus, & Navis ſimilitudine aſſumpta, Eccleſiam non niſi ab uno Rectore rite adminiſtrari poſſe demonſtrat. *Deus*, inquiens, *ad res optimas etiam optimas monſtrat vias: qualis eſt ad unitatem Eccleſiæ certus Ordo. Hic ordo quis eſſe deberet, monſtravit in Petro Chriſtus: ei enim Claves Regni Cælorum dedit pro toto Collegio, tanquam Collegii*

Prin-

Principi. Qua in præclara ſententia Grotio parem ſe dediſſe Leibnitium in epiſt. 8. ad Fabricium indicaſſe me memini Tom. 1. pag. 81. Quod ad caput alterum de fidei doctrina integre ſervata in Eccleſia Romana pertinet, non minus expreſſa eſt Grotii ſententia. Quam injuſta, tam inſolens ei viſa ſemper eſt Antichriſtianiſmi, Idololatriae, ac male ſanæ ſuperſtitionis accuſatio, qua Romanam Eccleſiam in invidiam vocare Proteſtantes non verentur; quamque ipſe per ſingula deſcendendo dogmata in Eccleſia Romana recepta, eademque profecto accepta Chriſto D. referri debere oſtendendo, diſpellit. Atqui digna eſt quammaxime, quæ legatur Grotii epiſtola *679*. ad Fratrem ſuum: ubi Romanam Eccleſiam nedum Catholicam, ſed Catholicæ imo Eccleſiæ Caput eſſe, ne vel levem in dubitationem adduci permittit, invicto præ aliis deſumpto ex epiſtola S. Hieronymi ad S. Damaſum teſtimonio. Dogmata ab Eccleſia Romana retenta a Patribus qua Græcis, qua Latinis concordi ſententia tradita affirmare non dubitat: exindeque conficit ad confirmandam Eccleſiæ unitatem conferre, expedireque, ut nihil ſive circa regulas morum, ſive regiminis rationem, ſive doctrinæ dogmata immutetur. Conferre etiam juvat ipſius Epiſtolas *693*, & *736*, quaſque in eaſdem inſtituit obſervationes cit. diſſert. Cl. Boſſuetius: nam eas refingere nec vacat, nec inteteſt. Grotio igitur ingenti crimini jure vertitur ab Houtvillæo diſc. crit. in veritate retinenda inconſtantia. Atque hinc abunde, opinor, adparet rite de Romana Eccleſia pronunciaſſe S. Auguſtinum in Pſal. 54. n. 22. *Ex hæreticis aſſerta eſt Catholica, & ex his, qui male ſentiunt, probati ſunt, qui bene ſentiunt*: ſiquidem S. Hieronymi ſententia in epiſt. ad Pammach. *Verum illud eſt teſtimonium, quod ab inimica voce profertur*.

Colophonem capiti huic imponet ingens illorum numerus, qui erroribus innutriti, ſuperno gratiæ lumine affulgente, orthodoxæ fidei victas dedere manus: ex quibus paucos adlegere, ac in aciem producere nunc mihi liceat. In his Chizzuola Hippolytus Lutherana pece aſperſus, Romæ hæreſi ejurata, in Eccleſiæ Romanæ obſequium ſe totum tranſcripſit, ut oſtendit Cl. Fontaninus in Bibl. Ital., ideoque non audiendus Jo: Sleidanus ejuraſſe illum errores negans in epiſt. ad Aſcamum Anglum, quæ legitur in

operibus Andraeæ Dudizii Apoſtatæ, ann. 1552. die 28. Febr. Quid, amabo, niſi avita perſuaſio de veritate Religionis Romana in Eccleſia retentæ Bremorcarti in Helvetia Cives, ac Contribules ſuos inflexit, quominus aures æquas, facileſque Wernhero Schodelerio ad frugem invitanti anno 1520. denegarent? Alteram ab hac augurari difficile eſt rationem, qua Stanislaus Oricovius permotus, Lutheri partibus abdictis, totus ad ejus hæreſim profligandam ſe converterit. Henricus Dux Memorantius anno 1561. Novatorum detectis erroribus, iis abjectis, cum Guiſiis ex aſſe Catholicis ſentire ex animo cœpit, Pontifici obedientiſſimum ſe præbere impoſterum officio, religionique ducens. Singularis erga Fridericum Staphylum græce, latineque eruditum Dei miſerentis eluxit gratia, quæ illum a Lutheri, cui a decem annis adhaeſerat, latere abſtractum ad Romanae Eccleſiae rurſus amorem, ſtudiumque accendit, quo deinde Segreges multos ſapere docuit. Sed & ſapere didicit, fini prope ſuo conceſſurus, Carolus Molinaeus, nam Proteſtantium abdicatis partibus, quibus plurimum ſtuduerat, ſcriptiſque felle plenis ejuratis, quibus famae, fideique ſuae levem haud labem inuſſerat, fidei profeſſione an. 1566. Pariſiis idoneis coram teſtibus emiſsa, ad avitam Romanæ Eccleſiæ Religionem ſe integrum revocavit. Optimis etiam auſpiciis a Calvini caſtris ad Romanæ Eccleſiæ communionem redierat, quin imo redeundi pariter Contribulibus multis, nec generis proletariis, ſed Optimatibus pleriſque, ſed Condæo Principi, ſed Navarræ Regi auctorem ſe dederat Hugo- Soræus Roſarius: at miſer, qui in ſententia non ſtetit, ad veteres relapſus errores, ob quos & ſuis, & noſtris ludibrio, ludoque ceſſit! De Florimundo Remundo ad fidem reduce confer Bzovium ad ann. 1566. pag. 282. n. 179. De M. Antonio Flaminio, cujus teſtimoniis de Rom. Pontifice, ac præſertim ex præfat. ad Paulum III. præfixa explanat. in Pſalm. appoſite utitur adverſus Proteſtantes, videſis Emin. Quirinum in epiſtolis refutat. Kieslingii animad. 6, & 9, & Actorum Lipſienſ. animad. 20. Johannes Monlucius Valentinus Epiſcopus hæreſis, a cujus nota fruſtra eum vindicare San-Marthanos Gall. Chriſt. tom. 3. pag. 1120. poſt Columbum fuiſse conatos oſtendit Laderchius ad an. 1566. n. 36, & ſeq., & ad an. 1571. n. 28,

n. 28, a Pio IV, & V. damnatus, resipiscens demum ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam se recepit. Legendæ ipsius epistolæ ad Cler., & Popul. Valent., & Dienſem.

Lectoris extra partes constituti, quin Protestantium conscientiam imploro, num graviori altera, quam quod longe a Romana, ac veteri Ecclesia dissideret Lutheri Prosecha, ratione permotus, Lutheranis partibus desertis, ad Romani Pontificis obedientiam se contulerit Georgius Wicelius? Hoc certe invictissimo argumento præcipue contra Lutherum pugnasse Wicelium fide affirmant sua Johannes Cochlæus in act., & script. Luth., & Ulembergius in vita Lutheri cap. 23. Atque hac ipsa ratione ductus Casandro, & Masio auctorem se dedit consilii de Segregibus ad unitatem reducendis. Quo studio erga Romanum Pontificem flagrarint Davidius Perronius, ejusque opera ad castra nostra transducti cum nobile par Fratrum uterque Spondanus, tum Johannes Morinus, adeo exploratum est omnibus, ut mea commemoratione non indigeat. Potius non prætermittendum Religionis Romana in Ecclesia retentæ veritatem Gasparo Schioppio, viro, ut norunt omnes, acerrimi, subactique ingenii, adeo obviam ivisse, ac in oculos velut insiluisse, ut actutum hæresi abdicta, eamdem ambabus ulnis amplecti non dubitaverit, librumque edere de sua ad Catholicos migratione. Johannes Wouver eo, quo præditus erat, ingenii acumine, superiori adjuvante lumine, facile errorum, quibus detinebatur, falsitate deprehensa, Romæ anno 1602. fidei professione emissa in Romani Pontificis clientelam se transcripsit. Quis Ferrerio Hieremia ex Calvinistarum grege in Romanos Pontifices exasperatior? Nam an. 1602. publica data thesi Clementem VIII. ipsum esse Antichristum propugnare illum non puduit: facti postea pœnitens, ac Romanæ Ecclesiæ fidem professus, præsidenti in ea Pontifici nihil deinceps obsequii, obedientiæque non detulit. Exempla sunt ista, quæ suo Matthæus Launojus, ac Johannes Pitseus ad frugem bonam regressi confirmarunt, quibus in errore pertinaces, ac in Pontificis Romani contemptu, gravi suffundi pudore oporteat. Ad hæc Johannes Kircher a Lutheri ad castra nostra transgressus, conversionis suæ motiva plana fecit, contra quæ sæpius Lutherani ca lamum

fruſtra ſtrinxerunt: inter hæc autem illi primum dedit locum, quod Romanus Pontifex, ceu ſupremus in Eccleſia Paſtor, audiri omnino debeat. Hac ipſa ratione a P. Johanne Fiſchero Soc. J. inflexus Willelmus Chillingvvorth inter Anglo-Calviniſtas celebris agnovit unum eſse in Eccleſia Controverſiarum ſupremum Judicem oportere, ideoque haud invitus catholicæ fidei nomen dedit, ſuæque converſionis motiva expreſſit in epiſt. ad amicum Gilbertum Skeldonum, quem ſuumad imitandum exemplum adhortatur. Quamvis infelix paullo poſt ad hæreſim rediit, utque in ea Anglos confirmaret, peſtilentiſſimum elucubrare librum non erubuit ſub hac epigraphe: *Religio Proteſtans via ſecura ad ſalutem*; quem librum Lochius laudibus ideo celebrat. Juſtas e contra laudes a conſtantia, qua Calvini ſecta ejurata anno 1694. in Romani Pontificis ſuſceptis ſemel partibus integer manſit Johannes Plantavitius promeruit: dignus, qui Epiſcopali etiam dignitate adaugeretur, & ad ſacratiora conſilia a Cardinali Rupefocaltio admitteretur.

Inter hos liceat illuſtrem dare locum Ahmedo Ben-Zin-Ulabedino, homini inter Muhamedanos magni nominis, librisque adverſus chriſtianam Religionem celebratiſſimo. Is enim a Philippo Guadagnolo, (cujus inter opera inſignis eſt Apologia pro Relig. Chiſt. Latine an. 1631. edita; atque Conſideratio adverſus Relig. Muhamed. Arabice an. 1537,) convictus Romanæ Eccleſiæ doctrinæ adeo ex animo ſe devovit, ut ejuſdem defenſorem egregium ſe dederit. Cedo nunc mihi hominem genere illuſtriſſimum, qui agnitæ veritati haud obluctandum ſibi duxit, aut cunctandum, quo minus ab hæreſi confeſtim ad Romanæ Eccleſiæ gremium ſe reciperet. Is eſt Erneſtus Lantgravius Haſſiæ, (cujus exemplo non multo antehac inſtitit ejuſdem familiæ Princeps alter), qui datis ad Gebennenſes litteris publicas fecit rationes, quibus permotus ad Romanam Eccleſiam redierat: inter quas eam præcipuam recenſet, quod hæreſes ad unam omnes, quarum catalogum uſque ad Janſenium ibidem producit, ab eadem fuerint profligatæ; atque quidem actutum ferme ac prodiiſſent. Me autem valde miſeret vanæ, emendicatæque reſponſionis, quam ad hæc adhibuit Drelincourt Pariſiis an. 1663. apud Calviniſtas

ſacrilego defungens miniſterio: ſcilicet pag. 340. quam inepte, tam frigide repoſuit, falſo in litteris ſuis a Lantgravio hæreſis nomine Janſeniſmum traduci; quum imo purum, putumque Evangelium, Gratiæ Dei ab Apoſtolo traditam, & a S. Auguſtino adoptatam doctrinam Janſenius tradidiſse exiſtimandus ſit, & dicendus. Horum ſimilium pleraſque confeſſiones alias retexit Emin. Perronius in reſp. ad Regem Angliæ cap. 25; præſtiterunt vero Hieronymus Vignierius; Paulus Pelliſſonius Fontanier; Samuel Sorbierius ſermone edito de ſua converſione; Iſaacus Papinus, qui fidei ſuæ teſtem adhibuit Cl. Boſſuetium; Jo: Pricocos; Theophilus Brackel, unus iis, qui enixiori conatu Calviniſtis cum Catholicis conciliandis incubuere; Petrus Lambecius egregiis tot ſcriptis illuſtris; Iſaacus Perreirius, qui erroribus ejuratis fidei ſuæ exceptorem habere meruit Alexandrum VII; quos, alioſque plures ut ſingillatim perſequar, definiti ſpatii anguſtia prohibeor. Quin ad hos proximus iret, & ad Romanæ fidem Eccleſiæ rediret, pravi non adeo pervicax extitit Jo: Michael Vanslebius, poſtquam nempe peragratis Ægypto, ac Æthiopia, non alia, quam quæ Romana in Eccleſia ſunt ſacra, diſterminatis in Regionibus illis dogmata coli perſpexit. In horum pariter cenſum conferendi Nicolaus Stenon, Ulricus Obrecht, de Mahis, Henricus Sully, virique Principes Jo: Conſtans Elector Saxoniæ, Jo: Fridericus Brunſv. Dux Hannov., aliique plures, quos cum laude recenſet P. Gregorius Kolb in ſerie Rom. Imperat. pag. 484; quibus utinam, quod bonum arriſit, omen Sectarios ceteros non magis ureret, quam a contumacia revocaret?

Compendio uti cogor, ne copia obruar eorum, qui ſupremi Numinis auſpicio, ductuque Refractariorum deſertis caſtris ad Romanæ Eccleſiæ gremium convolare, & ad Pontificis M. obedientiam redintegrare ſe ſe religioni duxerunt. Atque ex his non proletarii generis quoslibet, quod etſi vellem, nec præſtare ullo modo valerem, propoſitum mihi fuit in aciem proferre, ſed eorum dumtaxat habere delectum, qui inter Proteſtantes aut ingenio, aut doctrina, aut officiis, aut dignitatibus, aut ſcriptis potiori, qui haberentur loco, digni olim reputati ſunt. E quibus ſuccurrunt Joſeph Saurinus, ac David Auguſt. Brueys, qui a doctiſſ.

Boſ-

Boſſuetio errores dedocti veritati manus dare victas, ac in Romani Pontificis fidem actutum ſe transferre dedignitati non ſunt : at vero horum poſtremus calamum pridem ſuum in ejuſdem Boſsuetii Catechiſmum haud impiger ſtrinxerat. Loco ſuccedunt Ludolfus Kuſter, & Albertus Burg : ille quippe attenta lectione Novi Teſt. edit. Millii eruditus, & graviſſimis argumentis a Bollandiſtis devictus agnovit demum in Eccleſia infallibilem eſſe, ſupremumque Controverſiarum Judicem oportere : iſte quoque Calvini erroribus ejuratis, Romanæ Eccleſiæ dogmatibus ſe totum adjiciens librum edidit ſub hoc titulo: *Methodus facilis veram Eccleſiam lumine rationis inveniendi* : quo de libro agit in Biblioth. volante Cinellius. Et quidem naturali ratione, poſt Dei gratiam, duce, vir nobiliſſ. Erneſtus Metternichius S. R. I. Comes, Regisque Pruſſiæ Conſiliarius anno 1728. paullo ante mortem, eo nempe tempore, quo mentiri nemo volet ratione utens, ex errorum cœno emerſus, ad Romanæ Eccleſiæ dogmata acceſſit, faſſus, ac profeſſus veram in ea Religionem coli, colendi Deum puriſſimos ritus tradi, ac pulcherrimam, Deo nempe auctore dignam, Eccleſiaſticam Hierarchiam vigere, talemque, quæ hæreſibus labefactari nequeat, ac Romanum Pontificem tamquam ſupremum Præſidem veneretur, & colat. Dignum eſt lectu ejus Soliloquium commentariolo illuſtratum a Gaſparo Erhard Bened., ex quo illud etiam deſcripſit vir doctiſs. P. Anſelmus Deſing ejuſdem Ord. in append. lib. inſcripti *Juris Nat. Larva detracta* &c. pag. 219, & ſeq. Caput hoc claudam hominis exemplo haud capite cenſi, cujus teſtimonium idoneum ſit adeo, ut vel ab invitis fidem extorqueat. Is eſt Franciſcus Bruys peſtilentiſſimi libri promus condus, hiſtoriæ nempe Pontificum a S. Petro ad Benedictum XIII. Gallice adornatæ, ac voluminibus quinque comprehenſæ. Hunc Cane pejus, & angue Romanos odiſse Pontifices liquido adparet ex libro probris undique, calumniiſque ſcatente, ubi nullum reliquiſſe videtur lapidem, quo Pontifices MM. peteret; neque mendaciis, neque maledictis parcens, ubi alter laceſſendi non adeſſet locus, ut quaqua in ipſos invidiam quæreret, ac plebi deridendos, deſpiciendoſque propinaret. Is tamen, proh Dei omnipotentis, ac miſerentis opus! ad frugem tandem regreſſus, avi-

avitamque Religionem, quam in libris quidem ſimulat, reapſe tamen, ad Batavos transfuga, non tam fœdaverat, quam deſeruerat, repetens, quoad vixit, ad annum nempe uſque 1738, nullius rei deinceps tam pro verecondia, quam pro veritate adeo puduit ipſum, ac pœnituit, quam eorum, quæ profligatiſſimo calamo Romanos contra Pontifices ſcripturierat: quæ ſcriptis abſtergere, quod per vitalis lucis uſuram non licuiſſet, delere acerbioribus lacrymis non deſtitit. Proteſtantes porro dicta iſta, & facta valdequam urunt: quibus ut offendant, regerere abſque delectu eorum quoque, & exaggerare ſolent exempla, rude, indigeſteque conglomerata, qui Romanis deſertis, ad caſtra Lutheri, & Calvini deſcenderunt. At enim his ego non moveor, nec utique movebitur æqui, juſtique æſtimator, qui ſe poſito partium ſtudio, collatiſque urrimque receſſus, & reditus motivis, conſideret, quam longo, latoque inter ſe diſtent intervallo: ſiquidem a Romana Eccleſia recedendi non altera inceſſerit Segreges illos ratio, quam ut legum vinculis abſoluti, vivendi, quam mallent, licentiam conſectarentur: e contra ad Romanam redeundi Eccleſiam non alia magis urſit eos cauſſa, quam propriæ ſalutis procurandæ, cui plane extra Romanam Eccleſiam aditum non patere compertum habuere. Itaque quam recta (præfiſcine dixerim) argumentum meum proceſſit, tum perperam retorquere Proteſtantes obnituntur; quin imprudenter eodem ipſo jugulum ſibi petunt.

Ex jure declarandi, damnandique ſive Hæreſes, ſive Hæreticos.

§. I.

AB ætate Apoſtolorum uſque ad ſuam, videlicet Eccleſiæ Sæculum V, Hæreticorum diverſas Sectas 88, aut 89. dinumeravit S. Auguſtinus: totidem circiter, quæ a S. Doctore relatis adjunctæ numerum 180. conflarent, a S Auguſtini ævo ad Lutheri, Calvinique tempeſtatem recenſuit Sanderus hæreſum diligentiſſimus collector. Lutheraniſmus, & Calviniſmus longe plures peperetunt: nam Hæreſum ex illis enatarum ſumma capita ad 270. circiter adnumerarunt Hoſius, Lindanus, Prateolus, Reſcius,

ſcius, Florimundus, Abelly, aliique viri docti, de quibus confer etiam Jovetum hiſt. Relig. tom. 1. cap. 1. Jam vero his profligandis unum parem eſſe in Eccleſia Pontificem M., quin ulterius deſiderare ſit aut Epiſcoporum in Concilio coadunatorum, aut Eccleſiæ in Orbem diffuſæ conſenſum, eodem privilegio ſibi divinitus facto, quo Chriſtifideles non vera docere nunquam poteſt, mea nunc eſt oratione oſtendendum. Quæ ut recta procedat, illud principio obſervaſſe non pœnitebit ante Concilium Nicænum 90. circiter Hæreſes, cujuſpiam abſque Concilii opera, Romanæ præ ceteris Eccleſiæ præſertim ſententia, cui confeſtim accedere ceteræ ubique Eccleſiæ priſco in more habuerint, fuiſſe proſcriptas. Poſt idem Concilium longe plures a Romanis Pontificibus damnatæ leguntur, quæ per Orbem denunciatæ illico bonis omnibus odio ſummo ceſſerunt, quin in mentem cuipiam unquam veniret, (niſi moroſioribus quibuſdam poſtremis hiſce temporibus, imaginantibus eſſe id non tam aſſentiri, quam aſſentari), inquirendum prius de Eccleſiæ univerſæ ſententia, quam dicenti Pontifici aſsenſus præberetur. Hinc magnus ille Angliæ Cancellarius, avitæque Religionis acerrimus vindex Thomas Morus apud Lucheſinium de ſignis veræ fidei lib. 3. ſigno 38. ajebat: expedire quidem ſacra celebrari Comitia, ad errores quo facilius, eo felicius, collatis in unum conſiliis, explodendos, extirpandoſque: nihilominus abſque Concilii opera, ſat eſse, ſuperque unum Pontificem. Poſtquam vetuſta, eorumque præſertim, quæ evenerant in Oriente, monumenta cogitate, ac ſedulo pervolutaſſet, ſtudio propulſandi recens in Occidente exortas hæreſes, compertum habuiſſe, eam omnibus orthodoxis jugiter inſediſſe ſententiam, errori edocendo non obnoxiam eſſe Cathedram S. Petri, ejuſque unius Magiſterium par eſſe ad aſsenſum jure a Chriſtifidelibus omnibus extorquendum. Neque porro aliter conſtitui opportune potuiſse Chriſtianam Rempublicam, nedum ad rem fidei ſtabiliendam expectarentur aut Epiſcoporum in Concilio ſanctiones, aut Eccleſiae in Orbem diffuſæ ſuffragia, impune, lateque interea hæreſum peſtes ſerperent, & propagarentur: quæ præclara dicta factis modo confirmare mea intereſt, ac juvat.

Articulo porro altero, quo de factis Dogmaticis ineunda diſ-

diſputatio erit, occaſione data catalogum ſatis prolixum exporam hæreſum, & haereticorum, quibus infamiæ dica a ſummis Pontificibus fuit ſæpe conſcripta : præſtat impræſentiarum complures, ac potiſſimas ex eis perſequi, quibus ſtatim, atque erumpere in publicum viſae ſunt, eadem peſſima nota a Pontificibus inflicta adeo adhaeſit, ut ab illis abſtinendum ſibi, præcavendumque quammaxime confeſtim bonus quilibet in Eccleſia intellexerit. Non equidem omnia conſtant, quæ a priſcis illis Pontificibus adverſus hæreticos præclare decreta, geſtaque fuere, ſed pleraque oppido multa magno rei Chriſtianæ detrimento temporum invidia nobis furripuit : ex his tamen, quæ adhuc ſuperſunt litterarum demandata monumentis, conjectura facile datur aſſequi, id in more poſitum Pontificibus fuiſſe, ut illos, qui a fide deflexiſſent, ac in prava abjiſsent dogmata, tum extemplo ab Eccleſia ejicerent, tum Chriſtifideles commonefacerent, ne illis Sacrorum conſortio jungerentur. Non is equidem eſt, qui fidem obliget noſtram, Auctor Conſtit. Apoſtol., in quas confer Manſii adnotationem critic., & chronolog. tom. 1. Suppl. Concil. pag. 3, & ſeq., ſub S. Clementis nomine : proſcriptos ab ſe tamen Nicolaitas, Baſilidianos, Gnoſticos, Carpocratis infeſtum germen, ac Simonis Magi ſectatores tradit lib. 6. cap. 8. Cæterum a S. Clemente Ebionitas condemnatos teſtis eſt fide dignus S. Epiphanius hær. 30. Prædeſtinatus a Sirmondo editus, quem librum Primaſio S. Auguſtini diſcipulo, Epiſcopo Adrumentino vindicant Noriſius, Cavæus, Ittigius de Bibliot. PP. pag. 259, & Fabricius Bibliot. Lat. lib. 16. pag. 11, abjudicant vero alii, opuſque contendunt poſt exortam Neſtorii hæreſim tantummodo confectum, Prædeſtinatus, inquam, cap. 16. refert a S. Alexandro P. M. librum exaratum adverſus Heracleonem quemdam Valentini diſcipulum, docentem ſemel baptizatum peccati labe ullius coinquinari amplius non poſſe, enixeque rogato ab Epiſcopis Siculis miſſum Sabinianum Presbyterum, qui collecta Synodo haereticum illum diris cunctis devovit. Atqui fabellæ loco hanc fore habendam narrationem exinde ſuadet Coutantius §. unic. de ſcriptis S. Alexandro attributis pag. 54, quod S. Auguſtino teſte de haereſ. cap. 16. Heracleo Marci diſcipulus fuerit ; qui S. Alexandro poſterior

fuit, nec ante S. Hygini aetatem auditus, ut ex S. Irenaeo lib. 1. cap. 9, & Euſebio lib. 4. cap. 11. auguratur: unde pag. 6. conficit pariter fidem denegandam eidem Praedeſtinato cap. 12. denarranti hunc Marcum Carnis reſurrectionem inficiantem a S. Clemente damnatum. In Libello Synodico apud Fabricium tom. 11. Bibl. Græcæ, ac Conciliorum Collect., cui pretium conferunt Labbaeus, Baluzius, & Juſtellus, legitur Theodotus damnatus a S. Teleſphoro in Synodo ex 12. Epiſcopis conflata: quod minus verum puto, ſiquidem S. Teleſphorus paſſus fuerit aut ſub Hadriano an. 137, aut ſub Antonino Pio an. 139; Theodotus autem errores non propinavit ante Imperium M. Aurelii, ideſt ante annum 161. Quare Synodum hanc, ac Theodoti damnationem S. Victori adſcribendam ex Euſebio lib. 5. cap. 28. obſervarunt Labbaeus, & Harduinus tom. 5. pag. 1495. Nolim itaque labili, incertoque monumento cauſſam tam gravem confidere, quam magis ex certis undequaque documentis comprobare poſſum. Cerdonem, & Valentinum ſub S. Hygino Romam ſe contuliſſe, ac primum ſe Catholicos præferentes in Romanae Eccleſiae communionem irrepſiſſe, ſed poſtea comperta eorum hæreſi, ab Eccleſia penitus ejectos fuiſſe, auctores ſunt S. Irenaeus lib. 1. cap. 28, & lib. 3. cap. 4; Tertullianus de Præſcrip. cap. 30, & Euſebius lib. 4. cap. 10. Utriuſque vero ſectatores non alio potiori argumento exagitandos ſuſcepere ſive S. Irenæus lib. 3. cap. 3, ſive Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 33, quam Romanæ praeſertim Eccleſiae traditionem, Epiſcoporum in eadem ſucceſſionem, ex Apoſtolis ductam originem, retentamque jugiter doctrinam objiciendo. Sub S. Aniceto Marcionem Romae egiſſe, atque ab Eccleſia projectum tradit S. Irenæus lib. 3. cap. 3; ex quo Tertullianum erroris arguunt Tillemontius, & Coutantius, quod lib. de praeſcrip. cap. 30. Marcionis in Urbem adventum ſub S. Eleuthero collocarit: ſed hoc de argumento ſat alibi.

Cataphrygas a S. Sotere damnatos, ac librum de Extaſi adverſus eoſdem circa annum 164. conſcriptum, eique libro a Tertulliano in devia jam rapto libros 6. de Extaſi pariter inſcriptos fuiſſe oppoſitos memorat Auctor Prædeſtinati hær. 26, & 86, ubi de Montaniſtis agit: ipſum Tertullianum ideo quoque damnatum

tum ſubjungens, quod pro Montaniſtis libros adornaſſet. Atqui heic quoque Prædeſtinato fidem detrahendam pugnat doctiſs. Coutantius in epiſt. S. Soteris §. 2. pag. 79, & ſeqq. Præter enim quam quod neque S. Soteris, neque Tertulliani, cujus in lectione cæteroqui diligenter erat verſatus, ſcriptorum ne quidem vola apud S. Hieronymum, qui haud imo obſcure indicat lib. de Script. Eccleſ. cap. 53. nonniſi aliquot poſt S. Soteris obitum annis Tertullianum ab Eccleſia defeciſſe, nec ſibimet is Auctor conſtat: hinc enim aſſerit a nemine, qui contra Cataphrygas calamum arripuit, memoriæ tradita infanda ab ipſis ex infantis ſanguine celebrata myſteria (quod tamen flagitium utique Cataphrygibus exprobraſſe leguntur SS. Cyrillus Hieroſol. Catech. 16, Philaſtrius hær. 49, Epiphanius hær. 48. n. 14, Hieronymus in epiſt. 54. ad Marcellam, & Auguſtinus de hæreſ. cap. 48, qui Prædeſtinatum ætate præceſſerunt) illinc vero attexit a Tertulliano S. Soteri mendacio datum objectum de initiis ſanguine infantis celebratis: quod ſupponit hoc facinus a S. Sotere fuiſſe commemoratum: (quamvis longe veri ſiat ſimilius arcanum illud, nefandumque myſterium non a Montano, prioribuſque Cataphrygibus, bene vero a poſterioribus eorum diſcipulis fuiſſe inductum). Ad hæc falſitatis arguitur Prædeſtinatus, dum contra S. Soterem aſſerentem Tertullianum inducit Cataphrygibus æque, atque Catholicis communem eſſe doctrinam circa Trinitatem in unitate Deitatis, ac circa pœnitentiæ locum faciendum Lapſis: quippe longe poſt in errorem Sabellii pariter lapſos Cataphrygas comperium eſt, quo plane ab errore puros fuiſſe, dum ad ipſos defecit Tertullianus, ipſemet teſtis eſt locuples in libro adverſus Praxeam poſt lapſum ſcripto, quem hunc ob errorem vehementer exagitat: itaque erroris iſtius nedum exorti Cataphrygas redarguere S. Soter nequiverat. Manifeſtiſſimi viciſſim mendacii redarguendum ſe propinaſſet Tertullianus, ſi, uti Prædeſtinatus fingit, adverſus Pontificem contendiſſet Cataphrygas nihil a Catholicis diſcrepaſſe circa veniam dandam Lapſis: ſiquidem quin S. Hieronymus cit. epiſt. 54. adhibeatur teſtis, Tertullianus ipſemet lib. de pudic. totus in id incumbit, ut Eccleſiæ, ut S. Petro capitalia delicta remittendi facultatem adimat. Sed de his

hactenus. Ut igitur ad certiora monumenta me convertam, Romano Pontifici, quem S. Anicetum Baronius autumat, S. Eleutherum Valesius in not. ad Eusebii lib. 5. cap. 3, & Massuetius in dissert. prævia ad S. Irenæum pag. 80, S. Victorem Pagius ad an. 172. n. 3, & Coutantius de epist. S. Eleutheri §. 1. pag. 87, & seq., probatas fuisse Montani Prophetias scripsit Tertullianus lib. adversus Praxeam cap. 1. Verum aut non adhibenda Tertulliano fides; aut si mavis, sub S. Victore, uti veri similius autumo, id totum actum est, siquidem SS. Sotero, & Eleutherо Cataphrygum, quorum initium in annum 179. circiter ab Eusebio conjicitur, probe fuisse perspectas indicat eodem loci Tertullianus, ac de S. Eleuthero mox ostendo: S. Victori, inquam, Cataphrygum ἔκθεσις, Ecthesis, non etiam παραχθεσις Parecthesis, accepta fuit. Videlicet Asiæ, & Phrygiæ Ecclesiis acri dissidio inter se divisis, ut pacem inferret Pontifex, eoque maxime, quod Cataphryges affabre ad fallendi artem compositi se catholicos, ac sanctioris vitae sectatores mentirentur, fieri potuit, ut vera crederet, quæ de illis charismata divinitus infusa circumferebantur, ideoque veram crederet Ecthesim, non Parecthesim insaniae plenam. Post vero re maturius perpensa, & a Praxea illorum fraudes, dolos, erroresque detegente edoctus litteras pacis ipsis impertitas revocarit, velut ibidem Tertullianus conqueritur. Verum S. Victoris scriptis undique admoniti Christifideles, ac maxime Asiani, a Cataphrygum dolis, erroribusque deinceps sibi cavere didicerunt.

Retro nunc flectendo vestigia, ad ejus decessorem S. Eleutherum Montanus, Alcibiades, & Theodotus ab Ecclesia Lugdunensi, & Viennensi delati, misso ad has perurgendas vices S. Irenæo tum Presbytero, ab eo damnati leguntur apud Eusebium lib. 5. cap. 4. Atque tum demum, maximeque postquam confirmata in ipsos a S. Victore sententia fuit, undique in Cataphrygas conclamata est damnatio, puta in Synodis Hierapolitana sub Appollinari, Anchialensi sub Sota, Gallicana, sive Lugdunensi sub S. Irenæo, de quibus Liber Synodicus n. 5, & seqq., & Eusebius lib. 5. capp. 3, & 4; in Ephesina, de qua auctor Prædestinati hær. 27, & in Antiochena, de qua Eusebius lib. 5. cap. 19. Nisi malis ad S. Zephyrini tempus ejusmodi Synodos retrahere, ut insinuare videtur

Ter-

Tertullianus lib.de Jejun. cap.13, Zephyrinique juxta ſententiam in eis condemnatos Cataphrygas: ſive enim is Eleutherus ſit, ſive Victor, ſive Zephyrinus, ſive verius tres ad unum omnes, nihil noſtræ nocet cauſſæ, ſtat enim quod in Hæreticos a Pontifice ſemel damnatos damnatio undique in Eccleſia fuerit conclamata. Moram heic nonnullam, leviſſimam tamen, injicit Valeſius contra Baronium negans S. Irenæum Romæ apud S. Eleutherum ejuſmodi officio ſibi ab Eccleſia Lugdunenſi in Cataphrygum cauſſa delato defunctum; inficiatus inſuper ullam ab Euſebio Hierapolitanæ Synodi mentionem habitam. Verumtamen opinio Valeſii omnino corruit explicito teſtimonio Euſebii lib. 5. capp. 3, & 4, ac S. Hieronymi de Script. Eccleſ. in S. Irenæo. Conſuleſis Pagium ad an. 177. n. 2. uſque ad 8, & Blancum de poteſt. & polit. Eccleſ. tom. 3. lib. 1. cap. 4. §. 4. ubi inanes Valeſii conjecturas exſufflant; Blondelli quoque, & Dodvvelli ſiculnea argumenta convellunt, quibus iſthæc S. Irenæi miſſio impetitur. Certiſſime S. Cyprianus in epiſt. 41. edit. Pamelii ad S. Cornelium miſſos pro rebus ad Religionem ſpectantibus e Synodo Carthaginenſi Caldonium, & Fortunatum Epiſcopos perhibet. Quin imo Montanus ipſe ab Apollinari Hierapolitano Antiſtite de fide accuſatus ſe ſatis tutum exiſtimavit, ſi a Romano Pontifice vel fraude, vel dolo communicatorias litteras impetraret. Non erat igitur, cur priſcus hic mos dubitationi ſupponeretur. Quorſum autem Valeſius de Synodi Hieroſolymitanæ veritate ſuſpicionem induit, quaſi Synodus iſta non una fuerit ex Aſianis, de quibus loquitur Euſebius de iis agens promiſcue lib. 5. cap. 16. juxta Valeſii ipſius verſionem? Vide doctiſs. Cacciari notam ad Euſebii cap. 19. verſ. Ruffini tomo 1. pag. 293, & ſeqq. Ab eodem S. Eleuthero Florinum, & Blaſtum olim Romanæ Eccleſiæ Presbyteros, illum quidem ad Valentini hæreſim delapſum, hunc vero Quartadecimanorum errores ſectantem, gradu depoſitos referunt Euſebius lib. 5. cap. 14, & Theodoretus lib. 1. hæret. fabular. In utrumque ſtylum ſuum exerens S. Irenæus libellos cum ad Florinum de Monarchia, ſive de uno Dei unius imperio, tum ad Blaſtum de Schiſmate exaravit; quibus eos ab errore revocare ſtuduit, teſte Euſebio lib. 5. cap. 19: quomodo lib. 3. cap. 3. ab erroribus avertere hæreticos omnes ad-

adnixus eſt, eoſdem provocans ad Apoſtolicas traditiones Romana in Eccleſia illibate cuſtoditas. Eumdem Blaſtum poſtea in errore pertinacem Sacrorum communione interdixit etiam S. Victor.

De quo ſermonem modo inſtituendo, Quartadecimanos ab eodem damnatos Tom. 3. Articulo VI. §. 11. pag. 640, & ſeqq. pluribus oſtenſum eſt, quod nunc indicaſſe ſat habeo. Valentinum, ceteras præter ineptias, corpus Cæleſte Chriſto D. affingentem; nec non Sabellium, ac Noetum tres in Deo perſonas contrahentes in unam, ac invicem commiſcentes a S. Victore abdicatos ſcribit Auctor Synodici: ſed de Sabellio, & Noeto minus vere, quippe qui non ante S. Sixti II. ætatem delirare auditi ſunt, teſte Euſebio lib. 7. cap. 4. Certo certius eſt, quod idem refert Synodicus, ac fide confirmant ſua Euſebius lib. 7. cap. 27, & Theodoretus hæret. fabul. lib. 2, ab eodem Pontifice in Theodotum, Ebionem, & Artemonem in Synodo 14. Epiſcoporum fuiſſe animadverſum. S. Optatus Milevit. adverſ. Parmen. lib. 1. ante med. S. Zephyrinum P. M. inter præcipuos, qui de hæreticis qua ſcriptis, qua ſententia divictis palmam tulerunt, hiſce recenſet verbis: *Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & ceteri temporibus ſuis a Victorino Pictavienſi, a Zephyrino Urbico, & Tertulliano Carthaginenſi, uſque ad Cataphrygas, ... ſuperati ſunt.* Nondum quidem, ut mox innuebam, ortus erat Sabellius, at pridem Marcionis, ac Valentini hæreſes obtinuerant, cum quibus prædamnatus Sabellius intelligi commode poteſt. Nuper vero Praxeas errores ſuos profundere cœperat, quos perinde chirographo dato, teſte Tertulliano cap. 1., retractare, ac devovere adactus eſt. Proclum etiam celebrem Montani diſcipulum, poſtquam a Cajo ſpectatiſſimæ vitæ, eximiæque doctrinæ viro manifeſtiſſimi erroris fuiſſet convictus, alioſque Montani pariter ſectatores, ipſumque Tertullianum ab eodem Pontifice fuiſſe iterum anathemate percuſſos, auctores ſunt Euſebius lib. 2. cap. 25, & lib. 6. cap. 16. verſ. Ruf., ac S. Hieronymus in Cajo, nec inficiatur Tertullianus ipſemet lib. de Jejun. capp. 1, & 13. Porro Cathaphryges in duas Sectas diviſi ſunt: alterius Proclus, (quem ab illo, cum quo diſceptavit Cajus, inepte diſtinguit Valeſius), alterius Princeps

ceps fuit Eſchynes: qui Proclo adhærebant, dicebantur οἱ κατὰ Πρόκλον, qui vero Eſchyni οἱ κατ' Αἰσχίνην, uti tradit Tertullianus de Præſcrip. capp. 52, & 53. De impacta Montaniſmi S. Zephyrino calumnia a Theodoſianis, centieſque reficta a Novatoribus, dicam commodius ſuo loco.

In Origenem latam a Demetrio Alex. ſententiam a Romano Pontifice confirmatam fuiſſe refert ex S. Hieronymo Ruffinus lib. 2. Invect.; quumque Demetrii obitus in an. 231. inciderit, ut oſtendit Sollerius in hiſt. Chronolog. Patriarch. Alex. §. 12. ex Euſebio lib. 6. cap. 19, inde Coutantius §. un. de S. Pontiani epiſt. pag. 119. conficit hanc Origenis damnationem S. Pontiano acceptam fore referendam. Ad eluendam hæreſis notam, ab Origene apologeticam ad S. Fabianum exaratam epiſtolam tradunt Euſebius lib. 6. cap. 26, & S. Hieronymus in epiſt. 65. ad Pammach, & Ocean. cap. 4. Quin etiam Romam proficiſci juſſum Origenem, ut Pontifice coram viva ſe voce purgaret, credidit Baronius ad annum 248. num. 3, & ſeq., quem plerique ſectantur. Verum Pagius ad an. 246. n. 2, & ſeqq. levi ex Porphyrio in vita Plotini ducta conjectura everſa, defendit ab Origene poſt primam, quam ſub S. Zephyrino adornaverat, ſecundam ſub S. Fabiano Romanam profectionem non fuiſſe ſuſceptam. Vide-ſis etiam Valeſium in Not. ad Euſebium lib. 6. cap. 19, Huetium lib. 1. Origenian. cap. 1, Fleurium hiſt. Eccleſ. lib. 6. n. 16, & Cacciarum in Not. ad Euſebii lib. 6. cap. 11. verſ. Ruff. Idunum iſthic obſervaſſe obiter nec inutile, nec injucundum erit, quod Origenes, cui Bayle V. *Origenes* Manicheiſmum, Doucin in hiſt. Origeniſmi Quietiſmum affricuit, Spinoſiſmum alii, alii imo Calviniſmum appingunt, ſuo de fine ſuppliciorum alterius vitæ impio errore Libertiniſmum peperit, Epicureiſmum progenuit, ac Socinianiſmo præluſit. Quocirca Auctor opuſculi, cui titulus *Janua Cælorum reſerata*, Carus Larebonius, is eſt Juriaeus, ſcribere non dubitavit Socinianorum opinionem autumantium Reproborum animas vi pœnarum, quibus diriſſime poſt mortem plectuntur, fore tandem, ut in nihilum redigantur, non differre ab impietate Epicureorum, qui animam cum corpore ſimul perire affirmare non deſinunt. Sed Elias Saurin in examine Theologiæ

M. Ju-

M. Jurieu contendit e ſyſtemate Origeniano de aliquando finiendis improborum ſuppliciis pejora, quam e Socini ſententia, derivari conſectaria, indeque inferri omnium Libertinorum iniquiſſimam perſuaſionem, quod ad Cæleſtem patriam quælibet ſecta perducat. De Origeniſtis vice plus ſimplici a Romanis Pontificibus damnatis paullo poſt recurret juxa temporis ordinem ſermo. Reſtat unum adhuc de S. Fabiano non prætereundum: ab ipſo nempe in Privatum latam a Concilio Lambeſitano ex 99. Epiſcopis, Præſide Donato Carthaginenſi Præſule, S. Cypriani deceſſore, anno 240. damnationis ſententiam, petentibus Concilii Patribus, calculo fuiſſe comprobatam, adparet ex epiſt. Cleri Rom. inter Cyprianicas 30, & S. Cypriani epiſt. 55. ad S. Cornelium; ad quem nunc reflectendus eſt ſermo.

Itaque a S. Cornelio ejaculata in Concilio Carthaginenſi anno 251. ſententia contra Feliciſſimum, & quinque alios Presbyteros, efflictim rogantibus Africanis Epiſcopis, hinc pondus adjici, momentique plurimum haud ignorantibus, confirmata eſt, teſte S. Cypriano in epiſt. 55. ad eumdem, quo de argumento ſatis alibi. In Novatianum etiam Lapſis ſpem veniæ eripientem Romæ Concilio 60. Epiſcoporum an. 253. habito anathematis telum intorſit, auctorque pariter fuit, ut ab Italis, ut ab Afris, ut ab Orientalibus, Conciliis ea de re celebratis, idem error proſcriberetur. Quam in rem legendæ epiſtolæ S. Cornelii inter Cyprian. 46. edit. Pamel. ad S. Cyprianum, ubi notatu digna, quæ refert, verba a Schiſmaticis ad veritatem regreſſis enuntiata: *Nec enim ignoramus unum Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, ... unum Spiritum S., unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia* eſſe debere; S. Cypriani viciſſim epiſt. 54. ad eumdem; S. Cornelii rurſus epiſt. ad Fabium Antioch. apud Euſebium lib. 6. cap. 43; ac S. Dionyſii Alexand. epiſt. ad S. Stephanum apud Euſebium lib. 7. cap. 3, qua ſignificat univerſim ab Eccleſiis Orientis abjectum fuiſſe Novatianum, ac ſignatim a Demetriano Antiocheno, a Theoctiſto Cæſareenſi, Mazabbane Hieroſolym., Marino Tyrio, Heliodoro Laodiceno, Heleno Tarſenſi, Firmiliano Cappadoce, brevi ab Eccleſiis Syriæ, Arabicæ, Meſopotamiæ, Ponti, & Bithyniæ. Quod indicium haud obſcurum eſt

ſane

ſane Religioni olim Epiſcopos duxiſſe a lata ſemel a Pontifice in hæreticos ſententia ne latum unguem diſcedere. A S. Stephano Rebaptizantium errorem, in quem manibus pedibuſque cum Aſiani, tum Afri conceſſerant, profligatum fuiſſe, quia multis Par. 1. Artic. 8. in Proleg. declaraſſe me memini, ab eodem proinde retexendo argumento ſatius eſt ſuperſedeam. Sub Pontificatu S. Sixti II, quem excepit S. Stephanus, illuſtre Apoſtolica Sedes accepit documentum obſequii debiti ſupremæ ipſius auctoritati ab Eccleſia Alexandrina, cui tum præerat Epiſcopus S. Dionyſius. Hic enim Sabellium ad ejus Tribunal de hæreſi detulit, ſumma hujus capita indicans, ipſius ſententiam interea præſtolans, ac depoſcens epiſt. legenda apud Euſebium lib. 7. cap. 5, a quo altera quoque cap. 8. refertur inſcripta ad eumdem Pontificem, qua de Baptiſmo collato ab hæreticis non juxta Eccleſiæ ritum conſuluit: unde videas a S. Dionyſio potiora duci Romani Pontificis conſilium, ac ſententiam, quam tot Synodorum Iconienſis, puta, Synnadenſis, & quatuor Carthaginenſium decreta, quibus adquieſcere neſcit, nec ad praxim, Pontifice inconſulto, confotmare ſe audet. Viciſſim ad S. Dionyſium P. M. de fide poſtea delatus ipſe S. Dionyſius Alex., quaſi in Sabellium pugnans in extremum dilapſus errorem, Divinam naturam in partes divideret, ſuſpicionem proinde omnem diluere juſsus, Apologia ſubmiſsa ad Pontificem calumniam omnino abſterſit, Pontificique fecit ſatis: ita teſtatur S. Athanaſius in epiſt. de ſententia S. Dionyſii, lib. de Synod., & epiſt. de decretis Synodi Nicænæ: meminere quoque SS. Baſilius lib. de Spir. S. cap. 29, & Hieronymus de Script. Eccleſ. cap. 79. Apologiæ hujuſce fragmenta diligenter collecta exhibet Contantius inter Rom. Pontif. epiſt. pag. 279, & ſeqq. At enim ab eodem S. Dionyſio Romano Sabellio ob hæreſim infamiæ dicam fuiſſe conſcriptam, in eo prædamnata impia Arii dogmata, unaque ſimul in veteratorem Marcionem innovatam maledictionem adnotat locis mox indicatis S. Athanaſius, ubi Dionyſianæ epiſtolæ adverſus Sabellianos inſigne nobis fragmentum ſervavit: in quo illud obſervatu dignum, quod Pontifex ita Sabellii refellit hæreſim, ut oppoſitos Tritheitarum errores ſimul evertat. Tanti vero a S. Athanaſio habitus eſt S. Dionyſius

nyſius Papa, ut graviſſimum inde argumentum duxerit ad Nicænum decretum de Filii Conſubſtantialitate, deque Trinitate Perſonarum, veluti de rebus ad fidei integritatem pertinentibus, juxta rectiſſimam priſcorum Pontificum doctrinam, defendendum, ac in tuto collocandum.

Appendere, Lectorique numerare nunc præſtat, ut ordo poſtulat, quae S. Felix I. pro fidei defenſione contra haereticos peregit. Ad preces igitur Patrum non minus, quam 80, teſte S. Hilario lib. de Synod. n. 86, Concilii Antiocheni ſecundi, ideſt circa finem anni 269, ut Pagius n. 12. oſtendit, adverſus Paulum Samoſatenum, Artemomis haereſim revocantem, ac Deo bellum indicentem, ut Patres Antiocheni loquuntur, ἀντιτασσόμενον ἀντὸ τῷ θεῷ, habiti, ex quo ad S. Dionyſium ejus deceſſorem Synodica fuerat miſſa, quam refert Euſebius lib. 7. cap. 26. verſ. Ruff., eumdem Paulum anathemate confixit, Divinam Chriſto D. naturam vindicans, epiſtola exarata ad Maximum Epiſcopum, & Clerum Alex., cujus fragmentum dumtaxat ad nos pervenit, atque a Concil. Collectoribus paſſim deſcribitur inter acta Concilii Epheſini. Porrò Epiſtolam hanc, qua & Sabellii haereſis profligatur, quin S. Felicis I. genuinus ſit fœtus, dubitare non ſinunt expreſſae, quas de illa texunt, laudes, Patres Concilii Epheſini Act. 1. pag. 1403. tom. 1. edit. Harduini, S. Cyrillus Alexand. in Apologet. adverſus Orient. anath. 6, Marius Mercator pag. 178, & 240. edit. Baluzii, Vincentius Lirin. Common. cap. 42, Hypatius Epiſcopus Epheſinus in Collat. an. 533. cum Acephalis habita apud Harduinum tom. 2. pag. 1162, ac Liberatus Brev. cap. 10, quibus permotus Cl. Coutantius eam S. Felici I. epiſtolam vindicare non dubitavit §. un. de ejuſdem ſcriptis pag. 294, & ſeqq. Quamobrem hanc immerito Epiſtolam S. Felici II. potius, qui Liberio fuit ſuffectus, tribuendam cenſuit Baſnagius to. 2. Annal., & cum ipſo Fabricius Bibl. Latin. lib. 6. pag. 158; & quod pejus eſt, Apollinariſtis non dubitavit adſcribere Doctiſs. Lequiennius diſſert. 2. Damaſcenica n. 7., quem loc. cit. refellit levi brachio Coutantius. Eo vero in pretio hæ S. Felicis litteræ habitæ ſunt, ut cum Pauli Samos., tum Sabellii hæreſes his damnatæ in Provinciis deinceps Maximo ſubjectis peſſimo audire nomine coeperint. Plurimi etiam

etiam factas a Patribus Nicænis liquet ex Actis Concilii Ephes. par. 4. tom. 1. edit. Harduini pag. 1639; a S. Athanasio, testis est ipsemet lib. de Synod., de sentenr. S. Dionysii, & orat. de Incarn. contra Paulum Samos.; a Theophilo Alex. patet ex epist. ad Porphyrium Antioch. in Actis Synodi V. Collat. 5. apud Harduinum tom. 3. pag. 106; ab Aureliano imo Imper. auctor est Eusebius lib. 7. cap. 30; ab Arianis demum ipsis adparet ex Synodica pseudo-Concilii Pilippopol. relata ab Harduino tom. 1. pag. 679, ubi habent: *In Urbe Roma sub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium, ab Orientalibus confirmatum est: & iterum in Oriente sub Paulo a Samosatis quod statutum est, ab omnibus est signatum*. Fuco quidem plena, fraudeque ad fallendum composita sunt hæc, sed quæ argumento, documentoque sint tamen, quid ab Apostolica Sede prolatæ in hæreticos sententiæ apud Orientales efficerent.

De Hæreticis a S. Melchiade damnatis modo dicturus, a retexendis, quæ de Donatistis ab eo profligatis abunde, opinor, dixi Tom. 2. Art. 9. §. 1. pag. 414, & seqq., ac Tom. 3. Art. 5. in proleg. pag. 328, & seq., manum retraham, magisque me conferam ad Manichæos, quos sub S. Felice I. primum exortos circa an 270. refert Eusebius lib. 7. cap. 27, ideoque minus recte Franciscus Bruys hist. Pontif. tom. 1. pag. 77. horum originem ad Pontificatum S. Eutychiani circa an. 277. retraxit. Ut ut sit ista de epocha, Manichæos Romæ a S. Melchiade detectos fuisse, damnatosque auctor est Anastasius, qua occasione observatu digna lex est ab eodem lata, & a Bibliot. relata. Discimus ab Auctore isto S. Eleutherum Basilidis, & Carpocratis errori, quo Manichæis præludentes, duoque rerum principia statuentes, bonum, & malum, superstitiose quibusdam abstinebant a cibis, quos ad principium malum referebant, legem opposuisse de indiscrete adhibendo ad communem usum quocumque cibo. A S. Cajo perinde juxta veterem praxim decretum emanasse de frugibus, ac uvis præsertim benedicendis. Non absimiliter errori altero, quem cum illis Manichæi habuerunt communem, quove Mithræ, ideſt Solis, cultores sacris initiantes, perque certos quosdem pœnarum gradus probantes, eorum ex 50. continuatæ abstinentiæ, ac jeju-

nii diebus, periculum capiebant: quod pariter jejunium per aliquos non interruptos anni dies repetebant: huic, inquam, errori decretum, ad Apoſtolicam traditionem apprime cautum, oppoſuiſſe S. Melchiades putandus eſt, quo nempe Quadrageſimæ jejunium non ultra 40. dies produci voluerit; nec in Quadrageſima diebus Dominicis; nec in Jejunio quatuor temporum feria quinta jejunandum edixerit. Porro de iniquis Manichæorum initiationibus, nefandiſque Myſteriis ſi plene ſcire aveas, conſulito Archelai Epiſcopi Meſopotamiæ diſputationem anno 277. habitam, adverſus Manetem, & editam in ſuis Collect. monum. Eccleſ. Græcæ, & Latinæ cum eruditis obſervationibus a Cl. Laurentio Alex. Zacagnio, & ex ipſo a doctiſſ. Manſio tom. 1. Supplem. Concil. pag. 15, & ſeqq., antehac vero a Valeſio ex Cod. Ms. Bobienſi, nunc Bibl. Ambroſ., in append. ad hiſt. Socratis, & Sozomeni pag. 159, & ſeqq.; Illuſtriſs. Philippi a Turre Epiſcopi Adrienſis diſſert. de Mithra cap. 5; Cl. Blanchinium tom. 2. Anaſtaſii in Not. hiſt. ad S. Melchiadem ſect. 33; ac doctiſs. Petri Thomæ Cacciari hiſtoriam hæreſ. Manich. præfixam tom. 1. oper. S. Leonis M. Demum adverſus Novatorum calumnias ſacros in Eccleſia Romana Jejuniorum ritus neutiquam ad Montaniſtarum ſacrilegam jejunandi rationem exactos Theologi noſtrates paſſim demonſtrant: qua de re adeundus Emin. Baronius ad an. 173. n. 27, & ſeqq. Ad hanc itaque a S. Melchiade non tam indictam, quam inſtauratam legem de Jejunii diebus, haud procul abs vero, mea quidem opinione, aberrabit, qui putet reſpexiſſe Patres Concilii Gangrenſis Can. 18. in verſ. Dionyſii contra Euſtathium, & Concilii Cæſarauguſtani Can. 2. adverſus Priſcillianiſtas die Dominica haud jejunandum indicentes. Hinc etiam S. Epiphanius hæreſi 75. n. 3. occaſionem arripuit reprehendendi Aerianos, quod die Dominica jejunare affectarent. Non diſſimulandum tamen doctiſſ. Coutantio de Decretis S. Melchiadi attributis §. 5. hoc decretum de Jejunio præſertim feriæ quintæ vetito ſpurium viſum eſſe: ſed momenta, quibus innititur, apud ipſum videas, nam aliò me revocat oratio.

In Arii damnatione poſt S. Dionyſium P. M. Patribus Nicænis præiviſſe ſententia S. Silveſtrum, cui tanquam agendorum, decer-

decernendorumque regulæ illi poſtea inſtiterint, ego quidem nullus dubito. Omnium equidem primus damnati Arii palmam tuliſſe viſus eſt S. Alexander Alex. Antiſtes: quippe qui gemino, ut oſtendit Valeſius in Not. ad Theod. lib. 1. cap. 4, non unico dumtaxat, ut viſum eſt Baronio, Alexandrino Concilio habito, non quidem an. 315, ut Baronius, & Labbeus exiſtimant, neque an. 327, ut arbitratur Henſchenius ad diem 26. Febr. in vita S. Alexandri, ſed anno 321, velut ex S. Proſpero, & Hermanno Contracto ſuadent Pagius ad an. 315. n. 6, & ſeqq., ac Harduinus tom. 1. Concil. pag. 295, e quorum priori ſcripta fuit Synodica ad cognominem Byzantii Epiſcopum, quam exhibet Theodoretus lib. 1. cap. 4, & ex ipſo Harduinus loco indic., e poſteriori vero ex Epiſcopis ferme centum congregata, quam ideo Oecumenicam denominat S. Athanaſius in epiſt. ad Epiſcopos Ægypti, & Lybiæ, Encyclicam, quam nobis ſervavit Socrates lib. 1. cap. 6, dedit ad omnes Eccleſias, Arianam hæreſim diris cunctis devovit. At enim is haud ſatis habens, ut Arius hæreſis nomine a cunctis Orbis chriſtiani Epiſcopis cenſeretur, niſi ad hos Romanus Pontifex calculo accederet ſuo, Synodica pariter ad S. Silveſtrum, cujus præcipue muneris eſſe obortas proſcribere hæreſes probe intelligebat, inſcripta, de hæreſi Arium detulit, diſtricte, ſevereque ex jure ſummo in eum agendi ſe auctorem dedit, de hæretico homine profecto ſententiam a Pontifice auditurus, cui tuto fideret, quaque ejus partiariis duriſſimum eos deinceps poſſet obſtruere. De hac Synodica ad S. Silveſtrum miſſa loquitur expreſſe Liberius in epiſt 4. edit. Cout. ad Conſtantium Imp. n. 4, quæ refertur a S. Hilario frag. 5 Non ambigendum itaque, tametſi documenta certiora deſiderentur, quin pro officii particula ſe confeſtim contra Arium fidei aſſertorem Pontifex M. præberet. Quamvis autem per me ſtare concedam, quod Hoſius Cordubenſis Epiſcopus a Coſtantino M. legatus Alexandriam fuerit miſſus, ut indicant Socrates lib. 1. cap 4, Sozomenus lib. 1. cap 25, & Photius Cod. 266, putare tamen, ut pronum eſt, quid prohibet eidem Epiſcopo Religionis partes, dum Reipublicæ demandabantur a Principe, eædem potiores a Pontifice fuiſſe impoſitas; cujus propterea vice Hoſius Concilio Alexandriæ celebrato anno 324. cele-

celebrato præfuerit, in eoque præcipuus auctor fuerit lati anathematis in Arium, Sabellium, & Colluthum, eademque præcipua auctoritate ſchiſma compoſuerit, tum quod excitaverat Meletius, tum quod circa Paſchatis celebrandi diem jamdiu vigebat? Legere hac de re juvat Cleri Mareotici litteras ad Philagrium Ægypti Præfectum apud S Athanaſium in Apolog. 2, eumdemque S. Doctorem in epiſt. ad Solitar., ubi haud obſcure tradit ab Hoſio in Nicæno Concilio fidei formulam, Symbolum deinde Nicænum dictam, fuiſſe conceptam, ipſi Patres Nicænos adquieviſſe, ac juxta eam formam decreta fuiſſe efformata: *Hic*, inquiens, *Princeps eſt Synodorum, & ſiquid ſcribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit*. Quam plane laudem non niſi in hominem Pontificis Romani poteſtate indutum cadere, aut ego fallor, nemo non videt. In Photini Sirmienſis Epiſcopi hæreſim, ab Ariana haud multum abludentem, inquiri a Synodo Mediolanenſi anno 346, aut 347. coram Apoſtolicæ Sedis Legatis juſſit S Julius I. In hæreticum hominem ea in Synodo ejaculatam damnationis ſententiam biennio poſt, ideſt anno 349. confirmavit, habita juxta receptiſſimum in Eccleſia Romana morem Synodo; exinde quo decretum ad Orientales miſſum, teſtis eſt locuples S Hilarius frag. 2. Conſule, qui de his agunt copioſe, Petrum de Marca in Diatr. de tempore Synodi Sirmien., Petavium in diſſert. de Photino, Sirmondum in Diatr. de eodem hæretico, & Pagium ad an. 344. n. 4, & ſeqq., & ad an. 349. n. 4, & ſeqq.

Sed ſiquis Pontificum alter, præclara S. Damaſus ampliſſimæ poteſtatis hujus argumenta præbuit, quæ ſummis attingere digitis aggredior. Prærer enim obnixam eam, quam impendit principio curam extinguendo ſchiſmati exorto in Eccleſiis tum Antiochena, de quo S. Baſilius in epiſt. 52, & 220, tum Alexandrina, de quo Socrates lib. 4. cap. 30, tum Conſtantinopolitana, de quo S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imp., tum Africana, de quo S. Optatus lib. 2, e x cindendis ſub ea ætate ſubortis hæreſibus totus intento nervo incubuit. Nam Synodo Romæ habita an. 367, aut ſeq. Urſacium, Valentem, ceteroſque ejuſdem hæreſis Arianæ conſortes anathemate damnatos ex Eccleſia ejecit,

cit. Qua de re gratias S. Damaſo agendas quammaximas ſcripſit S Athanaſius in epiſt. ad Afros n. 10, quibus indicit ſat eſſe debere, ſuperque Pontificis ſententiam, ut ab illorum prava doctrina ſibi caverent. Altera indicta an. 371, aut ſeq. Synodo, votis ſollicitatus a Gallis, quos pridem admonuerat S. Hilarius, a Venetis, quos Euſebius, ab Afris, id per S. Athanaſium petentibus,& Orientalibus, S. Baſilii operam apud Pontificem impendentibus, Auxentium Mediol. Epiſcopum, Arianos, ac Synodum Ariminenſem diris cunctis devovit, data inde Encyclica ad omnes Eccleſiæ Epiſcopos, a Sabino in Illyricum, ac deinde in Orientem delata apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. edit. Vales., Sozomenum lib. 6. cap. 23,& Holſtenium in Collect. Rom. pag. 265. legenda, de qua S. Athanaſius in præcit. epiſt. ad Afros, & S. Baſilius epiſt. 89, aliàs 223, 90, aliàs 61,& 91, aliàs 324. Ad hæc S. Damaſum ſuo aut exemplo, aut hortatu, aut imperio auctorem ſe dediſſe Gallis,& Hiſpanis, ut cum Italis pariter,& Illyricis convenientes, Synodis celebratis, ab Auxentii, ab Urſacii, a Valentis, a Gaji communione ſe abſtinerent, unique Nicænæ formulæ integre adquieſcerent, tradit loc. cit. S. Athanaſius. Eo celebrior etiam Synodus II. iſta evaſit, quod in ea Macedoniana hæreſis prædamnata fuerit, fideſque de Spiritus S. divinitate confirmata, antequam ſparta iſta a Synodo Illyriciana exornaretur, quæ non niſi poſt acceptam Pontificis Synodicam in eamdem pariter ſententiam proceſſit, ut oſtendunt Pagius ad an. 365. n. 9, & ſeq., & ad an. 369. n. 10, ac Manſius in differt. de Synodo II. Rom. ſub S. Damaſo tom. 1. Supplem. Concil. pag. 233, & ſeqq. Facile hinc fieri potuiſſe nemo non percipit, ut S. Damaſus Patribus Synodi II, ſive Conſtantinopolit. I. pariter auctor fuerit prolatæ in Macedonium damnationis, veluti ex Actis Synodi VI. act. 18, prout extant in Codicibus Bibl. Vatic., S. Mariæ Major., ac Vallicellanæ docuit Baronius ad an. 381. n. 19. Tertia anno circiter 375. indicta Synodo, quæ ab aliis cum priore confunditur, ab aliis vero non diſtinguenda a poſteriori cenſetur, & a Chriſtiano Lupo in Schol. ad epiſt. 57. Alexandri Hierapol. ad Acacium Beroeenſ., quem Synodo huic interfuiſſe ex hac epiſtola auguratur, in an. 373. conjicitur, in eaque damnatos Apollinarem, Vitalem, ac Timo-

motheum cenſet, qua in ſententia plerique alii tum ei præiverant, tum poſt ſequuti ſunt, cujuſque mentio occurrit apud Auctorem Synodici, de quo Harduinus tom. 5. pag. 1518, Lucium hominem Arianum, ac Sedis Alexandrinæ invaſorem gradu dejecit, eamque legitimo ſuo reſtituit Antiſtiti, Petro ſcilicet, quem ſuis communitum litteris ad eamdem remiſit Eccleſiam, teſtibus Socrate lib. 4. cap. 37, ac Sozomeno lib. 6. cap. 39.

Atqui longe illuſtrior explicuit ſe ſe Pontificis ſumma in profligandis hæreticis poteſtas Romana in Synodo IV, in qua S. Damaſus in Apollinarem, ac Timotheum ipſius diſcipulum anathema diſtrinxiſſe, atque unam, eamdemque in tribus Perſonis Divinam ſubſtantiam adſtruxiſſe legitur. Ab eo præterea adverſus Sabellii, Arii, Macedonii, Eunomii, Apollinaris, hæreticorumque aliorum blaſphemias Anathematiſmi conſcripti ſunt; ac fidei procuſa formula, in qua obſervatu digna ſymbolo Nicæno adjecta particula de Spiritu S. Patri, Filioque conſubſtantiali, epigraphen præfert cum ad omnes Orientis Eccleſias, a Dorotheo delata, tum ad Paulinum inſcripta apud Theodoretum lib. 5. capp. 10, & 11, quid de Deo uno Trinoque rite credendum, a quibuſve circa Deum hæreſibus cavendum eſſet, univerſos Chriſtifideles edocens. Porro Synodum hanc in duas diſpeſcere pluribus oppido placuit; e quarum una Synodica ad Paulinum, ex altera, quæ ad Orientales, eaque Decretalis, prodierit. Duas rurſus ad Paulinum epiſtolas a S. Damaſo exaratas, conjectura ducta ex S. Cæleſtini periocha apud Arnobium lib. 2. de conflictu cum Serapione, opinatur Baluzius in nov. Collect. pag. 379: unam dumtaxat, etſi duas in partes diſtinctam, quarum poſterior a ſubnexa fidei expoſitione incipiat, veri cenſet ſimilius Coutantius in mon. præv. ad epiſt. 5. n. 2. Ad hæc Paulinum heic a Theodoreto dictum Theſſalonicenſem, dicendum Antiochenum Baronius vult; Acholium malunt Blancus, & Berardi: at enim in Theodoretum peccavit Latinus interpres, ſiquidem ille ſcripſerat miſſam confeſſionem fidei ad Paulinum in Macedoniam, dum eſſet Theſſalonicæ: qua de interpretis hallucinatione vide Baronium nov. edit. Lucen. de an. 378. n. 43. Atqui Theodoretum ſecundo vexat Baronius ad an. 867. n. 68, ubi ab illo

illo lib. 5. cap. 11. haud integram hanc fidei expoſitionem fuiſſe deſcriptam arbitratur, eamque ſupplendam ait tum ex Collectione Creſconiana, de qua dixerat jam ad an. 447. n. 21, tum ex Gennadio (verius Joſepho Methonenſi) pro Concilio Florent. ſect. 7. Repugnat Coutantius loco indic. n. 5, & ſeqq., conaturque oſtendere fragmentum illud ex Creſconiana Collect. laudatum pertinere ad S. Gelaſium Papam: quod vero ex Gennadio profertur, acceptum fore referendum Regulæ fidei in Synodo Toletana I. editæ; atque hanc fidei regulam in Codice Can. Queſnelliano adſcribi S. Auguſtino notat, ex qua atque ex S. Damaſi Anathematiſmis compactus fuerit ſermo de temp. 129. in Append. 233. S. Auguſtino tributus. At enim Manſius tom. 1. Supplem. Concil. p. 239, & ſeqq. ex Codice Lucenſi reapſe ſupplevit, quæ in fidei formula a Theodoreto prætermiſſa, hactenus inter editos in lucem non prodierant. Gravior inter Eruditos contentio exagitata eſt de anno, quo Synodus iſta celebrata ſit: Baronius eam illigat anno 373; Tillemontius in annum 375. confert; Blancus an. 372. inter, & an. 377. coarctat; Manſius anno 377. affigit; Valeſius, & Coutantius in an. 378. conjiciunt; Pagius in duas, aut tres diſtinguit: nam in Synodo III. ann. 375. Apollinarem, ac Timotheum damnatos cum aliis plurimis autumat; adverſus haſce peſtes Anathematiſmos editos refert acceptos Synodo IV. an. 378: Decretalem vero, ut ipſe vocat, ad Orientales poſt an. 381. adornatam, quam poſt annum imo 384. minus recte editam vult Tillemontius; Conciliorum demum Collectores ad annum 379. producunt, haud rite tamen, nam fidei formulæ illi ſubſcriptum legitur a Synodo Antiochena, quæ haud diutius poſt an. 378. differenda eſt. Convenit tamen, quod in rem noſtram facit, iccirco celebratam fuiſſe, ut Orientalibus, quorum nomine, ac proprio fuerat a S. Baſilio epiſt. 74, nunc 363. Pontifex ſollicitatus, deque Pneumatomachorum, & Apollinariſtarum hæreſi admonitus, fieret ſatis. Convenit, ac ultro citroque vel ipſemet Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. cap. 3. art. 14. §. 1. conſentit, ex epiſtola ad Orientales, ſive Decretalis ea fuerit, ſive Synodica, elucere, Orientales, juxta veterem Eccleſiæ receptiſſimum morem referendi ad Apoſtolicam Sedem majores cauſſas, ad ejus Tribunal

hæresis nomine Timotheum detuliſſe, ut, qua ſuprema defungebatur, auctoritate illum damnaret, graduque abdicaret. Convenit eidem Synodicæ fuiſſe ſubſcriptum in Antiochena Synodo anno 378. a Meletio, aliiſque ſex Metropolitis ibidem proprio nomine appellatis, ac aliis inſuper 146. Epiſcopis, in Codice Vatic. omnibus 163, non expreſſis. Id adeo verum, adeoque habita hæc S. Damaſi fidei expoſitio eſt, ut Theodoſius Imper. anno 380. lege lata, quæ habetur L. 2. Cod. de Sum. Trin., edixerit deinceps eam dumtaxat omnium eſſe debere de Trinitate fidem, quam S. Petrus tradiderat, & S. Damaſus ſequebatur. Poſtremo cum Apollinariſtis eodem confoſſos gladio Millenarios obſervat Baronius ad an. 373. n. 14. Sed & Eureſium Epiſcopum Luciferiano ſchiſmate, hæreſique imbutum S. Damaſi indignationem expertum fuiſſe, eoque ſatagente in exilium ab Arcadio L. 28. *De Hæreticis* ejectum, ex Fauſtino ejuſdem furfuris homine in libello oblato Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio deducit Pagius ad an. 395. n. 5, &ſeq. Priſcillianiſtarum denique primipilos Inſtantium, Salvianum, & Priſcillianum a S. Damaſo indignos habitos, qui Romanæ Eccleſiæ communione cohoneſtarentur, ex Severo Sulpitio lib. 2. jam obſervatum eſt: quod nec inficias auſus eſt ire Bruys hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 137.

Qui proxime S. Damaſum ſequutus eſt, S. Siricius in inſectandis hæreticis ſtrenuum ſe ſe ἀγωνιστὴν exhibuit. Atque principio quidem ingenti S. Siricio laudi vertit Auctor libri Pontif. obnixum, quo flagrabat ſtudium hæreſes ubique gentium profligandi: *Conſtitutum*, inquiens, *fecit de omni Eccleſia, & contra omnes hæreſes, & diſperſit per univerſum Mundum, ac per omnes Provincias, ut in omni Archivo Eccleſiæ conſervaretur ob impugnationem contra omnes hæreſes*. Nec mihi vero probatur viri Cl. Petri Coutantii in epiſt. S. Siricii pag. 708. n. 1. conjectura, qua verbis hiſce deſignari putat epiſtolam 5. ad Afros, qua Pontifex decreta ſua hacce periocha claudit: *Hæc itaque ſi plena vigilantia fuerint ab omnibus obſervata, ... Hæreſes, & ſchiſmata non emergent*. Non enim ad novas præcavendas, ſed ad veteres præſcindendas, nec ad Africanos dumtaxat, ſed ad Orbis totius Antiſtites decreta a S. Siricio emanaſſe Anaſtaſius affirmat. Ultro magis,

magis, citroque doctiſs. Bencini ad hunc locum tom. 3. Anaſt. ſect. 55. pag. 50, & ſeqq. probabiliſſimam interpretationem amplector, qua proprie Bibliothecarium de aliquo Conſtituto adverſus hæreſes a S. Siricio edito accipiendum non dubitat: qui enim Maximo Tyrannidem exercenti auctorem ſe dedit, ut animo ſe compararet ad hæreſes extirpandas, uti liquet ex Maximi epiſtolis ad eumdem S. Siricium, cujus ad illum litteras deperditas lugemus, atque ad Valentinianum Aug., quem in Catholicæ fidei defenſione hiſce confirmare verbis adnititur: *Italia omnis, atque Africa hoc Sacramento credunt; hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hiſpania, Roma ipſa venerabilis, cujus etiam in hac parte Principatus eſt, quod Deum, ſicut ſequi voluit, agnovit*, apud Baronium ad an. 387. n. 33, & 65: qui Theodoſio animos ſive indiderat, ſive adauxerat ad hæreſes ubique excindendas, ut adparet ex tot legibus Cod. Theod. *De Hæreticis*, ac præſertim LL. 2, 5, 14, & ſeqq. uſque ad 23, eum pronum eſt putare nec deſpondiſſe animo, nec defuiſſe, quin omnem ad hæreſes infrin. das omnes conatum conferret: eo vel maxime quod recens vigeret memoria decretorum, quæ a deceſſore ſuo S. Damaſo adverſus hæreſes ad Orientales directa fuerant; cujuſmodi moris denuntiandi ubique terrarum hæreſes odio habendas Romana in Eccleſia receptiſſimi multa eodem loci ſpecimina vir. doctiſs. ſuppeditat: Age modo ab his generatim dictis ad particularia geſta deſcendamus. Imprimis Manichæos pro virili parte, quam numeris profecto abſolvit ſuis, perſequutum S. Siricium, fide affirmat ſua præl. Anaſtaſius, confirmatque Scheleſtratius Antiq. illuſt. par. 1. pag. 463: quinimo ſtudio, quo ferveſcebat hanc procul abigendi peſtem, modum facere neſcivit, donec juſtiſſimam eam a Theodoſio impetraſſet legem, quæ legitur Cod. Theodoſ. *De Hæret.* L. 18. lib. 16. tit. 5. Nefarium hoc genus hominum exagitaverunt ſubinde qua Apoſtolicæ Sedis repetitis decretis, qua ab Imperatoribus edictis impetratis SS. Anaſtaſius, Leo, Gelaſius, & Symmachus apud Anaſtaſium, & Gratianum *De Conſecrat.* diſt. 2. Can. 12. *Comperimus*. Joviniani hæreſim vix exortam in cunis præfocatam a Romano Pontifice ſcribunt SS. Hieronymus initio libri adv. Vigilant., & lib. 3. adv. Pelag., & S. Auguſtinus de Hæreſes. cap. 88, & lib. 2,

Retract. cap. 12. *Huic monſtro*, inquiens, *S. Eccleſiæ, quæ ibi* (Romæ) *eſt, fideliſſime, ac fortiſſime reſtitit*. Is vero fuit S. Siricius, uti liquet ex ipſius epiſtola inſcripta non Eccleſiæ Mediolanenſi, ut legitur in editis, ſed ad diverſos Epiſcopos, ſicut habent Codices Mſs. melioris notæ apud Coutantium pag. *663*, a quo una cum Joviniano eodem confoſſi telo leguntur Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingenioſus novarum hæreſum incentores. Jovinianum porro hæreſis nomine ad Pontificem fuiſſe a Pammachio delatum memorat S. Hieronymus in epiſt. 50. Igitur ſecundum S. Siricii judicium, ac juſſionem, S. Ambroſius Mediolani anno 389, aut ſeq. coacta Synodo, intortæ in ſceleſtos illos ſententiæ adjecit & ſuam uti probat exinde ad Pontificem exarata Synodica tom. 2. ipſius oper. pag. *963*. Bonoſum præterea Sardicenſem Epiſcopum plurium errorum perſonam gerentem damnatum, graduque dejectum ab eodem S. Siricio, conſtat ex ipſius epiſtola, (quam genuinum profecto ejuſdem fœtum eſſe oſtendunt Juſtellus, Holſtenius, Launojus, Labbaeus, Coutantius, Harduinus, ac Brujus ipſe, quin tamen huc Dupinii tom. 2. Bibliot. nov. par. 2. figmentum infarcire omittat) ad Anyſium Theſſalon., ceteroſque Illyrici Epiſcopos: apud quos eo propterea nomine pariter ille peſſime audivit. Quid ad hæc vero, quod a Theophilo Alexand. de hæreſi, Anthropomorphitarum utique teſtibus Socrate lib. 4. cap. 7., & Sozomeno lib. 8. cap. 14, ad S. Siricium delatum S. Epiphanium tradit Palladius in dialog. cap. 15? Atqui viciſſim a S. Epiphanio apud Siricium Origeniſmi poſtulatus Johannes Hieroſol. legitur in epiſt. 61, nunc 38. S. Hieronymi ad Pammach.. Sed de his hactenus.

De Origenis damnatione præter ea, quæ paullo ſuperius diſputavi, obſervatione valdequam digna, quæ S. Anaſtaſius I. habet in epiſt. ad Johannem Hieroſolym. *Mihi certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos cuſtodire Populos, parteſque corporis mei* (*Populi mei*, legitur in aliis Cod. Mſs.), *per quæque ſpatia terrarum diffuſas, quantum poſſum, litteris convenire, ne qua profanæ interpretationis origo ſubrepat, quæ devotas mentes immiſſa ſui caligine labefactare conetur*: quibus junge paria, quæ repe-

repetit in epiſt. ad Venerium Mediol., & Chromatium Aquilejen. Boſsuetius omnem avide occaſionem arripere Pontificiis obtrectandi privilegiis aſsuetus, Defens. declar. par. 2. lib. 14. cap. 12. hæc obſcurare exinde conatur, quod in Origenis condemnatione S. Anaſtaſium præceſserit Theophilus Alex., quodque de hujus Synodica ad omnes Orthodoxos ſuper nomine Origenis miſsa S. Hieronymus ſcripſerit tum in epiſt. 71. ad ipſum Theophilum: *Romam, & totam Italiam ipſius poſt Chriſtum epiſtolis liberatam*; tum in epiſt. 77. ad Pammach., & Marcellam: *Hæreſim oppreſſam ejus auctoritate, & eloquentia*; tum in epiſt. 78. ad eoſdem a S. Anaſtaſio *Damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum* (a Theophilo) *eſt*; tum lib. 2. adv. Ruffin. cap. 6: *Quod BB. Epiſcopi Anaſtaſius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius, & omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodus pari ſententia, quia pari & ſpiritu Origenem hæreticum denuntiant Populis*; inde colligit, inquam, contenditque fidei robur tota Eccleſia diffuſum eſse: interdum extremo ex Orbe prodire decreta, quibus etiam Romana illa, Apoſtolico ore laudata, excitetur, & confirmetur fides: ac'demum in Eccleſiarum conſenſione ſummam vim, fideique fortitudinem, ac Spiritus S. teſtimonium eſse repoſitum. Equidem, non inficior, quia in Ægypto, atque in Oriente ante diſseminati Origenis errores, quam in Italia, & Occidente innotuiſsent, prius Theophilo, quam S. Anaſtaſio eoſdem configendi occaſionem obtulerant: at eiſdem confixis, e re eſse ſua Theophilus intelligens Romanum Pontificem ab ſe geſtorum certiorem facere, ab eoque confirmationem rogare, quæ ſi deeſset, concidere facile ab ſe in Origenem decreta, datis ad S. Anaſtaſium litteris flagitavit, ut latam in Origenem, ejuſque Sectatores ſententiam calculo comprobaret ſuo, ſive uti loquitur conceptis verbis S. Hieronymus in epiſt. 78: *Prædicationem Cathedræ Marci Evangeliſtæ Petri Apoſtoli ſua prædicatione confirmet.* Confirmavit reapſe S. Anaſtaſius, inſcriptiſque litteris Epiſcopos Occidentis omnes religionis, officiique adhærendi latæ ab ſe in Origenem damnationis decreto admonuit. Exinde effectum, ut cum Oriens, tum Occidens condemnationi Origenis conclamaret, de cujus damnatione Theophilus ex ſua non tam, quam ex Pontificis

tificis ſententia plauderet in ſerm. ad quoſdam Monachos: *Anathematizantes Origenem, ceteroſque hæreticos, exemplo noſtro, & Anaſtaſii S. R. E. Epiſcopi, quem & univerſa Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit, ac probavit Alex. Eccleſiæ ſententiam in impium latam.* Quæ Theophili verba a Juſtiniano poſtea Imp. in epiſt. ad Mennam, de qua poſt, cum laude memorata pejori in errore verſatos oſtendunt cum Baſnagium in Annal. Polit. Eccleſ. ad an. 401. §. 9, tum Brujum hiſt. Pontif. pag. 157, dum in alienæ Diœceſis homines, vel de hæreſi accuſatos, Romano Pontifici jus adimere non abſtinuerunt. Ergo ejuſmodi Catholici Orbis conſenſionis in cauſsa fuit Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſumma, ſive qua Orientalium ſententia probata fuit, ſive qua Occidentalium aſſenſio fuit præcepta: ideoque in ea conſenſione, ceu in cauſsa, ejaculatæ in Origenis errores ſententiæ firmitudo nequaquam fuit reponenda, ſed tanquam in effectu tantummodo, cujus cauſſa profecto fuerit Pontificis ſententia, cui obtemperandum fuerat utique ab Orbe univerſo; ideoque ab ejuſdem auctoritate decretorum contra Origenem, ejuſque defenſores invictiſſimum robur ſit repetendum. Hoc ſatis ſignificavit S. Hieronymus, cujus ſane non eſt ſenſum aſſecutus (verbo abſit invidia) Boſſuetius, ſed ei tota adverſum regione appinxit, quandoquidem Ruffino ſuperbe jactanti confeſſionem fidei ab ſe conſcriptam, quæ, utpote ad fallendum compoſita, S. Anaſtaſio quidem probata non fuerat, Italiæ tamen Epiſcopis fuiſſe acceptam, repoſuit mirari ſibi valde ſubeſſe: *Quomodo probaverit Italia, quod Roma contempſit; Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnavit?* Quibus quid aliud, amabo, innuit, niſi quod prolatæ ſemel a Pontifice ſententiæ nihil Epiſcopis reliquum eſſet, quam ex officio, religioneque obſequi? Ex quo proinde quis non perſpiciat ex Pontificis potius jubentis judicio, quam ex Epiſcoporum obſequentium obedientia, fidei decretorum firmitatem repoſcendam fore? Planiora fient hæc adhuc, ampliuſque robur accipient ex dicendis paullo poſt de Origeniſtis.

Pauciora modo de Pelagianis, quoad ejus fieri poterit, a SS. Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino, Sixto, Leone, Gelaſio &c. perculſis, profligatis, protritis. Atque huc rerum ſum-

ſumma redit. Oroſius cum Johanne Hieroſol. contra Pelagium diſputans cauſſam demum ad S. Innocentium P. M. deferendam concluſit: atque quidem, ut Pontifici cauſſa dimitteretur, idem haud invitus Johannes conſenſit, uti refert ipſemet Oroſius in Apologia. Pontificis autem judicium hac in cauſſa tanti habuit S. Auguſtinus ſerm. 2. de verb. Apoſt. circa fin., ut eo prolato cauſſam finitam affirmarit. Ab hoc vero judicio religioſe abſtinuiſſe Patres Africanos, ac Pontifici integrum permiſiſſe, ratos ab eo uno decretis vim obtineri univerſam obligandi Eccleſiam, agnovit etiam Petrus de Marca in differt. de vet. Collect. Canon. cap. 14. Huic denuo judicio, poſtquam Patres Concilii Carthaginenſis adquieviſſent, velut irrefragabile omni ex parte habendum fuiſſe, & cauſſæ Pelagianæ ita impoſitum finem, ut retractationi locus non eſſet reliquus, faſſi ſunt Queſnellus ipſe in princip. Reflex. moral., & Auctor libri de juſtific. ſilentii obſeq. Quin imo tanti S. Innocentii auctoritatem feciſſe vel ipſe Pelagius videri voluit, ut in fine libelli ſuæ fidei declaratorii ad eum tranſmiſſi, ſed ſucceſſori S. Zoſimo redditi, in hæc fatus ſit: *Hæc eſt fides &c. in qua ſi minus perite, aut parum caute aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a Te, qui Petri & fidem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum, comprobabit.* Subinde idem Pontifex a S. Hieronymo admonitus de Pelagianis Orientem, ac Palæſtinam turbantibus, dedit epiſt. 31. ad Johannem Hieroſol. officii admonens; dedit & epiſt. 33. ad S. Doctorem, ut indicaret eorum nomina Nebulonum, ut in ipſos diſtricte poſſet animadvertere. Quas epiſtolas obſervatu dignas ad oſtendendam Pontificis auctoritatem in Eccleſiam univerſam dixit Fleurius hiſt. Eccl. lib. 23, vir alioqui Pontificiæ auctoritatis non multus aſſertor, nulloque certe modo aſſentator. Praylus, qui vacantem obitu Johannis Eccleſiæ Hieroſolym. thronum implevit an. 416, primo quidem occupatum favore Pelagii animum prætulit, pro quo & litteras dare ad S. Zoſimum, iſto teſte in epiſt. ad Afric., non dubitavit. Paullo poſt tamen detecta fraude hæreticum hominem Hieroſolyma abegit, ac novis litteris ad S. Zoſimum in ejuſdem tran-

tranſire ſententiam officii loco habuit, ac revocare, quæ pridem in gratiam Pelagii exoraverat, qua de re Marius Mercator Common. pag. 139. Bene quoque ſe habuit S. Bonifacius II, qui auctorem ſe dedit cum Honorio Imp. severæ, juſtiſſimæ tamen, Conſtitutionis adverſus Pelagianos, ut indicat S. Proſper adv. Collat. cap. 41; tum S. Auguſtino litterarii certaminis, ex quo palmam S. Doctorem relaturum non dubitabat, contra Pelagianæ hæreſis præcipuum columen Julianum Eclanenſem, velut ipſemet perhibet lib. 1. ad eumdem Bonifacium cap. 1. Quid quod pro Juliano, Pelagianiſque aliis ſupplices dare litteras ad S. Cæleſtinum non abſtinuit, deque illis Pontificis interrogare, rogareque ſententiam Neſtorius? Quid quod Cæleſtius novi Pontificis deludendi ſpe captus, eidem Cæleſtino preces obtulit, quibus in ejus irrepere gratiam tentabat? At hunc quidem totius Italiæ finibus extruſum, illum vero a S. Sixto III. in errore pertinacem ab Eccleſia projectum tradit S. Proſper contra Collat. cap. 21, & in Chron. ad an. 439. Confer & S. Cæleſtini epiſt 24. edit. Cout. ad Maximianum Conſtantinopolit., qua a Pelagianis ſibi, Populoque concredito diligenter ut præcaveat, admonet. Quin etiam hanc peſtem e Britannia a S. Cæleſtino opera S. Germani profligatam memoriæ proditum eſt a S. Proſpero in Chron. ad an. 429, etſi a Conſtantio in vita S. Germani lib 1. cap 19 apud Surium ad diem 30. Jul. factum id referatur a Synodo Gallicana: qua de re videſis Baronium ad an. 429. n. 10, & Pagium num 4. Contritos perinde a S. Leone M. Pelagianos, ac in his præſertim Julianum, memorat S. Proſper de promiſſ cap 6. prope fin., ſi genuinus tamen ejus eſt fœtus. Sed & Pelagianam hæreſim pluries extinctam, in Dalmatia, ac Piceno reviviſcentem tribus datis epiſtolis ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum, & ad Epiſcopos Picenæ Provinciæ, conſcriptoque deſuper tractatu, apud Baronium ad an. 493. n. 23, & ſeqq., & Labbæum tom 4 pag 1171, & 1240, confutaſſe, confixiſſe, contriviſſe legitur S Gelaſius: cui & Johannes Talaja Epiſcopus Alex librum adverſus eamdem hæreſim ab ſe adornatum nuncupavit, cujus meminit Photius Cod. 54.

A S. Cæleſtino Neſtorium, hominem poſt natos homines nequiorem, prædamnatum, Epheſiniſque Patribus formam pariter,

riter, regulamque fuiſse præfixam, ſecundum quam de Neſtorio ſententiam ferre deberent, adeoque ut nec illis fas eſset ab hæreſis nota, quam ſceleſto illi Pontifex inflixiſſet, eumdem abſolvere, dilucide, abundeque, ni meus me fallit amor, alibi oſtendi: unde apud Evagrium lib. 1. cap 4. Epheſini Patres ita leguntur præfati: *Epiſtola Patris noſtri, & Collegæ Cæleſtini Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ neceſſario compulſi .... ad hanc ſeveram ſententiam contra eum pronuntiandam devenimus*. Ex præſcripto præterea S. Cæleſtini in eodem Concilio act 5. proſcriptam fuiſſe hæreſim Pelagianam teſtatur epiſtola Synodica apud Harduinum tom. 1. pag. 1510, ex qua patet acta pridem ſub S. Cæleſtino adverſus Pelagianos magno rei Chriſtianæ damno periiſse: S. Cyrillum vero legatum ſuum *Univerſi Orbis Judicem*, ideoque & Concilii ejuſdem voluit S. Cæleſtinus, teſte Nicephoro lib. 4. cap. 34. Novatianorum pariter reliquias perſequutus legitur apud Gennadium de Scrip. Eccleſ. cap. 54. Quo loci miſeret me valde Franciſci Bruys, quod hiſt. Pontif. pag. 211, & ſeq. faciles, piaſque Socrati lib. 7. cap. 11. de hac mota in Novatianos ſuos perſequutione acerbe conquerenti aures præbere non extimuerit. Sed & in Semipelagianos ſuum exercuiſſe ſtilum, dubitare non ſinit epiſtola ſuo nomine inſcripta ad Galliarum Epiſcopos, de cujus epiſtolæ veritate nulla inter Eruditos controverſia eſt, tota in eo ſita, utrum ſubnexa Capitula ejuſdem pars epiſtolæ reputanda ſint, de qua conſuli poterunt Wendelſtinus in Cod. Can.; Suarez proleg. 6. de gratia cap. 1; Sirmondus To. 1. Conc. Gall. pag. 60; Gerardus Voſſius lib. 1. hiſt. Pelag. cap. 30; Dupinius in Bibl.; Noriſius in vind. Auguſt. cap. 8; Serrius in Auguſt. vindic.; Couiantius in Mon. præv. ad hanc epiſt. pag. 1178, & ſeqq., Pagius ad an. 431. n. 46; & Fabricius Bibl. latin. lib. 3. pag. 315. A ſtudio veteris tuendæ, vindicandæque adverſus Neſtorianos Catholicæ doctrinæ S. Sixtum III. laudat Vincentius Lirin. Common. cap. ult., capta opportunitate ex ipſius epiſtola ad Johannem Antioch.; cui jungenda pari concepta ſpiritu epiſt. ad S. Cyrillum Alex. At quanto ille ſtudio ſive unitatis erga ſegreges, ſive veritatis erga rebelles affectus eſſet, nihil oſtendit magis, quam ejuſdem opera curatum, ac procuratum, ſuorum exemplo Deceſſorum, ut S. Silveſtri, a quo Nicæna Synodus in

Lateranenſi, ut S. Damaſi, a quo Conſtantinopolitana in Baſilica ſuo dicata nomine pulcherrima fuerant ſpecie expreſsæ, de quibus Hadrianus I. in epiſt. Apolog. pro SS. Imag. ad Carolum M., Synodi Epheſinæ Muſivis expreſsæ imaginibus indelebile partæ de Neſtoriana hæreſi per Deceſſorem ſuum, ac per ſe victoriæ monumentum, de quo, ut adeas, qui egregie pertractat, Cl. Franciſum Blanchinium diſſert. 2. tom. 3. Anaſtaſii pag. 123, & ſeqq., tibi ſum auctor.

Bene, optimeque haec ſe habent: at enim deventum eſt tandem ad S. Leonem re, & nomine Magnum, a quo quatenus, & quam ſtrenue Catholicæ rei in Orbe collabeſcentis rationes, inſurgentes adverſus hæreſes, ſuſtentatæ, ac reſtitutæ ſint, nunc videndum. Itaque Manichæis in Italia, ac Romæ, quò ex Africa an. 439. a Genſerico occupata magno numero profugerant, quorum infanda facinora vice plus ſimplici in palam facere non deſtitit ſerm. 4. Collect. cap. 3, ſerm. 3. de Quadrag. cap. 5, ſerm. 7. de Nativ. cap. 4, ſerm. 4. de Epiph., ſerm. 5. de Jejun., & epiſt. 2, nunc 18. ad Epiſcopos Italiæ, Eccleſiæ aditum, nedum permiſit nullum, ſed profligandis operam tum propriam omnem, tum Valentiniani III. Imp. Novel. *De Manich.* impendit. Qua de re S. Proſper in Chron. ad an. 443, & Maimburgus in hiſt. Pontif. S. Leonis lib. 1. Obſervatu heic dignum vetus Fragmentum 13. anathematiſmos complectens adverſus Manichæos, quod ex Bibl. Ambroſianæ Cod. Mſs. optimæ notæ vulgavit Cl. Muratorius tom. 2. Anecd. pag. 112, S. Leoni acceptum referendum arbitratus; dignumque, quod conferatur cum epiſt. 93, nunc 15. ad S. Turibium. De ceteris verò ſcriptis, cum veteribus, tum recentioribus adverſus Manichæos editis conſuleſis Fabricium Bibl. Græcæ tom. 5. pag. 289, & ſeqq. Pelagianos in Iſtria, & Sicilia compreſſit, quoſque ad frugem pellicere non licuit, profugere longe compulit, teſtibus S. Proſpero de promiſſ. cap. ult., ſi tamen germanus ejus eſt foetus, ac Photio Cod. 54. Atque ita præfert ipſius epiſtola 6, alias 86. ad Januarium Aquilejen., ac epiſt. 7, alias 85. ad Septimium Altini Epiſcopum: quam poſteriorem quidem uti ſpuriam cauſſatus eſt Queſnellus, vindicavit tamen Antelmus. Videſis etiam Pagium ad an. 447. n. 6, & ſeqq. Capitula contra Semipela-

pelagianos S. Cæleſtini epiſtolæ ſubnexa, quæ S. Proſpero tribuunt Antonius Caraſa, & Noriſius, S. Leoni tribuenda cenſet Queſnellus diſsert. 3; quem tamen refellit Antelmus diſsert. 1. de oper. S. Leonis. Poſthæc Priſcillianiſtas in Hiſpania puta ſuſſerre ſi potuit mactus animo Pontifex: ſed enim illorum præſtigias, & inſana figmenta haud pauciora quam ſexdecim refert, ac refutat in præcit. epiſt. ad S. Turibium, qua illos jam prædamnatos a ſuis Prædeceſſoribus affirmat verbis iſtis: *Merito Patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum Mundum inſtanter egere, ut impius furor ab Eccleſia univerſa pelleretur*. Qua ex epiſtola locum laudandi S. Leonem a ſtudio hæreticos vi comprimendi decerpſit, vel ipſe Maimburgus lib. 1: quale ſtudium cum fide chriſtiana pugnare fruſtra oblatrat profligatiſſimi vir pudoris Baylius in Comment. philoſoph. Atque quidem tanti epiſtola penſi ab Hiſpanis Epiſcopis habita eſt, ut ad ejus amuſſim, ac ſenſum Synodus Bracarenſis I. an. 560. apud Hard. tom. 3. pag. 347. ſua adverſus Priſcillianiſtas decreta exigere ne leviter dubitarit. Quas vero heic Queſnellus comminiſcitur, nugas non moror; eas enim doctiſſ. Petrus Thomas Cacciari nullo jam exſufflavit negotio.

Quod vero potioti S. Leoni ponendum in laude eſt, illud eſt profecto, quod eidem potiſſimum accepta debetur Eutychetis, & Dioſcori damnatio, de qua ſatis par. 1. art. 2. §. 2. pag. 166, & ſeqq.; & par. hac 2. art. 5. §. 1. pag. 403, & ſeqq., ac paullo infra iterum, ubi digito velut intento demonſtratum eſt Chalcedonenſi Synodo, ceu decernendorum, agendorumque rectam amuſſim, a Pontifice fuiſſe præſcriptam epiſtolam ſuam ad Flavianum, eamque reapſe a Synodi Patribus tanto in pretio habitam, ut nefas reputarint vel latum unguem ab eadem abſcedere: unde rite Tournellius ipſe de Eccleſ. q. 3. art. 2. ſcripſit: *Cæleſtino Neſtorium, Leoni Eutychetem damnanti Epheſina, & Chalcedonenſis Synodi nihil fere aliud, quam ſubſcribere ſe teſtificatæ ſunt*. Et S. Flavianus quidem hac in re tanti Sedis Apoſtolicæ ſententiam exiſtimaverat, ut in epiſt. ad S. Leonem, quæ legitur poſt 8, affirmare non dubitarit nulla Congregatione opus eſſe ad hæreſes eliminandas, ac ſchiſmata extirpanda, ſed ſatis eſſe, ſuperque Apo-

ſtolicæ Sedis auctoritatem, ut propterea S. Leoni Eutychetis errores referens, damnationem in eum a Synodo Conſtantinopolitana an. 448. prolatam calculo comprobari ſuo petierit. Quin & Theodoretus reſcribens S. Abundio, a quo S. Leonis dogmaticam acceperat, de hac ipſa loquens, hæreſim procul depulſam, legitimamque doctrinam clara adeo in luce poſitam, ut illi ſubſcribere oporteret quotquot Catholico vellent cenſeri nomine, ſignificavit: *Religio, quæ periclitabatur, renovata eſt per Sanctitatem veſtram .... Hæc ex litteris Domini noſtri Leonis didicimus ... Advocatum, & propugnatorem veritatis invenimus .... His ego litteris conſenſi, & ſubſcripſi &c.* Confer & Synodum Romanam an. 451. apud Manſium tom. 1. Suppl. Concil. pag. 327, nec non S. Petri Chryſologi epiſtolam ad Eutychetem apud Bacchinium in Agnelli Pontif. pag. 344, Queſnellum tom. 2. oper. S. Leonis poſt epiſt. 23, Harduinum tom. 2. pag. 21, ac recens Sebaſtianum Pauli. Quare nugatur procaciſſime Maimburgus, dum in tract. de ſtat. Rom. Eccl. cap. 18. ab ipſo S. Leone Concilii longe ſupra propriam factam poteſtatem fuiſſe comminiſcitur. Adeundi, ſi placet, Illuſtriſs. Sommier hiſt. dogm. S. Sedis lib. 5. capp. 9, & ſeqq., Bencinum in Not. ad Anaſt. tom. 3. ſect. 66. pag. 141, ac Lopezium in hiſtor. exercit. de antiquo Can. Codice Eccl. Hiſp. nuper edita cap. 42, ubi diſertis SS. Caeleſtini, & Leonis exemplis oſtendit nuſquam Pontifices, quæ probaverant, ad Epiſcopos, ut ea confirmarent, Synodorum acta mittere conſueviſſe, ſed tantummodo ut reciperent. Ad S. Leonem duos hæreſi laborantes ex Oriente Romam contendiſſe Baſilium, & Johannem, qui Neſtorii, ac Eutychetis erroribus ejuratis Pontificis fidei ſe integre permiſerunt, viden, ut denarret Baronius ad an. 451. n. 21. Denique a S. Leone tractatum editum, quo ſingulis hæreſibus propoſitis regulam fidei e regione ſequendam exponit, teſtatur Vigilius P. M. in epiſt. ad Juſtinianum Imperat., de qua mox laudatus Annal. Eccleſ. parens ad an. 540. n. 14, & ſeqq.

Nec prope, nec procul hinc aberat S. Hilarius, a quo in libro Pontif. leguntur Encyclica in Orbem miſſa, confirmatæ tres Synodi Nicæna, Epheſina, & Chalcedonenſis; damnati deſuper Neſtorius, Dioſcorus, Eutyches, eorumque gregales; & confir-

maſſe

maſſe *Auctoritatem*, *& Principatum S. Sedis Apoſtolicæ*. Quæ poſtrema verba pertinere ad ambitum Patriarchæ Conſtantinopolit. repreſsum auguratur Cl. Bencinus in Not. ad hunc locum ſect. 68. pag. 163. Illuſtri præterea S. Hilarum præconio mactat S. Gelaſius in epiſt. 11. ad Dard., ideo quod Philotheo Macedoniana hæreſi aſperſo homini, validoque Anthemii Imp. patrocinio ſuffulto, Romæ ſectæ cum ſuæ, tum cujuslibet genus publicos celebrare ſuos Conventus permittendum contendenti infracta animi fortitudine, Imperatoris nec gratiam, nec odium veritus obſtiterit. Pari, dignaque Pontifice M. firmitate, S. Simplicius offendit Baſiliſco Tyrannidem exercenti, de quo legendi Scriptor vitæ S. Danielis Stylitæ apud Surium ad diem 11. Decemb. cap. 41, & Evagrius lib. 3. capp. 4, & 5, ubi Encyclicam ab eo Tyranno editam adverſus Synodum Chalcedonenſem deſcribit, eique ſubſcripſiſſe vi adactos quingentos circiter Epiſcopos adnotat. Datis itaque litteris robore refertiſſimis ſuperbum hominem infregit, novoque edicto, quod legere præſtat apud Evagrium lib. 3. cap. 7, ad hæreticam revocandam Encyclicam compulit, teſte S. Gelaſio in epiſt. 11. ad Dard. Juxta hæc Eutychianæ hæreſis primipilos Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Johannem Apamenum, & Paulum Epheſinum diris cunctis devovit, uti denarrat S. Felix III. in epiſt. ad Cler., & Monach. Orient., & adparet ex epiſt. 3, & 4. Collect. Concil., quas olim perperam S. Felici III. attributas S. Simplicio reſtituit Pagius, quem conſule ad an. 478. n. 4, & ſeqq., non ſecus atque Liberatum Brev. cap. 18. Eadem mentis invicta conſtantia ſtetit adverſus Zenonem Imp. S. Felix III, nihilque fuit, quo ab ejus Henotico rejiciendo detineri potuerit. *Quum omnes*, inquit Theodorus Lector lib. 2, *alii Patriarchæ Zenonis Henotico conſenſiſſent, ſolus Romanæ Urbis Epiſcopus Felix communicare ei noluit*. Egregia laus utique, quam ſibi cumulavit amplius repetito anathematis telo in Mongum, in Acacium, in Fullonem: in hunc poſtremum indignatus non modo, quod Antiochenæ incubaret Eccleſiæ, & adverſus Chalcedonenſem Synodum claſſicum undique caneret, ſed ideo, quod inſuper ceu Apollinariſta, Sabellianus, ac Theopaſchita periocham ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui Crucifixus eſt pro nobis*, Triſagio addidiſſet: qua de re legenda

da epist. 5. ad Zenon. ; adeundusque Cyrillus Scytopol. in vita S. Sabæ apud Cotelerium tom. 3. pag. 264. Non defuere porro, ut fieri solet, qui præ ingenio præpostero optima quæque pejorem trahere in partem conentur, qui tam imprudenter, quam impudenter ferventiori abreptum zelo S. Felicem causentur, quia putant ab ipso vix a prima in Acacium prolata sententia, quatuor post diebus secunda mortis sententia eum perculsum, ante hoc est, quam Acacius de priore quidquam accepisset. At hanc præcipitis animi a Pontifice notam abstersit Cl. Coutantius, veluti refert P. Simon Mopinot in Synopsi epist. præm. nov. edit. epist. Rom. Pontif., duas inter sententias duabus in Synodis in Acacium ejaculatas longe majus interceſſisse tempus ostendens: nam primam cum Valesio ad Julium anni 484. retrahit; secundam vero Octobri 485. assignat. Atque hanc quoque diversam ætatem duplici illi judicio adscribit Mansius tom. 1. Suppl. Concil. pag. 346, quo ex loco propterea corrigendus, cum P. de Rubeis in dissert. de hoc ipso argumento, in Not. ad Pagium ann. 485. pag. 485, ubi semel damnatum Acacium dixerat, unamque adversus eumdem indictam tantummodo Synodum. Subdit Mopinot a Coutantio post Valesium, quibus addendus Dupinius, & Orsius lib. 36. §. 35, conjecturis haud contemnendis demonstratum in spuriis habendas tres, quæ S. Felicis nomine circumferuntur epistolæ, una videlicet ad Zenonem, duæque reliquæ ad Fullonem. At enim has cum Caveo vindicat Pagius ad an. 485. n. 22, duasque posteriores S. Simplicio tribuit; interpolatas vero Cl. Maffejus autumat.

Quam justas, gravesque ob causas Romanæ ab Ecclesiæ communione abscissus fuerit Acacius (quisquis autem fuerit abscissus, eum profecto a Catholicæ Ecclesiæ corpore amputatum existimandum nemo prudens ignoraverit) nullus negabit, qui perspectas habeat S. Felicis epistolas 2, & 9. ad Zenon., 8. ad Acacium, de quo Evagrius lib. 3. cap. 17, & seqq., Libellos ad Acac., & Zenon., 10. ad Cler., & Popul. Constantinopolit., Synodicam ad Cler., & Monach. Orient., 12. ad Thalassium Archim., & Encyclicam ad Orient. Episcopos de vitanda communione Acacii S. Gelasio tributam, sed S. Felici vindicatam a

Patre

Patre de Rubeis, & Maffejo, a quo ex Cod. Veronen. edita primum ad calcem hist. Theolog. pag. 220, inde in nov. Collect. Venet. Concil. tom. 5. pag. 180. translata est. Propterea latam semel, & iterum a Prædecessoribus suis in Mongum, & Acacium damnationis sententiam tum confirmavit, tum a Græcorum invidia vindicavit S. Gelasius epist. 11, & 13. ad Dard. Episcopos. Euphemio Constantinopolit. litteras denegavit pacificas epist. 1, & Anastasio Imper. adamantinum, Pontifice dignum, objecit pectus epist. 4. Qua in opinione te confirmabit Tractatus de Anathematis vinculo apud Harduinum tom. 2. pag. 929, & seqq. S. Gelasio tributus, quem a mendis expurgatum a Coutantio pollicetur Mopinot in epist. ad P. Carolum Conrade in append. Norisii edit. Veron. lib. 2. cap. 12. pag. 828, tametsi in Suppl. Acaciano S. Felici asseritur: quem in Tractatum confer, si libet, Barbosam in Collect. par. 1. Decr. dist. 15. cap. 3, & Covaruviam lib. 4. Variar. Resolut. cap. 14, & seqq. Quod vero a SS. Felice, & Gelasio toto propriæ auctoritatis pondere, ad omnes æquitatis, prudentiæ, justitiæque leges librato, fuerat in Acacium decretum, ratum, pensumque habuit S. Anastasius II, qui in epist. 1. ad homonymum Imper. tum demum Sacrorum cum Romana Ecclesia societatem redintegrari posse concludit, quum primum e diptychis infandum Acacii nomen fuisset abrasum: habuit S. Symmachus, qui cum in Apolog. 6. ad Anast., tum in epist. 8. ad Orient. Acacium justa operiendi ignominia argumentum inde capit, quod sensu suo cum hæreticis communicare, cum eisdem sit consentire: habuit S. Hormisdas, qui Illyrico epist. 7, 9, & 10., Orienti epist. 11, 12, & seqq. usque ad 17, Imperatori, Johanni Constantinopolit., ejusque Clero epist. 28, & seqq., 44, 45, & seqq., Justino, Synodo Constantinopolit., & Epiphanio epist. 75, 76, & seqq. Romanæ Ecclesiæ communionem ea indeprecabili lege aut exhibet, aut restituit, ut in Acacium dicatur anathema; ejusdem e diptychis expuncto nomine: habuit demum, ut de aliis taceam, S. Nicolaus I. epist. 7, & 9, ubi Acacii tamquam hæretici memoriam traducere nec leviter dubitat. Quid ad hæc autem, (veritati tanta vis inest) quod hanc Pontificum agendi rationem æquitatis plenam agnoscere perinde, juxta-

que

que æqui, bonique facere ingenio vel invito adacti Orientales ſunt in Encyclica, ac in Suggeſt. tam Germani, quam Dioſcori apud Labbæum tom. 4. pag. 1487, & 1490, cum Eutychete, Dioſcoro, Æluro, Fullone, & Mongo damnatione pari dignum Acacium ptonuntiantes? Atque tum audita una omnium voce in Synodo Conſtantinopolitana tom. 2. Concil. pag. 1338. acclamatio: *Synodica Romana modo valeant*. Ita ſub hac conditione a S. Hormiſda oblatam amplecti pacem cunctati diutius haud ſunt Johannes Nicopolit. cum Epiri Epiſcopis apud Harduinum tom. 2. pag. 1027, & ſeqq.; Juſtinus Imper., & cum Græcis ſuis Johannes Conſtantinopolit., ejuſque ſucceſſor Epiphanius tom. eodem pag. 1016, & ſeqq.; Johannes Hieroſolym. in Synodica ibid. pag. 1342; Epiphanius Tyrius, aliique pag. 1346, & 1362; Juſtinianus Imper. in libello fidei ad S. Agapetum apud Labbæum tom. 4. pag. 1802; Beſſarion pag. 1487, & Baſilius Cilix apud Photium Cod. 42, quibus adſciſcendus Liberatus Brev. cap. 10. Poſt quæ tam explicita, patienter quis ſummam ferat audaciam, qua Jo: Sudotius hiſt. Eccl., & Imper. ad an. 489, Dupinius Bibl. tom. 3. par. 2, Tillemontius V. Euphemius art. 4, & V. Macedonius art. 2, ac Brujus hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 257, & ſeqq. levi admodum de cauſſa abruptam cum Eccleſia Conſtantinopolit. pacem effutire non erubeſcunt, neque propterea e cenſu orthodoxorum Conſtantinopolitanos decidiſſe Antiſtites exiſtimandum! At hæc quam torvis uſurpaverint oculis, ut videas, quantave mentis obruti caligine in hæc tentabundi inceſſerint, conſuleſis Fleurium hiſt. Eccleſ. lib. 31. §. 52, Bencinum in Not. ad Anaſt. tom. 3. ſect. 82. pag. 224, & ſeqq., Sommier hiſt. dogm. lib. 6. cap. 7, & ſeqq., Maffejum in præfat., & in adnot. ad epiſt. S. Felicis ad Orient., & Orſium hiſt. Eccleſ. lib. 36. §§. 72, & 116.

In lineam nunc regrediendo, Euſtathium, non pſeudo-Monachum, veluti Baronius ad annum 361. n. 44, & ſeqq., & poſt ipſum Baſnagius eſt arbitratus, ſed celebrem Sebaſtenum Epiſcopum, ut ex SS. Baſilio epiſt. 74, & 79. ad Occid., Epiphanio hær. Arian., Socrate lib. 2. cap. 43, & Sozomeno lib. 3. cap. 14, ac lib. 4. capp. 24, & 25. arguunt Valeſius ibidem in Not., &

Pa-

Pagius ad an. 319. n. 4,& ſeqq. , & ad an. 357. n.15, Nuptias prohibentem , docentemque de neceſſitate ſalutis rebus omnibus renuntiandum eſse , aliaque horum ſimilia abſurda , Gangrenſis Synodus ex Epiſcopis 13 , aut 15 , aut 16. non amplius coadunata condemnaverat ; quo vero anno , ſatis non conſtat : nam Baronius eam illigat anno 361 , minus tamen vere ; Pagius annos intra 340 , ac 357. contrahit ; Coutantius in præf. ad epiſt. Rom. Pontif. §. 2. pag. 64. n. 65. Corbejenſis Cod. fide ſuffultus ante Nicænam collocat ; & Manſius in Not. ad Pagium an. 319. num. 4. Nicænæ priorem dandum locum affirmat, fretus auctoritate Codicis Eccleſ. Orient. Tiliani Patribus Trullanis an. 680. probati , ubi poſt Nicænam Gangrenſis locum occupat . Jam vero Synodi iſtius ſententiam , non ſecus ac Canones eatenus Romana ab Eccleſia receptos auguratus Baronius eſt , quatenus Apoſtolicæ Sedis auctoritas illis deſiderata non fuerit , ſicut aſſeruit S. Symmachus P M. in Synodo Romana VI. an. 504 , relatus Can. 57. *In Canonibus* 16. q. 1 , quem in locum confer doctiſs. Berardi ad Gratiani p 2. tom. 1. pag. 462 , quia ſcilicet Oſius Cordubenſis Epiſcopus, ac S Silveſtri vicibus in Oriente defungens Synodo illi præfuerat,geſtaque omnia calculo tum comprobarat ſuo,tum auctorem ſe dederat , ut a Romano quoque , quod præcipuum erat , Pontifice comprobaretur : quam perinde ob cauſsam eoſdem Canones Gangrenſes contra Euſtathii errores adornatos Britannicæ Eccleſiæ religioſe cuſtodiendos indixiſse , & commendaſse S. Leo IV. relatus a Gratiano Can. 1. *De Libellis* diſt. 20. præſumi facile poteſt . Atque hanc quidem Baronii conjecturam adjuvat , & corroborat , opinione mea , Codex antiquiſſimus Corbej. medio ſæculo VI. exaratus apud Coutantium §. 2 pag. 62 , & ſeqq. n. 61, in quo Canonibus Ancyranis , Neocæſareenſibus , & Gangrenſibus ante Nicænos collocatis præmiſsa legitur Oſii præfatio . At enim contra pugnat Emin. Cardinalis Aguirrius diſsert. 2. in præf. Iſidori ad Concil. tom. 1. Concil. Hiſp. , ideo quod Oſius non primus , ut oportuiſset , ſed poſt alios promiſcue Synodo Gangrenſi ſubſcriptus legitur: quod pariter animadvertit Petrus de Marca diſſert. de Can. Vet. Collect. cap. 2. Putat vero vir doctiſs. id a S. Symmacho dictum , quod arbitretur a S. Leone M.

quemdam adornatum Codicem Canonum, in quibus Gangrenſes quoque locum habuerint. Aguirrium refellit Cl. Blancus de poteſt., & polit. Eccl. tom. 4. lib. 2. cap. 3 §. 7, ea motus intima perſuaſione, quod Canonum nulla Collectio a S. Leone fuerit elucubrata: quapropter a S. Symmacho id dictum vir doctus exiſtimat, quod ab eo laudati Gangrenſes Canones 7, & 8 excerpti fuerint ex Apoſtolicis 39, & 41, qui in Collectione Dionyſiana Sedi Apoſtolicæ erant accepti. Eodem ferme recidit Pagii opinio putantis, id a Pontifice dictum, ideo quod tum temporis Gangrenſes Canones uſu Romana in Eccleſia jam veniſſent. Ab Aguirrio parum diſtant cum Juſtellus, tum Queſnellus, ille tom. 1. pag. 16 pro certo ponens S. Leoni Graecum Canon. Codicem, in quo Gangrenſes locum haberent, probatum evaſiſſe; hic vero in Append. oper. a S. Leone Codicem Latin. Canon. revera adornatum arbitratus: at utrumque refellit Coutantius in præf. §. 2. pag. 59. n. 55, & §. 3. pag. 67, & ſeqq. n. 70, & ſeqq., quem ibidem videſis, ac conſule, ſi libet, quæ Tom. 4. par. 2. art. 9 in Proleg. pag 364, & ſeqq. dicta ſunt. Denique vir doctiſs. Manſius vehementer dubitat, utrum Gangrenſi Synodo nedum præfuerit, quin an interfuerit, cujus quippe nomen tum in Synodica, tum in Codice Tiliano Canon. Eccleſ. Orient., tum in Nomocanone apud Cotelerium tom 1. Monum. Eccleſ. Græcæ pag. 136. ab ſe minime deprehenſum affirmat in Not. ind. ad Pagium.

Itaque documenta ad indubia ut me devolvam, ad Semipelagianos retorquere ſermonem cogor, indeque gradu progredi ordinato. Peſtem hanc itaque in Galliis jamdiu graſſantem, ac in dies invaleſcentem, ut de ſuperiori veluti loco percuteret, ac e provincia, ſi Superis placeret, exterminaret, praviſque diſpunctis erroribus Catholica dogmata loco ſtabiliret, S Felicis IV. P.M. operam imploravit, opportuneque adhibuit S. Cæſarius Arelatenſis. Igitur a Pontifice fidei decreta contra Semipelagianos directa, atque ex operibus S. Auguſtini de Div. gratia, & libero arbitrio deprompta, ab omnibus ſubſcribenda, ac tenenda in Synodo Arauſicana II. anno 529 habita protulit, ac propoſuit S. Antiſtes, teſte Hincmaro Rem. lib. 2. de prædeſt. cap. 12, qui & cap. 22.

cap. 22. ex delegatione Sedis Apoſtolicæ Synodo illum præfuiſſe confirmat. In Semipelagianos intortam ſententiam a Synodis ſive Arauſicana, ſive a Valentina ſubinde an. ſeq. ab eodem S. Cæſario coadunata, auctoritate poſtea ſua confirmavit S Bonifacius II, uti patet ex ipſius epiſtola ad S. Cæſarium apud Harduinum tomo. 2. pag. 1109. Quo ex tempore gentium ubique Semipelagiana exſibillata eſt hæreſis, quæ tam diro, quam diuturno annorum pluſquam centum certamine Gallicanam præſertim dilaceraverat Eccleſiam, ac in partes diſtraxerat. Adeundi, ſi plura aveas, Jo: Sotellum in append. S. Proſperi edit. Lovan. 1565, & append. edit. Pariſ. 1711; Baronius ad an. 529. n. 13; Binium apud Labbeum tom. 4. pag. 1675, & Harduinum tom. 2. pag. 1097, & ſeqq., a quibus loca indicantur S. Auguſtini, unde ſententiæ illæ 25. decerptæ ſunt; Sirmondus tom. 1. Concil. Gall.; Bollandus in Comment. prævio ad vit. S. Cæſarii; Noriſius lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 23; Pagius ad an. 529. n. 3, & ſeqq., ac Manſius Suppl. Concil. tom. 1. pag. 411, ubi ex Cod. Lucen. Synopſim profert epiſtolæ S. Felicis ad Siculos, quo ſub titulo Canones 6. collocantur, Arianis, Pelagianis, Semipelagianis, & Manichæis contraria dogmata Catholica ſtabilientes. A Johanne II, & a S. Agapeto damnatos alibi dixi Acœmetas: ut autem invidiæ notam, quam inde Sedis Apoſtolicæ Oſores arripiunt Pontifici alterutri Hormiſdæ, aut Johanni affingendi, ab utroque amoliaris, videſis Petavium tom. 4. Theolog. dogm. lib. 4. de Incarn. capp. 6, & 7; Thomaſſinum diſſert. 18. in Synodum Roman. anno 532; & Noriſium in vind. Auguſtin. cap. 3. §. 2, lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 20, & in Apolog. Monach. Scythiæ cap. 1. Quos jam prædamnaverat ſuus Prædeceſſor S. Hormiſdas, Acephalos a Severo, & Theopaſchitas a Cnaphæo prognatos confirmata ſecundo anathematis ſententia proſcripſit idem S. Agapetus, cujus decretum executioni demandans Juſtinianus Imp. Novel. 42. hæreticos illos in exilium ejici juſſit. Cum his eadem damnatione involutos Anthimum Conſtantinopolit., Petrum Apamenum, Zoaram &c., ac loco Anthimi ab eo ſuffectum Mennam diſcimus ex epiſt. ejuſdem Agapeti ad Petrum Hieroſolym., ex Synodo Conſtantinopolit. ſub Menna, atque ex ſententia in Synodo pronunciata a Pe-

tro Hieroſolym. apud Harduinum tom. 2. pag. 1225, 1395; & 1415; quibus fruſtra locis offundere tenebras adnixus eſt P. Ludovicus Doucin hiſt. Neſtor. lib. 4. pag. 380: pomeridiana enim luce patentior inde refulget ſuprema in Patriarchas Orientis Pontificis Romani poteſtas, adeo ut vel ipſi Maimburgo in tract. de prærog. Rom. Eccl. cap. 5. perſpecta approbe fuerit, quin refellendis Doucini nugis longior impendatur opera. Vigilius poſtea Acephalorum primipilis Theodoſio, Severo, & Anthimo communionem ſuam fingitur impertiviſſe in epiſtola quadam ipſi afficta, eaque ab ſe præſtanda fide, quam datis chirographis obligaverat, fuiſſe pollicitum. At hæc ad calumniam amandanda diſertiſſimis Africanorum Epiſcop., Cleri Rom., Juſtiniani Imp., ac ipſius Vigilii teſtimoniis oſtenſum a Coutantio auctor eſt in cit. Synopſi P. Mopinot: quibus duo adjungere duntaxat mihi liceat expreſſiſſima loca S. Gregorii M. lib. 2. epiſt. 51, & S. Nicolai I. in epiſt. 9. ad Michaelem Imp.; unde liquet, quam multa pro fide devoraverit incommoda, & diſcrimina Vigilius, & quanto adverſus Eutychianos, & Acephalos robore ſteterit, ac dimicaverit. Non tam Vigilio tamen, libenter fateor, quam illuſtri, quem tenebat, loco ingenti cedit laudi, quod inde dictum in Origeniſtas anathema robur accepit. Quamvis enim Tractatui Encyclico a Juſtiniano Imp. adverſus eos evulgato ſyngrapham appoſuiſſent ſuam Mennas Conſtantinopolit., Zoilus Alex., Euphræmius Antioch., & Petrus Hieroſolym., teſte Liberato Brev. cap. 23; quin etiam in Synodo Conſtantinopolit. an. 538, juxta Valeſii in Not. ad Evagrium lib. 4. cap. 38, & Garnerii in diſſert. de Synodo V. ſententiam, Origeniſtis infamiæ dica fuiſſet conſcripta, Vigilio tamen ſpecialius eorumdem damnatio refertur accepta a Facundo Herm. lib. 1. cap. 6, tanquam qui Tractatum illum confirmavit, & ad Reparatum Carthag. tranſmiſit, ut ab Africanis omnibus ſubſcriberetur; & a Caſſiodoro Divin. lect. cap. 1, ubi ſic loquitur: *Hunc* (Origenem) *licet tot Patrum impugnet auctoritas, præſenti tamen tempore, & a Vigilio Papa denuo conſtat eſſe damnatum.* Quocirca, Facundo teſte loc. cit. cap. 2, Domitianus Ancyranus Epiſcopus Origenis acerrimus olim defenſor ad unum Vigilium pœnitentiæ libello nuncupato confeſſus

eſt

eſt poſt latam a Pontifice ſententiam, non amplius Origenis defendendi locum ſupereſſe, ideoque ad id peſſimi Origeniſtas ſe convertiſſe conſilii, ut ſcandalis Eccleſiam commovere, ac turbare non ceſsarent. Confer Lupum in Not. ad Synodum V, Noriſium de Synodo V. lib. 1. cap. 1, & ſeqq., Pagium ad an. 538. n. 12., & ſeqq., & ad an. 553. n. 25, ac ſeqq., ac Manſium in diſsert. de Synodis in Origeniſtas tom. 1. Suppl. pag. 425, & ſeqq., a quibus Origeniſmi hiſtoria valdequam hactenus implicata plurima eſt luce perfuſa, optimoque digeſta ordine: unde liquido adparet laterem profecto laviſſe Halloixium, dum in Apolog. Orig. q. 10. hunc ab Eccleſia nunquam damnatum ſuadere obnixus eſt; quem præter modo memoratos refellit quoque Huetius Origenian. lib. 2. cap. 4.

Venio nunc ad S. Gregorium, cui *Magni* cognomen, doctrina cum eximia copulata, illuſtria facta indiderunt; dicendi vero compendi operam faciam, ne præter modum prolixior fluat oratio. Jam tum itaque, quum adhuc Apoſtolicæ Sedis Apocriſarii perſonam ageret Conſtantinopoli, ſumma indutus ſollicitudine, ne leve quidpiam ſacris Romana in Eccleſia dogmatibus deriperetur, cum Eutychio Patriarcha, qui Origenis pravo dogmate refecto pugnabat futurum corpus noſtrum in die Judicii impalpabile, ſenſibuſque impervium, congreſſus eum tam gravi rationum pondere, ac Dominicæ præſertim Reſurrectionis exemplo attrivit, ut Paulo Diac. in ejus vita n. 9. teſte tum Eutychii liber juſſu Tiberii Imper., qui concertationi præſentia interfuerat ſua, flammis comburendus fuerit traditus, tum Eutychius ipſe ad frugem regreſſus in orthodoxa deinceps fide integer uſque ad finem permanſerit. Hanc porro S. Gregorii diſputationem habes ex lib. 14. Moral. cap. 29. deſcriptam a Johanne Diac. lib. 1. ejuſdem vitæ n. 27. Pontificatum adeptus pro ſtudio, quo flagrabat puritati fidei proſpiciendi, aut loco firmandi, ubi nutare videretur, aut redintegrandi, ubi fuiſſet collapſa, in Italia reliquias aut Idololatriæ, aut Arianiſmi, cui adhuc Langobardi deſerviebant, ſuorum opera Dialogorum, quos ad Theodelindam miſerat, delevit, teſte Paulo Diac. lib. 4. de geſt. Langob. cap. 4 Quoſdam de animarum immortalitate, & corporum reſurrectione dubitantes, ac item

tem intendere non desistentes invictissimis rationum momentis compressit, & contraria fidei dogmata stabilivit lib 3. Dialog. cap. 38. Magos, ac Maleficos, (quo intelligi debent nomine Mathematici in edicto designati) severa animadversione Roma facessere a S. Gregorio jussos denarrat Johannes Sarisberiensis de Nugis Curial. lib. 2 cap. 26; de cujus quidem fide valdequam suspicantur Lipsius in adnot. 149 ad lib. 12. Taciti pag. 207, Bayle V. Gregorius I, Gretzerus lib. 1. de Jure prohib. libros cap. 30, Scipio Ammiratus lib. 21 discur. 1, & PP. Maurini in ejus vita lib. 1. cap. 2. pag. 202; nihilotamen minus in hujusce furfuris homines vehementi oratione invehitur hom. 10. in Evang., & lib. 9. epist. 47. Romæ Synodo habita circa finem anni 601, cujus acta desiderantur, Andræam quemdam Græcum impostorem, atque unum e Secta Incorrupticolarum, qui teste Photio Cod. 16 2., pleraque multa SS. Patrum loca sui in erroris patrocinium detorquere, ac vice versa plurium hæreticorum placita eisdem Patribus impudentissime appingere non dubitabat, diro anathemate damnavit: qua de re adeundi Pagius ad an. 601. n. 11, & seqq. ac Dionysius San Marthanus in hist. S. Gregorii lib. 6. cap. 4; legenda quoque ipsius epistola 69. lib 9. indict. 4. ad Eusebium Thessalon. In Urbe serpentem alterum superstitionis plenum errorem de Sabbati cultu, deque abstinentia a quibusdam operibus, Judæorum ad instar, quam propere, tam procul longe propellere fategit lib. 11. epist. 3., & libr. 12. epist. 1. Ad hæc Manichæos in Sicilia, Schismaticos in Liguria, & Istria, Barbaricinos in Sardinia doctissimis scriptis qua ab erroribus revocatos, qua ad unitatem restitutos, qua a superstitionibus remotos asserit Johannes Diacon. initio lib. 3. In Africa Donatistarum cum thecnas omnes patefactas, tum dispersas reliquias undique profligatas intueri licet lib. 1. epist. 72, 74, & 77, lib. 2. epist. 33, & 48, lib. 4. epist. 31, ac lib. 5. epist. 5. Agnoetis propulsandis Alexandria Eulogio Alex. operam commodasse S. Gregorium æstimari fas est, dum ab eo librum adversus hæreticos illos adornatum apud Photium Cod. 230. approbavit epist. 42. lib. 8. indict. 3. Pelagianam hæresim a Johanne Constantinopolit., qui pro germano Ephesinæ Synodi I, pseudo-Synodi a Nestorianis post habitæ

bitæ Codicem Romam ad S. Gregorium mittere non veritus fuerat, inſtauratam ut detexit, ulla abſque cunctatione debellavit lib. 6. ind. 15. epiſt. 31. ad Eulogium Alex., & lib 7 ind. 2 epiſt. 48. ad Anaſtaſium Antioch. Magna denique, ut multa alia dimittam, eidem pars laudis adhæſit ex procurata ſive in Anglia laboribus S. Auguſtini converſione ad chriſtianam Religionem, ſive in Hiſpania opera S. Leandri Arianorum ad caſtra noſtra: de qua conſulendæ lib. 7. ind. 1. epiſt. 5, 30, 125, 126, & 127, & lib. 9. epiſt. 15, 57, 58, & 60; adeundus etiam Johannes Diac. ſub initium lib 3. S. Gregorii vit., Tom. 4. ejuſdem oper. præfixæ in edit. Pariſ. an. 1707.

Monophyſitas, ſive Monothelitas, Eutychianæ Sectæ appendicem, eorumdem primipilis Theodoro Pharanitano, Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro Conſtantinopolit., Macario Antiocheno, Stephano, Polychronio, Aſpergio e dignitate dejectis, repetita damnationis ſententia, perpetuæ in cenſum infamiæ dedicaverunt Severinus, Johannes IV, Theodorus, S. Martinus I, S. Vitalianus, Adeodatus, Donus, SS. Agatho, & Leo II, ut abunde liquet ex libro Diurno Rom. Pontif. cap. 3. tit. 6, quem egregiis illuſtravit notis Garnerius: præter quem confer, ſi placet, Auctorem hiſt. Miſcellæ lib. 18. a Muratorio editum to. 1. Script Rer. Ital. pag 132, Tamagninum in hiſt. Monothelit., Petavium Theolog. Dogm. tom. 4. lib. 1. cap. 19, & ſeqq., Combefiſium in hiſt. Monoth., Sirmondum tom. 4. Oper. pag. 680, & ſeqq., Papebrochium in Conat. Chron. hiſt. diſſert. 23. in Teſaur. Eccleſ. antiq. pag. 193, Lupum in Not. ad Synodum VI, Natalem Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. VII. diſſert. 1, & 2, Pagium ad annos 639. n. 4, & ſeqq., 640. n. 2, & ſeqq., 648. n. 2, & ſeqq., 677. n. 2, & ſeqq., ac 681. n 6, & ſeqq., ac Illuſtriſs. Jo. Bapt. Bartholum Feltren. Epiſcop. in Apolog. pro Honorio cap. 1, & ſeqq. Tanto in pretio lata a Romanis Pontificibus in Monothelitas ſententia habita eſt ſive ab Orientalibus, ſive ab Occidentalibus, ut Victor Carthagin. in Synodica ad Theodorum apud Harduinum tom. 3. pag. 754. in Pontificis fide Eccleſiam ſuperædificatam, & firmatam affirmarit: ut Stephanus Dorenſis ſuo, ac Sophronii Hieroſol. nomine in Synodo Later. ſub S. Martino Secret. 2. pag. 711, & ſeqq.

& ſeqq. penes unum Pontificem, a quo fidei orthodoxæ fundamenta ſtrenue ſuſtinentur, eſſe, & ſtare Eccleſiæ januas Catholicis aperire, hæreticis occludere falſus ſit, & profeſſus: ut Sergius Cypri Metropolita in ſuggeſt. ad Theodorum P.M. pag. 727, & ſeqq. Apoſtolicam Sedem orthodoxæ fidei cum immobile firmamentum, tum lucidiſſimam formam a Chriſto D. fuiſſe conſtitutam, ideoque ad ejus ſpectare partes hæreſes cum auctoribus proſternere, fideique dogmata periclitantia loco confirmare, ſcribere non ambegerit: ut Columbus, Stephanus, & Reparatus in Africa Primates pag. 734, & ſeqq. in Synodicis ad eumdem Pontificem teſtificari non dubitaverint ab Apoſtolica Sede indeficientem incotruptæ fidei promanare fontem; ad eamdem ab univerſis Eccleſiis, in fidei quæſtionibus, pro inquirenda veritate, confugiendum; ejuſque officio cedere hæreticos ab Eccleſia, ceu putrida membra, prorſus abſcindere: ut Pyrrhus ipſe diſputatione a S. Maximo defatigatus apud Baronium in append. tom. 11. pag. 654 nov. edit. Luc. ejurata hæreſi, fideique libello conſcripto ſe in Romani Pontificis obedientiam tranſcribere religioni duxerit: ſi tamen fraudulentus homo in verbo ſuo non eſt mentitus: ut hanc ob rem denique regulas a S. Agathone præſcriptas ſibi ex officio ſequendas propoſuerint Synodi VI. Patres, atque ab ſe decreta, ac geſta tum demum valitura exiſtimarint, poſtquam S. Leonis II. precibus obnixe rogati acceſſiſſet auctoritas. Qua profecto accedere Pontifex diſtulit, ut ipſemet ſctipſit ad Imperat., donec Synodi acta *curioſa diligentia* examinaſset, & cum decretis Synodi Romanæ, & S. Agathonis deceſſoris ſui epiſtola contuliſset. Quibus poſtquam conſona deprehendit, tum demum Synodi decretis calculum adjecit ſuum hiſce conceptum auctoritatis verbis: *Nos, & per noſtrum officium hæc Veneranda Sedes Apoſtolica .... S. Petri auctoritate confirmat*. Ad hæc Hiſpani a S. Leone admoniti de Synodi VI. actis ab ſe approbatis, confirmataque damnatione Monothelitarum, nihil antiquius habuere, quam Pontifici edicenti plene adquieſcere. Legere præſtat S. Leonis epiſtolas tum ad Ervigium Regem, tum ad Epiſcopos Hiſpan., de quarum ſinceritate dicam poſtea, quibus auctoritate ſumma cum illis agit; illi vero in Concilio Toletano XIV. congregati cap. 1, & ſeqq. Synodi VI. actis ſyn-

ſyngrapham adjecerunt ſuam, de qua ſubinde S. Benedictum II. certiorem facere, adimpletæ videlicet ab ſe ſacræ ab ſuo Prædeceſſore, ac ab ipſo profectæ juſſionis, ſategerunt. Equidem a doctiſs. Cennio de antiq. Eccl. Hiſp. diſs. 4. cap 3. pag. 56. culpæ Hiſpanis Epiſcopis vertitur, quod cap. 6. eatenus acta Concilii accepta ſibi dixerint, quatenus ab aliis Oecumenicis Conciliis non diſcordarent: *Quod*, inquit Cennius, *accipiendi Concilia genus inſolens nuſquam tota in antiquitate comperies*. At hanc ab Hiſpanis Epiſcopis labem amoliendi facilem adinvenit modum doctiſs. Lopezius de Barrera in hiſtor. exercit. de antiq. Canon. Codice Eccl. Hiſp. cap. 38. pag. 55, & ſeq., videlicet ex verbis S. Leonis in epiſt. ad Conſtantinum Pogon. oſtendens ejuſdem Pontificis exemplum ſequendum propoſuiſſe ſibi Hiſpanos Epiſcopos, eiſdemque pene verbis, quibus Pontifex Synodum VI. probarat, uſos in eadem recipienda Synodo: qua in re illos peccaſſe nihil conficit, qui Pontificis ea in Synodo confirmanda proxime mentem, ſententiam, ac modum ſervarunt. Verum hocce de argumento paullo infra adverſus Boſſuetium, ac D. Ravechet recurret ſermo.

Interea properando iter, ecce peſſimum genus illud offendimus hæreticorum, Iconoclaſtas id eſt, quos tum Monothelitarum furoris æſtus quidam peperit, velut viderunt Spanhemius in hiſt. Imag. reſtituta ſect. 1., & in exercit. hiſtor. de orig, & progreſ. controv. Iconomach., ac Maimburgus in hiſt. Iconocl., tum proprium deſæviendi præpotens ingenium ad deteriora quæque præcipitavit. At enim non dubium eſt, quin in Bacchantes illos propere inſurrexerint, diraque anathematis tela intorſerint omnium primi Romani Pontifices, nempe S Gregorius II. in epiſt. ad S. Germanum Conſtantinopolit. apud Harduinum tom. 3. pag. 231. act. 4. Synodi VII. inſerta, & in duabus epiſtolis ad Leonem Iſaur. ibidem pag. 1, & ſeqq., quas a Labbæo de Script. Eccleſ, & Cointio ad an. 719. n. 21, & ſeqq. S. Gregorio III. tributas huic priori vindicant Baronius, & Pagius ad an. 726. n. 6, & ſeqq., de quo præterea adeundi Theophanes in Chronog. ad an. 10. Leonis Imp., Paulus Diac. lib. 6. de geſt. Langob. cap. 49, ex ipſo Anaſtaſius Bibl. tom. 4. edit. Blanchinii ſect. 184. pag. 182., atque Hadria-

nus I. in Apolog. pro ſacris Imag. ad Carolum M. apud Harduinum tom. 4. pag. 802, & 813. S. Gregorius III. in Synodo Romana an. 731, & in Synodica ad Leonem Iſaur., de qua Anaſtaſius ſect. 191, & ſeqq. pag. 195, & ſeqq., & Hadrianus I. in præcit. Apolog. S. Zacharias in Synodo Romana an. 743. juxta Pagium n. 15, ſive 744. juxta Manſium in Not. ibid., ac in Synodica, & ſuggeſtione ad Eccleſ. Conſtantinopolit., & Conſtantinum Copronymum, de quibus Anaſtaſius ſect. 219. pag. 217, & Hadrianus in epiſt. ad Conſtant., & Irenem in Synodo VII. act. 2. lecta apud Harduinum tom. 4. pag. 83. Stephanus II, aliis III, a quo pſeudo-Synodus Conſtantinopoli habita ſub Copronymo adverſus SS. Iconas, in quam legendus Stephanus Diaconus Eccl. Conſtantinopolit. in vita S. Stephani Junioris Græce, ac Latine edita a Jacobo Loppino tom. 1. Analect. Græcor., abolita eſt, teſte Hadriano I. in epiſt. mox laudata ad Conſt., & Iren. apud Hard. loc. cit., & Baronium ad an. 754. n. 36. S. Paulus I. in epiſt. ad Copronymum, & Leonem, quas memorat Anaſtaſius ſect. 258. pag. 255, & Hadrianus in prælaud. epiſt. ad Conſtant., & Iren., ac in Apologet. pag. 802, ac fas eſt augurari ex epiſt. 7. ad Pipinum, quæ in Cod. Carolino eſt 34. Stephanus III, ſive IV. (cui morem plumbo obſignandi litteras Apoſtolicas acceptum refert Polydorus Virgilius lib. 8. cap. 20; Thomas vero Stubbius S. Gregorio I. tribuit; S. Silveſtro Dominicus Raynaldus apud Allatium de conſens. lib. 1. cap. 6. §. 2.; contra quem fruſtra morem pro ingenio peſſimo oblatrant Proteſtantes in hiſt. Cæremon., & ſuperſt. in Eccl. induct. pag. 90: qua præterea de re videri poteſt Mabillonius de re Diplom. lib. 2. cap. 14.) Stephanus IV., inquam, in Synodo Romana an. 769. act. 4. in collect. Holſtenii pag. 261, Harduini tom. 3. pag. 2014, & ſeq., in edit. Genni pag. 13, Manſii Supplem. tom. 1. pag. 648. & ſeqq., nec non in epiſt. Apolog. Hadriani I. ibidem, & apud Harduinum tom. 4. pag. 778, 782, & 802: & Hadrianus I. in præcit. ſæpius epiſtolis; cui morem perfecte gerere ſibi religioni duxiſſe Synodum VII, vulgo Nicænam II. abunde dictum eſt alibi.

Tanti profecto facta eſt Romanorum Pontificum adverſus Iconomachos ſententia, ac S. Romanæ Eccleſiæ de SS. Imaginum cultu

cultu traditio, ut Theodorus Hieroſolym., Coſmas Alexandrinus, & Theodorus Antiochenus communi ſuffragio miſſa Synodica ad S. Paulum I. diſerte profeſſi ſint, ſe in colendis ſacris Imaginibus S. Romanæ Eccleſiæ ſenſui, & uſui perpetuo adhæſuros, licet univerſus Oriens in earumdem demolitionem conſpiraret. Synodicæ hujus exemplar lectum in Synodo Romana an. *769.* ſub Stephano IV. auctor eſt Hadrianus in ſæpe memorata Apolog. ad Carolum M. pag 782, & ſeq; Græce vero, ac Latine exaratum tranſmiſſum ad eumdem Carolum M. a Conſtantino pſeudo-Pontifice legitur in Cod. Carolino epiſt. *99*; exhibetur vero ab Harduino in act. 3. Synodi VII. tom. 4. pag. 141, & ſeqq. Synodi autem Hieroſolym. ſub Theodoro habitæ an. *766*, aut ſeq. in cauſſa ſacrarum Imaginum meminit Græcus Auctor vitæ S. Johannis Gothiæ Epiſcopi, qui Synodum hancce votis ſollicitaſſe fertur ſuis, quam ex veteri Codice Vatic. Græce, & Latine deſcriptam exhibet Janningus ad diem 26. Junii. Vide & Pagium ad an. *767.* n. 5, & ſeqq. Similiter S. Theodorus Studites epiſt. 1. lib. 2. Cod. Column. ſuo, aliorumque nomine pro defenſione SS. Imaginum exulum, inter quos Nicephorus Conſtantinopolit., Æmilianus Cyzicenſis, Euthymius Sardienſis, Joſephus Theſſal., Michael Synnadenſis, Eudoxius Amorienſis, Theophylactus Nicomed., quorum mentio occurrit in Menolog. Græcor. ad diem 8. Martii, Petrus etiam Nicænus, Theophanes, Nicetas, aliique, de quibus legendi Michael Studita in vita S. Theodori apud Baronium ad an. 814. n. 13, & ſeqq., Theoſterictus in vita Nicetæ apud Surium ad 3. April., & Bollandus in vita Theophanis ad 12. Martii, epiſtola, inquam, ad pſeudo-Synodum Leonis Armeni juſſu a Theodoto Meliſſeno pſeudo-Patriarcha, in locum S. Nicephori ſubrogato, Conſtantinopoli adverſus ſacras Imagines congregatam ſcribens, ad ejuſdem inſolentiam retundendam inter alia illud aſſumit, quod in ſacrarum Imaginum cultu tum ipſe, tum exilii ſocii præeuntem ſequi Rom. Pontificem religioni ducerent, atque Sedis Apoſtolicæ exemplo, ac judicio inniti: *Secure*, inquiens, *ſupra Sedem illam conſiſtimus, de qua Chriſtus ait*: Tu es Petrus &c., & epiſt. 86 eodem lib 2. ad Michaelem Balbum ſuo, Epiſcoporum, ac Præpoſitorum nomine ſimiliter ſcribens, circa

dubia fidei, ſi quæ emergerent, conſulendum juxta veterem conſuetudinem Romanum Pontificem, eique auſcultandum affirmat, non vero Imperatoris eſſe Cœtus hiſce rebus componendis indicere: *Jubeat*, ita alloquens Imperat., *a vetere Roma ſuſcipi declarationem, prout olim, & ab initio paterna traditione tranſmiſſus mos fuit. Hæc enim ſuprema eſt Eccleſiarum Dei, in qua Petrus Sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit*: Tu es Petrus &c. Confer lib. 2. epiſtolas 74. ad Michaelem Imp., 121. ad Thomam Hieroſolym., 129. ad Leonem Sacellarium, aliaſque plures eodem ſpiritu plenas, de quibus paullo infra; ſed & Auctorem vitæ S. Nicolai Studitæ apud Combefiſium tom. 1. Suppl. Bibl. Græco-Lat.

Nicænæ II. Synodo SS. Imaginum vindici aliquando errore facti potius, quam juris refragati ſunt Jonas Aurelianenſis, Agobardus Lugdun., Halitgarius, Trevolphus, Aldegarius, Amalarius, Hincmarus Remen., Dungalus, Walafridus Strabo, (quorum tres poſteriores tamen propius ad Nicænæ Synodi decreta acceſſiſſe cenſet Pagius) aliique Galliarum Antiſtites, doctrinaque inſignes viri, qui præſertim Synodo Pariſienſi an. 825. interfuerant, innixi potiſſimum epiſtolis S. Gregorii M. ad Serenum Maſſil., & ad Secundinum, quibus videbatur Imaginum cultus improbari: licet revera nec Galli illi Iconoclaſtis eſſent adcenſendi, nec a S. Gregorio M. Synodus Nicæna II. diſcordis, velut oſtendit Hadrianus I. in prælaudata Apologia pag. 799, 817, & ſeq., qua poſt ipſum provincia egregie defunctus eſt adeo Baronius ad an. 794. n. 26, & ſeqq., ac 825. n. 1, & ſeqq., ut mirari ſubeat, cur Proteſtantes crambem hanc recoquere non puduerit. Hinc vero liquet tum temporis a Gallis potiori longe in honore Rom. Pontificum habitas epiſtolas, quam ipſas Synodorum generalium Sanctiones. Argumento id etiam accedit, quod poſtquam in Synodo Pariſienſi anno non quidem 824, ut habetur in Collect. Concil., bene vero 825, ut oſtendunt Baronius, & Pagius, Gallicani Epiſcopi a Ludovico Pio, de Imaginibus collaturi, convocati Nicænam Synodum II. rejeciſſent, ad Eugenium II. Synodi actis dimiſſis, deferentibus Jona Aurel., & Hieremia Senon., ejus ſe, actaque Synodi examini ſubjecere, uti conſtat ex epiſt.

epiſt. Ludovici, & Lotharii ad Eugenium ex Epiſcoporum conſilio exarata apud Harduinum tom. 4. pag. 1259, a quo tamen nequaquam impetrare potuerunt, ut quidquam Synodo Nicænæ II. repugnans proferretur. Sed & antehac ex Synodo pariter Francofordienſi Capitulare adverſus Nicænum II. ex libris Carolinis excerptum ad Hadrianum I. tranſmiſſum fuerat, quod Pontifex exarata pro SS. Imaginibus Apologetica epiſtola ad Carolum M. robuſte adeò confutavit, ut Apoſtolicæ Sedis judicio tandem coactis eidem Synodo VII. ſubſcribere Gallis quoque neceſſe fuerit. Carolinos porro quatuor hoſce libros, quos omnium primus in lucem emiſit Pariſ. an. 1549. ſub Eliæ Philyræ nomine deliteſcens Johannes Tillius Meldenſis, ac Briocenſis poſtmodum Epiſcopus, laudibus celebrarunt imprudenter Georgius Caſsander in epiſt. ad Johannem Molinæum, & in Conſult. pag. 377. apud Fabricium Bibl. Lat. lib. 3. pag. 341, Flaccus Illyricus in Catalogo teſtium pag. 115, & ſeq., Jo: Georgius Dorſcheus in collatione ad Concil. Francoford., aliiſque dimiſſis, nuper Jo: Rudolphus Kieslingius exercit. 16. de Concilio Francof. Nicæno II. oppoſito adverſus Cl. Trombellium, evulgarunt vero Goldaſtus in Sylloge Imper. decret., & tom. 1. Conſtit. Imp., Philippus Paræus, ac tandem Heumannus Prolegomenis adauctos Hanoveræ an. 1731. Quorſum id autem, quam ut ſæpius in ſcenam reducerent argumenti leviſſimi ſpeciem, qua meliore carebant ad invidiam ſacris Imaginibus, earumque nobis Cultoribus conflandam? At quam levidenſia ſint hæc, ac titivilitia ſat jam, ac ſuper demonſtratum eſt, Carolinoſque deſuper libros a Carolo M. neque lectos, neque probatos, a Baronio loc. cit., Gretzero par. 1. horti S. Crucis, lib. 1. contra Replicat. cap. 15, & Apolog. 3. contra Miſenum lib. 2. cap. 5., Petavio tom. 5. Theolog. dogm. lib. 15. cap. 12, Cointio ad an. 794. §. 26, Natali Alex. hiſt. Eccl. ſæculo VIII. diſſert. 6. §. 6, Fleurio lib. 44. §§. 47, & 59., Dumeſnil doctr., & Diſcipl. Eccl. libi 35, n. 65, & ſeqq. Pariſienſis quoque Synodi an. 825. acta publica donare luce Francofurti an. 1596, ac deinde Goldaſto Conſt. Imp. tom 1. pag. 623. curæ fuit, (quæ perinde ex Bibl. Thuana Petrus de la Lande producere in Suppl. Concil. Gall. Pariſ. an. 1660. cum libris Carolinis curavit). At enim præ-

præter Bellarminum, qui opus in Romanæ Ecclesiæ odium evulgatum tanquam falsa Synodi Parisiensis epigraphe inscriptum refutavit, aliosque prælaudatos, omnem prorsus, quae ex libro illo Romanam in Ecclesiam quærebatur, invidiam abstersérunt Mabillonius in præfat. ad 1. part. Sæcul. IV. Bened. §. 3, Pagius ad an. 825. n. 1., & seqq., Jo: Chrysostomus Trombellius de SS. Cultu disert. 10. cap. 12, & seqq., pro quo conferendus Philalethes Aphobus in Vindic. adversus Kieslingium ad exercit. 16, & 19, ac Tournellius de Incarn. quæst. ult. de Cultu Imag. Concl. 2. ad object. 5, & 6, a quibus dicta si cui forte nec dum satis sint, nec tres Anticyras satis ei futuras sperem.

Retro paullisper flectendo vestigia, observare præstat ad S. Zachariam P. M. hæresis nomine Adelbertum, & Clementem, Legato, litterisque directis, fuisse delatos a S. Bonifacio Moguntino, haud profecto habente satis utramque pestem vel gemina in Synodo repetita percussisse damnationis sententia, nisi hanc Pontificia longe superiori corroborari obtinuisset: *Contra istos*, ideo inquit, *obsecro Apostolicam auctoritatem vestram, quod per scripta vestra Populum Francorum, & Gallorum corrigere studeatis*. Qui Pontifex quidem jam latam in præfatos hæreticos anathematis pœnam in Synodis Suessionensi, & Liptinensi an. 744, calculo approbavit suo in Romana Synodo anno 745, qua de epocha adversus Pagium agit Mansius in Not. ad an. 743, & 744. n. 8, ubi negat Suessionensi Synodo interfuisse S. Bonifacium. Utramque porro hanc Synodum ad pseudo-epigraphas amandavit Papebrochius in Propylæo antiq par. 1. n. 30: quem tamen docte refellunt Baluzius in Not. ad libros Capitul pag 1200, Mabillonius de re Diplom. lib. 2. cap. 25. n. 15, & Pagius ad an 744. n. 9. Legendæ epistolæ 9, & 10. S. Zachariæ ad Bonif. hac de re exaratæ, nec non Synodi Romanæ acta ab Othlono descripta lib. 2. vitæ S. Bonif. cap. 4, & seqq. apud Surium tom. 3. ad diem 5. Junii, ex qua posteriori epistola adparet a S. Zacharia damnatum pariter Sampsonem Presbyterum Scotum, pugnantem absque Baptismo, sola Episcopali manuum impositione fieri nos posse Christianos. Age modo, ad Hadrianum I. regrediatur sermo, a quo vice plus simplici præclarum supremæ potestatis suæ specimen præstitum est.

est. Felicem Urgellitanum, & Elipandum Toletanum Nestorianæ hæresis instauratores epistola, quæ in Cod. Carol. est 97, ad Hispaniarum Episcopos data Hadrianus damnavit. At Felix ad ingenium paullo post, velut canis ad vomitum, regressus, nec Ratisponensis Synodi anno 792. reveritus sententiam, qua Romam properare jussus, Romano Pontifici rationem redditurus, Hadriano coram hæresim abdicare fuerat adactus, testibus Alcuino lib. 1. adv. Elipandum, & Eginhardo ad an. 792, nec pensi habito Pontificio judicio, fidem datam fallere non erubuit, dignum propterea se exhibens, qui a Synodo Francofordiensi anno 794. diris cunctis devoveretur. Scilicet Elipandus, qui Felicem respuisse, seque ad frugem recepisse indigne ferens, eidem regrediendi ad errorem se se auctorem dederat, ut vel in Gallias, Germaniamque hæresis refertissimas diffunderet litteras, quas SS. Patrum locis qua detruncatis qua depravatis communire studuerat, tum Felicem impulerat, tum ipse eò impudentiæ devenerat, ut Carolo M. suam afflare hæresim haud veritus fuerit. Atqui Imperator Elipandi litteras examinandas Hadriano P. M. extemplo submisit: *Scire cupientes*, inquiens in epist. ad ipsum Elipandum, cæterosque Hisp. Episcopos apud Harduinum tom. 4. pag. 896, & seqq., *Quid S. Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione*: efflagitavitque Pontificem cum de sententia, tum de facultate celebrandi Concilium, quod cit. anno habitum est, in quo perlectis Hadriani litteris ad Hisp. Episcopos ibid. pag. 865, & seqq., juxta Pontificis judicium confirmata est in Felicem, & Elipandum damnatio, ultima tamen de hæreticis illis sententia Pontifici reservata, ut expresse cavetur ibid. in libello Sacrosyllabo Episcoporum Ital. contra Elipandum pag. 881: *Reservato per omnia juris privilegio Summi Pontificis*: cujus propterea rogata a Patribus, & Imperatore sententia est; quam reapse a Pontifice in Synodo Romana eodem anno 794. habita, ac profecto distinguenda ab altera priori an. 792. celebrata, pronunciatam rite ex veteri Annalista Francor., & ex Annalibus Moissiacensibus eruit doctissimus Mansius in Suppl. Concil. tom. 1. pag. 731: qui tamen, mea quidem opinione, minus recte ad hanc refert Synodum litteras Ha-

Hadriani ad Epiſcopos Hiſp., quas lectas in Concilio Francof., ante hanc Romanam utique Synodum celebrato, liquet. Confer Pagium ad an. 794. n. 1, & ſeqq.

Quo vero heic animo erga Romanum Pontificem affectos putas Epiſcopos, qui ex Gallia, & Germania eidem Francofordienſi Concilio interfuere? De optimo quippe Epiſcoporum Italiæ prælaudatus Sacroſyllabus a S. Paulino Forojulienſi ſuo, illorumque nomine conſcriptus, dubitare non ſinit. Conjecturam haud levem capere licet ex libro 1. Carolino cap. 6, ubi inter alia hæc habentur: *Hæc* (Romana Eccleſia) *ſanctæ fidei ſpiritualibus munita armis, & a fonte lucis, & origine bonitatis ſalutaribus ſatiata fluentis, & horrendis, atrocibuſque hæreſum obſtitit monſtris, & melliflua prædicationis pocula Catholicis per Orbem miniſtrat Eccleſiis.* Subinde S. Hieronymi allato exemplo, qui dira quæſtione vigente de una vel tribus Hypoſtaſibus S. Damaſum conſulendum duxit, hæc ſubjunguntur: *Quod regulariter omnes Catholicæ debent obſervare Eccleſiæ, ut ab ea poſt Chriſtum ad muniendam fidem adjutorium petant, quæ non habet maculam, nec rugam, & portentoſa hæreſum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.* Quorum ſimilia religionis erga Romanam Eccleſiam refertiſſima legere juvat in libello de Synodo Pariſienſi pag. 120, & ſeqq., ac in litteris eadem in Synodo elucubratis ſub Ludovici Pii nomine ad Michaelem Græcor. Imp. mittendis, examinandiſque prius Eugenio II. directis, eodem libello inſertis pag. 126. apud Baronium ad an. 825. n. 24, & ſeqq. Antehac ab Hadriano Egila Illiberitanus Epiſcopus, qui epiſt. 95, & 96. Cod. Carol. a Pontifice laudatus fuerat a ſtudio, quo paſtoralis officii partes explebat, atque ſollicite quoſdam in Hiſpania ſerpentes errores ad ſe detulerat: inter quos quod quidam Paſcha non juxta Nicænorum Patrum inſtitutionem peragerent: quidam a ſanguine pecudum, ſuillo, aut ſuffocati haud abſtinendum prædicarent: quidam prædeſtinationem ad vitam, ſive ad mortem in Dei poteſtate eſſe affirmarent: quidam fruſtra rogari Deum, ne vincamur tentatione, dicerent, quod in noſtra eſt poteſtate quaſi libera arbitrii, idem Egila, inquam, in eoſdem lapſus errores cum Magiſtro ſuo Migentio, damnatus legitur epiſt. 97. ejuſdem Cod. Carol. ad Hiſp. Epiſ-

Epiſcopos exarata, qua monentur, ut ab his ſibi erroribus caveant. Porro id obiter admonendum Codicem Carolinum ita dici, quod Caroli M. juſſu epiſtolæ novem ſupra nonaginta, quas Gregorius III, Stephanus III, Zacharias, Paulus I, Stephanus IV, Hadrianus I, & Conſtantinus pſeudo-Papa ad Principes, & Reges Francorum Carolum Martellum, Pippinum, Carolomannum, & ipſum Carolum M. de rebus potiſſimum temporalibus ad Apoſtolicam Sedem pertinentibus conſcripſerant, in unum corpus fuiſſent digeſtæ anno ejus Regni 23, Chriſti 791. Eas epiſtolas e Cod. Mſ. Bibl. Cæſareæ deſcriptas edidit Jacobus Gretzerus Ingolſt. an. 1613, recuſaſque legere eſt Tom. 6. oper. Gretz., & apud Ducheſnium tom. 3. pag. 701. At Lambecius lib. 2. Bibl. Cæſar. Vindobon. cap. 5. recte monet eas conferendas eſſe cum Sebaſtiani Tengnagelii apographo, ex quo qui illas deſcripſit, & ad Gretzerum miſit, nimiam nonnullis in locis corrigendis, & mutandis licentiam ſibi arrogavit. Vide & Muratorii monitum in eaſdem epiſtolas tom. 3. Script. rer. Ital. par. 2. pag 73. Poſtremo a Carolo M. impetratum eſt, ut a Leone III. idem Felix Urgellit. pertinacius hæreſim propugnans, in eaque perſiſtens in Synodo Romana anno 799. novo anathemate damnaretur: quo ille perculſus, in Synodo Aquiſgranenſi eodem anno celebrata edita fidei profeſſione, quam poſt utramque hanc Synodum legere eſt apud Harduinum tom. 4. pag. 927, & ſeqq., hæreſim abdicavit, vel ſaltem abdicare ſimulavit: nam de ſincera ejus orthodoxia etiam poſt ejuratam hæreſim dubitant viri Eruditi teſtimonio innixi Agobardi Lugd. initio libri ad Ludovicum Imp. adverſus Felicem, & Adonis Vienn. in Chron. ad an. 792. Videſis Cointium tom. 7. Annal. pag. 503, & ſeq., ac Vaſqueſium tom. 6. oper. in gemina diſſert. adverſus Felicis, & Elipandi errores, poſt quem fruſtra illos a Neſtorianiſmi dica liberare adnixi ſunt Proteſtantium par, Johannes Henichius Syſtem. Theolog. pag. 882, & ſeq., ac Georgius Calixtus in programmate ſingulari. Felicis Adoptianam hæreſim inſtaurare deinde adorſus eſt Folmarus Præpoſitus Cœnobii Trufenſteinenſis in Franconia circa an. 1160. Hunc oppugnavit Gerhohus Præpoſitus Reicherſpergenſis apud Bernardum Pezium tom. 1. Anecd. par. 2. pag. 163, & 280, ac tom. 26. Bibl. PP.

Lugd. pag. 240. Sed Gerhohum viciſſim erroris inſimulavit, quo docuerit in Euchariſtia Divinitatem a ſumentibus vorari, ac Chriſtum qua hominem Patri æqualem, Eberhardus Bambergenſis Epiſcopus in tribus epiſtolis ad S. Eberhardum Salisburg., ad Præpoſitos ejuſdem Diœc., & ad Anonymum apud eumdem Pezium in Cod. Diplom. pag. 444, & ſeqq. Confer & acta Concilii Friſacenſis an. 1160. ex Hanſiſio Germaniæ Sac. tom. 3. pag. 263. in Suppl. Concil. tom. 1. pag. 529. a Cl. Manſio translata.

Eodem, quo Catholicæ rei in Oriente in dies collabeſcentis rationes ſuſtinendi eximio diſtinebatur ſtudio S. Theodorus Studites, perſecutionis adſcito ſocio S. Platone, Mœchianæ hæreſis nomine ad Leonem III. P. M. lib. 1. epiſt. 33, & 34. pſeudo-Synodum Conſtantinopoli anno 809. celebratam detulit, ideo quod in ea decretum fuerat, conjugium Conſtantini Imp. cum Teodote Cubicularia, vivente adhuc Maria Armena legitima conjuge, quam thoro abdicatam in Monaſterium detruſerat, ex diſpenſatione legitimum dici poſſe, ac debere: decretum item leges Divinas adverſus Reges nihil obtinere roboris: Epiſcoporum quoque unumquemque circa Sacros Canones diſpenſandi liberrima potiri facultate. Præter has legere præſtat etiam eodem libro 1. epiſtolas 32. ad Nicolaum Chartular., 35. ad Baſilium Archimand. Romæ, 36. ad Euprepianum, 37. ad Arſenium, 39. ad Theophilum, 43. ad Joſephum Theſſal., 48. ad Athanaſium, 50. ad Naucratium &c.; Michaelem etiam Studitam in vita ejuſdem S. Theodori, ac Theophanem ad an. 6. Conſtantini Imp. Periere quidem magno rei Chriſtianæ damno, quas Leo Pontifex S. Theodoro reſcripſit, litteræ: reſcripſiſſe tamen pro ut Pontificem oportebat, exindeque eum fortiſſime diſputandi adverſus Mœchianam hæreſim animum ſumpſiſſe, haud obſcure declarat reddita ad ipſum a Theodoro epiſtola 34. Ad hæc vix S. Theodorus ſupremum Pontificatus apicem S. Paſchalem I. adeptum fuiſſe accepit, ut legato, litteriſque de afflictiſſimis Orientalis Eccleſiæ rebus, ingentique ab Iconomachis in orthodoxos commota tempeſtate, eumdem commonefacere inſtituit. Deſiderantur quidem litteræ, quæ ab optimo Pontifice ad hunc invictæ fortitudinis athletam redditæ ſunt; ex his tamen, quas ab ipſo S. Theodoro datas

datas legere eſt lib. 2., epiſtſtolis 13,& 35.ad S.Paſchalem, 14,& 15. ad tres alios Patriarchas, 62,& 66. ad Iconomachos,63,& 72. ad Naucratium,aliiſque haud obſcure intelligi datur Apocriſarios, quos ad Romanæ Eccleſiæ communionem ſucipiendam Theodotus pſeudo - Patriarcha Conſtantinopolit. direxerat, ne ad ſe propius appellerent,a Pontifice fuiſſe prohibitos:Archimandritis viciſſim, qui S.Theodoro duce pro SS.Imaginibus pro virili portione decertabant,tum litteras amoris plenas reddidiſſe; tum animos ad pugnandum indidiſſe : litteris etiam graviſſimis Iconomachiam exhorruiſſe; turpiſſima hæreſi detentam Eccleſiam Conſtantinopolit. excitaſſe,hærentique ad emergendum e luto dexteram porrexiſſe:neque ſane fructu carniſſe obnixos Pontificis labores, ſed promiſcui genus quamplurimos ad veritatis lumen adſpiciendum expergefactos,proque veritate ad pugnandum animo indutos,qua e latebris prodeuntes ſe ſe ultro Martyrio objeciſſe, fidem faciunt epiſtolæ, 44, 55, 58, & 68. eodem libro 2, qua Romam convolantes in Italia colendi Imagines ſuo pro ſtudio ſacram, tutamque ſtationem inveniſſe : quae omnia lucide, ac luculenter more ſuo perſequitur Emin. Annal. Eccleſ. parens ad an.817. n. 20, & ſeqq., ac 818. n. 1., & ſeqq. Ex ſola tandem litterarum S. Theodori lectione, quin longiori opera ego ludam, mendacii apertiſſimi, putidæque maledicentiæ facile arguere licebit Fridericum Spanhemium, dum in hiſt. Imag. reſtituta ſect. 8. S. Studitem verſatilis in partem utramque ingenii, atque nunc ad ſupparaſitandum inflexi, nunc facilis ad ſeditiones faciendas,traducere non extimuit: ita nempe ingenti, quo in ſacras Imagines Sycophanta hic conflagrabat, odio percitus in earum defenſorem, ac vindicem, omnem extra orbitam urbanitatis, ac veritatis rapi ſe ſivit.

Atqui novis quotidie hæreſum monſtris in Oriente exurgentibus confeſtim offendere, eaque ſuffocare ante, ſi fieri poſſet, quam majores nocendi vires acciperent, pro ea, qua rei Chriſtianæ univerſæ curandæ, ſollicitudine diſtinebantur, Romani Pontifices defeſſi ſunt nunquam. In quibus Theopaſchitas, veterum hæreticorum videlicet propaginem, ac Valentini, Marci, Apollinaris, & Eutychetis hæreſes in Oriente circa medium Sæculum IX. recoquentes, nempe Divinam, æque ac humanam

in Chriſto D. naturam paſſam, Crucique ſuffixam prædicantes, S. Nicolaus I. Synodo Romæ collecta anno 862. duobus Canonibus confixit, Chriſtum D. carne dumtaxat paſſum, ſed Deitate impaſſibilem definiens: quos deinde Canones regeſſit in epiſtola 7. ad Michaelem Imperat. apud Harduinum tom. 5. pag. 140, & ſeq. Hujuſmodi ob hæreſes nimis in Oriente frequentes, obturataſque Romanis Pontificibus indefeſſe admonentibus aures, factum demum, ut apud Græcos cum fide orthodoxa deficeret Imperium, ac tranferretur in Francos, ullo abſque fuco ſcripſit deinde ad Baſilium Macedonem Ludovicus II. Imper. apud Baronium ad an. 871. n. 61, hoc pacto injuſtam Græci Imperatoris poſtulationem repellens, qua ipſum fuerat exhortatus, ut a Baſilei, ideſt Auguſti nomine abſtineret. In Occidentem modo me dicendi ordo revocat, ad pſeudo-Synodum nempe Romæ anno. 963. adverſus Johannem XII. legitimum proculdubio Pontificem Ottonis I. opera congregatam. Non moror autem nec Johanni objecta ſcelera, nec in illum latam abdicationis ſententiam, hæc ut doleam, non heic locus, alioquin etiam, vera & enormia ut Johannis eſſent flagitia, temeritatis plenam tamen, roboriſque prorſus expertem fuiſſe prolatam in ipſum ſententiam, ut ut fruſtra oblatrent Launojus lib. 4. epiſt. 1. ad Ludovicum Maræſium, & Brujus hiſt. Pontif. tom. 2. pag. 247, & ſeq., inter æqui, juſtique æſtimatores jam convenit, Baronium ad an. 963. n. 31, & ſeqq., Bellarminum de Rom. Pontif. lib. 2, Petrum de Marca lib. 1. de Concor. cap. 11. §. 7, Fleurium hiſt. Eccl. lib. 56. §. 6, Natalem Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. IX, & X. diſſert. 16, alioſque: dolenda modo hæretica propoſitio illa, qua in Synodica ad Pontificem apud Baronium n. 35, & Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 630. affirmant, exemploque Judæ confirmant, ob peccata auferri a Pontificibus Clavium poteſtatem, ſive ligandi, ſolvendique a Deo acceptam facultatem. Ideo ſequenti anno cum pſeudo-Pontifice pſeudoSynodus iſta a Johanne XII. ſuo reddito loco in Synodo altera legitima act. 1. apud Baronium ad an. 964. n. 7, & Harduinum pag. 633. diris omnibus devota eſt.

Dignum ſe nunc mihi præbet, quem illuſtri, geminoque mactem elogio, S. Leo IX. ob egregiam, quam geminæ ſua ætate ſub-

ſubortæ hæreſi extirpandæ impendit operam. Primæ Fermentaceorum denominatæ in Oriente ortum fecere Michael Cerularius, & Leo Achridanus Photiani ſchiſmatis inſtauratores, qui inter alia excogitata ad invidiam conflandam in Latinam Eccleſiam in azymis Sacrificium conficientem hunc dinumerarunt errorem, quo Euchariſtiam in azymo revera confici ibant inficias. Quam igitur ſupino in errore verſarentur graviſſimis S. Leo oſtendit epiſtolis 1, & 6. in Collect. Hard., a quo miſeros illos revocandi gratia, nobili perinde legatione miſsa nihil intentatum reliquit, intactumque, quo demonſtraret, quam turpibus Græci laborabant hæreſibus, tam puros, liberoſque abire Latinos, veluti teſtatur Wibertus in ejus vita lib. 2. cap. 5, & ſeqq., & obſervavit Henſchenius in Comment. præv. ad ejuſdem Pontificis vitam. Sed percenſere magis præſtat tum diſputationem hac de re habitam Conſtantinopoli ab Humberto Legatorum uno apud Baronium in append. tom. 11. veter. edit., tom. 17. edit. nov. Luc., tum Acta legationis deſcripta ab eodem Baronio ad an. 1054. n. 19, & ſeqq., & ab Harduino tom. 6. par. 1. pag. 967, & ſeqq., ex quibus liquido adparet, quot apud Græcos tum graſſarentur temporis hæreſes: *Quia ſicut Simoniaci, donum Dei vendunt. Sicut Valeſii, hoſpites ſuos caſtrant, & non ſolum ad Clericatum, ſed inſuper ad Epiſcopatum promovent. Sicut Ariani, rebaptizant in nomine SS. Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos. Sicut Donatiſtæ, affirmant, excepta Græcorum Eccleſia, Eccleſiam Chriſti, & verum Sacrificium, atque Baptiſmum ex toto Mundo periiſſe. Sicut Nicolaitæ, carnales Nuptias concedunt, & defendunt Sacri Altaris Miniſtris. Sicut Severiani, maledictam dicunt legem Moyſis. Sicut Pneumatomachi, vel Theomachi, abſciderunt a Symbolo Spiritus S. proceſſionem a Filio. Sicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum fatentur animatum eſſe. Sicut Naſaræi, carnalem Judæorum munditiam adeo ſervant, ut parvulos morientes ante octavum a nativitate diem baptizari contradicant &c.* Confer & Mabillonium in præfat. ad par. 2. Sæculi VI. Bened. §. 1., quo loci de ſchiſmate a Cerulario inſtaurato, deque objectis ab eo in Latinos differit. Tantum autem abfuit, ut hos turpes in errores pertraheretur Petrus Antiochenus, cui quanto conatu inſtillare

ſtillare ſchiſma ſtuduerit Cerularius, liquet ex Synodica, quam legere eſt apud Cotelerium Monum. Eccleſ. Græcæ tom. 2. pag. 162, & ſeqq., ac Manſium Suppl. tom. 1. pag. 1305, & ſeqq., ut potius Antiochenus hic Patriarcha ipſo ſuæ creationis initio ad S. Leonem, una cum fidei ſuæ profeſſione, litteris inſcriptis ejus ſe obſequio mancipare religioni duxerit: quin etiam Alexandrinum quoque, & Hieroſolymitanum Patriarchas nihil habuiſſe antiquius, quam cum Romana Eccleſia communionem retinere, Romanique Pontificis nomen e diptychis inter Miſſarum ſolemnia ad Altare recitare, augurari fas eſt ex precit. Michaelis Cerularii Synodica, qua hac de cauſſa de Patriarchis hiſce conqueſtus legitur.

In Occidente alterius Sacramentariorum hæreſis obſtetricatorem ſe dedit Berengarius, quem ideo Sacrorum conſortio idem S. Leo IX. interdixit in Synodis Romana litteris admonitus a Lanfranco, & Vercellenſi an. 1050, in qua pariter Johannis Erigenæ liber de Euchariſtia, unde ille hæreſim ſuam hauſerat, proſcriptus eſt. Quam in rem legendi Anonymus Benedict., qui anno 1088. librum ſcripſit de multiplici Berengarii damnatione, editum a Petro Franciſco Chifletio ex Codice Mſ. S. Augendi, ac deinde ab Harduino tom. 6. par. 1. pag. 1013, & ſeqq., Mabillonius in diſſert. de multiplici Berengarii damnatione tom. 2. veter. Analect. pag. 268, & ſeqq., quam recudi curavit Johannes Vogt in faſciculo 1. Bibl. hiſt. hæreticæ Hamburgi 1723, ac in præfat. ad part. 2. Sæculi VI. Bened. §. 2, & ſeqq., & Franciſcus de Roy in diſſert. de hæreſi, & pœnit. Berengarii, ut miſſos faciam Mullerum in hiſt. veter., & nov. Berengarianiſmi, & Baſnagium in hiſt. Eccleſ. dogmat. lib. 24. cap. 2. De Gandulfo vero, qui Berengarianæ hæreſi præluſiſſe, cunaſque præparaſſe viſus eſt, in Synodo Atrebatenſi an. 1025. ſub Gerardo Epiſcopo Cameracenſi damnato, vide Dacherium Spicileg. tom. 13. pag 2, & ſeqq., & Pagium ad hunc annum n. 11. In eumdem Berengarium poſtea damnationis anathema, præter quam in Conventu Brionenſi anno 1050, ac Pariſienſi an. 1053, inſtauratum fuit a Victore II. in Conciliis Florentino, & Turonenſi an 1055, in quo Præſide Hildebrando Apoſtolicæ Sedis legato hæreſim a Berengario abdicatam tradunt Anonymus Chifletianus, Guitmundus Averſanus

lib. 3.

lib. 3. de Sacram., & Lantfrancus in Comment. adv. Bereng. Paullo poſt eoſdem errores repetentem, & poſtquam in Conciliis Turonenſi, & Andegavenſi an. 1055, Præſide eodem Legato Hildebrando, poſtea Gregorio VII, de quibus Anonymus Chiflet., Chonographi Vindocinenſis, & Malleacenſis apud Labbeum in Bibl., Bertholdus in Chron., Malmesbutienſis lib. 3. pag. 113, Euſebius Andegavenſis in epiſt. ad Berengarium, ac Pagius ad an. 1055. n. 5, & ſeqq., dignis luiſset pœnis lapſum, in Synodo Romana an. 1059, in qua pariter igni devotus eſt Pontificis juſſu peſtilentiſſimus Erigenæ liber, confixit Nicolaus II, adegitque ad fidei confeſſionem emittendam, quam poſt Lantfrancum, & Anonymum Chiflet. exhibent Mabillonius cit. præfat. §. 2. n 24, Harduinus tom. 6. par. 1. pag. 1064, & Fabricius in Bibl. latin. lib. 2. pag. 212. edit. Patav. 1754. In eumdem tertio in errores relapſum, ac fruſtra, ut reſipiſceret, admonitum ab Alexandro II, iteratoque damnationis telo confoſſum a Synodo Rotomagenſi anno 1063, de qua Bouchellus, & Harduinus pag. 1141, in Pictavienſi an. 1075. a Gerardo Oſtienſi S. Gregorii VII. Legato, de qua Chronographus Malleacenſis, atque ab ipſo S. Gregorio VII. diſtrictiſſime animadverſum eſt in Synodis Romana V. an. 1078, in qua ſecundam Berengarius fidei profeſſionem emiſit, & Romana VI. an. ſeq. habita, in qua tertiam explicatiorem fidei profeſſionem edere compulſus eſt, quam legere eſt apud Harduinum pag. 1585, & Fabricium præcit. loco. Præterea in Burdigalenſi an. 1080. Præſide Hugone Sedis Apoſtolicæ Legato confeſſionem Romæ factam confirmare Berengarius adactus eſt, de quo Mabillonius in obſervationibus prævis ad vitam S. Geraldi Sylvæ Majoris Abbatis: cujuſque demum toties confixa hæreſis poſt ipſius obitum in Placentina Synodo an. 1095. Bertholdo teſte damnata eſt, Vide ſis apud Martenium, & Durandum tom. 4. Anecd. pag. 103. Berengatii Scriptum, in quo ille res geſtas ad ſe ſpectantes in utraque Synodo Romana ſub S. Gregorio VII. perſequitur, mentemque ſuam de utraque fidei confeſſione abſque ambage exponit: de cujus fide circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia conſule ſis Renaudotium perpetuit. fid. tom. 4. pag. 40, & ſeq., & Mabillonium cit. præfat. §. 3. Inter eos autem, qui adverſus Berengarium

rium in arenam deſcenderunt, agmen ducunt Jotſaldus Cluniac.; Hugo Lingonenſis, Aſcelinus Beccenſis, Theodvinus Leodicenſis, Adelmannus Leod. Scholaſticus, Lantfrancus Cantuar., Humbertus de Sylva Candida, Gozechinus Leod. Scholaſt., Guitmundus Averſanus, Durandus Troarnenſis, Algerus Leodic., Guiberus Novigentus, Guillelmus S. Theodorici Abb., Goffridus Vindoc., Wolphelmus Brauvillerenſis, Albericus Caſſinenſis, Bruno Signinus &c, de quibus Mabillonius præf. cit. §. 4, Pagius ad an. 1079. n. 1, & ſeqq., & Fabricius in Bibl. Lat. ſub horum ſingulis vocabulis.

De Inceſtuoſorum hæreſi a Juriſconſultis pleriſque inducta, & tanquam pro aris, focisque defenſa, ab Alexandro II. tamen anathemate damnata, diſſeruiſse me jam, prout operæ ferebat pretium, memini Par. hac 2. Tom. 3. Art. 6. §. 2. pag. 670, & ſeqq., ac Tom. 4. Art. 9. §. 1. pag. 492. In alteram eodem tempore emergentem hæreſim quorumdam aſſerentium licite a Principibus Laicis emi poſſe Epiſcopatus abſque crimine ſimoniæ, a S. Petro Damiano delatam litteris, quas ex antiquo Codice Bibl. Ducis Urbini deſcripſit Baronius ad an. 1065. n. 36, & ſeqq., Apoſtolicus gladius Alexandro II. fuit diſtringendus: quod præſtitit Decretali ad Lucenſes data, legendaque apud Gratianum Can. 9. *Ex multis* 1. q. 3, & Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1100. Facit & huc diſceptatio Synodalis inter Regium Advocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, opus S. Petro Damiano attributum, quod Synodo Osborienſi an. 1062. ſubjicitur a Baronio ad hunc an. n. 21, & ſeqq., & Harduino tom. 6. par. 1. pag. 1119, & ſeqq. Quo perinde ex opere peracuta ſuppetunt tela ad geminam jugulandam, quæ paullo poſt emerſit, hæreſim tum Henricianam, qua Imperatori Henrico aſſerebatur ſumma auctoritas in electionibus tam Epiſcoporum, quam præterea Romani Pontificis, tum Wecilianam, qua Wecilio Moguntinus Archiepiſcopus in gratiam Henrici IV. affirmare non verebatur, Sæculares ſuis ſpoliatos rebus Eccleſiaſtico non ſubjacere judicio. At enim utraque hæc nefanda hæreſis diſtricte a S. Gregorio VII. damnata eſt, ac prior illa quidem profligata lib. 8. epiſt. 21. ad Herimannum Meten., ac in Romana Synodo VII. an. 1080. Can. 1, & 2; poſterior vero

ro

ro in Synodo Quintilineburgenſi an. 1085. ejuſdem Pontificis juſſu proſcripta. Videſis Baronium ad an. 1805 n. 1, & ſeqq., ac Pagium ibidem. Roſcelinum novam de Incarnatione Verbi hæreſim in Gallia diſſeminantem, ac in Synodo Sueſſionenſi anno 1092, aut inſequenti etſi damnatum, ab hæreſi tamen haud deſiſtentem libro de Incarn. adornato confutare aggreſſus S. Anſelmus, in eo totius caput rei poſuit, tum ut diſputationem ſuam pedibus Urbani II. ſiſteret, tum ut ad Pontificium tribunal ſuprema interficiendum ſententia hæreticum deferret hominem. Confer Baronium ad an. 1094. n. 28, & ſeqq., ac Pagium n. 12, & ſeqq., a quibus optima in luce res hæc eſt collocata, quin ulterioris diſpendium operæ faciam. Præter Berengarianam autem, in Placentina Synodo an. 1095. ab eodem Pontifice confixas pariter Simoniacorum, & Nicolaitarum hæreſes legenti Synodi acta ex Bertholdo deſcripta ab Harduino tom. 6. par. 2. pag. 1713. liquebit. Per me vero profecto ſtare non patiar, quin obiter Paſchalis II. egregiam, quam in laudem Romanæ Eccleſiæ protulit in Concilio Lateranenſi an. 1116. apud Harduinum pag. 1935, ſententiam commemorem, ex qua ſumma conſtet Romanæ Eccleſiæ hæreſes conterendi poteſtas: *Eccleſia iſta nunquam habuit hæreſim, imo hìc omnes hæreſes conquaſſatæ ſunt. Hìc Ariana hæreſis, quæ per 300. fere annos viguit, annullata eſt. Ab hac Sede hæreſis Eutychiana, & Sabelliana contrita. Photinus, ceterique hæretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia Filius Dei in paſſione ſua oravit, quum dixit*: Ego rogavi pro te &c. Prædamnatos in Pelagio, ac Berengario hæreticos quoſdam, qui teſte Anonymo auctore hiſt. Trevir. tom. 12. Spicileg. Dacher. pag. 253. circa initium Sæculi XII. in Diœceſi Trevirenſi ſpargere in vulgus non verebantur, nec Baptiſmum parvulis ad ſalutem prodeſſe, nec in Euchariſtia panis, vinique in Chriſti D. Corpus, & Sanguinem fieri converſionem, fas eſt æſtimare. Peſtem hanc a Brunone Trevir. Antiſtite procul eliminatam tradit ibidem Anonymus, de qua proinde nihil amplius dicere ſuppetit.

Paullo operoſius ut agerem de Petri Bruſii hæreſi, aliiſque ex ea, & cum ea ſubortis, rei gravitas poſtularet; niſi me præſtituti operis ratio ad compendi operam faciendam, conſtringen-

damque juſtos intra fines compellit. Petrobruſianos itaque, ut verbo dicam, in Concilio Toloſano anno 1119. Calliſtus II. Can. 3. confixit apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1978. Porro hanc adverſus hæreſim pugnam inſtituit V. Petrus Clun. lib. 1. epiſt. 1, & 2. Bibl. Clun. pag. 1119, & Bibl. PP. Lugd. tom. 22. pag. 1034: de qua videndi etiam Baronius ad an. 1126. n. 14, & ſeqq., ac Mabillonius in proleg. ad S. Bernardi opera §. 67, & ſeq. Cum Petro Bruſio damnatus Tanchelinus æſtimari debet, cui nec diſparem impietate ſe dedit, nec diſſimiles hæreſes diſſeminavit. Ab hujus hæreſis contagione Antuerpienſem Eccleſiam a S. Norberto expurgatam tradunt Robertus de Monte in Chron. ad an. 1124, & Hugo in ejus vita cap. 34. apud Surium tom. 3. ad diem 6. Junii. De his duumviris hæreticis ſcripſit Petrus Abaelardus lib. 2. introduct. ad Theolog. pag. 1066, quæ deſcribit Pagius ad an. 1126. n. 4. Henricianam ad hæc hæreſim, Petrobruſianæ propaginem, in Lutheranis, & Calviniſtis redivivam, ab Henrico quodam Petri Bruſii diſcipulo, teſte V. Petro Clun., dictam, a quo Lauſanenſes, Cenomanos, Pictavos, & Burdegalenſes ſpurcitiis ſuis nefande fœdatos fuiſſe referunt S. Bernardus epiſt. 241. ad Ildefonſum Comitem S. Ægidii, Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus epiſt. 78, & Auctor de geſtis Epiſcoporum Cenoman. apud Mabillonium tom. 3. Analect. pag. 312, & in proleg. ad opera S. Bernardi §. 69, & ſeq., ac Pagium ad an. 1116. n. 19, & ſeqq., quin etiam, præter eam, quæ Petrobruſianis erat propria, Manichæorum hæreſim inſtauratam tradit Heribertus de Mirac. S. Bernardi lib. 2. cap. 16. (quibus ſane fide omni dignis Scriptoribus fidem tamen detrahere Proteſtantes non dubitant, ac inter veritatis teſtes utrumque, Bruſium nempe, & Henricum illuſtri collocare loco apud Flaccum Illyricum in Catalogo, & Henricum Cornelium Hecherum in diſſert. de Petrobruſianis, & Henricianis edit. Lipſ. 1721.), Henricianam, inquam, hæreſim Innocentius II. in Concilio Piſano anno 1134. proſcripſit, de quo Auctor geſtor. Epiſcop. Cenom. pag. 341, & ſeq. apud Mabillonium loc. cit., & Pagium ad annum 1134. n. 4. Eugenius III. vero opera adhibita Alberici Hoſtienſis, Gaufridi Carnot., & S. Bernardi expugnavit, exterminavitque; qua

qua de re idem S. Doctor præcit. epiſt. 241, & Goffridus Clare. val. lib. 3. ejus vitæ cap. 5, & ſeq. Arnaldum Brixienſem Petri Bruſii, ac Petri Abaelardi diſcipulum, una cum Petrobruſianis, quorum hæreſes propagabat, in Concilio Lateranenſi II. an. 1139. Can. 23. idem Innocentius II. diris cunctis devovit. De hoc ſeductore, qui ſcire aveat curioſius, adeundi ei erunt Otto Friſing. de geſtis Friderici lib. 2. cap. 20, & ſeqq.; S. Bernardus epiſt 195, & 196; Guntherus Ligur de geſt. Frider lib. 3 Baronius ad an. 1139. n. 8, & ſeqq., ac 1140. n. 1, & ſeq.; Du-Cangius in Gloſſ. V. *Arnaldiſtæ*, & Gretzerus in Arnaldo redivivo tom. 6. oper. pag. 607 Appoſite vero advertit Baronius ad an. 1141. n. 3. Polyicorum hæreticorum Principem habendum eſſe Arnaldum: quatenus, Ottone Friſing. teſte lib. 2. cap. 21, blaterare non deſinebat: *Nec Clericos proprietatem; nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione ſalvari poſſe. Cuncta hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantum Laicorum cedere oportere.* Quin etiam dum Romæ ageret, referente eodem Ottone cap. 27, Romanis auctorem ſe dederat antiquam redintegrandi Rempublicam. Cui inſanæ doctrinæ adhæſere deinde tenaciſſime Valdenſes, Huſſitæ, Wicleffitæ, Marſilius Patavinus, Johannes Jandunus &c., a quibus eadem plenis faucibus propinata eſt poſtea Lutheranis, Calviniſtis, Centuriatoribus, Mornæo, Molinæo, Volfio, Aventino, Limnæo, Oldemburgero, Klockio, Brunemanno, Hofmanno, Goldaſto, Baylio, Corringio &c., contra quas peſtes, ſi Superis placet, me aliquando diſputaturum ſpero.

Nunc paucis expedienda, quæ ad Petrum Abaelardum ſpectant. Hunc deſipere non deſinentem, ad ſe a S. Bernardo delatum, ac in Synodis Sueſſionenſi an. 1121, de qua Pagius n. 14, & ſeqq., & Senonenſi an. 1140, de qua Baronius n. 3, & ſeqq., damnatum, damnationem urgentibus S. Bernardo, ac V. Petro Clun., atque a Senonenſi Synodo ad Pontificem M. provocantem, ejuſdem Synodi confirmata ſententia, iterato proſcripſit Innocentius II, cujus hac de re legenda epiſtola ad Henricum Senon., Sampſonem Remen., eorumque Suffraganeos, ac S. Bernardum, quæ inter ipſius epiſtolas 194 extat., ac in Concil. Collect. inter acta Synodi Senonenſis apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1233.

Præter. S. Bernardum epiſt. 187. ad Epiſcopos, 188. ad Cardinales, 189, 190, & 191. ad Innocentium II, 192. ad Guidonem, deinde Cæleſtinum II; V. Petrum Clun. lib. 5. epiſt. 3, & 20; Gualterum Laudun. epiſt. 5. apud Bulæum hiſt. Univ. Pariſ. ad an. 1120, & Dacherium Spicileg. tom. 2. pag. 459, & ſeqq.; Guillelmum S. Theodorici Abb. libris tribus adverſus ipſum adornatis, & Hugoni Rotomag. inſcriptis; Gaufredum Antiſiod. lib. adverſus ejuſdem dogmata; Gozuinum Aquicinctenſem Abbat., quem a Magiſtris Pariſienſibus ad diſputandum adverſus Petrum Abaelardum fuiſſe delectum refert Auctor ipſius vitæ editæ Duaci anno 1620. a Richardo Gibbono Soc. J.; Ottonem Friſing. lib. 1. cap. 48; Goffridum Clareval. lib. 3. cap. 5; & Hugonem Antiſiod. in Chron. ad an. 1140, agunt de Abaelardo Gervaſius, qui ejuſdem geſta duobus volum. Gallice an. 1720. comprehendit; Bulæus tom. 2. hiſt. Univ. Pariſ. ad an. 1140, qui ejuſdem Apologiam, aliaque opuſcula refert; Franciſcus Amboeſius, qui ejuſdem opera uno complexus eſt volum; Ducheſnius, qui ad ejuſdem calamitatum hiſtoriam notas adjecit; Johannes Caramuel, qui de S. Bernardo Abaelardi triumphatore libro edito diffuſe diſſeruit; Natalis Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. XI, & XII. diſſert. 7. art. 11, qui eum poſt fidei profeſſionem hæreticis adcenſere nefas oſtendit; Card. Petra in Comment. ad Conſtit. 2. Innocentii II. tom. 1. pag. 293, aliique, quos miſſos facio, ne ſim longior. Manum tamen a tabula ante non retraham, quam obſervaverim obiter a Johanne Cornubienſi Theologo in Eulogio ad Alexandrum III, in quo adverſus Petrum Abaelardum, & Petrum Lombardum diſputat, quod Eulogium in lucem edidit Martenius tom. 5. Anecdot. pag. 1657, memoriæ proditum fuiſſe, quod confirmant Ducheſnius in Not. ad Abaelardum pag. 1159, & Pagius ad an. 1113. n. 13, Petri Abaelardi libros quinque Theologiæ Chriſt. vulgatos primum a Martenio eodem tom. 5. Anecd. pag. 1156. Petro Lombardo in celebris Sententiarum operis compoſitione ob oculos frequenter obverſatos, magnoque uſu, & adjutorio veniſſe. Ad alios jam feſtinando, ab Innocentio II, & Eugenio III. cum Henricianis pari fulmine perculſos reputare eſt Hæreticos illos prope Coloniam circa medium Sæculum XII. detectos ab Evervino Steinfeldenſi Præpo-

Præpoſito, & ad S. Bernardum confutandos delatos epiſtola ad ipſum exarata, quam refert Mabillonius tom. 3. Analect. pag. 452, in nov. edit pag. 473, ac rurſus tom. 1. oper. S. Bernardi pag. 1490, & ſeq. Quos ſtatim refellere aggreſſus S. Doctor, Sermonibus 65, & 66. in Cantica præſtitit. Confer Mabillonium in Not. eidem epiſtolæ ſubjectis, nec non in præfat. ad opera S. Bernardi §. 76, ubi tamen advertit hæreticos illos ab Henricianis nonnihil diſcrepaſſe, ac Pagium ad an. 1146. n. 17, & ſeq. Ad hæc ab eodem Eugenio III. Gilbertus Porretanus, de cujus cum S. Bernardo negotio adeundus Otto Friſing. de geſt. Friderici lib. 1. capp. 46, & ſeqq., in Synodo Pariſienſi anno 1147. primum auditus, in Remenſi poſtea an. 1148. duos revocare errores adactus eſt. Sed & in eodem Concilio damnatus, & carceri mancipatus Eugenii juſſu eſt Eudo de Stella hæreticorum poſt natos homines dementiſſimus. Vide Willelmum Neubringenſem lib. 1. cap. 19, Mabillonium in præfat. ad S. Bernardi opera §. 52, & Fleurium hiſt. Eccleſ. lib. 69. §. 32.

Venio ad Valdenſes, ab Auctore Petro Valdo primum nuncupatos, qui variis deinde nominibus dehoneſtati leguntur, velut ab Urbe, ex qua eruperunt, Pauperes de Lugduno; vel a locis, in quibus graſſabantur, Albigenſes, Vaſci, Brabantini, Agennenſes, Picardi, Lombardi, Petragoricenſes, Navarri, Bohemi, Bulgari; vel a Doctoribus variis, quibus nomen dabant, Arnoldiſtæ, Eſperoniſtæ, Joſephiſtæ, Lollardi; vel a diverſis erroribus, quibus ſpeciatim ſtudebant, præter alios, quos cum Secta habebant communes, Cathari, Patarini, Publicani, Coterelli, Triaverdini Can. 27. Concilii Later. III, Bonihomines in Concilio Lumbarienſi anno 1176, Populicani ab Hugone Antiſiod. in Chron. ad an. 1118, Apoſtolici ab Annaliſta de Margan inter Scriptores 5. hiſt. Angl., Manichæi ab Eckberto Schœnaugienſi in ſerm. 1. ex 13. adverſus Catharos Bibl. PP. Lugd. tom. 23. pag. 601, Humiliati a Lucio III. in decreto adverſus ipſos edito, Runcarii, Ortilibenſes, Contorozenſes, Ordibarii, Bagnolenſes, Paſſagini, Leoniſtæ a Rainerio Saccono in opuſculo apud Martenium tom. 5. Anecd pag. 1759, Gretzerum tom. 12. par. 2. pag. 23, & in Bibl. PP. Lugd. tom. 25. pag. 262. hos adverſus hære-

hæreticos, inter quos ipſe aliquando diverſatus fuerat, elucubrato; vel a Catholicis demum in odium ſpurciſſimæ ſectæ, & opprobrium, Turlupini, Ribaldi, Textores, Piphili, Inſabbathati, hiſque ſimilibus infamiæ refertiſſimis deſignati nominibus. In hoſce igitur perditiſſimos homines, præ furore hæreſis extra omnes humanitatis fines abreptos, quibus proinde fruſtra Perrinus calami ſui in hiſt. Valdenſ. patrocinium commodare conatus eſt, cuique opponere Petrum Valliſcern. in hiſt. Albig. ſatius habeo, perquam frequenter damnationis fulmina intorſere Alexander III. in Conciliis Turonenſi an. 1163. Can. 4, in quo præfatus legitur Arnulfus Lexovienſis; in Lumbarienſi an. 1176. ejus juſſu habito, de quo agit Rogerus Hovedenus ad eumdem annum; in Toloſano an. 1178, de quo adeundus Baronius n. 17, & ſeqq., ac in Lateranenſi III. an. 1179. Can. 27, e quo ſcriptæ epiſtolæ edicentis, ut propoſitio quædam Petri Lombardi proſcribatur, fragmentum exhibet Manſius Suppl. tom. 2. pag. 690: Lucius III. in Concilio Veronenſi an. 1184, quod quidem potius quam Concilium, Conventum appellandum contendit Baronius, contra quem tamen Concilii revera nomine dignum oſtendunt Pagius ad an. ſeq. n. 1, & ſeqq., ac Manſius Suppl. tom. 2. pag. 709, & ſeq.; legere autem eſt Lucii Decretum *Extra de Hæreticis, Ad abolendam* Decret. lib. 5. tit. 6. cap. 11: Innocentius III. item, qui lib. 2. epiſt. 59, & 90, ſive *Extra de Purgatione Canon.* Cap. *Inter* hujuſce hæreſis infamia laborantes ab Epiſcopis Synodi Senonenſis an. 1198. ad ſe delatos diſtricte dijudicavit; lib. 2. epiſt. 32. S. Scripturæ verſionem in linguam Gallicam a Valdenſibus in Urbe Metenſi procuratam improbavit, & vetuit, collataque contentiori, qua valeret, opera, peſtem hanc undique profligare conatus eſt, veluti ex Hiſpania lib. 1. epiſt. 92, qua de re videndus etiam Mariana lib. 12. rer. Hiſp. cap. 11, e Gallia lib. 1. epiſt. 81, 82, 94, 165, & 492, lib. 9. epiſt. 183, & 206, lib. 13 epiſt. 86, & 180, ac lib. 16. epiſt. 162, & 172. apud Raynaldum ad annos 1206. n. 42, 1209. n. 27, 1210. n. 10, ac 1214. n. 14, & ſeq.; ex Italia lib. 9. epiſt. 7, 8, 18, 19, 202, & 211. apud Raynaldum ad an. 1206, & ſeq. n. 2, & ſeq. Sed & Manichæos novos in Urbe

veteri, ac Viterbii exortos comprimere eidem Innocentio confeſtim cordi fuit lib. 2. epiſt. 1, de quibus adeundi Raynaldus, & Manſius in Not. ad an. 1199. n. 22, & ſeq. Poſtremo in Concilio Lateranenſi IV. an. 1215. Can. 3. inſerto lib. 5. Decretal. tit. 7. Cap. 13. *Excommunicamus* ab eodem Pontifice diris omnibus nefandiſſima peſtis eſt devota.

Poſt hæc adverſus Albigenſes peſtilentiſſimam Valdenſium propaginem ſacram Militiam ſpeciatim indixit Innocentius III, Inquiſitores inſtituit, ac Legatorum opera pleraque ad hanc prorſus exterminandam hæreſim Concilia celebravit: inter quæ Pariſienſe an. 1201, de quo Petrus Vallis-Cernenſis hiſt. Albig. cap. 3; Monſpelienſe an. 1205, de quo Manſius in Not. ad Raynaldum an. 1207. n. 1.; Montilienſe an. 1209., qua de epocha conſulesis Manſium Supplem. Concil. tom. 2. pag. 787, & 798; Pariſienſe an. 1210, in quo perpetuæ infamiæ dica patiter Almarico conſcripta eſt, ac videndus, ſi placet, Manſius in Not. ad Raynaldum an. 1209. n. 28, & an. 1210. n. 10; Avenionenſe an. 1210, de quo idem Manſius Suppl. tom. 2. pag. 809, & in Not. 2. ad Raynaldum an. 1209. n. 26; SantÆgidianum eodem anno, uti liquet ex epiſtola Innocentii III. ad Epiſcopum Arelatenſem, ejuſque Suffraganeos apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1996; Apamienſe an. 1212, de quo Petrus Valliſ-Cern. in hiſt. Albigen. cap. 65; Vaurenſe an. 1213, de quo Innocentii III. lib. 15. epiſtola 213, viderique poteſt Manſius Suppl. tom. 2. pag. 837, & in Not. ad Raynaldum n. 26; Murellenſe eodem anno apud Harduinum pag. 2036; Monſpelienſe an. 1214. pag. 2041; ac Lateranenſe IV, in quo pariter (alter tamen ab eo, quo de adulteratione doctrinæ Romanæ Eccleſiæ imputata tam falſo, quam inique traducitur ab Illyrico, & Fabricio, in quem vide Manſii animad. Bibl. Lat. lib 9. pag. 41.) error, inquam, Can. 2. relato Decret. lib. 1. *de Summa Trinitate* tit. 1. Cap. 2. *Damnamus*, Joachimi Abbatis proſcriptus eſt; atque confixus Almaricus, a Synodo Pariſienſi prædamnatus, poſtquam a S. Facultate Pariſienſi, quæ ipſi nigrum hæreſis theta inflixerat, ad Pontificem provocaſſet. Pertinaciſſimæ hæreſi toties perculſæ, nedum extinctæ, profligandæ tandem, ſi Superis placeret, ac penitus exterminandæ qualem, quantumque

que appoſuerit perinde animum Honorius III, æſtimari fas eſt ex lib.8. epiſt. 77, & 135. ad Ludovicum VIII. Galliar. Regem apud Ducheſnium tom. 5., & Raynaldum ad an. 1223. n. 36, & 42; & lib.9.epiſt.146. ad Epiſcopos Brixienſem, & Ariminenſem apud eumdem Annaliſtam ad an.1225. n.47, ubi vide Manſium in Not.; documento ſunt etiam Concilia ipſius juſſu ſuis a Legatis celebrata, veluti Toloſanum anno 1219, de quo Martenius Veter. Monum. tom. 7. pag. 105; Anicienſe an. 1222,de quo Manſius Suppl. tom. 2. pag. 913; Pariſienſe an. 1223, de quo Martenius Anecdor. tom. 1. pag. 901, & Manſius in Not. ad Raynaldum n. 39; Monſpelienſe an. 1224, de quo SantMarthani Gall. Chriſt. tom. 2. pag. 423; Bituricenſe an. 1225, de quo Martenius tom. 1. Anecd. pag. 929; & Pariſienſe alterum an. 1226, de quo ibidem vir ſummus pag. 931. Ad hanc pariter exterminandam penitus ab Eccleſia peſtem totum ſe contulit Gregorius IX. Conſtitutione edita cit. Cap. *Excommunicamus, de Hæreticis*; litteris exaratis lib. 9. epiſt. 62, 63, 64, 66, 114, 187, 188, 191, 192. &c. apud Raynaldum ad an. 1235. n. 15, & ſeqq.; Synodis etiam indictis, uti Toloſæ an. 1229, apud Harduinum tom. 7. pag.173; uti Treviris an. 1231. apud Martenium Vet. Monum. tom. 4. pag. 244; uti Moguntiæ an. 1233, apud eumdem Martenium Anecd. tom. 1. pag. 950, & Manſium tom. 2. Suppl. pag. 990, ubi ex eo recitat epiſtolam ad Henricum Friderici Imp. Filium. Sed & Stadinos, Albigenſium ſpeciem in Germania graſſantem, hac in Synodo damnatos, ferro potius, igneque, quam Eccleſiaſticis Cenſuris averruncandos, delendoſque dijudicans Gregorius, ſacram in eos Expeditionem decrevit, de qua legendæ ipſius litteræ ad Archiepiſcum Mogunt., & Epiſcopum Hideſheimenſem. Lectu etiam digna epiſtola, apud Manriquem tom. 4. Annal. Ciſterc. ad an. 1235, & Harduinum tom. 7. pag. 241, ad Archiepiſcum Salisburgenſem, qua Concilium, non Moguntinum, uti viſum Labbæo, & Harduino, ſed Francofordienſe, ut oſtendit Manſius, an. 1234. habitum ideo abrogat, quod Sede Apoſtolica inconſulta, Conradi Marpurgii interfectoribus abſolutionem impertiviſset. Ad hæc Albigenſes e Boſnia abigendi Colomanno Regi, Boſnienſi, aliiſque Epiſcopis auctorem ſe dedit lib. 12. epiſt. 352,

epiſt. 352, 353, & 354, ac lib. 13. epiſt. 176, quas refert Raynaldus ad an. 1238. n. 53, & ſeq. De opera demum huic excindendæ hæreſi diligenter impenſa ab Innocentio IV. adiri poterunt Albertus Stadenſis in Chron. ad an. 1248, Raynaldus ibid. n. 15, & ſeq., ac Harduinus tom. 7. pag. 353: ab Alexandro IV. Raynaldus ad an. 1255. n. 31, & ſeqq., 1257. n. 12, & 1258. n. 23, & ſeqq.: ab Urbano IV. idem Annaliſta ad an. 1262. n. 22, ubi ab eo non ſecus, ac a Deceſſore Minoritis demandatam adverſus peſtem hanc provinciam egregie, ſtrenueque ab eiſdem expletam adnotare non deſinit: vereor enim, ne jam nimis in his, cum Lectoris moleſtia, immoratus ſim.

Nec jucundiore tamen Lectorem nunc auſcultatione deliniam, quaſi enim tot, tamque nefandæ hæreſes Galliis præſertim exagitandis non ſufficerent, ecce tum tibi nova, quæ ibidem agitari ingenti animorum æſtu cœpit, quæſtio, utrum in Sacroſancto Miſsæ Sacrificio aqua vino mixta in Chriſti ſanguinem mutaretur. At enim ad eamdem diſſolvendam id ſtatim conſilii ſalutaris inivit Gaufredus Clareval., ut ad Clementis III. tribunal dirimendam deferret: qua de re adeundi Baronius ad an. 1188. n. 27, & ſeqq., ac Pagius n. 12. Eamdem poſtea quæſtionem vexavit Innocentius III, hujuſque petitionis occaſione celebrem edidit Decretalem *De Celeb. Miſſar.* Cap. 6. *Cum Marthæ*, ubi in eam propendere videtur partem, ut probabiliorem exiſtimet opinionem, quod aqua immediate in Chriſti ſanguinem convertatur: de qua diffuſe Angelus Manriques in Annal. Ciſterc. ad an. 1202. Diſtrictior apparuit, quæ ab Alexandro IV. Anagniæ decreta anno 1256. animadverſio eſt in librum quemdam, Evangelii æterni indignum epigraphe, quam præferebat, erroribus inquinatiſſimum, quem haud minori, quam ignis pœna dignum dijudicavit: quo perinde nomine damnandum Concilium Arelatenſe, an. 1260. cenſuit, quod ab Apoſtolica Sede jampridem venenata libri doctrina fuiſſet damnata, uti loquitur in præfatione Florentinus Archiep. apud Harduinum tom. 7. pag. 511. De peſtilentiſſimo libro adiri poterunt Ptolomæus Lucenſis hiſt. Eccleſ. lib. 22. cap. 13, Eymericus direct. Inquiſ. par 2. q. 9 §. 4, Bzovius ad an. 1258. n. 8, Raynaldus ad an. 1256. n. 19, Spondanus ad an-

num 1258. n. 3, & Bullæus hiſt. Univ. Pariſ. tom. 3. ad an. 1255; de Libri vero auctore Wadingus tom. 2. ad an. 1256. n. 11, Natalis in Synop. hiſt. Eccl. ad Sæcul. XIII, & XIV. cap 3. art. 4; ac Oudinus tom. 3. de Script. Eccleſ. pag. 242 : cæteroquin enim Proteſtantes non moror Stillingfleetum, Juriæum, Heideggerum &c. ex libro illo in Romanam Eccleſiam quærentes invidiam. Viden, ut generatim Pontificem hunc a diligenti ſtudio in excindendis hæreſibus, inſtituendiſque in hæreticos cujuslibet genus fidei Quæſitoribus laudet Raynaldus ad an. 1260. n. 12. Ab hinc haud procul ad Pontificium Clementis IV. tribunal hæreſis nomine delatus Narbonenſis Epiſcopus, quaſi doceret Corpus Chriſti in Euchariſtia *eſſentialiter* non inexiſtere, ſed dumtaxat ſicut *ſignatum ſub ſigno*, a Pontifice juſſus eſt dicta revocare, rectaque ſapere doctus: cui ille Apologetico inſcripto ſuſpicionem omnem fidei ſuæ expoſitione abſterſit, veluti refert Raynaldus ad an. 1267. n. 35, & ſeqq. Ad hæc idem Pontifex objurgatoria ad Bremenſem Archiep. epiſtola inſcripta diſtricte præcepit, ut in Thidericum Bavarum Hamburgenſem Canonicum Berengariana hæreſi imbutum, diſſeminantemque Chriſti Corpus in Euchariſtia non contineri, niſi *ſignificative*, nec niſi *ſpiritualiter* ſumi, ſevere animadverteret, eumque ad hæreſim ejurandam, ac rectæ fidei profeſſionem emittendam publice adigeret: quem ſi a propoſito reſilire, redireque ad ingenium contingeret, vinctum Romam perfidiæ daturum pœnas debitas mittere non moraretur. Videſis Raynaldum ad an. 1267. n. 39, & ſeqq., ac Manſium ibidem in Not. Quam preſſe Deceſſorum ſuorum, ac præſertim Alexandri IV, & Innocentii IV. veſtigiis inhæſerit Nicolaus IV, quantumque navaverit ſtudium ad graſſantes tum hæreſes extirpandas, documento ſunt litteræ apud Raynaldum legendæ ad an. 1288. n. 27, & ſeq., ac 1289. n. 54, & ſeq., quibus cum Magiſtratus Laicos, Præfectoſque Civilibus rebus, tum viros Religioſos ex Ord. Prædic., ac Minor. ad exerendas certatim adverſus hæreticos vires vehementer ſollicitat; adhortans, ut ubi hæretica pravitas Divinis flecti legibus nequiret, humanis comprimeretur, ut pœnis cohibita in perniciem cum Religionis, tum Reipublicæ deſævire, & debacchari deſineret. Nec intra hæc tantummodo ſe flagratiſſimus

mus Nicolai zelus continuit, quin ad Eccleſiarum Præſules excitandos ad hæreticorum diſſolvendos dolos excurreret, ut adparet ex lib. 2. epiſt. 783; quin & Stephano Regi Serviæ hæreticam luem e Boſnia eliminandi auctorem ſe daret lib. 4. epiſt. 23.

Infeliciſſima, triſtiſſimaque inciderat ætas fœdiſſimarum hæreſum feraciſſima, quas tum magis repente ſoboleſcere, immaniterque ad graſſandum jam quinimo adoleviſſe conſpexiſſes, quum alioqui ferro, flammaque abolitæ videbantur. Tantum non eſt otii, nec arbitrii, ut ſingularum diligentius ſcruter veſtigia, gradatimque conſecter: expediam paucis, quod ad rei caput pertinet. De Guillelmi SantAmoræi peſtilentiſſimis libris ab Alexandro IV., & Clemente IV. igne damnatis; de Johannis de Polliaco pravis dogmatibus a Johanne XXII. proſcriptis; de erroribus, libriſque Petri Johannis Olivi pariter ab eodem Johanne XXII, & Clemente V. prohibitis, diſſerere me opportuniori in loco memini. Novam itaque ex veteri Valdenſium prognatam Sectam plurimo nomine infamem, cui ſive ex Segarello, ſive a PungiLupo, ſive ex Dulcino, nunc Apoſtolicorum, nunc Fraticellorum denominatio indita, qui in eamdem ambo tam morum, quam errorum colluviem confluxerant, publica infamiæ nota vice plus ſimplici affecerunt, variiſque pœnis, nec igni, nec ferro parcentes, ſunt perſequuti Honorius IV, Bonifacius VIII, Clemens V, Johannes XXII, Benedictus XII; ſubindeque in Italia repullulantes Gregorius XIII, & Martinus V. penitus exterminarunt. Rem hanc qui luculenter tractant, adiſis Auctorem addit. ad hiſt. Dulcini apud Muratorium tom. 9. rer. Italic. pag. 427, Johannem Bapt. Pignam de Principibus Ateſtinis lib. 3. ad an. 1300. pag. 232; Wadingum ad an. 1318. n. 8; Spondanum ad an. 1340. n. 2; Raynaldum ad an. 1296. n. 34, 1297. n. 55, & ſeq., 1305. n. 18, 1308. n. 9, 1311. n. 66, & ſeqq., 1318. n. 45, ac 1335. num. 59, & ſeqq., & Manſium ad cit. annos in Not. Horum autem haud diſpares, ſive nefandæ doctrinæ, ſive flagitioſæ vitæ genere, Beguardos, Beguinaſque una pariter damnationis ſententia percuſsere Honorius IV, Nicolaus IV, Bonifacius VIII, Clemens V; ac in Germania præſertim gliſcentes exturbavit, extinxitque Innocentius VI. Videſis Clem. *Ad noſtrum* lib. 5. cap. 3. de Hæ-

ret.; Alvarum Pelagium de planctu Eccl. tit. 2. cap. 52; Guidonem Elnenſem in Summa de hæreſib. cap 11; Jo: Turrecrematam de Eccl. par. 2. lib. 4. cap. 36, & ſeq.; S. Antoninum par. 3. tit. 21. cap. 3. §. 2; Eymericum direct. Inquiſit. par. 2. q. 12; Binium in Not. ad Concil. Vienn.; Spondanum ad an. 1311. n. 9; Card. Petram in Comment. ad Conſtit. 3. Johannis XXII. tom. 4. pag. 11; ac Manſium in Not. ad Raynaldum an. 1312. n. 17. Poſt quorum explicatiſſima, fideque omni digna teſtimonia, quis ſummam non demiretur impudentiam, qua Beauſobrius in diſſert. de Adamitis par. 2, & poſt ipſum Brujus hiſt. Pontif. tom. 3. pag. 378. flagitioſiſſimæ Sectæ patrocinium adverſus Pontifices MM. ſuſceperunt? At enim ſua id ſummopere intererat, qui cum Beguardis de communibus, generoſiſque ædepol a Valdenſibus ductis natalibus delectantur. Præter hoſce profligatiſſimos homines, contra quos legendæ Johannis XXII. Conſtitutiones Extra *S. Romana* de Relig. domib., *Glorioſam*, *Quia quorumdam*, ac *Dudum*, litteræ præterea apud Raynaldum ad an. 1318. n. 43, & ſeqq., ac 1319. n. 14, quibus ad diſtrictam hæreſeos actionem adverſus hujuſmodi peſtes intendendam, proculque abigendas Croatiæ Comitem, Poloniæ Principes, Hungariæ, Boſniæ, & Bohemiæ Reges, Eccleſiarum Præſules, ac fidei Cenſores incitat, & exſtimulat, eademque pariter involvit poena cum Beguardis Lolardos, Duce Waltero in Germania graſſantes, quorum nefaria dogmata ex fide dignis auctoribus recenſita videre licet a Raynaldo ad an. 1318. n. 44. Quam juſto pariter idem Pontifex indignationis zelo flagraverit adverſus duumviros Pontificiæ jurisdictionis hoſtes infenſiſſimos, Marſilium Patavinum in defenſorio pacis, & Johannem Jandunum de poteſt. Eccleſ., argumento eſt ipſius Conſtitutio *Licet juxta*, docentque Continuator Guillelmi Nangii ad an. 1317. Spicileg. Dacher. tom. 3. pag. 73; Alvarus Pelagius de planc. Eccl. lib. 1. cap. 68; Pighius lib. 5. Hierar. Eccl. cap. 1, & ſeqq.; Jo: Turrecremata in ſum. de Eccl. lib. 4. par. 2. cap. 37; Bellarminus in præfat. ad lib. de Rom. Pontif.; Bzovius ad an. 1327; Raynaldus ad eumdem an. n. 27, & ſeqq., ac 1328. n. 9, & ſeqq., ac Natalis Alex. hiſt. Eccl. ad ſæcul. XIII, & XIV. art. 13. Diſtricto pariter damnationis gladio ab eodem Pontifice confixa Johannis

Echar-

Echardi pravæ doctrinæ capita octo ſupra viginti, dato Colonienſi Archiepiſcopo ſummo imperio diligenter advigilandi, ne eadem reviviſcerent, intueri licet apud Raynaldum ad an. 1329. n.70, & ſeqq. Quem perinde conſuleſis de Rizardo Cremonenſi licita docente Chriſtianis cum Saracenis commercia, tametſi a Summis Pontificibus vetita, ideoque a Johanne XXII. damnato, ad annum 1326. n. 24; nec non de Græcis in Cypro perperam affirmantibus extremum ante diem Judicii nec probos Cæleſti felicitate perfrui, nec improbos Inferni pœnis affici, ab eodem Pontifice ſevere correptis, caſtigatiſque ad eumdem an. n. 28, & ſeq.; ac demum de Burgino, aliiſque Beguardis in agro Conſtantienſi, ac Baſileenſi graſſantibus ad an. 1409. n. 90.

Haud impari affectus ſtudio Benedictus XII. Chriſtianis rebus proſpiciendi propinquis, quin tamen diſſitis præſentia deeſſet, conſcripto ad Armenos libello, quem ex Mſs. Vatic. deſcribit Raynaldus ad an. 1341. n. 45, & ſeqq., errores, quibus ipſos, fama deferente, laborare perceperat, ſeptemdecim ſupra centum emendandos tranſmiſit. Quo accepto Catalogo Armeni, in Synodum an. 1344, aut ſeq., cujus acta e Ms. Codice Bibl. Reg. in lucem produxerunt Martenius, & Durandus veter. Monum. tom. 7. pag. 320, & exinde Manſius Suppl. tom. 3. pag. 443, & ſeqq., convenientes, erroribus quidem illis dicam infilixerunt, & ingentem eorumdem partem in Armeniæ Majoris accolas refuderunt, Apologia tamen adornata, cujus exemplar Clementi VI. redditum eſt, ſe maxima ex parte ſaltem ab ejuſmodi erroribus puros oſtenderunt, aptaque excuſatione ſingula accuſationum capita dipunxere. Quod ad ipſum vero Clementem VI. attingit, is cura intenta ad expurgandos eoſdem Armenos ab erroribus, tum quos ex Occidente infuderant Fraticelli, tum qui inibi ſuborti inoleverant, datis litteris cum ad Majoris Armeniæ Epiſcopos, & Catholicos univerſos apud Raynaldum ad an. 1344. n. 8, tum ad Conſolatorem Armeniæ Catholicum, & ad Conſtantinum Regem apud eumdem Annaliſtam ad an. 1351. n. 2, & ſeqq., quæ prava fugienda eſſent dogmata, quæque recta ſectanda diligenter edocuit. Sed & Raſcios, Albanos, & Sclavos, inſcriptis litteris ad Epiſcopos Duracenſem, Raguſinum, & Tra-

& Tragurienſem apud Raynaldum ad annum 1351. n. 20, & ſeq., veteri errorum deterſa caligine, orthodoxæ veritatis colluſtrare lumine ſtuduit. Quam perinde ſedulam in curam ſubingreſſus Innocentius VI. ab exundanti errorum colluvie Raſciam, Albaniam, & Sclavoniam abſtergere ſategit, exaratis ad Stephanum Regem, ad Johannem Patriarcham, & ad Tragurienſem, ac Pactenſem Epiſcopos litteris regeſtis a Raynaldo ad an. 1354. n. 26, & ſeqq. Quin & Fraticellos cum Orientem ſuperſtitionibus inficere ſuis tum ſuas Occidenti afflare ſpurcitias non abſtinentes, efficaciſſimis litteris ad Caſſenſem Antiſtitem, ad Ægidium Cardin. S. Clementis, & ad Archiepiſcopos Neapolitanum, Capuanum, Beneventanum, Piſanum, Narbonenſem &c. legendis apud Wadingum ad an 1354. n. 6, & ſeq., ac Raynaldum ad eumdem annum n. 31, pœnarum ſeveritate cohiberi præcepit. Sed ad Clementem VI. reflectendo ſermonem, is cura quoquoverſum converſa, ubi puritati, integritatique fidei periculum ingrueret, in Sicilia Citeriore Neophitorum vix exortae hæreſi præfocandæ, & in Toloſana Provincia reviviſcenti Valdenſium ſectæ penitus excindendæ præſto fuit, datis litteris robore plenis apud Raynaldum perlegendis ad an. 1344. n. 9. Facit & ad laudum ejus cumulum egregium, quo Flagellantium ſectam abolere allaboravit, ſtudium. Porro Cœtum hunc hominum varie denominatum, Acephalos, quod Capite peculiari carerent, Cruciferos, quod prælata Cruce incederent, Flagellantes, quod flagellis duriſſimum in modum ſe cruentarent, (quod genus hominum principio flagrantiſſimæ pietatis ſpecie, inſuetæque pœnitentiæ ſpiritu correptum in Italia cœperat jam ab anno 1260, in quem confer Raynaldum n. 6, & Manſium ibid. in Not. 2, in foediſſimam paullo poſt hæreſim deſcivit, in flagitiorum omnis genus cœnum delapſum, Italiam non modo infecerat, ſed Galliam, ſed Hungariam, ſed Poloniam, ſed Germaniam, ſed Angliam pervaſerat), nefarium Cœtum hunc, inquam, hominum, ſacra præſertim Facultate Pariſienſi deferente, intelligenteque procul dubio unius Pontificis Summi poteſtate errores penitus exterminari, & profligari, (quod pro ſui muneris particula revera perficere confeſtim aggreſſus Pontifex eſt), datis litteris ad Epiſcopos Germaniæ, Poloniæ, Hun-

Hungariæ, Sueciæ, Angliæ, & Galliæ, quas recenſet Raynaldus ad annum 1349. n. 19, & ſeqq., diſtricto juris rigore in ordinem redigi juſſit. Præter eos vero Scriptores, quos Raynaldus loc. cit., ac Manſius ibid. in Not. commemorant, qui de Flagellantium Secta ſcripſere, confer Balbinum Soc. J. in epitome rer. Bohem. pag. 360, ac Schottgenium de Flagell. Ab eadem perinde lue Germaniam expurgare Gregorio XI. arcte cordi fuit, de quo Raynaldus ad annum 1372. n. 33. De Gundiſalvo, & Nicolao in Hiſpania, & Catalaunia novellam diſſeminantibus hæreſim de futura Spiritus S. Incarnatione, novæque inſtitutione legis videſis Eymericum direct. Inquiſit. par. 2. q. 11, Pegnam ibid. in Not., ac Raynaldum ad an. 1352. n. 20. Denique novo elogio dignum ſe exhibuit laudatus Innocentius VI. ob egregiam, quam novæ in Anglia ſubortæ hæreſi circa merita bonorum operum, ac peccatum originale excidendæ navavit operam, cujus locupletes ſunt teſtes litteræ ad Eboracenſem Antiſtitem deſcriptæ a Raynaldo ad an. 1355. n. 28. De adſcitis in præclari laboris partes ad hæreſes profligandas, qua e Cypro, & Creta Inſulis B. Petro Thoma Ord. Carmel., qua e Cumania, Perſide, ac Tartaria Philippo Ord. Præd., adeundi idem Annaliſta ad an. 1359. n. 19, & Bollandus tom. 2. ad diem 29. Januar. pag. 995, & ſeqq.

Quotus vero quiſque jam eſt, qui ſequentium Pontificum flagrantiſſimum æſtimare ſtudium valeat, quo excindendis ubique gentium hæreſibus indefeſſim applicuere? In his ſane Urbanus V. Archiepiſcopos Spalatenſem, & Raguſinum, neu e Boſnia ad finitimas inquinandas Provincias hæretica pravitas confluere negligentia ſua permitteretur, ad ſedulo advigilandum imperio adegit: cujus rei documenta ſuppeditat Raynaldus ad an. 1369. num. 13. Minoritarum opera Manichæos, & Pararenos in Bulgaria ad ducenta millia, quinquaginta vix infra dies, ad Sacra noſtra traducta memorant Wadingus ad an. 1366. n. 16, & Raynaldus n. 11. Beguardos, ac Beguinas in Germania graſſantes perdendi, ac profligandi, quas Carolo IV. Imper. curas demandaverat Urbanus V, commendavit iterum, & valdequam urſit Gregorius XI: qui perinde, ut Albertum Epiſcopum Alberſtadenſem Stoicum inducen-

ducentem Fatum, liberum inficiantem arbitrium, ac Sanctorum irridentem opem, ad frugem revocaret, & ad revocandos errores adigeret, Cenſorum fidei diligentem adhibuit operam, de qua Raynaldus ad an. 1372. n. 33, & ſeq. Ad abolendam penitus, ſi fieri tandem poſſet, Valdenſium peſtem, toties exciſam, ſed iterum in Occitania, Provincia, Delphinatu, & Sabaudia germinantem, novaſque in dies obſtetricantem hæreſes, totum ſe conferens, poteſtatis, tum Eccleſiaſticæ, tum Civilis vires conjungere præclaræ operæ pretium fecit, uti probat Raynaldus ibid. n. 34, & ſeq. Cum Lolardis, ac Turlupinis, peſtilentiſſima Albigenſium propagine, de qua Dupinius in Bibl. auct. Eccl. in Gregorio XI, Ducangius in Gloſſar. Lat. Barbaro V. *Turlupini*, Gerardus de Haillan hiſt. in Carolo V, ipſique imo Baylius art. *Turlupini*, & Limborchius hiſt. Inquiſit. lib. 1. cap. 11, ab ſe infamiæ ſtigmate inflictis, poſtquam apud ipſos Eccleſiaſticam medicam nihil profeciſſe manum exploratum haberent, ut legum ſeveritate diſtricte agerent, Carolo V. Francor. Regi, & Amedeo VI. Sabaudiæ Duci efficaciſſimum ſe auctorem dedit: qua de re Gaguinus lib. 9. hiſt. Caroli V. Reg. Gall., Meyer Annal. Reg. Franc. lib. 13, Belleforeſtus hiſt. Reg. Gall. lib. 5, Bzovius ad an. 1372, Spondanus ad an. 1373. n. 13, Raynaldus ad eundem an. n. 19, & 1375. n. 26, aliique apud ipſum, quorum poſt diſsertiſſima teſtimonia, non eſt deinceps, cur ego morer Beauſobrium in diſsert. de Adamit. par. 2, & Brujum hiſt. Pontif. tom. 3. pag. 495, homines infrunito ad certiora quæque inficianda monumenta ingenio comparatos, quibus Turlupinos ab infamia abſtergere turpe deſiderium hæſit. Pro novella præfocanda hæreſi, qua Poloniam, Bohemiam, Sileſiam, conterminaſque Provincias infici acceperat a Johanne Millicio, cujus ſcripta nonnulla memorat Balbinus in Epitome rer. Bohem. pag. 407, & ſeq., cuique ſceleſto Johannis Hus præcurſori locum facere inter Lutheri infames Anteſignanos Flaccum Illyricum in Catalogo teſt. verit. non deduduit, pari deſudans idem Pontifex ſtudio, congeſtis litteris apud Spondanum ad an. 1374. n. 2, Bzovium n. 3, & Raynaldum n. 10, ac ſeq. ad Archiepiſcopos Gneſnenſem, & Pragenſem, Epiſcopos quoque Cracovienſem, Uratislavienſem, Luthomuslenſem, & Olmu-

Olmucenſem, nec non ad Carolum IV. Imper. officii, quo infeſtiſſimum prædonem ab inferenda noxa arcere deberent, ſedulo admonuit: ex quibus falſum liquido adparet, quod Lenfantius hiſt. belli Huſſit. lib. 1. pag. 17. comminiſcitur de Millicio Romam in jus accerſito, & ab Urbano V. abſoluto: quod plane aſſertum pugnare cum Anonymo ſcriptore hiſt. perſecut. Eccl. Bohem. pag. 19, & ſeqq. fatetur ipſemet Franciſcus Brujus tom. 3. pag. 501. Mitto erroris nomine damnatos a Clemente VI. Nicolaum de Ultricuria, de quo Bibl. PP. edit. Pariſ. tom. 4. pag. 1323; ab Urbano V. Dionyſium Soulechatium, de quo eadem Bibl. pag. 1337, & Raynaldus ad an. 1368. n. 16, & ſeq.; Arnaldum Montanerium a Gregorio XI, de quo Eymericus direct. Inq. par. 2. q. 11; & a Bonifacio IX. Franciſcum Portarium, de quo Raynaldus ad annum 1396. n. 8, nolo enim fuſiori præter opus narratione faſtidium, moleſtiamque Lectori, vel liberali inferre.

Age tamen, ab his modo peſtibus ad alias longe pejores, quas averruncaſſent utinam Dii? traducatur oratio. Ex eis unam trecentis ferme capitibus, ſi fides habenda Nicolao Harpsfeldio hiſt. Wicleffi cap. 18, conſtantem, e Berengario, Valleranno, Marſilio, Janduno, Valdenſibus, & Lollardis erroribus derivatis, novorumque adjectione conſarcinatam, & adauctam, ipſomet Lenfantio haud inficiante in hiſt. belli Huſſit. lib. 2. pag. 36, conflavit Johannes Wicleffus: quo tanto noſtri temporis Novatores Anteſignano gloriantur, adeoque, ut Thomas Jameſius pro ipſo Apologiam elucubrare non erubuerit; ut Johannes Levvis in hiſt. ejus vitæ, ac vexationum invidia, ſiniſtraque multum opinione levare inſtituerit; ut Benedictus Pictetus Genevæ pro ejus laudibus in concionem aſcendere non dubitaverit; ut eumdem ab ingenii perſpicacia, qua ſeipſum a tetris, ſpiſſiſque, quæ tempora illa triſtia obruebant, tenebris non abripi paſſus ſit, laudibus cumulare non abſtinuerit Jo: Albertus Fabricius Bibl. med., & inf. Latin. lib. 21. pag. 322. edit. Patav. 1754. In Excerpto etenim eiuſdem errorum ab Oxonienſi Academia Cantuarienſi Archiepiſcopo exhibitorum a Wilkinſio Concil. Britan. tom. 3. pag. 339. recenſito ex Wicleffi libris hæreſes 266. decerptæ adparent, videlicet: Ex libris quatuor de ſerm. Dom., quorum tertius de Anti-

chriſto, hoc eſt Papa, totus eſt quantus, cenſura notantur errorores 74. Ex libello de perfectione ſtatuum errores 33. Ex libello de ordine Chriſtiano 13. Ex Dialogorum libris quatuor 35. Ex tractatu de arte ſophiſtica 20. Ex tribus libris de Dominio Civili 43. Ex tractatu de Diabolo, ejuſque membris 5. Ex libro de Donatione Cæſarea 14. Ex reſponſorio ad argumenta Salley 11. Ex reſponſorio ad argumenta Stroadæ 9. Ex libello de Confeſſione 5. Ex tractatu de verſutiis pſeudo-Cleri 4: collectim omnes 266, ut innui; atque ducentorum ſexaginta quidem ab Oxonienſi Academia, non ſecus ac quinque ſupra quadraginta in Synodis Pariſienſi, & Pragenſi cenſura notatorum occurrit mentio in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 6; in quo totidem ſeſſ. 8. confixi ſubinde ſunt. Tam pernicioſæ itaque hæreſi ante præfocandæ, quam altius radices ageret, præſto fuit Gregorius XI. P. M., in ſollicitudinis partes advocatis Cantuarienſi, & Londinenſi Præſulibus, Eduardo III. etiam Rege, ac Theologis univerſitatis Oxonienſis, uti fidem faciunt Apoſtolicæ litteræ deſcriptæ a Valſinghamo hiſt. Angl. ad an. 1377, & ex ipſo a Raynaldo ad eumdem an. n 4, quæque legendæ hiſt., & antiq. Univerſ. Oxon. lib. 1. pag. 187, & apud Harduinum tom. 7. pag. 1867, & ſeqq. proſtant. At enim optimo Pontifici tam de Religionis puritate ſollicito nec reſponſum pro opere, nec factum, ut oportebat, confeſtim eſt ſatis; ſed augmentum Wicleffi hæreſi, vireſque accipere haud modicas cum ex Antiſtitum, Regumque negligentia, & ſegnitie, tum ex Optimatum favore, & ope licuit, uti notatum vel ab ipſis eſt Larreyo hiſt. Angl. in Eduardo III. pag. 735, & Lenfantio hiſt. Concil. Conſtant lib. 2. pag. 203. Quin etiam præſidio ei fuit non parvo ſectæ Anteſignanus alter ſceleſtiſſimus Johannes Balæus, qui hæreſi propagandæ per 20, & amplius annos pro viribus incubuit, teſtibus Valſinghamo ad an. 1381, & Harpsfeldio hiſt. Wiclef. cap. 12, cuique in perfidia ſocios ultro ſubinde ſe dantes, nova in dies errorum acceſſione ſtupendum in modum amplificaverunt Walterus Tyler, Jo: Stravus, Nicolaus Herefordius, Philippus Rappyngdonus, Jo: Aſthonius, Willelmus Windurbejus, Petrus Pareshulius, Jo: Eduardus &c., de quibus Valſinghamus ad an. 1382, Harpsfeldius cap. 16, & Knigthonus de event. Angl. lib. 5.

Vo-

Voce itaque Urbani VI. & in perio expergefactus Willelmus Courtenejus Archiepiſcopus Cantuar. exundanti peſti ut aggerem jaceret, Londini Synodo, cujus acta confirmata ſubinde ab Apoſtolica Sede affirmat Windefordus in confut. Wiclef. ad art. 17, indicta an. 1382. poſtulatum judicio Wicleffum pœnis intentatis ad revocandos errores adegit, legumque ſeveritate in ejuſdem ſectatores animadvertit, teſte Harpsfeldio cap. 5. Altera eodem anno Oxonii habita Synodus eſt, cujus acta cum epiſtola Facultatis Theologicæ Oxon. deſcripta a Wilkinſio tom. 3. pag. 158, & 171. ſuum in Suppl. tom. 3. pag. 646, & 658. derivavit Manſius, in eaque plerosque ex Wicleffi primipilis ad frugem regreſſos, quorum tamen aliqui pravum ad ingenium poſtea relapſi ſunt, reliquos vero in pertinacia manentes ſevere punitos memorat Harpsfeldius cit. cap. 5.

Ad hæc anno 1388. ſolemni Richardi II. Regis edicto Wicleffi, Hereſordii & Aſthonii nefaria ſcripta flammis abolita fuiſſe tradit Knigthonus lib. 5. Sed enim Regi Wicleffitas e Regno exterminandi efficaciſſimum ſe ſe dediſſe auctorem Bonifacium IX. teſtatur Valſinghamus ad an. 1396. apud Raynaldum n. 9. Atque ad hanc utique validius urgendam Religionis cauſſam a Bonifacio vicibus Apoſtolicis indutus Thomas Arundelius Cantuar. Antiſtes eodem anno 1396. celebrato altero Londini Concilio, e Wicleffi libris igne damnatis octodecim decerpta venenatæ doctrinæ capita infamia notavit, diriſque cunctis devovit: contra quæ perinde calamo arrepto confutationis libellum ejuſdem Archiepiſcopi juſſu adornavit Willelmus Windefordus Ord. Min. illuſtris Theologus, ex quo illum ſuos in Annales retulit ad eumdem annum n. 10, & ſeqq. Raynaldus: diligenter autem Synodi acta deſcripta a Wilkinſio tom. 3. pag. 227. tranſtulit in Suppl. tom. 3. pag. 709. Cl. Manſius, quo loci pag. 739. alterius Londinenſis Synodi an. 1400. mentionem ingerit, in eaque damnati, una cum decem iniquæ doctrinæ articulis, Willelmi Savvre, ſive Chatrys. Atqui reciſam toties hæreſim Londini, & Oxoniæ in Anglia, in Gallia Pariſiis, ac Pragæ in Bohemia an. 1408, ut habent Æneas Silvius hiſt. Bohem. cap. 35, Cochlæus hiſt Huſſit. lib. 1, & Dubravius hiſt. Bohem. lib. 19, inſtaurare tamen, noviſque adaugere erro-

rum capitibus non abſtinebant Jo: Oldcaſtellius, Guillelmus Tayler, Robertus Hooke, Willelmus Ruſſelius, Coubrigius, Guillelmus Sartor, Petrus Payne, Conradus Smeth &c., de quibus Valſinghamus ad an. 1413, Harpsfeldius cap. 16, Thomas Valdenſis tom. 3. tit. 12. cap. 108, Cochlæus hiſt. Huſſit. lib. 1. Gobelinus in Coſmod. æt. 6. cap. 53, ac Raynaldus ad an. 1413, n. 13, & ſeqq. Quamobrem Alexander V. pro ſtudio, quo erga Religionem ſumme afficiebatur, Conſtitutione edita anno 1409, ſevera damnationis ſententia in Wicleffum animadvertit, datiſque Sbinchoni præſertim Archiepiſcopo Pragenſi, quò tum peſtis iſta pervaſerat, diſtrictis imperiis, diligenter in hujus genus hæreticos inquiri, repertoſque dignis affici pœnis juſſit: qua de Pontificis ſolerti cura Nider de viſionib. lib. 3. cap. 2, Wadingus, & Raynaldus ad cit. an. n. 89. In eamdem ſubinde ingreſsus ſollicitudinem Johannes XXIII. (cui proinde ad veri haud propius ſpeciem vitio dari, vertique a Petro Alliacenſi apud Gerſonium tom. 2. pag. 901, & ſeq., quod ſimoniis ſuis invaleſcendi magis, magiſque inſaniendi hæreſibus tum graſſantibus locum fecerit, vel hinc adparet), indicta Romæ Synodo, non anno quidem 412, uti Labbæo, Harduino, & Raynaldo non bene viſum, ſed inſequenti, ut rectius a Manſio in Not. ibid. ad n. 1. obſervarrum eſt, dato ad univerſos Epiſcopos diplomate, quod poſtea Martino V. probatum evaſiſſe intelligitur ex Conſt. *In eminentis* apud Harduinum tom. 8. pag. 918, ubi etiam deſcribitur pag. 203, & Raynaldum ad an. 1413. n. 1., & ſeqq., nefariis Wicleffi libris, ſignatimque Dialogo, & Trialogo infamiæ dicam, igniſque pœnam inflixit, jubens legum acerbitate in illius ſectatores diſtrictiſſime agi. Venenata denique Wicleffi dogmata articulis 45. compacta damnavit, univerſiſque Chriſtifidelibus odio habenda denuntiavit in Concilio Conſtantienſi Martinus V. Conſtit. *Inter cunctas*; in quam vide Cardinalem Petram in Comment. ad ejus Conſt. 1. tom. 4. pag. 214. Toties, ac tot in Synodis ventilata eſt Wicleffi doctrina, ejuſque cum libri tot vicibus, tamque diligenter, & accurate diſcuſſi, tum diſcipuli ad dicendam cauſſam advocati ſunt, & audiri, ut mirari valde ſubeat Lenfatii hiſt Concil. Conſtant. lib. 2. §. 69, & Bruys hiſt. Pontif. tom. 3. pag. 511. temeritatem ſum

ſummam, qua effutire non dubitant vel ex uno Trialogo Wicleffi patere eidem pleraque falſo ſuppoſita fuiſſe, deque induſtria, ad augendam invidiam, pleraque falſificata. Sed apage Sycophantas, qui tanto mendaciores videri debent, quanto fide majore digni ſunt, qui oculo minime livore turbato penitius in res Wicleffi introſpexerunt. Præter eos autem, quos paſſim hac in re diligenter verſatos memoravi, confer Stephanum Olmucenſem in Anti-Wicleffo, & Anti-Huſſo apud Bernardum Pezium in Theſaur. Anecdot. tom. 4. par. 2. pag. 149; Antonium Varillam, hominem etſi parvi admodum penſi, in hiſt. Wicleffi, & Huſſi; & Petrum Graſſium de ortu, & ptogreſ. hær. Wicleffi. De ſevera damnationis ſententia demum a Martino V. in Nicolaum Serrurarium nonnullos Wicleffi errores in Belgio diſſeminantem intorta adeundus Raynaldus ad an. 1420. n. 17, & ſeqq.

In expedienda nunc Huſſitica hæreſi tam non multus, quam nec ero moleſtus, haud ignorans definienda tandem cujuſque fore operæ ſpatia, neque defatigandam præter opus Lectorum, liberalium eſto, patientiam: eoque præſertim, quod non tam diverſa, quam unius ejuſdem Wicleffianæ veluti radicis infectus furculus, novos etſi velut in ramos deinde ſcindendus, hæc Huſſi hæreſis æſtimari debeat. Vix itaque virulenta hæreſis iſta, Johanne Chryſtamino, a natali ſolo Hus denominato, enitente, obſtetricante vero, parteſque adjuvante Hieronymo Pragenſi, ex orcu an. 1408. circiter emerſit, ut tria in Capita diſcindi paullo poſt viſa eſt circa an. 1419, in Thaboritas hoc eſt, quorum auctor Ziſcha, teſte Ænea Silvio hiſt. Bohem. cap. 40, quo defuncto, in partes diviſi ſectatores, alii Procopium ſibi præfecerunt, alii abſque Duce Orphanos dici maluere, quorum partes deinde fovendas, amplificandaſque ſuſcepere Czapko Presbyter Taborienſis, ac poſtea Jo: Rokiſana; Adamitas, quos ita nuncupandos a pudore omni poſtpoſito voluit Pichardus, de quo idem Silvius cap. 42; & Orebitas, quibus nomen indidit Martinus Loquis Presbyter Moravus, de quo laudatus Silvius cap. 43, Cochlæus hiſt. Huſſit. lib. 5, Dubravius lib. 26, & Laurentius Byzinius Huſſi ſtudioſus in diario belli Huſſit. vulgato a Ludevvigio Reliquiar. tom. 7. Scilicet ſpecioſa iſta nomina, ad inanem fucum operum

rum infamiæ obducendum, ſceleſti illi induerant. Quibus quarta demum acceſſit Calixtinorum dicta Secta, indito a Jacobello Miſnenſi, & Petro Dreſdenſi nomine, ex Calicis uſu, cui tenaciſſime inſiſtebant, deſumpto. Primus in hanc peſtem Eccleſiaſticum gladium exemiſſe legitur Alexander V. apud Raynaldum ad annum 1409. n. 89. in litteris ad Sbinchonem Pragenſem Antiſtitem, quibus obſtrepere quidem auſus eſt Huſſus, calculum tamen adjicere ſuum Martinus V. religioni duxit. Qui poſterior ſatis perinde non habuit articulos 30. e Wicleffi ſentina ab Huſſo hauſtos in Concilio Conſtantienſi damnaſſe Conſtit. *Inter cunctas*, adjunctis litteris ad Bohemos ſuavitatis, amoriſque refertiſſimis, eoſdem ad frugem bonam, avitamque fidem alliciendi gratia, apud Cochlæum lib. 4, & Raynaldum ad an. 1418. n. 6, niſi in obſtinatiſſimos demum homines Claſsicum caneret, Legatiſque miſſis, ac litteris datis, de quibus Raynaldus ad an. 1421. n. 10, & 1427. n. 9, & 14, ad eoſdem vi, armiſque domandos, delendoſque Sigiſmundum Imperat. incitaret, impelleretque. Ita nempe rigore legum agendum tandem erat cum gente jugi, quietiſque tam impatiente, quam pravi, deviique pertinace, ac in genio deterrimo innutrita ducis ſui Huſſi, qui de hæreſi poſtulatus judicio apud Johannem XXIII. tantum abeſt, ut parere vellet, quod potius adverſus Romanam Synodum deblaterare non ſineret. Quamquam invitus Pontificis adire præſentiam in Concilio Conſtantienſi compulſus, meritas cum Hieronymo Pragenſi luit demum pœnas. Quas porro querelas de violata publica fide Huſſo præſtita, Hieronymoque Pragenſi ab Huſſitis olim effuſas refingere ad nauſeam uſque Novatores non abſtinent, luculenter adeo, liquidoque diſpunxit Raynaldus ad an. 1415. n. 31, & ſeqq., cujus dictis invictum aliud ex Byzinio Huſſita deſumptum argumentum ibid. in Not. adjungit Manſius, ut iis depexendis iterum immorari non juvet. Ad hoc etiam incendium, quo conflagrabat Bohemia, reſtinguendum operam impendiſſe omnem Eugenius IV, neve ad inficiendas Pannonias lateſceret, viribus impediviſſe, quibus potuit, legitur apud Raynaldum ad an. 1446. n. 10. Etiam Calliſtus III. deſiderio Huſſitas ad frugem inflectendi ardentiſſimo affectus, opera ad id egregia uſus eſt SS. Johannis a Capiſtrano, & Ja-

& Jacobi Marchiani Ord. Minor., de quibus idem Annaliſta ad annos 1456. n. 59, & 1457. n. 42. Pius II, in Dialogi modum epiſtola 130 elucubrata, Thaboritas, ſive Bohemos a Calicis uſu abducere ſtuduit. Quanta demum opera ad abſtergendam ab hac lue Bohemiam deſudaverit Paulus II. in curæ partem adſcito fortiſſimo athleta, cenſoreque fidei Gabriele Veronenſi Minorita, denarrat Raynaldus ad an. 1467. n. 8, ubi ſuper. n. 4. ejuſdem Pontificis ad Bohemos percenſet litteras adverſus Georgium Podiebratium, quibus inter alia declarat hæreſis cognitionem, ac definitionem ad unum pertinere Romanum Pontificem.

Aliò properanti nunc mihi ſicco prætereundi nequaquam ſunt pede aliquot plerique media hac ſub ætate multarum pariter hæreſum probris infames homines, quos evaginato perſequi gladio Romanis perinde Pontificibus officio ceſſit. In his itaque Amedeum quemdam Mediolani Ludimagiſtrum agentem, ex Arithmeticæ numeris ad plures diſſeminandos errores digreſſum, ideoque ſæpius a S. Bernardino Senenſi exagitatum, deſipere tandem ex litteris Eugenii IV. ad Laudenſem Epiſcopum, legendis apud Raynaldum ad an. 1446. n. 8, dedidicit. A Sixto IV, quæ in Synodo Complutenſi ab Alphonſo Carillo Archiep. Toletano prolata jampridem fuerat, confirmante ſententiam, quam ſevera in Petrum Oxomenſem, Pontificis M. præſertim juri diſpenſandi in Conciliorum Canonibus detrahentem, cenſura prodierit, ejuſdem eloquitur Conſtitutio 17. *Licet*, in quam conferre juvat Card. Petram Comment. tom. 5. pag. 290. Reginaldum Pekopium Ciceſtrenſem pſeudo-Epiſcopum e ſymbolo fidei quatuor articulos expungentem, ab Angliæ Rege Henrico, & Epiſcopis admonitus Pius II. Sacerdotali exui dignitate, digniſque affici pœnis juſſit, litteris datis ad Archiep. Cantuarienſem, & ad Epiſcopos Londinenſem, & Wintonienſem, quas præc. Annaliſta regerit ad an. 1459. n. 28, & ſeq. Apud quem eodem loci n. 30. videas, ut idem Pontifex cum primum a Franciſco Britanniæ Minoris Duce certior fuit factus de novis hæreticis in vulgus deprædicantibus Matrimonium Divinis vetitum legibus, deque aliis Magicis artibus deditiſſi nis, extemplo utrique excindendæ peſti ſe ſe præſentiſſi num dedit. Qui perinde, ut ibidem n. 31. habetur, nuperum in Italia ſub-

ortum

ortum tenebriconem Zanninum, errores inter alios Mundum ab iſto alterum a Deo conditum comminiſcentem, impieque cum Moyſe, & Mahometo Chriſtum D. conferentem, poſtquam ad recinendam palinodiam coegiſſet, perpetuo carceri ad agendam pœnitentiam condi juſſit. Pikardos, & Foſſarios, infeſtam Valdenſium ſobolem, in Bohemia, & Moravia longe, lateque graſſantes comprimere partibus ſuis adjudicavit primis Alexander VI. apud Raynaldum ad an. 1498. n. 25, quo loci n. 26, & ſeqq., atque ad an. 1501. n. 43, & ſeqq. in eos ſtrenue calamum exercuiſſe ſuum Henricus Inſtitor legitur. Porro a Pikardis, projectæ tametſi verecondiæ viros, Romani tamen Pontificis in Eccleſia Primatum ſuo honoris loco habitum, nec unquam vel levem in dubitationem adductum obſervat Jo: Faber Vien. Epiſcopus in opuſc. 30. Articul., quo Pikardis longe pejores Lutheranos oſtendit. Quanta in Pikardos quoque indignatione exarſerit Julius II, quam diſtrictum in eoſdem deinde gladium exemerit, quomodove Chriſtifideles undique ad arma capeſſenda, ſtipemque conferendam excitaverit, ejuſdem eloquuntur litteræ a Raynaldo deſcriptæ ad an. 1504. n. 27, & ſeqq. Quem perinde adeas, ſi placet, ad an. 1498. n. 22, ubi Marranos, Judaica ſcilicet, & hæretica ſuperſtitione imbutos homines, Romæ ab eodem Pontifice in recta, & plana orthodoxæ ingredi fidei veſtigia compulſos refert; ac Petrum de Aranda pſeudo-Epiſcopum Calaguritanum eadem infectum lepra in mole Hadrianæa perpetuo carceri mancipatum. De Johanne Malkavio demum ab hæreſis crimine abſoluto a Gregorio XII. confer Univerſitatis Colonienſis litteras ad Concil. Conſtantienſe apud Manſium Suppl. tom. 4. pag. 126, & ſeqq., nec enim ad potiora alia feſtinanti diutius in his immorari fas eſt, in quibus utilitatis quidem eſt non multum, oblectamenti autem nihil.

Atqui hactenus digeſta qui probe tenet, fuiſſe hæc ipſa, aut ego fallor, Lutheri ſponſalia facile percipit, in quem harum omnium colluviem hæreſum confluxiſſe ignoret nemo, cui vel unius Cochlæi de Luthero ſcripta, & acta perſpecta ſint, quin opus ſit, ut ad cognitionem hanc ex aliis longe pluribus exhauriendam magno & ſtudio, & labore ſe comparet. Atque quidem

tot

tot a priſcis Veteratoribus ebibiſſe Lutherum, quot ab ipſo poſtea hæreſum monſtra, magno rei Chriſtianæ damno, evomita ſunt, quia paullo inferius explicare propoſitum mihi fuit, heic ſatius habebo, ac paucioribus, quoad ejus fieri poterit, indicare quantas, & quam ingentes Lutherana hæreſis Romanos apud Pontifices experta ſit iras. Principio itaque Lutherum, qui ab anno 1516. dumtaxat, nec dum utique palam, velut anno inſequenti, ſed per occultos veluti cuniculos hæreſim ſuffodere cœpit, ut eſt apud Chronographum Torgavienſem ad hunc annum apud Menkenium rer. German. tom. 2, ut præſenſiſſe videtur, ita prædamnare voluiſſe Leo X. Conſt. *Cum piæ*, diligentem in hæreticos fieri inquiſitionem decernens, æſtimari tam poteſt, quam debet. Vix autem Coluber hic ſævum attollere caput viſus eſt, ut ei amputando gladium præſtare Apoſtolicum deſes non diſtulit: anno enim 1518. hæreticum hominem in jus vocatum, conſtituto dierum 60. ſpatio, ſuumque comparere in conſpectum renuentem, imperio dato Gabrieli promagiſtro apud Bembum lib. 16. epiſt. 18, comprimi, abducique ab inſania juſſit. Anno præterea 1520, celebri Conſt. *Exurge*, in quam videndæ Manſii Notæ pag. 294. Annal. Raynaldi tom. 12, Lutheri cum libris hæretica undique labe ſcatentibus, unum & quadraginta Articulos ſevera damnationis ſententia confixit. Spe demum omni fruſtratus fore, ut is ſæpius invitatus, ad frugem regrederetur, Conſtit. 41. *Cum ſicut* obſtinatiſſimum hominem cum Gregalibus ſuis attrivit, ad eamdem penitus conterendam peſtem advocatis pariter in adjutorium Eccleſiaſticæ poteſtatis Caroli V. Imp. laicis potioribus viribus. Ab Hadriano VI. perinde nihil prætermiſſum eorum, quibus profectum hunc faceret, ac Lutherana procul lues e Germania, & Saxonia propelleretur, documento ſunt ipſius litteræ ad Imperii Principes apud Raynaldum ad an. 1522. n. 60, & ſeqq., imperia Francisco Cheregato Internuntio ſuo impoſita ibid n. 65, & ſeqq., votaque efficaciſſima Friderico Saxoniæ Duci inſinuata ibid. n. 72, & ſeqq. Quo loci conferre juvat Jo: Fabrum de Primatu S. Petri adverſus Lutherum pag. 192. egregie ab Hadriano dicta confirmantem, atque Saxones potius quam Lutheri figmentis ſe conformare, ad vetera a Carolo M. accepta dogmata ſe conferre adhor-

adhortantem. Quanta putas nunc expurgandi Lutherana ab hac lue tum Germaniam, Saxoniam, Helvetiam, tum Hungariam, Poloniam, Bohemiam, tum Hollandiam, Flandriam, Brabantiam, tum Daniam, Sueciam, Norvegiam &c. cura incubuerit Clemens VII? Quin ut demonſtretur, id multa opera indigeat mea, abunde liquet ex ipſius litteris apud Raynaldum ad Carolum V. Imp., ad Cardinales Salisburgenſem, & Campegium an. 1524. n. 1, & ſeqq.; ad Helvetios, & ad Epiſcopum Lauſanenſem ibid. n. 52, & ſeqq.; ad Epiſcopum Uratiſlavienſem, & ad Ludovicum Hungariæ, & Bohemiæ Regem n. 61, & ſeqq.; ad Archiepiſcopos Bremenſem, Colonienſem, & Moguntinum, & ad Duces Holzatiæ, Sleuvicenſem, Brunſvicenſem, ac Luneburgenſem an. 1525. n. 28, & ſeqq.; ad Erardum Cardin. de Marcha Leodienſem Epiſcopum ibid. n. 34; ad Johannem Gneſnen. Archiep., ad Petrum Epiſcop. Cracovienſem, & ad Epiſcopos Lincopenſem, & Aroſcienſem an. 1526. n. 126, & ſeq.; ad Joachimum Electorem Brandeburg., & ad Georgium Saxoniæ Ducem an. 1530. n. 90. & 169; ad Ferdinandum Hungariæ Regem n. 170, & ad ejusdem Regni Epiſcopos, Clerum, Optimates, Populumque an. 1532. n. 11; ad Thuricenſes an. 2531. n. 22, ad ſex Cantones an. 1533. n. 61, & an. 1534. n. 17. Sed & ab Italia hanc procul arcere peſtem vulgato edicto ſategit an. 1530. n. 50; ac Brixiæ inlatam a Johanne Bapt. Pallavicino ut incunctanter propelleret, auctorem ſe Paulo Zanae Urbis Præſuli dedit an. 1528. n. 107. Sed & ut in Sabaudiam ingrediendi, ſerpendique inibi nullus relinqueretur locus, ab ipſo votis ſollicitati obnixis ſunt Philibertus Eporredienſis Epiſcopus, & Carolus Emanuel Dux an. 1533. n. 61, a quo pro ſua religione, pietate, ac diligentia Zuvinglianæ hæreſi in Sabaudiam, inque Italiam aditus obſtructus eſt omnis.

Magno perinde ſtudio, & labore Paulo III. conſtitit opus Religionis in dies labeſcentis rationes loco reſtituendi, totque Lutherana & Calviniana hæreſi coinquinata loca ad ſanitatem redintegrandi. Quin tamen unquam defetiſceretur, animumque deſponderet, hinc Helvetis ab hæreſi expurgandis litteris apud Raynaldum legendis ad an. 1535. n. 27. ſe præſentiſſimum dedidit: illinc Venetorum Duci egregiam gratulatus ibid. eſt operam, qua

qua Lutheranæ a Sigiſmundo Germano in Ditionem invectæ hæreſi jugulandæ diligenter incubuit. Sed cum Auguſtino Maynardo, qui Aſtenſibus propoſitiones quasdam Lutherana inſpersas pece imprudenter afflaverat, facti valdequam pœnitente, bonamque ſe ad frugem recipiente benigne egit: qua viciſſim benignitate uſus cum Elziaro Miodano, a quo pariter Aquæ Sextienſibus Lutheri aliqua fuerant dogmata propinata, eadem poſtea revocanti veniam fecit. Nunc ſtudio Poloniam in fidei puritate integram adverſus hanc peſtem ſuſtentandi, quo ipſe incenſus, accendere perinde cum Sigiſmundum Regem, tum Regni Præſules laboravit ibid. n. 29, 1537. n. 45. & 1548. n. 82. Nunc deſiderio Angliæ labeſcentibus rebus proſpiciendi, miſſo Legato Reginaldo Polo, datiſque litteris ad Inſulæ Epiſcopos, Proceres, & ad Regem Scotiæ, nullo pepercit labori, quo in priſtinum ibi Religio erigeretur ſplendorem an. 1537. n. 38, & ſeqq. Tam vero perverſa lues ne Gallias pervaderet, impedimento ut eſſet validiſſimo, Jacobo Cardinali Sadoleto litteris efficaciſſimis ſe dedit auctorem an. 1539. n. 33; 1547. n. 123, & ſeqq.; & 1549. n. 27. Sed & Calvino, qui a Melchiore Wolmaro, & Roberto Rollino una cum litteris Græcis, & Hebraicis hæreſis venenum hauſerat, ne ſuis Inſtitutionibus, quas ex Oecolampadii ſcriptis, Melanchtonis locis, Hipperii Sarcatii, Martini Buceri, aliorumque quiſquiliis an. 1536. conſarcinaverat, Gallias inficeret, intercludendus ei fuit aditus. Ad hæc in Hibernia Georgium Armachanum in hæreſim lapſum Sacerdotio exuit, ipſius in locum ſuffecto Roberto Wancop viro germane orthodoxo n. 36. Quin etiam ad lapſas ibidem res fidei reſtaurandas mactos virtute viros deſtinavit Alphonſum Salmeronem, & Johannem Codurium Soc. J. Presbyteros, quo poſteriori defuncto paullo poſt, in ejus partes ſubingredi Paſchaſius Broetus juſſus eſt, quas perinde ut pro uniuscujuſque viribus adjuvarent, Epiſcopos, Clerum utrumque, Principes, Optimates, & Populum, Regem etiam Scotiæ admonere, adhortari, animare non deſtitit an. 1541. n. 52, & ſeq. Quid iſthæc autem? quandoquidem multo eum magis urebant morbi tam graves, ac quotidie in Germania ingraveſcentes. Quibus curandis quantam, Deus bone! operam non pendit, & quam impendere

neglexit unquam! Pendi, & impendi ſane pro virili parte Legatos ſuos Hieronymum Aleandrum, Marcellum Cervinum, Thomam Campegium, Gaſparem Contarenum, Johannem Moronum, Othonem Truchſeſium, Franciſcum Sfondratum, Alexandrum Farneſium, Hieronymum Verallum, Proſperum Sanctacrucium, Aloyſium Lippomanum, Sebaſtianum Pighinum, Antonjum Auguſtinum &c. voluit: qui quatenus ſe ipſi tot medendis impares malis eſſent, adjutrices eis adjungere manus, ſocioſque laboris, ac ſollicitudinis accedere juſſit, & inſtitit Carolum V. Imp., Bavariæ Duces, Franciſcum Galliar. Regem, Sigiſmundum Regem Poloniæ, Henricum Ducem Brunſvicenſem, alioſque Germaniæ Principes, Moguntinum Archiep., Epiſcopos Viennenſem, Herbipolenſem, Hildesheimenſem, Merſeburgenſem &c., viroſque doctiſs. Albertum Pighium, & Antonium Perenottum Atrebat. Antiſtitem an. 1538. n. 38, & ſeq.; 1539. n. 1, 9, & ſeqq.; 1540. n. 27, & ſeqq; 1541. n. 1, & ſeq.; 1542. n. 1, & ſeqq.; 1543. n. 49; 1546. n. 39, & ſeq., 94. & ſeqq., & 113; 1548. n. 50, 72, 81, & ſeqq.; & 1549. n 4, & 23. Quarum ad Pauli III. laudum cumulum perinde facit, quod a Catholica fide deficiente Hermanno a Weda Colonienſi Archiep, Clerum, Senatumque Colonienſem, Monaſterienſem, Oſnabrugenſem, & Mindenſem ad conſtantiam in ipſa confirmare curavit; ſceleſtoque illi fruſtra ſæpe ad frugem invitato, gladioque tandem Eccleſiaſtico confoſſo, Adolphum germane orthodoxum ſuffecerit an. 1543. n. 22, & ſeqq., ac 1546. n. 103, & ſeqq. Quod Petrum Vermilium, ſola appropinquatione ſua, Luca, quam inficere inceperat, in fugam conjecerit, præcipitemque ſe Genevam, abſceſſurum poſtea in Angliam, ſe recipere coegerit an. 1543. n. 57. Quod Paulum Vergerium Epiſcopali, qua ob hæreſim indignus evaſerat, dignitate ſpoliaverit an. 1549. n. 23. Quod Grimanum Patriarcham Aquilejenſem hæreſis ſuſpicione laborantem in jus Romam acciverit: qui tamen Apologia ſubmiſſa labem omnem abſterſit, a qua perinde abſolutus a Pio IV. abivit. Quod Lutheranam, & Zuvinglianam hæreſim in Italiam invectam longiſſime incunctanter eliminaverit: ac Mutinæ quidem a Philippo Valentino diſſeminatam Ducis Ferrarienſis opera, Mantuæ quoque diligentia Cardinalis Mantuani; Vicentiæ vero mutuo

tuo concurſu Nicolai Cardinalis Ridolphini , Senatuſque Veneti anno 1545. n. 52 , & ſeq. , ac 1546. n. 147. Luem hanc Mutina deinde Brixiam invectam Vincentii Nicoſantii Arborenſis Epiſcopi cura extinxit Julius III. anno 1550. n. 37.

De quo nunc loquendo , ingenti ei laudi jure vertitur intenſiſſimus ardor ille , quo Religionis in Polonia , & Pomerania tuendæ ſuccenſus , Sigiſmundo Regi , Nicolao Gneſnenſii , Johanni Chelmenſi , Andrææ Uladislavienſi , Samueli Cracovienſi , Andrææ Plocenſi , Benedicto Poſnanienſi , Johanni Primislienſi , Stanislao Culmenſi Antiſtitibus , ne a ſtudio graſſantem in Germania Lutheri , Calvinique luem aditu prohibendi , Religioniſque defloreſcentis rationes ſuſtentandi defetiſcerentur , ſtimulos adjicere non deſivit apud Raynaldum ad annos 1550. n. 39, & ſeqq., ac 1552. n. 53 , & ſeqq. Pari ſollicitudine Calvinianam procul e Gallia propellere hæreſim allaboravit litteris ad Henricum II. Gall. , & Antonium Navarræ Reges an. 1550. n. 35 , & ſeq. Ideo de Pariſienſi Academia in puritate fidei retinenda ſollicitus , e Collegio abſcindi , qui in propoſitiones fidei parum congruas erumpere cernebantur , diſtricte præcepit an. 1551. n. 12. De impiis , impudentiſſimiſque Proteſtantium poſtulatis a Tridentinis Patribus certior factus , conſultuſque , Achille de Graſſis Faliſcorum Antiſtite Internuntio miſſo, aptiſſima , quibus duriſſimum oſoribus illis os obſtrueretur , reſponſa reddidit an. 1552. n. 17. Italiæ quammaxime incolumitati pervigilans , Calvinianæ hæreſi in Ferrarienſi Ducatu , ac Florentino ſubortæ confeſtim elidendæ ſtrenuis fidei Cenſoribus ſpartam impoſuit , quam eopſe ſedulo impleri voluit , quo minor principio mali impendebat timor an. 1552. n. 57. Præconceptam animo ſpem , in quam aſſurrexerat, collapſas in Anglia fidei rationes erigendi, nihil prætermiſit eorum , quibus ratam faceret , in operæ partem adſcitis , provocatiſque Maria Regina, Henrico Franc. Rege, Carolo V. Imp., Reginaldo Polo, Franciſco Commendono, Antonio Auguſtino, recenſque creatis Epiſcopis octo germane orthodoxis , veluti diſcimus ex Sandero lib. 2. hiſt. Schiſm. Angl., Pallavicino hiſt. Concilii Trid. lib. 13. cap. 10, & Raynaldo ad an. 1553 n. 3, & ſeqq., ac 1554. n. 1, & ſeqq. Atque id utique a Reginaldo Polo in Anglia

glia effectum, ut leges in Apoſtolicæ Sedis injuriam vergentes abolerentur ad unam omnes, eique reconciliarentur Angli, ſcripſit nedum Sanderus lib. 2, ſed nec inficias auſi ſunt ire Thuanus hiſt. lib. 13, Sleidanus lib. 25, & Burnetus hiſt. Reform. lib. 2. Quam perinde in curam ingreſſus Paulus IV. Angliam in fide confirmare ſategit an. 1555. n. 25, & ſeqq. Eccleſiis præfectis Epiſcopis, quorum de germana fide conſtabat, deque gradu deturbato Thoma Cramnero, qui fatente Burneto, hæreſim quidem, ſupplicio deterritus, ejurare finxit, ſed pertinax ad mortem uſque retinuit. Ad rem Catholicam in Germania ſtrenue propugnandam Maximilianum Bohemiæ Regem, Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, Albertum Bavariæ Ducem, Antiſtites, ac in his Adolphum hujuſce nominis III. Colonien., Urbiſque Magiſtratum, inde pellendi Judocum Velſium hæreſibus eam inficere conantem, utriſque auctorem ſe præbens, adhortari haud ſatius habuit, niſi & ipſe ſolemni adverſus hæreſes omnes Decreto edito, omni, quo fieri meliori potuiſſet, modo Religioni proſpicere ſtuduiſſet: quod ſane præclarum ſtudium fuſe proſequitur cum Onuphrius in ipſius vita, tum Raynaldus ad an. 1555. n. 42, & ſeqq., ac 1556. n. 16, & ſeqq. Sed & in Poloniam Calvinianæ hæreſis inlatæ a Valentino Gentili, a Paulo Alciato, a Georgio Blandrata, a Petro Statorio &c. fama percitus, ad ejuſdem actutum reſtinguendas faces, Legato miſſo Aloyſio Lippomano, litteriſque exſtimulatis Sigiſmundo Auguſto, quem maxime ad Johannem Lasko, ac Petrum Vergerium Regno propellendos urget, & impellit, ac Bona Regina Matre, officiique admonitis Regni cum Præſulibus, tum Optimatibus, opera contendit, ac ſe contulit omni an. 1555. n. 55, & ſeqq., 1556. n. 34, & ſeqq., 1557. n. 38, & ſeqq., ac 1558. n. 16, & 19. In ejusdem ſollicitudinis, qua Religionis in Gallia labeſcentis reparandæ, diſtinebatur, partes Cardinalibus in Regno degentibus adſcitis, impeditiſſimam ſpartam hanc adornandam impoſuit, ampliſſima in hæreticos diſtricta animadvertendi ſententia facta facultate an. 1557. n. 29. At enim eò potiori in Germania Chriſtianæ res afflictiſſimæ Pontificis opera indigebant, quò ad priſtinam fidei obliterandam faciem hæreſum cujuslibet genus confluxiſſe videbatur colluvies. Itaque agendo indefeſſus

Magde-

Magdeburgenſem, Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Salisburgenſem, Auguſtanum, Bambergenſem, Herbipolenſem, Eychſtetenſem, Paſſavienſem, & Patavienſem Epiſcopos, & Albertum Bavariæ Ducem ad conjungendas adverſus graſſantes hæreſes vires accendit an. 1558. n. 13, & ſeq. Victorem Superantium Bergomenſem pſeudo-Epiſcopum hæreſi fœde laborantem gradu dejecit; geminaque edita Conſtitutione cum hæreſibus inſperſos libros e Chriſtifidelium manibus eripuit, tum Canonicas in hæreticos pœnas inſtauravit, & auxit an. 1558. n. 20, & ſeq. De ſumma denique ejus ſollicitudine Hiſpaniam, Italiamque ab hæreſum labe ſervandi immunes videſis Raynaldum ad an. 1559. num. 20, & ſeqq.

Pias, ſuoque vere tam nomine, quam munere dignas, quas a Pontificatu inito ſubito Pius IV. curas induit rei Catholicæ ubique gentium erigendæ, reſtituendæ, augendæ, multis oſtendit modis apud eumdem Annaliſtam ad an. 1560, & ſeqq. Ita in Polonia litteris efficaciſſimis ad Sigiſmundum Regem, & ad Regni Præſules n. 6, & ſeq. Ita in Hungaria, & Bohemia Hoſio Legato miſſo, admotiſque ſtimulis Maximiliano Regi, ac Strigonienſi Archiepiſcopo ibid. n. 9, & 15. Ita in Hiſpania ſalutaribus monitis ad Philippum Regem n. 22. Ita in Anglia, & Scotia Legato directo Vincentio Parpalia, litteriſque officio cumulatiſſimis ad Elizabetham Reginam, ad Ferdinandum Imp., ad Philippum Hiſpan. Regem, & ad hujus in Anglia Oratorem Alvarum de Quadra Aquilanum Epiſcopum n. 42, ſeqq.: item datis litteris ad Mariam Reginam, pridem a Clemente VII., & Paulo III. illuſtri *Defenſoris fidei* titulo exornatam, ad Regni Proceres, ac duobus e Soc. J. Presbyteris deſtinatis Nicolao Gaudano, & Everardo Mercuriano an. 1562. n. 182, & ſeq., ac 1563. n. 113. Ita in Pedemontio fidei Cenſoribus conſtitutis, votiſque ſollicitato Emanuele Philiberto Duce an. 1561. n. 106. Ita in Gallia fidei Quæſitore deſignato Franciſco Cardinali Turnonio, Georgio Card. Armeniaco Religionis negotio demandato, Nannetenſi Epiſcopo ob hæreſim gradu dejecto, officiique admonitis Franciſco II. Rege Franc., Antonio Navarræ Rege, ac Johanna conjuge an. 1560, n. 30, & ſeqq., & 85: iterum Legato miſſo Hippoly-

polyto Card. Ferrarienſi, fidei Cenſoribus Avenione creatis, litteriſque datis ad Carolum IX., ad Navarræum Regem, ad ejuſdem Fratrem Condæum Principem, & ad Guillelmum Naſſovium Principem Auraſiæ an. 1561. n. 84, & ſeq., & 104: novis item litteris ad Michaelem Hoſpitalium Regni Cancellarium an. 1562. n. 130, ad Regni Proceres, & ad Jacobum de Sabaudia Nemurcenſem Ducem ſtrenuum fidei aſſertorem: monitoriis juſſionibus ad Principem Auriacenſem, animadverſione ſevera in Odetum Caſtilionaeum, & Johannam Navarræam, quam perinde ad frugem bonam pellicere fruſtra S. Pius V. inſtituit, jureque dicto in Claudium Reginum Olorenſem, Johannem de S. Gelaſio Uticenſem, Ludovicum Albretium Laſcurenſem, Johannem Claramontium Aquenſem, Carolum Gillarium Carnotenſem, Antonium Carraciolum Trecenſem, Johannem Monlucium Valentinum (quibus a Raynaldo adjungitur Johannes Barbanſonns Apamienſis) Epiſcopos hæreſi Calviniana laborantes; de quibus Spondanus ad an. 1563. n. 50, Maimburgus in hiſt. Calvin lib. 6. pag. 329, Varillas hiſt. Caroli IX. tom. 2. pag. 2, & ſeqq., ac Raynaldus ad an. 1563. n. 48, & ſeq., 133, & ſeqq. Quam a Pio IV. latam promulgavit poſtea ſententiam S. Pius V. apud Gabutium lib. 2. ejus vitæ cap. 4, & Laderchium ad an. 1566. pag. 258, & ſeq. nov. edit. Rom. 1728: in qua poſteriori tamen præteritur Carraciolus pridem jam loco pulſus. Hinc profectum, effectumque præſumere fas eſt, ut Pontificum zelo excitati ad eorumdem viribus, quibus poſſent, adjuvandas partes concurrerent viri macti virtute, doctrinaque ſpectatiſſimi, qui facto agmine Lutheri, Calvinique adverſus phalanges in aciem proſiliere. Horum catalogum, dignus ipſe quammaxime, qui illuſtrem inter eoſdem occupet locum, contexuit Johannes Fiſcherus in præf. lib. de Verit. Corp., & Sang. Chriſti in Euchar., nempe recenſentur ex Germania Eraſmus, Johannes Shleinitzius, Jo: Cochlæus, Homonymus Ekius, Hieronymus Emſerus, Jo: Faber, Gaſpar Satzgerus, Jo: Dittemburgus: ex Anglia Henricus VIII. Rex, Thomas Morus, Jo: Poulæus, Guillelmus Melconus: ex Gallia Jodocus Clichtovæus, Stephanus Longolius: e Belgio Jacobus Latomus; ex Italia Ambroſius Catharinus, Silveſter

Prie-

Prieras &c. Quorum in censum referri pariter merentur ex instructione a Paulo III. data Jo: Morono Nuntio ad Carolum V. Imperat. apud Raynaldum ad an. 1537. n. 9. Fridericus Nausea, Georgius Vecrelius, Johannes Haner, Leonardus Marstaller, Nicolaus Apel, Jo: Burchardus, Ludovicus Ber. Sed & in Anglia strenuos adversus hæreticos se athletas dedere Richardus Smithæus, Edmundus Bonerus, Stephanus Gardinerus, Cuthbertus Tonstallus, Nicolaus Herthus, Jo: Storæus, quos digno Sanderus lib. 2. Schism. Angl. mactat elogio: quo perinde defraudari nequeunt Landgallus, Crispinus, & Mormannus. Atque hujusce genus belli expertissimi apud gentes alias ingenti numero sub hac ipsa tempestate prodiere, inter quos Albertus Pius, Gaspar Quaramier, Johannes a Daventria, Stanislaus Hosius, Albertus Pighius, Carolus Espencæus, Claudius Jajus, Petrus Faber, Alphonsus Salmeron, Petrus Canisius, Franciscus Sonnius, Guillelmus Rousæus, Laurentius Surius, Nicolaus Sanderus, Andræas Vega, Petrus Fontidonius, quos duos postremos adversus Carolum Molinæum calamum exacuere a S. Pio V. jussi sunt. Mitto longe plures, ne sim longior.

Atque ut in viam me recipiam, gradumque faciam ad S. Pium V, quanto hic zelo adversus hæreticos jam ante flagrarit, quam Pontificatum iniisset, præter egregiam, quam per se met præstitit indefessus operam, argumento sunt documenta, quibus Felicem Perettum Montaltium, in Pontificatu Sixtum V, Censorem fidei Venetiis constitutum diligenter instruit, quæ recensuit lib. 3. ejus vitæ Gregorius Læti. Non parvæ eidem laudi, quæ Pio IV. ab aliis tribuitur, a Gabutio vertitur, quod Christophori Roderici Soc. J. opera Valdensium in Neapolitano Regno reliquias ad fidem reduxerit. Atque verborum quidem efficacia nedum, sed eximiis quammaxime morum exemplis hæreticorum complures, in quibus Olicæ Principem in Polonia una cum conjuge a Pio V. ad fidem revocatos fuisse refert Gabutius lib. 6. ejus vitæ cap. 3. Primas inter Pontificalis curæ partes, quas numeris expletas omnibus intueri licet apud Gabutium lib. 3. cap. 6, & Laderchium ad an. 1566. pag. 109, & seqq., ea præfulsit, qua dilapsas in Germania res sacras erigere desudavit. Tantum enim

ad opus promovendum elaboratiſſimi imprimis viri, ac virtute paris habuit delectum, ideſt Jo: Franciſci Card. Commendoni, laboris ſociis eidem adjunctis Scipione Lancelloto, Nicolao Sandero, Hieronymo Natali, Petro Canisio, & Jacobo Ledeſma, qua de re Antonius Maria Gratianus in vita Commendoni lib. 3. cap. 2, & ſeqq. ejuſdem hac in legatione individuus comes. Litteris etiam datis, Maximilianum Imper., Carolum, & Ferdinandum Auſtriæ Archiduces, Albertum Ducem Bavariæ, Danielem Archiep. Moguntinum, Fridericum Herbipolenſem Antiſtitem, Præſuleſque alios, ac Principes ad rem fidei ſtrenue pro virili agendam provocavit. Quas inter litteras illæ lectu valdequam dignæ ad Carolum Archid. Auſtriæ, qua comprimi Ludimagiſtrum quemdam hæreſes in Diœceſi Polenſi diſſeminantem jubet: ad Patavienſem Epiſcopum, qua pœnis Canonicis in Chriſtophorum Illingherum hæreſi inquinatum diſtricte animadverti mandat: ad Leonſertium Evangelii præconem, qua ad dandam in Miſnenſi Diœceſi ſtrenuam dilatandæ fidei operam ſtimulos adjungit: ad Carolum Auſtriacum, & ad Clerum Friſingenſem, qua puritati fidei pervigilare, ne ſordium quidquam e vicinia ad eam fœdandam adreperet, illos admonet: ad Salisburgenſem Antiſtitem, qua ſeverum in quoſdam hæreticos, qualis Puiſer erat, jus diſtringere imperat apud Laderchium ad annos 1566. pag. 146, & ſeqq., 1567. pag. 410, 428, & ſeqq., ac 1568. pag. 47, & 59. Ab Auguſtana Confeſſione ad fidei integritatem regredientes, fidemque ſibi omnem ſuam obſtringentes, par nobile Fratrum, Comites ab Helfenſtein, venerandum Gablerum, & Gaſparem Francum benigne complexus legitur apud Surium in Comment. anno 1567. Repetitis monitis ad Maximilianum Imperat., ad Melchiorem Bilium Nuntium ſuum, & ad Germaniæ Præſules, nominatimque ad Salisburgenſem, Patavienſem, Baſileenſem, Pragenſem, Eyſtetenſem &c., apud Laderchium ad annum 1568. pag. 56, & ſeqq., ut junctis viribus tot, ac tam in dies altas radices agentes, ſpandenteſque hæreſes averruncare allaborarent adhortari non deſtitit. Ad hæc ne ſua negligentia permitterent, ut in proximis Comitiis Spirenſibus Religioni quidpiam probri inferretur, tam Moguntinum, Trevirenſem, Leodienſem, Camera-

censem, Spirensem, Eystetensem, Bambergensem, Herbipolensem, Passavienſem, Monasterienſem, & Salisburgenſem Antistites, quam Ferdinandum Austriæ Archid, Ducesque Bavariæ, & Juliæ admonitos voluit litteris apud eumdem Annalistam legendis ad an. 1570. pag. 122, & seqq. Pro Religione quoque Coloniæ, Herbipoli, Magdeburgi, in Austria, & Bavaria retinenda, tuendaque litteris sedulo laborare non desiit ad Consules, & Doctores Colonienses, ad Canonicos Hildesienses, ad Episcopum, & Capitulum Herbipolense, ad Carolum Austriæ Archid., & ad Albertum Ducem Bavariæ, quas Laderchius recenset ad an. 1570. pag. 129, & seqq., & 1571. pag. 306.

Neque profecto stetit per ipsum, quo minus in pristinum in deterius quotidie vergens Religio decus restitueretur: nam Episcopos, qui Comitiis Petricovienſibus interfuturi erant, ac signatim Jacobum Gnesnensem, Philippum Cracovienſem, Petrum Miscovium Plocensis Coadjutorem, ac Stanislaum Hosium Varmiensem (cujus zelo cumulatissima adversus Confessionistas, Tritheistas, & Anabaptistas epistola 78. ad Jacobum Uchanskium Gnesn. Anristitem lectu digna) votis solliciraſſe, ne quidquam orthodoxæ fidei minus condecens moliri paterenrur, apud Laderchium legitur ad an. 1566. pag. 194, & seqq. Quod ei plane tantis pro votis succeſſit: siquidem Regis, Senatusque edicto hæretici e Poloniæ finibus ad unum omnes facesſere jussi sunt. Quo perinde in fidei studio confirmare sategit Dialinium Palatinum Columiensem ibid. pag. 210, Sigismundum Regem, misso etiam Nuntio Julio Rogerio an. 1567. pag. 440, & seq., Stanislaum Carncovium Episcopum Uladislav., e Diœceſi procul expelli Fricium hæreticum jubens; ac viciſſim de Chiovensi Episcopo hæresi infecto loco abigendo cum Rege agens an. 1568. pag. 112, & seqq. Prope instirit, & anxie præmonere Episcopos ad Lublinensia Comitia profecturos, Philippum Cracov., Valentinum Presmilienſem, Adamum Posnanienſem, Jacobum Gnesn., Hosium Varmien., Sigismundum Regem, Albertum Laski Palatinum Syradienſem, Regnique Præsules alios, ac Proceres, ne ab officio defendendæ fidei se dimoveri unquam sinerent, quod eis magno cederet dedecori, apud Gabutium lib 3. cap. 2, & Laderchium

ad annos 1569 pag. 290, & 310, 1570. pag. 157, ac 1571. pag. 333, & ſeqq. Ex quo perinde diſces quatenus in Hungaria adverſus hæreticos Chriſtianæ res curandæ, ac procurandæ Antonio Agriæ, Paulo Nitriæ, & Georgio Zagabriæ Epiſcopis demandatæ fuerint, & commendatæ ad an. 1569. pag. 287, & ſeqq. At enim moeſtioribus oculis metiebatur tot mala, quibus Anglicanam Eccleſiam afflictari non ignorabat. Quid enim non factum, quid non quotidie novi fieri in Religionis dedecus, ac detrimentum tam illuſtri olim in Regno conſpiciebat? Qui proinde fortiſſima in arce poſitus, nihil poſtquam apud Elizabetham Reginam monitis, mandatis, miniſque profecit, ac promovit, in eam ſevera animadvertit ſententia. Neque me quidem fugit, quid hinc optimum in Pontificem Anglo-Calviniſtæ oblatrent: at enim negent, ſi pudorem exuere prorſus omnem, jam tum in Anglia Religionis res ita inclinaſſe, ut *impie cogitare ea demum ſola, & vera eſſet libertas*, veluti poſtea e Britannia ab amico ſibi nuntiatum commemorat Cl. Muratorius in præfat. libri de Paradiſo adverſus Burnetum: cujuſmodi inſanæ adverſus libertatis propugnatores quibus nam aliis, quæſo, armis pugnandum manebat Pontifici, quam ferro, quam flamma? Ad hæc autem in Scotia labentem relevare Religionem conaru omni contendit, opera adſcita Maximiliani Imper., Philippi Hiſpan. Regis, & Caroli Regis Francor., Nuntio miſso Vincentio Lauræo Montiſregalis Epiſcopo, ac Edmundo Hajo Soc. J. ſtrenuo viro, animoque confortata Maria Regina, in quam effuſa a Bucchanano, & Thuano impia maledicta poſt Turnerum in ejus vindic., & Conæum in ejuſdem vita, egregie retudit Laderchius ad an. 1566. pag. 213, legendus etiam, ſi libet, pag. 163, & ſeq., 225, & ſeqq., ac 1567. pag. 393, & ſeq. Converſa in Gallias cura, quanta S. Pius V. animi contentione cum Calvinianæ excindendæ hæreſi, tum Catholicæ tuendæ rei incubuerit, docent Varillas hiſt. Caroli IX. tom. 2. pag. 102, Gabutius lib. 2. cap. 4, & ſeq., ac Laderchius ad an. 1566. pag. 254, & ſeqq., 1567. pag. 391, & ſeqq., ac 1569. pag 221, & ſeqq., uſque ad pag. 267; documentoque ſunt egregio cum legationes inpoſitæ Michaeli Turriano Cenetenſi Epiſcopo, Carolo Cardinali Borbonio, Georgio

gio Card. Armeniaco &c., tum litteræ repetitæ ad Carolum Francor. Regem, ad Catharinam Reginam, ad Carolum Ducem Lotharingiæ, ad Senatum Dolanum, ad Canonicos Biſuntinos, ad Cardinalem Lotharingium, ad Duces Andegavenſem, & Nivernenſem, ad Regni Optimates, ad Comitem de Tavanes, ad Jacobum Epiſcopum Vaſonenſem, ad Felicianum Archiepiſcopum, Conſules, ac Cives Avenionenſes, ad Canonicos Valentinos &c. Præter eos ſex, quos confirmata Pii IV. ſententia, gradu Epiſcopali dejecit, Præſules alios Calviniana pariter labe ſuſpectos, laborantesque a Pontifice in jus vocatos, ac in his Franciſcum d'Avancon Gratianopolitanum, ad quem datas ideo litteras, junctis illis, quas ad Michaelem Turrianum dedit, refert Laderchius ad an. 1566. pag. 254, & 263, indicare videtur Petrus Frizonius Gall. Purpur. pag. 591. Tum in Calvini Synagogiſtam Muretetum in Diœceſi Biſuntina hæreſes diſeminantem, tum in Sabaterium, & Corteſonum in Venaſyno Comitatu fidei bellum inferentes ſevere animadverti juſſit. De ſtudio denique, quo Hiſpanias puras ab hæreſi cuſtodiri diligenter curavit, confer Gabutium lib. 3. cap. 4, litteraſque ad Chriſtophorum Palentinum Epiſcop. apud Laderchium ad an. 1566. pag. 287: neque enim ſingillatim omnia perſequi vacat, ac præſtat.

Quanta tamen conſervandæ, tuendæque in Belgio labeſcenti Religioni ſollicitudine S. Pius V. allaboraverit, prætermitti nequaquam poteſt. Principio ad Religionem ibidem adaugendam ab ipſo omnium primo Numiſmata, vulgo *Medaglie*, conſecrata fuiſſe, eademque geſtantibus Indulgentias conceſsas auctor eſt Gabutius lib. 6. cap. 2. Propius vero demandata provincia Julio Paveſino Archiep. Surrentino, datiſque imperiis ad Margaritam Auſtriacam, ad Nobiles Belgas, ad Eccleſiarum Præſules, & ad Philippum Hiſpan. Regem, de quibus Laderchius ad an. 1566. pag. 279, & ſeqq., officii admonuit, quo Religionis ſecuritati invigilare, ſtudereque oporteret. Itaque effectum, ut Johannes Clericus turbarum incentor, ac ut Confeſſionem Auguſtanam conſectari Belgis liceret, audacter inſiſtens Maximiliani a Bergis Archiep. Cameracenſis, ac Magiſtratus ſententia capitis condemnaretur, velut enarrat Michael Iſelet in hiſt. ſui tempor. apud Laderchium

derchium ad an. 1566. pag. 286. Potiſſimæ tamen operæ pretium fecit Provinciam a Michaelis Baji, & Johannis Haſſelii erroribus expurgandi: quos proinde configendos duxit Conſtitutione an. 1567. Kal. Octob. edita *Ex omnibus*, confirmata ſubinde a Gregorio XIII, inſertaque Conſtitutioni 284. Urbani VIII. *In eminenti*. Baji porro opera poſtea fictis typis Colonienſibus, ſed revera in Hollandia, ubi e Gallia transfuga deliteſcebat, Petri Coddæi pſeudo-Epiſcopi Sebaſteni contubernalis, anno 1696. in lucem proferre non dubitavit Gabriel Gerberonius. Quem ſane proſtitutum Janſeniſtam, profligatæque verecundiæ hominem illud quammaxime prodit, quod ibidem productis Rom. Pontificum Bullis, Academiarum Pariſienſis, Salmanticenſis, & Complutenſis graviſſimis Cenſuris an. 1560, & 1567. adornatis, Synodi Mechlinenſis decreto an. 1570. edito, & Cardinalis Granvellani epiſtola ad Maximilianum Morillonum Vicarium ſuum, quibus omnibus Baji, & Haſſelii doctrina atro carbone ſuggillatur, eam tamen vindicare non eſt veritus: quod retuliſſe, abunde refutaſſe eſt. Huc facit, quod de Franciſco Cellaria in finibus Rhetorum hæreſes ſpargente comprehendi, ſevereque puniri juſſo a Pio V, errores tamen ejuranti parcita ignis pœna, refert Gabutius lib. 3. cap. 12. Dignas quoque pro erroribus, quibus opuſculum præſertim ſub hoc titulo *Actio in Pontifices Romanos, & eorum Aſſeclas* inſperſerat, ac in vulgus ſparſerat, ab Aonio Palleario patria Verulano, ac Mediolani linguæ Græcæ, Latinæque magiſtro repetiit. Cæterum quæ de ignis ſupplicio Palleario conſumpto ex fide ſubleſta Thuani lib. 49. legitur relatum in præfat. ad ejuſdem Pallearii opera Amſtelod. an. 1696. edita, non ſecus atque de Carneſecho, & Zoannetto eodem ignis ſupplicio interemptis a Thuano traditis, refellit Laderchius ad an. 1568. pag. 202, & ſeq., ubi pag. 25. ipſius præcipua quatuor errorum capita deſcribit. Datis ad hæc litteris ad Principem Honoratum de Sabaudia Tendæ Comitem, Antonium Chiantam, & Innocentium Guinum, alioſque ab Epiſcopo Ventimilienſi indicandos comprehendi, eidemque Epiſcopo debitis plectendos pœnis tradi juſſit apud præcit. Annaliſtam ad an. 1569. pag. 204. Paulo III, & Pio IV. ſucum facere aliquando licuerat Petro Carneſecho, Jo:

Val-

Valdesii, Aloysii Priuli, M. Antonii Flaminii discipulo, ac Petri Vermilii, Galeazii Caraccioli, Victoris Soranzii, Apollonii Merendæ, Pauli Vergerii, Lactantii Ragnonis, Balthasaris Alterii &c. familiari; non ita tamen S. Pii V. perspicacissimam fallere potuit fidem, quin infamis hæresis, cujus summa capita 34. numerat Laderchius ad an. 1567. pag. 327, justissimas dare pœnas compelleretur. Hinc, post Heideggerum, Thuani hist. lib. 39. hanc maxime ex Theodoro Beza, & Georgio Bucchanano, hæreticisque aliis consarcinantis falsis de Carnesecho narrationibus fidem detrahendam omnem eodem loci ostendit Laderchius. Nec satis mirari subit, cur Shelhornium Carnisechi elogium recensere non dedecuerit Amœnit. litter. tom. 10. pag. 1198. Quamquam ego quidem non miror de Bruy mendaciis, quibus narrationem istam inspergit hist. Pontif. tom. 5. pag. 65, quippe qui pessima maledicendi prurigine affectus de Concilii etiam Tridentini decretis, præsertim adversus Protestantes editis, obloqui non destitit tom. 4. pag. 668, & seq. At his posthabitis, Romam in jus petitus a Senatu Veneto Guido Zoannetus, homo sicuti librorum Lutheri, Melanchtonis, Buceri, Oecolampadii, Brentii, Calvini, Hermanni, Bodi, Vandiani, Erasmi &c. lectioni deditissimus, ita Ragnonis, Carnesechi, Endimii Calandræ, Petri Martyris &c. consuetudine delectatus, Patavii an. 1566. comprehensus, ac Romæ hæresum 38. capitibus convictus, quum pravis se abdixisset erroribus, commutata capitis pœna, perpetuo carceri mancipatus est: de quo adeundus Laderchius ad an. 1566. pag. 97, & 1569. pag. 201, & seq. Denique ab Octavio Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duce Johannem Galeazium Sanseverinum hæresibus a capite ad talos aspersum fidei Quæsitoribus tradi impetravit; atque a Philiberto Duce Sabaudiæ Johannem Thomam in carcerem jam conjectum ob hæreses debitis puniendum suppliciis petiit apud Laderchium ad an. 1570. pag. 88, & seq.

Jam vero cum temporis angustia, tum tractationis amplitudine valdequam urgeor brevitate uti, utque dicendi modum aliquando faciam, ex innumeris, quæ de sequioris ætatis præclare in hanc rem a Romanis Pontificibus impensis operibus dicenda superfluerent, pleraque quædam præterire, quædam vero pau-

ca in cumulum indigeſte conferre. Itaque Gregorius XIII. inſigni ſeveritatis exemplo, quo ceteros intra recti, juſtique tramitem retineret, Gebhardum Truſcheſium Colonienſem Antiſtitem ad Calvini errores delapſum Sacerdotio exſpoliavit. Religioni in Germania, Gallia, & Anglia reparandæ cura diligenti, ac Pontifice digna incubuit, de qua Famianus Strada de bello Belg. decad. 1. lib. 9, Spondanus ad an. 1580. n. 20, ac etiam Gregorius Læti in hiſt. Elizab. ad an. 1579. A Sixto V. ſevera, juſtaque, ut ut contra obloquatur Mezeræus epitom. Chron. tom. 5. pag. 335, & 383, ac ſeq., cenſura Henricum Navarræum, ejuſque Patruelem homonymum Condæum Principem a noxa Religioni inferenda abſterruit, & Henricum III. Franc. Regem ad bonam redintegravit frugem. Conſulesis P. Caſimirum Tempeſti in vita Sixti V. tom. 1. lib. 10. Integrato quoque anathemate, de quo Pelletierius vit. Sixti lib. 8, Elizabetham prætenſam Angliae Reginam cum ob ſævam in Catholicos motam perſequutionem, tum ob iniquam Mariæ Stuartæ inlatam necem, tam Civilibus rebus, quam chriſtianis Sacris abſtinuit. Hanc porro virtute mactam Scotiæ Reginam ex odio catholicæ fidei capite fuiſſe condemnatam opinatur recte Benedictus XIV. de Beatif., & Canoniz. lib. 3. cap. 13. n. 10. Quam opinionem, præter ea, quæ ſuppeditant, documenta Cornæus in ejus vita, Robertus Turnerus de Maria innocente a cæde Darlejana, Belleforeſtus de ejuſdem innocentia, Famianus Strada de vita, & morte Mariæ, aliique inter 16. Scriptores de vita, & rebus Mariæ Stuartæ recenſiti a Samuele Jebb Volum. 2. edit. Lond. 1725; quibus jungendi Spondanus ad annos 1567, 1570, & 1587, ſcriptorque Anonymus de Mariæ Stuartæ ſupplicio, & morte pro fide catholica edit. Colon. 1587, præter hæc, inquam, ejuſdem Reginæ confirmat epiſtola die 23. Novemb. 1586. ad Sixtum V. exarata, catholicæ fidei zelo, obedientiaque erga Apoſtolicam Sedem refertiſſima, qua viciſſitudines ſuas, captivitatem, ærumnas, ſuam demum ad mortem pro catholica fide condemnationem, ardenſque de Angliæ converſione deſiderium exponit. Quam arcte Gregorio XIV. infixa cordi fuerit integræ in Gallia catholicæ Religionis cuſtodiendæ, & ab adverſis Navarræi Regis conatibus defendendæ ſollicitudo, oſten-

ditur

ditur a Spondano ad an. 1591. n. 4. Clementem VIII. quoque arcte tenuit obſervantia eorum, quæ adverſus hæreſes a Prædeceſſoribus ſuis fuerant optime conſtituta. Gallos ideo Epiſcopos acriter objurgavit, quod Henrico IV. abſolutionis impartiri beneficium non abſtinuiſſent, ad unum id Pontificem ſpectare affirmans, relapſum Regem priſtino juri cum Politico, tum Chriſtiano idoneum reddere: quem perinde fidem orthodoxam profeſſum, ritu ſolemni, de quo Spondanus ad an. 1597. n. 9, & ſeq., Perefixus hiſt. Henrici IV. pag. 212, & Thuanus tom. 5. lib. 113. §. 21. pag. 519, & ſeq., per Legatos ſuos Cenſuris ſolvit, ac Regno, Communionique reſtituit. Ad hæc litteris datis, miſſoque Hieronymo Dandino Soc. J. Maronitis auctorem ſe dedit, ut quorumdam errorum, quibus fama deferente gentem laborare perceperat, ſincera fidei expoſitione ſuſpicionem e veſtigio omnem eluerent; quod pro voto perfectum eſt: nam Synodo an. 1596. habita ſub Sergio Petro Patriarcha, cujus acta ex Dandini libro de Miſſionibus Apoſtolicis deſcripta in ſuum Concil. Suppl. tom. 5. pag. 1213, & ſeqq. tranſtulit Manſius, tredecim erroribus ſibi imputatis totidem oppoſuere fidei capita, paullo poſt etiam inſtaurata a Joſepho Petro altero Patriarcha, Synodi petita a Pontifice confirmatione. Sed & de Malabarica Eccleſia Neſtoriana hæreſi conſpurcata valde ſollicitus, eamdem expurgandi ſpartam Meneſſio Goenſi Archiepiſcopo impoſuit; qui ut Pontificis votis faceret ſatis, Damperii an. 1599. habita Synodo, a Neſtorianis abductam erroribus gentem ad Chriſtiana Sacra Romana in Eccleſia frequentata transduxit. Synodi porro hujuſce acta, nec integra, Luſitanice primum ab Antonio de Govvea an. 1606. Conimb. evulgata, quorum etiam veſtigium indicant Labbæus, & Harduinus ex Poſſevino tom. 10. pag. 1929, Latine poſtmodum edidit Romæ an. 1745, egregiis illuſtravit notis, eruditiſque adauxit diſſertationibus Jo: Facundus Raulin Auguſtin., ex quo demum eadem deſcripſit Manſius Suppl. tom. 6. pag. 3, & ſeqq.

Invaleſcentes in America hæreticos, ac inter alios hunc in vulgus diſſeminantes errorem: Statum univerſæ Eccleſiæ brevi abrogandum fore, ac Clericorum auferendum cœlibatum, confirmato ad hoc Concilio Limæ in Peruvia celebrato an. 1583, cohi-

bendos, prohibendoſque curavit Paulus V, uti refert Gualterus in Chron. Sæcul. 16. apud Berninum hiſt. hæreſ. ejuſdem Sæculi cap. 10. Flagrantiſſimum Gregorii XV. zelum afflictiſſimæ Catholicæ in Galliæ res, ſuſque deque a Calviniſtis perverſæ, non adeo occuparunt, abſorpſeruntque, quin incolumi in Italia tuendæ fidei Conſtitutione 28. ſtrenue, ſeduloque incubuerit. Egregia P. Joſephi Pariſien. Capp. opera Richerium ad revocanda, quæ peſſime ſcripſerat de poteſt. Eccleſ., & polit. adegit Urbanus VIII, qua de re Guido Patinus, & Claudius Moriſotus par. 2. in epiſt. 9. ad Curetum Canon. Lingon. Ingenti perfuſus gaudio Montacut'um nobilem Anglum hæreſi ſe abdicantem, obedientiamque deinceps omnem deſpondentem excepit: quo de facto Ephemerides Sapient. 9. Maji 1639. Ut erat vero integritatis fidei ſtudioſiſſimus, Janſenii librum biennio ab ejus obitu, qui contigit an. 1638. die 6. Maji, in lucem eductum ideſt an. 1640, velut hæreſes Baji a S. Pio V., & Gregorio XIII. prædamnatas inſtaurantem, Conſt. *In eminenti* an. 1641. confixit: quam poſtea vulgari præcepit Innocentius X. litteris inſcriptis ad Mechlinenſem, Cameracenſem, Argentinenſem, ſeptemque alios Belgii Antiſtites, ad Guillelmum Leopoldum Archid. Auſtriæ, ad Belgii Præſidem, ad Doctores Sorbonicos, & ad Willelmum de Angelis Theologum Lovan. At enim pro juſta, quam ex peſtilentiſſimo libro indignationem ebiberat, idem Innocentius diſtricto gladio, editaque an. 1653. Conſtit. *Cum occaſione* quinque ex præfato libro decerptas propoſitiones diſerte proſcripſit, pari ſubinde cenſura perſtringens Barchoſii librum de Magnitud. Rom. Eccleſ., quo S. Petro poteſtate S. Paulum coæquare inſtituerat. Ad omnem amputandam deinde ſive audendi anſam, ſive fallendi fraudem, Alexander VII. duabus editis Conſtitutionibus an. 1656. *Ad Sanctam B. Petri Sedem*, & an. 1664. *Regiminis Apoſtolici*, præfatas quinque propoſitiones in ſenſu obvio damnatas intelligi oportere definivit, fideique formulam præſcripſit, juxta quam prava illa dogmata exſecrari quiſque deberet. Incredibile dictu, quas, & quantas hanc in utramque Conſtitutionem querelas, blaſphemiaſque effuderint Leydecherus in hiſt. Janſen., Anonymus de Statu Sedis Apoſtol. tom. 1. pag. 111, Queſnellus in pace Clementis IX. pag. 116,

Du-

Duguetus in epist. die 25. Jul. 1724. ad Episcopum Monspelien., Auctor Catechismi hist., & dogm. tom. 1. sect. 2. par. 1. art. 4. pag. 297, Jansenistæque longe plures alii, quibus tamen omnibus durissimum jampridem os obstruxere doctissimi de scholaTheologi, quos percensere supersedeo, unum indicans P. Josephum Sanfelicium Soc. J. adeundum in prolusione ad Jansenianam doctrinam ex Thomisticæ Theologiæ præcepris, atque institutis damnatam. Christinam Sueciæ Reginam, florentibus annis abdicato Regno, rejectaque Bruxellis hæresi, atque Romam, velut in Religionis domicilio tutissime demoraturam, de qua maledicere, tam falso, quam inique totum id animi levitati, ingenioque versatili, quo alioqui sibi haud satis de Religione constiterit, tribuens, non est veritus Brujus tom. 5. pag. 342, & seq., adventantem benigne recipere officio idem Pontifex habuit. Qui pari humanitatis blanditie Jsaacum Pereyrum simul Calvini partes, simul librum de Præadamitis ab se paullo ante elucubratum ejurantem, fideique professionem emittentem, venia facta, complexus est, & in Ecclesiæ communionem an. 1657. admisit. Præadamitarum hunc porro parentem, qui postea in epistola ad Philotimam suæ palinodiæ motiva plana reddidit, confutarunt Jo: Conradus Danhaverus libro edito sub hac epigraphe: *Præadamita Vtis*, Eusebius Romanus (is est Philippus Priorius) in animadv. ad lib. Præadam., Natalis Alex. hist. vet. Test. tom. 1. dissert. 3. art. 1, aliique apud Niceronium Monum. tom. 12, & 20. Vicissim Franciscum Borrium brevi alteram fidem promulgandam, Ecclesiam alteram fundandam, & alterum Christum adfuturum spargentem, spondentemque ignominia, probroque affecit: quem postea Clementis IX. jussu Viennæ captum, ad ejurandos errores compulit tandem Clemens X. Jam vero Clementi IX. tam sincero Religionis studio jure vertitur, quod Formulario Alexandrino integrum suum manere robur jusserit, quam quod agendi quadam prudentiæ, oeconomiæque plena ratione, ad Gallicanæ Ecclesiæ undeviginti Episcoporum preces inflexus, quatuor refractariis Episcopis, ideft Pavillon Electensi, Caulet Apamiensi, Choart de Buzanvel Bellovacensi, & Arnaldo Andegavensi, quibus ob denegatum obsequium Decessor suus jus, diemque subiratus in-

dixerat, Apoſtolicæ Sedis gratiam reſtituerit. Quid igitur cauſſæ fuit, cur de violata a Clemente IX. Formularii Alexandrini fide, remiſſoque cum Janſeniſtis rigoris jure jactabundi ſibi adeo plauderent Auctores Catechiſmi hiſt. dogm. pag. 350, & Status Sedis Apoſt. tom. 1. pag. 145, & ſeq., Varet in relat. negotii iſtius, Queſnellus in pace Clementis IX, & Colbert Monſpel. Epiſcop. in Paſtor. inſtruct. ſuper Formulario an. 1724, quaſi nempe is a Prædeceſſorum judicio circa Janſenii cauſſam deflexerit? Niſi quia præpoſterum ingenium ſuum fecerant rebus ipſis luce fulgentioribus offundere tenebras, aliorſumque rectiſſima quæque intorquere.

In verbo quoque ſuo ſplendidiſſime mentitur Heideggerus hiſt. Pontif. par. 2. pag. 297, & ſeqq., dum V. Innocentium XI, quem multo alio nomine alioqui celebrat, non ſecus atque ipſius a laudibus abſtinere neque ſibi fas duxit Nodot in epiſt. 2. relat. de Curia Rom. pag. 169, erga Janſeniſtas affectu paullulum inflexum arguit ideo, quod humanitatis redundantes litteras dederit ad Arnaldum, & ad Gratianopolitanum Antiſtitem eadem aſperſum labe. Qui enim tam de Religionis puritate gentium ubique retinenda ſe dedit ſollicitum, quique Jacobo II. Romanæ avitæ Religionis in Angliam reducendæ, quocumque cum rerum diſpendio, ac Ludovico XIV. Calviniſtarum phalanges procul e Gallia proſtigandi, nec ingenti parcito belli apparatu, acutiſſimos adjicere ſtimulos non deſtitit, puta, ſi ab uno, vel altero ſubleſtiſſimæ fidei homine fieri ſibi fucum pati voluerit, aut potuerit? At enim commenta ſunt hæc, & calumniæ, (quarum perinde ſimillimas a Refractariis quibuſdam, ſuam ad Epiſcopos Belgii epiſtolam die 6. Febr. 1694. exaratam perverſe interpretantibus, impudenter afflatas doluit quammaxime Innocentius XII. altera in epiſtola die 24. Novemb. 1696. ad eoſdem Belgii Antiſtites apud Harduinum tom. 11. pag. 158.) quibus diſpungendis operam ludere mihi religio eſt, ne otio abuti meo, & alieno videar. Illud mea intereſt magis heic non tacere, quod ejus haud parvam vergit in laudem, ab Innocentio XI. an. 1687. Conſtit. 191. *Cæleſtis Paſtor* Quietiſtarum turpes errores a Michaele Molinos invectos, ſive nefandiſſimas inſtauratas Sectas Intelligentium,

tium, & Illuminatorum, in iiſque redivivos veteres quam dogmatibus, tam moribus dehoneſtiſſimos Gnoſticos, & Turlupinos, ignominioſo fuiſſe ſtigmate inuſtos. Qui ei poſtea ſucceſſit, Alexander VIII, dum adhuc Brixienſem adminiſtraret Eccleſiam, Pelaginos quoque, novam Quietiſtarum propaginem, extirpare, aſtutumque extinguere ſategit. Bene perinde, optimeque ſe habuit, quod eoſdem Quietiſtarum errores, ſæpius exciſos, ſæpiuſque reviviſcentes, ac non multo poſt in libro D. Franciſci de Salignac la Mothe-Fenelon Archiep. Camerac. Gallice inſcripto *Explications des Maximes des Saints* n. 23. recoctos, Boſſuetio deferente, Galliſque ſollicitantibus Epiſcopis, Innocentius XII. Decreto *Cum alias* an. 1699. die 12. Mart. edito condemnavit. Quo ego loci parvi admodum pendo Iſaaci Larrey querelas in hiſt. Ludovici XIV. tom. 7. pag. 136, & ſeqq., quibus imbecillitatis, ignaviæque, proprii velut juris, decoriſque oblitæ, Gallicanos coarguit Epiſcopos, ideo quia uni Pontifici cauſſam hancce, quæ per ipſos fuiſſet finienda, definiendam integram detulerint, ac permiſerint. Ecquis enim æqui, juſtique æſtimator ex hactenus dictorum hoc §. ſerie ſatis non percipit, quam ſupino in errore Sycophanta hic obverſetur, dum Pontifici adimit, totum Epiſcopis tradit judicium de re, circa quam contra ipſum tota retro pugnat Antiquitas. Cæteroquin etiam Pontificium hoc judicium tanto in pretio habuit Illuſtriſſ. Antiſtes damnati libri auctor, ut præclaro obedientiæ, humilitatiſque exemplo, Paſtorali mandato eodem anno edito librum ſuum legi, aut retineri prohibuerit, ſeque integre ex animo, ſubmiſſiſſime, ullaque abſque reſtrictione, Pontificio adquieſcere judicio profeſſus ſit. Ut erat etiam avitæ Religionis retinentiſſimus Clemens XI, ejuſque rationes in Gallia ſuſtinendi cupidiſſimus an. 1703. die 12. Februar. decreto edito celebrem Conſcientiæ Caſum atro carbone notavit. Anno 1705. die 16. Julii Conſtit. *Vineam Domini* edita illudendi Conſtitutionibus Innocentii X, & Alexandri VII. anſam Janſeniſtis omnem eripuit. Die 27. Mart. 1708. Portum Realem de Campis, locum Janſeniſtarum coitionibus infamem, decreto altero abolevit. Eodem anno die 13. Jul. libro Reflexionum Queſnelli infamiæ dicam inflixit. Brevi duplici die 18. Jan. 1710. Tractatum de origine

ne Regaliæ ab Andoul adornatum, & Paſtoralem Inſtructionem ab Epiſcopo S. Pontii adverſus Conſtit. *Vineam Domini* editam nigro confixit theta. Lyræ meræ, & gerræ ſunt autem, quas hoc fruſtra loco fundit Larrejus tom. 9. hiſt. Ludovici XIV. pag. 377. Pariſienſis Curiæ laudibus celebrans zelum quam præpoſterum, tam præfractum, quo Pontificium utrumque Breve obliterandi licentiam ſibi arrogavit. Quis enim frugi hujuſce genus moretur homines ingenio tam facili præditos ad propriæ facultatis præli-center, æquitatis quinimo prætergrediendos fines, quam prurigine in Pontificiam irrumpendi poteſtatem affectos? Poſt hæc celeberrima Conſtit. *Unigenitus* die 8. Septemb. 1713. ex Queſnelli libris decerptas 101. propoſitiones juſtiſſima proſcripſit cenſura, intercepta cuicumque prohibitos hoſce libros defendendi, ac legendi facultate. Pietate denique ſua, & dexteritate idem Pontifex tenuit, ut par nobile Principum, Antonius Ulricus Dux Brunſvicenſis, & Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector, diſruptis tandem, ut Superis placuit, Lutheri laqueis, ad Sacra noſtra tranſirent. Violatæ religionis Apoſtolicæ Sedis dignitati, auctoritatique debitæ vindex acerrimus Innocentius XIII. ſeptem Galliarum Epiſcoporum Franciſci Caillebot de la Sale Tornacenſis, Jo: Baptiſtæ de Verthamont Apamienſis, Johannis Soanen Senecenſis, Caroli Joachimi Colbert de Croiſſi Monſpelienſis, Petri Langlet Bolonienſis, Caroli de Caylus Antiſiodorenſis, & Michaelis Caſſagnet de Tilladet Matiſconenſis Epiſtolæ ad injuriam Conſtitutioni *Unigenitus* conflandam inſtructæ ignominiæ ſtigma die 24. Mart. 1722. inuſſit. Qua perinde infamiæ nota Conſultationem 50. Advocatorum Curiæ Pariſ. contra jus dictum in Concilio Ebredunenſi an. 1727. adverſus Johannem Soanen Epiſcopum Senecenſem affecit die 9. Jun. 1728. Benedictus XIII. Quibus omnibus haud impar zelo irrogatas Apoſtolicæ Sedi ulciſcendi injurias, indeque effuſa in tuto collocandi Oracula, Benedictus XIV. complures ſpiritu haud abſimili ſchiſmatis, hæreſiſque imbutos libros obelo denotatos igni delendos addixit, devovitque: inter quos libros duos Gallice inſcriptos *Lettres avec ces mots Latins*: *Ne repugnate veſtro bono* &c. Lond. 1750; alterum quoque ſub hac ephigraphe: *La voix du Sage, & du Peuple* Amſtelod.

co-

eodem anno Conſt. 37. *Cum ſicut* die 25. Jan. 1751. Bullar. tom. 3. pag. 311; libros item alios, quorum uni titulus hic: *Apologie des tous les jugemens rendus par les Tribunaux Seculiers en France contre le Schiſme* &c. 1752. Conſt. 7. *Militantis Eccleſiæ* die 20. Novemb. 1752; alter vero a Patre de la Borde Orator. adornatus hanc præfert inſcriptionem: *Principes ſur l' eſſence, la diſtinction, e les limites des deux Puiſſances Spirituelle, e Temporelle*, Conſt. 44. *Ad aſſiduas* die 4. Mart. 1755. tom 4. pag. 39, & 266. Poſt hæc autem, quorum adhuc plurima dabo paullo infra Art. ſeq., quo loci dicere accingar de libris, ac propoſitionibus frequentiſſime a Romanis Pontificibus damnatis, quis adhuc dubitet indeficientis fidei privilegio, ſupremaque poteſtate Romanum perfrui, defungique Pontificem, cujus ad partes attinet de cunctis a fide deviis irrefragabile ferre judicium, quo in proferendo nullus Pontificum unquam latum vel unguem a veritate deflexit, prolatoque ita omnes adquieſcere oportet, ut nemo unquam impune, ingentique abſque piaculo ab eo deſciverit? Dubitet, per me licebit, Judæus Apella, dubitet inſanus Heterodoxus, non dubitem ego, nec mecum dubitaverit, quiſquis Catholico vere cenſeri nomine velit, & delectetur.

Nihilotamen minus obſtrepere hactenus dictis non ceſſant, objicereque adverſæ opinionis patroni, ac Boſſuetius præſertim Defenſ. declar. lib. 14. cap. 1, ſola Eccleſiarum, ſive Epiſcoporum unanimi conſenſione fidei dogmata loco ſtabiliri tute ſuo, inſurgenteſque per loca hæreſes procul abigi: ſive interea conſenſus iſtiuſmodi tacitus ſit, ſive expreſſus verbis, aut ſcriptis, in Concilio, aut extra Concilium, juxta auream S. Auguſtini regulam in epiſt. 55, olim 119. cap. 19: *Eccleſia Dei ea, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Et certe ſicuti ſine Conciliis, ita ſine ſpeciali Rom. Pontificis definitione complures olim hæreſes fuiſſe damnatas, ſolo nempe Epiſcoporum conſenſu aut tacito, aut expreſſo, ex ſola Euſebii lectione abunde liquet. Ita namque lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 26, & ſeqq. Menandrum, Ebionem, Cerinthum, & Nicolaum; lib. 4. capp. 7, 11, 29, & ſeq. Saturninum, Baſilidem, Carpocratem, Valentinum, Cerdonem, Marcum, Tatianum, & Bardeſanum; & lib. 5.

& lib. 5. cap. 13, & ſeqq. Apellem, Potitum, Syrenum, Calliſtionem, Montanum, Theodotum, Themiſium, Alexandrum, harumque ſimillimas peſtes alias ab Eccleſia projectas tradit, quin peculiare, aut a Concilio aliquo, aut a Pontifice latum adverſus hæreſes illas decretum depromat. Concilia etenim, quæ primitus comprimendis, præfocandiſque hæreticis habita fuerint, ea ſunt, quæ contra Montaniſtas, ſive Cataphrygas coacta ex Apollinari Hierapolitano idem Euſebius lib. 5. capp. 16, & 19. memorat: nam id ante temporis in more poſitum erat, quod perinde integrum manſit, ut ſi qua in Eccleſia ſuborta hæreſis fuiſſet, eam protinus Epiſcopus Diœceſanus pro officii parte primus configeret, ac deinde Encyclicis feriendam, fugiendamque ceteris denunciaret Eccleſiis. Cujus rei documento ſunt litteræ S. Serapionis Epiſcopi Antiocheni de Cataphrygum hæreſi apud Euſebium lib. 5. cap. 19, & S. Alexandri Epiſcopi Alexandrini de hæreſi Arii apud Theodoretum lib. 1. hiſt. Eccl. capp. 2, & 3. Unius vero Pontificis Romani peremptoria ſententia hæreſes neutiquam proſcribi duo docent. 1, Quod etiam poſt ſolemniter latam a Pontifice M. ſententiam, adhuc tamen de hæreſibus, ac de hæreticis quæſtio frequens in Conciliis, qua Generalibus, qua Provincialibus fuerit inſtituta. 2, Quod antequam a Pontifice ejuſmodi in hæreticos ſententia e Cathedra proferretur, ſæpiſſime ab Epiſcopis, in Conciliis præſertim, fuerint prædamnati. Quibus palam fit, id juris commune, propriumque Epiſcoporum conſtantiſſime eſſe; quo fit proinde, ut nonniſi eorumdem omnium conſenſu, cui pariter ſeu antecedat, ſeu accedat Pontificis M. aſſenſio, fidei decreta invictum firmitatis robur accipiant.

Age vero, objectum hoc utrumque factis, exempliſque hiſce ferme confirmare, ac perſuadere Adverſarii conantur, ac primum quidem congeſtis hoc prope modo ex hiſtoria Eccleſiaſtica monumentis. Quartadecimanos etſi a S. Victore damnatos, iterato tamen judicio condemnatos fuiſſe in Conciliis Cæſareenſi apud V. Bedam de Æquin. Vern., & Bucherium de doctrin. temp. pag. 469, Lugdunenſi, Pontico, Oſroeno, & Corinthiaco apud Euſebium lib. 5. cap. 23, & ſeq., & Synodicum tom. 11. Bibl. Græcæ Fabricii pag. 189, & ſeq. adparet. Quamquam a S. Eleuthero Cataphry-

phrygibus Eccleſiæ aditus fuiſſet interdictus, non offecit id tamen, quo minus a ferendo in ipſos novo damnationis judicio Phrygiæ, Galatiæ, & Ciliciæ Epiſcopi in Conciliis Iconienſi, & Synnadenſi (anno non utique 258, ut Baronio, & Binio, nec 256. ut Labbæo, nec 235, ut Harduino, & Fabricio viſum eſt, ſed anno 215, uti verius Valleſius, Pagius, Cavæus, & Cacciari exiſtimant) haud abſtinerent apud Firmilianum in epiſt. ad S. Cyprianum inter Cyprian. 75. Novatianum anno 251. ex Eccleſia S. Cornelius ejecerat: at in Nebulonem iſtum anathematis tela inſtauranda non dubitarunt Synodi Carthaginenſis ſub S. Cypriano an. 252. epiſt. 55. ad S. Cornel., & Antiochena ſub S. Demetriano anno 253. apud Euſebium lib. 6. cap. 35. verſ. Ruſſ. Sabellium ſive a S. Victore, juxta Synodicum, ſive a S. Sixto II, juxta Baluzium, prædamnatum, in Synodo Alexandrina anno 258. a S. Dionyſio abdicatum refert Auctor Synodici apud Fabricium pag. 192. Donatiſtas etſi, Cæciliano abſoluto, condemnaſſet S. Melchiades, cauſſæ tamen examen in Synodo Arelatenſi ſeq. anno inſtauratum eſt. S. Silveſtri vicibus probabiliſſime indutus Oſius Cordubenſis tametſi damnationis jam telum in Arium intorſiſſet in Synodo Alexandrina an. 321, nihilominus iterato hæreticum hominem confodere fulmine Nicæno Concilio religioni, officioque fuit. In Concilio Romano an. 349, velut ex S. Hilarii fragm. pag. 25, & 27. augurari fas eſt, a Liberio Chriſtianis interdictus Sacris Photinus, ſecundo in Concilio Sirmienſi eodem anno, in Mediolanenſi an. 355, in alteroque Sirmienſi an. 357, de quibus S. Hilarius de Synod., & in fragm., S. Athanaſius de Synodis pag. 900, Socrates lib. 2. capp. 29, & 30, & Sozomenus lib. 4 cap. 6, poſt quos Pappus in Synodico cap. 50, Petavius in Not. ad S. Epiphanium pag. 307, & ſeq., ac in diſſert. de Photino apud Labbæum tom. 2. pag. 729, Sirmondus in Diatriba tom. 4. oper., & Petrus de Marca in diſſert. 10. ad calcem oper. de Concord. Ab eodem Liberio, ſubindeque a S. Damaſo in Pneumatomachis fuerat prædamnatus error Spiritui S Divinitatem abjudicans: qui perinde in Synodo Illyriciana profligatus eſt apud Harduinum tom. 1. pag. 794, nec non in Conſtantinopolitana I. an. 381. Joviniano in Romana Synodo an. 390. ignominiæ notam inuſſerat

S. Siricius : ſed ille eodem hæreſis nomine ſubinde habitus eſt in Synodo Mediolanenſi a S. Ambroſio tom. 2. ipſius oper. edit. PP. Bened. pag. 963. Poſtquam a S. Innocentio I. Pelagiana hæreſis, perindeque a S. Zoſimo fuiſſet proſcripta, eadem nihiloſecius de cauſſa multoties convenire in Concilia Epiſcopis officio, religionique ceſſit, ut in Hieroſolymitanum an. 416, ut in Carthaginenſe an 417, ut in Verolamienſe an. 446, aut verius 429, de quo V. Beda hiſt. Angl. lib. 1. cap. 17, S. Proſper in Chron. ad an. 426, & Conſtantinus in vita S. Germani Antiſiod. lib. 1. cap. 19, ut in Britannicum alterum an. 449, de quo V. Beda cap. 21, & Matthæus Weſtmonaſt. ad eumdem annum, & in alterum Britannicum an. 519, de quo Wilkinſius tom. 1. pag. 8, & ex ipſo Manſius Suppl. tom. 1. pag. 403. Neſtorius a S. Cœleſtino an. 430, & ſeq. de fide poſtulatus, indignuſque habitus, qui tam illuſtrem in Eccleſia locum occuparet, in Synodo tamen Epheſina ſubinde iterato experiri judicio debuit. Juſtiſſimas S. Leonis M. jam Eutyches incurrerat iras, quin id tamen impedimento eſſet, quominus ſecunda damnationis ſententia in Conciliis tam Conſtantinopolitanis an. 448, & 450, de quibus acta S. Abundii Comenſis Epiſcopi apud Surium die 3. April., quam in Chalcedonenſi anſeq. percelleretur. Quid autem quod S. Leonis epiſtolam ad Flavianum, in qua de Incarnationis Divino Myſterio prope divine ediſſeruerat, ab Epiſcopis cum Gallis in Synodo Arelatenſi an. 451, uti ſuſpicatur Sirmondus, tum Italis in Synodo Mediolanenſi an. 452. S. Euſebio duce ad lancem expenſa legitur? In Petrum Fullonem lata fuerat a S. Simplicio, confirmataque a S. Felice III. depoſitionis ſententia: quam nihiloſecius repetitam in Concilio Antiocheno an. 472, & Conſtantinopolitano an. 478. intueri licet apud Scriptorem geſtorum de nomine Acacii tom. 4. edit. Labb. pag. 1079, & Liberatum Brev. cap. 18: quam in rem conferre etiam juvat Valleſium in diſſert. de Petro Gnaphaeo ad calcem hiſt. Theod., & Evag. pag. 177, Sirmondum in Not. ad epiſt. 3 Alcimi Aviti, Tillemontium tom. 16. pag. 375, & 687, Du-Cangium, & Svicerum V. Τριςάγιος.

Innumera horum ſimillima documenta hæreticorum, quos poſt expertas Pontificum iras, experiri judicio apud Epiſcopos ite-

iterum oportuit, Eccleſiaſtica ſequioris ætatis hiſtoria ſuppedita t. Enim vero Acacii cauſſa ventilata plus vice ſimplici fuerat a S. Felice III, Gelaſio I, Anaſtaſio II, Symmacho, & Hormiſda; quin tamen cauſſæ defuerit, cur eadem poſtea ad incudem revocaretur in Synodis Illyriciana an. 516, Conſtantinopolitana anno 518, Hieroſolymitana, & Tyria eodem anno apud Synodicum pag. 235. & ſeq. edit. Fabricii tom. II. Bibl. Græcæ, & Act. 5. Synodi Conſtantinopolit. an. 536. ſub Menna: in qua, non ſecus atque in Hieroſolymitana eodem anno contra Acephalos, & Theopaschitas jampridem intorta a SS. Hormiſda, & Agapeto damnationis ſententia inſtaurata legitur apud Pappum in Synodico pag. 237, & Frontonem Ducæum pag. 751. Origeniſtis infamiæ dicam jamdiu conſcripſerant S. Anaſtaſius I, & Vigilius: poſtmodum tamen contra eamdem peſtem, erroreſque, quos recoquebant, congregata leguntur Concilia tum Antiochenum an. 538, ſeu verius 542. ſub Euphræmio Antiocheno, de quo Synodicon apud Fabricium cap. 116. pag. 237, tum Gazenſe in Palæſtina an. 541, aut ſeq., de quo Liberatus cap. 23, & Cyrillus Scythop. in vita S. Sabæ, tum Conſtantinopolitanum an. 543. ſub Menna, de quo idem Scriptor: quam in rem conſulendi Garnerius in diſſert. de Synodo V, & Manſius in diſſert. de Synodis in Origeniſtas tom. 1. Suppl. pag. 425, & ſeqq. In Monothelitas etſi jam zelo exarſiſſent Severinus, de quo S. Maximus apud Sirmondum, Johannes IV, de quo Theophanes apud Goarium, & Theodorus, de quo prælaud. S. Maximus apud Combefiſium tom. 2, & Anaſtaſius apud Sirmondum tom. 3. oper. pag. 528, ac Biblioth. PP. Lugd. tom. 12. pag. 831, ſua tamen ſummopere intereſſe exiſtimarunt Epiſcopi qua Cyprii, qua Palæſtini, qua Afri an. 643, & 646. indictis Synodis in illos pariter anathematis pœnas diſtringere, quibus perciti a ſuis procul exularent Provinciis. Quinimo quamvis ſæpe diſtrictas in Monothelitas mortis ſententias ſæpius calculo ſimiliter confirmaſſent ſuo S. Martinus I, S. Vitalianus, Adeodatus, Donus, & S. Agatho, tot Pontificum adhuc tamen decreta ſuffragio comprobanda ſuo duxere Concilia Mediolanenſe an. 679, de quo Harduinus tom. 3. pag. 1051, & ſeqq., Hedtfeldenſe eodem anno, de quo V. Beda lib. 4. cap. 17, & Scriptor vitæ Theodori Cantuar.

Sæculo II. Bened. pag. 1036, ac denique Synodus VI, ſive Conſtantinopolitana III. an. 680, & ſeq. Quoties, & a quot non Pontificibus S. Gregorio II, S. Gregorio III, S. Zachria, Stephano II, S. Paulo I, Stephano III, & Hadriano I. de ſuperiori veluti loco anathematis fulmine percuſſi Iconoclaſtæ ſunt, ſacriſque decretis Imaginibus cultus? Poſtquae tamen Conſtantinopoli, non jam congregata Synodo contra SS. Iconum cultum, & contra tot Pontificum ſententiam pugnatum dixerim, ſed magis pro earumdem cultu, ac pro confirmanda eorumdem Pontificum ſententia deliberatum ſcitur in Conciliis, ut neque dicam de Nicæno II, ſive Generali VII, (de quo quæ ſcripſit in vita S. Platonis S. Theodorus Studites ad diem 4 April. in Act. Bolland. de pſeudo-Synodo Iconomachorum perperam interpretata a Sirleto, & Baronio emendarunt Papebrochius, & Pagius ad an. 780. n. 3.) Hieroſolymitano an. 750. ſub Theodoro, de quo Pappus in Synodico cap. 140. pag. 248, & Antiocheno an. 781. ſub Theodorito (non Theodoro, uti contra Baronium ex S. Ignatio in vita S. Taraſii ad diem 25. Febr., & Photio lib. de Synodis oſtendit Boſchius hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. §. 71.) de quo Concilio S. Theodorus Studita lib. 2. epiſt. 294, & in Antirrhetico ſecundo pag. 124. apud Harduinum tom. 3. pag. 2060. De Conſtantinopolitano quoque an. 842. pro reſtituendo SS. Imaginum cultu conſulitor Theophanes in Orat. de S. Nicephoro apud Henſchenium ad diem 13. Martii, ac Synodicon cap. 147. pag. 253. Hadrianus I. equidem Felicem Urgelitanum ad ſe perductum an. 792. hæreſis infamia notaverat, atque ad errores abdicandos adegerat: ejuſdem tamen de cauſſa Francofordienſe poſtea Concilium an. 794. indictum eſt, in quo una cum Elipando Toletano iterum Felix peſſimo hæreſis nomine perſtrictus eſt. Quid etiam, quod eadem in cauſſa Carolus M. de ſententia Romanum Pontificum rogare non ſatius habuit, ſed interrogare ſimiliter Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos conſultius duxit? Quem perinde in locum confer Capitulare Francoford. apud Baluzium tom. 1. Capitul. pag. 263. Sed & tertio damnatus a Leone III. idem Felix, quarto in Aquiſgranenſi Synodo an. 799 hæreſim devovere compulſus eſt.

Atque quidem pari ad devexiorem uſque ætatem procedendo

do gradu, ita hoc ipſum ingerere, exaggerareque objectionis caput pergunt, quî fieri potuit, ut ſui velut obliti, ab ſe prolatas in hæreticos ſententias toties in Synodis inſtaurari tot haud ægre ferrent Pontifices, niſi quia nec adeo ſe ſupra omnes, omnemque extra limitem efferrent, ſuumque præferrent omnium ſenſui, quin poteſtatis iſtiuſmodi particulam non tam facerent propriam, quam cunctorum eſſe Epiſcoporum communem probe cognoſcerent? Ratione hac itaque permotus S. Leo IX. in Berengarium ab ſe prædamnatum iterum animadverti a Conventu Brionenſi, ac Synodo Pariſienſi tuliſſe haud invite præſumi debet. Proſcripſerat ſecundo Sacramentarium hunc Victor II; ſed non propterea ab ingeminanda in eum cenſura deſtitere Synodi Turonenſis, & Andegavenſis. Quaſi vero neque ſatis Nicolai II. tertio in eum intorta ſententia haberetur, ad huc Berengarium anathemate feriendum adgreſſæ ſunt Synodi Rotomagenſis an. 1063, & Pictavienſis an. 1075. Diris eumdem cunctis devoverat quarto, & quinto S. Gregorius VII. an. 1078, & ſeq., poſt quem nihilominus illum audire Synodus Burdegalenſis an. 1080, fideique periculum facere non detrectavit, ac demum poſt ejus obitum hæreſim hancce confodere Placentina Synodus an. 1095. non abſtinuit. Quid ad hæc vero, quod abſque Synodorum ope ſententias ferre in hæreticos Pontificibus ipſis haud in more poſitum erat, quemadmodum, ut de ceteris ferme omnibus taceatur, factum cum Petrobruſianis a Calliſto II, & cum Henricianis ab Innocentio II. legitur? Valdenſibus, & Albigenſibus jampridem abſque Concilii opera anathema dixerat Alexander III; at enim illos damnationis iterata ſententia percellere in Conciliis Turonenſi an. 1163, Toloſano an. 1178, & Lateranenſi an. 1179. idem Pontifex; in Veronenſi an. 1184. Lucius III; & in Lateranenſi an. 1215. Innocentius III, a quo pridem privatis ſcriptis profligata eadem peſtis fuerat, religioni, officioque duxere. Quin hæc tamen prohiberent, quominus in Synodis Oxonienſi an. 1161, Lumbarienſi an. 1176, Senonenſi an. 1198, Pariſienſi an. 1201, aliiſque, de quibus dictum abunde paullo ſuperius pag. 95, & ſeq., in profligatiſſimos illos Canonicæ integrarentur pœnæ: item in Tarraconenſi an. 1242, Biterrenſi an. 1246,

Al-

Albienſi an. 1253. &c. Beguardos, & Beguinas etſi ſæpius inſectati ſint Honorius IV, Nicolaus IV, Boniſacius VIII, Clemens V, & Innocentius VI, haſce tamen ad excindendas peſtes congregari pariter non deſtitere Concilia Leodienſe an. 1287. apud Lunigium Spicileg. pag. 573, Colonienſe an. 306. ibid. pag. 399, & apud Raynaldum ad eumdem an. n. 18, & Tarraconenſe an. 1317. apud Martenium vet. Monum. tom. 7. pag. 305. In Jo: Wicleffum & homonymum Huſſum acri jam cenſura inuſtos a Gregorio XI, ac ſubinde ab Urbano VI, Alexandro V, & Johanne XXIII, non propterea ſuarum eſſe partium ignoravere nefandiſſimæ huic profligandæ hæreſi operam impendere Synodi Londinenſis an. 1382, Oxonienſis eodem anno, Londinenſis altera an. 1396, Pariſienſis, & Pragenſis an. 1408, Londinenſis iterum an. 1409. apud Spelmannum tom. 3, alteraque an. 1413, Conſtantienſis etiam an. 1414, Salisburgenſis an. 1420, Colonienſis an. 1423, Senenſis eodem anno, Gneſnenſis, Baſileenſis &c. Juſtiſſima Lutherum ſententia an. 1520. Leo X, an. 1522. Hadrianus VI, aliique ſubinde devinxerant Pontifices: quibus interea injuriam irrogatam iri non exiſtimarunt, ſi hæretico homini inſtauratas cenſuras inurerent, ſacra Facultas Pariſienſis an. 1521, Synodi Lanciskienſis an. 1523, Meldenſis eodem anno, Ratiſponenſis Conventus an. 1524, Lugdunenſis an. 1527. apud Martenium tom. 4. Theſau., Bituricenſis an. 1528, Senonenſis eodem anno, Moguntina an. 1538, Oſnaburgenſis, & Monaſterienſis eodem anno apud Surium in Comment., ac Petricovienſis an. 1542. Ex quibus omnibus illud conficere adverſarii confidunt, integrum jugiter in Eccleſia extitiſſe, ut non una propulſandis hæreſibus Romani Pontificis deſideraretur ſententia, ſed Epiſcoporum præterea ſuperadderetur conſenſio, quæ ſæpe ſæpius in Synodis exprimi conſuevit, ex qua demum illa fidei exurgeret firmitudo, qua Chriſtifideles ubique gentium obligarentur.

Quod nunc vero ad caput alterum pertinet, Juris, partiumque Epiſcoporum, in Synodis præſertim, eſſe communi ſuffragio fidei, morumque condere dogmata, legeſque ſancire, rem eſſe putant omnem extra dubitationis aleam poſitam, ideoque nihil antiquius, nihilque frequentius, quam ab Epiſcopis in Synodis hæ-

hæreſes profligatas legere. Ita potiſſime Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. XI, & XII. in diſſert. 8. Et quidem brevem ecce nobis objectam damnatarum in Synodis Syllogen. Principio itaque ex Prædeſtinato lib. 1. capp. 15, 16, & 23. hæreſis nomine damnatos Heracleonem in Synodo Sicula an. 125, Colorbaſum in Pergamenſi an. 152, & Cerdonem in Orientali tradit Baluzius Sed hypobolimæo Scriptori haud facilem adhibendam fidem multa docent, de quibus dictum pag. 33, & ſeqq., de quove dubitat valdequam Pearſonius Opp. poſtum pag. 230, & ſeq. Dubio igitur dimiſſo Auctore, in Conciliis Hierapolitano ſub Apollinari an. 173, & Anchialenſi ſub Sota damnatos conſtat Montanum, & Theodotum ex Synodico capp. 5, & 6. apud Fabricium tom. 11. Bibl. Græcæ pag. 187, & Euſebio lib. 5. cap. 16; atque in Montanum confirmatum anathema in Synodo Gallicana memorat idem Synodicon cap. 7. Valentinus an. 199. in Lugdunenſi, de quo la Lande, Origenes in Alexandrino an. 230, de quo Photius Cod. 118, Euſebius lib. 6. capp. 8, & 23, ac S. Hieronymus de Script. Eccleſ. capp. 54, & 62, ac Ammonius in Alexandrino altero an. 235, de quo Eutychius apud Labbæum tom. 1. pag. 1564, ſevera animadverſione mulctati ſunt. In Lambeſitano an. 240. Privatus, in Boſtreno an. circiter 243. Beryllus apud Euſebium lib. 6. cap. 33. Græc., & Noetus in Epheſino, ſive alibi in Aſia Proconſulari circa an. 245. apud S. Epiphanium hær. 57. pag. 479. edit. Petav. Indictas indentidem Synodos Achajæ adverſus Valeſios anno circiter 250. memorat ex Prædeſtinato lib. 1. cap. 37. Baluzius; adverſus Feliciſſimum an. 252. Carthagine tradit S. Cyprianus in epiſt. 55. ad S. Cornelium; Antiochiæ an. 253. adverſus Novatum refert Synodicon cap. 23. pag. 192; adverſus Nepotem, ſive Nepotianum, & Cerinthum an. 263. Alexandriæ perhibet idem Synodicon cap. 25, ſive in Arſinoite, uti ſcribit Euſebius lib. 7. cap. 22; Antiochiæ ſemel, & iterum an. 264, 269, & ſeq. adverſus Paulum Samoſatenum recenſent Theodoretus hæret. fabul. lib. 2. cap. 8, Leontius lib. 3. contra Neſtorium tom. 4. antiq. Lect. Caniſii, & Eutychius in Annal. pag. 396. Hoc ipſo peſſimo hæreſis nomine proſcripti leguntur paſſim in Conciliis Meſopotamico an. 277. Manes, de quo pag. 44; in Alexandrinis an. 317,

317, ſive 321, Arius, & an. 319, ſive 324. Colluthus, de quo Petavius Theolog. Dogm. tom. 2. pag. 36, & ſeq., ac Tillemontius tom. 6. pag. 231; Euſtathius in Gangrenſi, de quo pag. 64, & ſeq.; Euphratas in Agrippinenſi an. 346, de quo Tillemontius tom. 6. pag. 761, & ſeq., & Papebrochius ad diem 13. Maji; in Mediolanenſi an. 347. Urſacius, & Valens; in Achaico Aetius an. 359, ſi fides Prædeſtinato apud Baluzium pag. 70, Saturninus Arelatenſis in Pariſienſi an. 360, aut 362, de quo Harduinus tom. 1. pag. 727. ex S. Hilario in frag.; Apollinaris in Alexandrino an. 362; Macedonius in Conſtantinopolitano eodem anno, de quo Chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum, ſive Conſtantinopolitanum, ut vult Raderus, pag. 294. edit. Du-Cangii: Priſcillianus in Cæſarauguſtano an. 381, iterumque in Aſturicenſi an. 447, de quo S. Leo M. in fine epiſt. 93, & in Bracarenſi an. 561; Palladius, Secundianus, & Attalus in Aquilejenſi an. 381, de quo S. Ambroſius in epiſt. 8. ad Syagrium tom. 2. edit. Bened. pag. 786, ac Vigilius Tapſenſis edit. Chifletii pag. 485, qui acta illa a Vigilio conficta diſputans refellitur ab Hermantio lib. 3. Vit. S. Ambroſii cap. 3; Eunomius in Conſtantinopolitano an. 383. apud Socratem lib. 5. cap. 10, ubi confer Valeſium in Not. pag. 61, & Sozomenum lib. 7. cap. 12; Meſſaliani in Sidenſi eodem anno, in Conſtantinopolitano an. 426, ac in Seleucienſi Neſtorianorum an. 576, relato ab Aſſemano Bibl. Orient. tom. 3. par. 2. pag. 183, apud Photium Cod. 52, & Theodoretum hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 10. de quibus vide & Fabricium Bibl. Græcæ tom. 9. pag. 392; Inſtantius, & Salvianus in Burdegalenſi an. 385, de quo Severus Sulpicius lib. 2, & S. Proſper in Chron.; Bonoſus an. 389. in Capuano, & Illyriciano; Origenes an. 399. in Alexandrino, & Cyprio, de quibus Socrates lib. 6. capp. 7, 9, & ſeq., Sozomenus lib. 8. cap. 14, & S. Hieronymus epiſt. 67, & 78.

Tritiſſimo iſti mori, religioſiſſime in Eccleſia a primævis ipſius ævis retento, ut communi Epiſcoporum ſuffragio, collatiſque mutuo in Conciliis votis, aut Encyclicis in Orbem exaratis ad unanimem conciliandum aſſenſum, dogmata fidei definirentur, adverſæque devoverentur hæreſes, tenaciſſime inſtitiſſe ſequioris ætatis Eccleſiam ex Synodorum ordinata ſerie, quarum

ecce nobis ingeminatam Synopſim, abunde manifeſtatur. Ita enim ob hæreſis labem intorta damnationis ſententia legitur a Synodis Toletana an. 400, aut ſeq. in Symphoſium, & Dictinium, de quibus Pagius ad an. 405. n. 12, & ſeqq., a Carthaginenſi an. 412. in Cæleſtium; a Hieroſolymitana an. 416, ſive Antiochena an. 418, juxta Manſium Suppl. tom. 1. pag. 297, in Pelagium; in Julianum Eclanenſem a Cilici an. 423, de qua Marius Mercator in præfat. ad Symbolum Theodori Mopſveſt.; in Diodorum Tarſenſem, & Theodorum Mopſveſtenum ab Armena an. 435. apud Liberatum cap. 10, & Facundum, de quo Baluzius pag. 942, ab Antiochena an. 438. apud Pappum in Synodico cap. 85. pag. 225, & a Mopſveſtena an. 550, de qua in Collat. 5 Synodi V, ac in Synodico cap. 117, quam tamen ab illa diverſam autumat Garnerius in diſſert. de Synodo V. pag. 273; & in Prædeſtinatianos ab Arelatenſi an. 475, & Lugdunenſi eodem anno, de quibus confer Petavium de Incarn. lib. 13. cap. 7, Baronium ad an. 490. n. 18, Sirmondum tom. 1. Concil. Gall. pag. 148, & ſeqq., Tillemontium tom. 16. pag. 422, & Thomaſinum tom. 1. ad Concil. diſſert. 13. Neque magis propriæ auctoritatis ſe prætergredi terminos exiſtimarunt Epiſcopi, dum ſuorum deceſſorum veſtigiis inhærentes ad novas in dies erumpentes hæreſes detruncandas Eccleſiaſticum gladium, Conventu facto, diſtringere non dubitarunt: velut adverſus Semipelagianos in Conciliis Arauſicano, & Valentino an. 529, & ſeq. apud Hincmarum de Prædeſt. capp. 12, & 22. pag. 48, &134, ac Harduinum tom. 2. pag. 1103; adverſus tria Capitula in Conſtantinopolitano an. 548. apud Facundum lib. 4. capp. 3, & 4, ubi legendæ notæ Sirmondi, & Liberatum cap. 24, ac videndus Baluzius Collect. Concil pag. 1472; adverſus Græcum hæreticum in Aurelianenſi an. 634, aut 645, de quo S. Audoenus in vita S. Eligii Noviom. lib. 1. cap. 34. apud Dacherium Spicileg. tom. 5. pag. 147, edit. nov. tom. 2. pag. 76; & adverſus Presbyteros quoſdam Hiſpanos Euchariſtiam in lacte conficiendam contendentes in Bracarenſi an. 675. apud Harduinum tom. 3. pag. 1032. Nec abſimili rigore juris ob hæreſis crimen actum legitur cum Aldeberto, & Clemente in Synodis Sueſſionenſi an. 744, & Germanica an. ſeq., de quibus

S. Bonifacius Mogunt. epiſt. 135. edit Serar., conferendus etiam Fabricius in Codice Apocrypho nov. Teſtam pag. 309, ubi de Epiſtola ſub Chriſti nomine velut in Hieroſolymam delapſa ab Aldeberto conficta differit; cum Felice Urgellitano in Narbonenſi an. 788, de quo Baluzius ad Petri de Marca lib. 6. cap. 25; cum Amalario erroris circa Euchariſtiam inſimulato in Cariſiaca an. 838. apud Martenium veter. Monum. tom. 9. cap. 649; & cum Goteſchalco in Moguntina an. 848. apud Sirmondum, tom. 2 oper. pag. 1295, in Cariſiaca an. 849, alteraque an. 853. apud Annal. Bertinianum. Dignas pariter pro ſuarum hæreſum ſtultitia pœnas in Conciliis pendiſſe occurrunt alii paſſim, uti Liſojus, & Stephanus (Glabro Heribertus) nuperi Manichæi in Aurelianenſi an. 1017. apud Harduinum tom. 6. part. 1. pag. 821; uti Gandulphus S. Scripturam, & Sacramenta inficiatus in Atrebatenſi an. 1025. apud Dacherium Spicileg. tom. 13. pag. 1, & ſeqq.; uti Manichæi novi in Karroſenſi an. 1028. apud Ademarum in Chron.; uti Wecilo Mogunt. in Quintilineburgenſi an. 1085; uti Roſcelinus in Sueſſionenſi an 1092, de quo S. Anſelmus Cantuar. lib. de fide cap. 1, & lib. 2. epiſt. 35, & 41, Ivo Carnot. epiſt. 7. ad ipſum, & Theobaldus apud Dacherium tom. 3. pag. 142.

Iſtiuſmodi perinde juris, receptiſſi nique moris documenta, & argumenta capere licet, objicere pergunt adverſarii, ex Synodis ad devexiorem uſque ætatem hac de re habitis, in quibus apud Epiſcopos de hæreſi, qui laborarent, ſolemni experiri judicio compulſi ſunt. Ita in Florentina an 1105. Fluentius Urbis Antiſtes jam tum adveniſſe docens Antichriſtum apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1877; in Sueſſionenſi an. 1120, & Senonenſi an. 1140. Petrus Abaelardus, & Arnaldus Brixienſis; Armeni in Hieroſolymitana an. 1136, alteraque an. 1143, de quibus Willelmus Tyrius lib. 15. cap. 18; Bogomili, in quibus nominatim Niphon in Conſtantinopolitana circa an. 1140, Clemens, & Leontius in Conſtantinopolitana an. 1143, & Coſmas Atticus in Conſtantinopolitana an. 1147. apud Leonem Allatium de Conſenſ. lib. 2. cap. 12: quo pariter loci ex Cinnamo lib. 6. cap. 2, & ſeq., ac Niceta Choniate mentio occurrit Concilii Conſtantinopolitani an. 1166. habiti adverſus Demetrium Lampenum, Johan-

hannem Corcyrenſem, alioſque, a quibus Alemanni tanquam cum Ario de Divina natura male ſentientes falſo, & inique fuerant accuſati; Gilbertus Porretanus in Pariſienſi an. 1147, de qua Otto Friſing. lib. 1. de geſt. Frider. cap. 50; Soterichus Panteugenus Antiochiæ Syriæ Hypopſephius, ideſt Epiſcopus electus, aliique docentes Divinum Sacrificium ſoli Patri, & Spiritui Sancto, non etiam Filio offerendum fore in Conſtantinopolitana an. 1154, de qua Allatius in vindiciis Synodi Epheſinæ pag. 582; Piphili, hoc eſt Albigenſes in Remenſi an. 1157. apud Martenium vet. Monum. tom. 7. pag. 74, & Manſium tom. 2. Suppl. pag. 490; Publicani, ideſt Valdenſes in Oxonienſi an. 1161. ex Spelmanno tom. 2. Concil. Angl. apud Harduinum tom. 6 par. 2. pag. 1583. In Pariſienſi an. 1170. propoſitio quædam Petri Lombardi virgula cenſoria notata legitur; & in altera an. 1201. Evraudum Militem Bulgarorum, ideſt Valdenſium hæreſi infectum ignis ſupplicio condemnatum referunt Robertus Antiſiodorenſis Prior Monaſterii S. Meriani (non Mariani, uti Voſſius, Harduinus, & alii) in Chron., & Petrus Vallis-Cernenſis hiſt. Albig. cap. 3. Anno 1209. in Pariſienſi cum Ariſtotelis libris quibusdam damnata impia Almarici dogmata, Magiſtri David libros, Gallicoſque alios de Theologia igni devotos ex Rigordo, & Cæſario Heiſterbachienſi memorat Harduinus tom. 6 par. 2. pag. 1991, & ſeqq. In Arelatenſi an. 1260. Joachimi Abbatis doctrina quædam ſuggillata habetur: de quo confer præter alios, qui ipſius, non ſecus atque S. Malachiæ tributa, vaticinia refellit, Claudium Franciſcum Meneſtrierium Soc. J. in ſingulari libello edit. Pariſ. 1689, & Papebrochium tom. 7. Maji ad diem 29. pag. 134, & ſeq., agit etiam copioſe Jo: Wolfius Lectionum Memorab. tom. 1. pag. 443, & ſeqq. Quid vero quod a Sacra Pariſienſi Facultate nigro lapillo notatæ propoſitiones quædam leguntur? Et quidem aliæ n. 10. an. 1240; nonnullæ n. 13. e Philoſophorum Ethnicorum fœdis hauſtæ lacunis an. 1270; aliæ quoque, cum pleriſque libris an 1277, de quibus Bibliot. PP. tom. 4. pag. 1231, ac Raynaldus ad an. 1270. n. 38, & 1277. n. 9. Palamitæ, hoc eſt Meſſaliani novi, repetitis vicibus damnationis ſententiam apud Græcos ſubjiſſe leguntur, in Synodis

nempe Conſtantinopolitanis an. 1341. adverſus Barlaamum, anno 1345. adverſus Gregorium Palamam, an. 1347. adverſus Jo: Calecam, & an. 1351. adverſus Nicephorum Gregoram, de quibus Allatius de Conſ. lib. 2. cap. 16, Johannes Boivin in Not. ad Nicephorum Gregoram pag. 790, ex Combefiſii tom. 2. Auct. pag. 135, & ſeqq. Harduinus tom. 11. pag. 283, ac Fabricius Bibl. Græcæ tom. 10. pag. 454. Nicolai de Mercuria propoſitiones ab Univerſitate Pariſienſi an. 1347. proſcriptæ, nec non Guidonis Pariſienſis ab ipſo poſtmodum ejuratæ an. 1354. proſtant legendæ Bibl. PP. tom. 4. pag. 1320, 1323, & 1331. Errores alios n. 30. in Anglia diſſeminatos in Concilio Lambethano an. 1368. damnatos ex Spelmanno tom. 2. Collect. Angl. deſcribit Harduinus tom. 7. pag. 1863. Ægidius Cantor, & Guillelmus de Hildermiſſen novæ hæreſeos, Intelligentiæ dictæ, ſtructores an. 1411. a Petro Alliacenſi Archiep. Cameracenſi proſcripti ſunt, quo coram Guillelmus palinodiam recinuiſſe habetur apud Balutium Miſcell. tom. 2. pag. 277, & Manſium in Not. ad Raynaldum eodem an n. 11. Jungellingum quemdam impoſtorem plebi ſuadentem Epiſcoporum, ac Sacerdotum deſpicere, negligereque imperia, decumas non perſolvere, Principibus vectigalia non pendere, aliaque id genus politiæ cum Eccleſiaſticæ, tum Civili noxia, a Rodulpho Herbipolenſi Antiſtite flammis condemnatum tradit coævus Auctor Chron. Miſnenſis ad an. 1475. apud Menkennium rer. German. tom. 2. pag. 363. Johannem Ruchardum Moguntiæ ad errores, quos divulgarat, revocandos, nulla Pontificis interveniente facultate, adactum fuiſſe referunt Trithemius in Chron. Hirſaug., Spondanus, & Raynaldus ad an. 1479. n. 33, de quo videri etiam poteſt Jo: Maria Perrimezius in diſſert. Eccleſ. par. 1. diſsert. 4. de Conciliis ſub Sixto IV. celebratis. Edmondi Richerii liber de Eccleſ., & polit. poteſtate in Synodis Senonenſi, ſive Pariſienſi ſub Cardinali Perronio, & Aquiſextienſi ſub Paulo Archiep. an. 1612. obelo confixus legitur apud Harduinum to n. 11. pag. 58 Denique Janſeniſtarum partium celebrem patronum Johannem Soanen Epiſcopum Senecenſem an. 1727. Synodi Ebredunenſis ſententia Sacris interdictum, exſpoliatumque Sacerdotio ſcitum eſt. Quæ omnia a primo ulti-

ultimum eó confluunt, ut planiſſimum efficiant, quod neque inſigni abſque piaculo inficiari quis poterit, ad Epiſcopalis partem juris pertinere, fidei cauſſas cognoſcere, de eiſdem judicium ferre, hæreſibus ignominiæ dicam infligere, inque hæreticos Eccleſiaſticis pœnis animadvertere: ideoque, ita concludunt adverſarii, non fuiſſe, cur ex iſtiuſmodi particula juris uni Pontifici M. adſerta præter rem alterum præterea haud inferius indefectibilitatis hoc eſt in fide, poteſtatisque ſupremæ privilegium illi præ aliis peculiare exſculperetur.

At enim repono principio viciſſim ego Adverſarios prolixa iſta argumentatione nihil proficere, quin etiam ita argumentando imprudenter ſibi met jugulum petere, quia nempe argumentum ultra, quam velint Adverſarii ipſi, procedit, ac ultra quam oporteat, nimium oppido probat, eodemque ideo ipſos pariter valdequam urgeri. Enim vero in eorum ſententia etiam ratum, fixumque ſtat illud 1. Quæſtionibus fidei finiendis, hæreſibuſque procul eliminandis ſatis eſſe, ſuperque Eccleſiæ in diſperſis Epiſcopis conſenſum ſive expreſsum, ſive tacitum imo 2. Quæſtiones fidei ſemel a Generali Concilio finitas, hæreſeſque ab eo proſcriptas nefas eſſe novo ſupponere examini, inſtauratoque diſcutere judicio. Quibus loco poſitis, jam ſic 1. in Adverſarios propoſitum inſtaurare argumentum præſto eſt, ac pronum. Concilium ante Nicænum in Arianæ hæreſis execrationem univerſa conſpiraverat jam Eccleſia, ſcilicet S. Alexandro Epiſcopo Alexandrino, qui Arium anathemate devinxerat, Encyclicis admonitæ ubique adhæſerant Eccleſiæ, uti Romana, de qua loquitur Liberius in epiſt. ad Conſtantium Imperat. apud S. Hilarium in frag. 5; uti Conſtantinopolitana, de qua fidem facit præl. S. Alexander Alex. in epiſt. ad Homonymum Conſtantinopolit.; ut Ægypti, Thebaidis, Libyæ, Pentapolis, Syriæ, Lyciæ, Pamphyliæ, Aſiæ, Cappadociæ &c., quarum ibidem occurrit mentio: verbo Eccleſia omnis ſive Orientalis, ſive Occidentalis, perpaucis exceptis, velut expreſse teſtatus eſt S. Athanaſius in epiſt. ad Jovinianum Imper. Quorſum igitur in Nicæno Concilio quæſtio ad incudem eſt revocata, deque Arii damnata jam doctrina eſt iterum diſputatum? Ante Conſtantinopolitanum I. adverſus Macedonium aſſerta jampridem fuerat,

rat, vindicataque Spiritus S. Divinitas in Synodis Romana ſive a Liberio, uti ſcribit Sozomenus lib. 6. cap. 22, ſive, ut aliis magis arridet, certiſſime a S. Damaſo; in Gallicana, & Veneta, quarum veſtigium adparet in Synodica S. Damaſi ad Orient. apud Holſtenium Collect. Rom. pag. 265, & in epiſt. Valentiniani Imperat. ad Aſianam Diœceſim; in Alexandrina poſt reditum S. Athanaſii an. 362, ut habetur ex ipſius Synodica ad Antiochenos tom. 1. pag. 574; in Illyriciana an. 372, aut inſeq., qua de Epocha Pagius ad an. 365. num. 10.; ab Epiſcopis Diœceſeos Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacatianæ, ad quos ſcripta Synodica Illyriciani Concilii cum præcit. epiſtola Valentiniani Imper. ad eoſdem Epiſcopos extat apud Theodoretum lib. 4. capp. 8, & 9, & Nicephorum lib. 2. cap. 30; ab Epiſcopis Italiæ ſub S. Damaſo congregatis, a quibus data legitur epiſtola Synodica ad Epiſcopos Illyrici, & quidem ante quam hi in Synodum conveniſſent, ut oſtendit Pagius loco præcit., & ad an. 369. n. 5., & ſeqq., legenda apud Sozomenum lib. 6. cap. 23, & Theodoretum lib. 2. cap. 22; ab Epiſcopis Orientalibus, qui an. 378, aut ſeq. Antiochiæ in Synodo ingenti numero congregati Synodicæ S. Damaſi ad Paulinum, ubi diſertis verbis tribus Divinis Perſonis Conſubſtantialitas decernebatur, ſyngrapham adjicere ſuam religioni duxerunt, apud Theodoretum lib. 5. cap. 11, & Epiphanium Scholaſt. hiſt. tripart. lib. 9. cap. 16: ut jure propterea optimo Galliarum Epiſcopi an. 1653. Innocentio X. ſcribentes affirmare non dubitaverint Decreta adverſus Apollinarium, & Macedonium nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos a S. Damaſo paullo ante edita Divinam æque, ac ſummam univerſam obligandi Eccleſiam obtinuiſſe auctoritatem. Quid itaque cauſſæ fuit, cur Conſtantinopolitanum poſtea haberetur Concilium? niſi ea æqui, bonique fiat, quam attexuit Sozomenus lib. 7. capp. 7, & 9., ut Pneumatomachi videlicet fidem profiteri compellerentur, cujus formulam quondam per Legatos ſuos, e Synodo Lampſacena ſcilicet directos, Liberio P. M. exhibuerant, ſive potius Formulæ fidei ad Paulinum jampridem a S. Damaſo inſcriptæ plene adquieſcere cogerentur. Neque ſane vel leve quidquam ſive Liberii, ſive Damaſi poteſtati ſupremæ detractum ideo eſt, quod ab ipſis decre-

ta

ta in Conſtantinopolitano I. Concilio deinde fuerint comprobata: quo modo Nicænæ Synodo derogatum eſt nihil, quamvis fidei Symbolum ab eadem adornatum a Concilio eodem Conſtantinopolitano fuerit ſive confirmatum, ſive adauctum.

In Neſtorium jactæ a S. Cœleſtino ſententiæ adhæſiſſe ſtatim Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ, Ægypti, Illyrici, Macedoniæ, verbo Orientis, Occidentiſque ubique gentium Epiſcopos, nequidem iis quinque ſuper triginta, qui non tam cum Neſtorio amicitiæ neceſſitudine magis erant conjuncti, quam ad Johannis Antioch. nutum pendebant, exceptis, documento ſunt plane epiſtolæ S. Cæleſtini ad Johannem Antioch, Juvenalem Hieroſolymit., Rufum Theſſal., & Flavianum Philipp. apud Harduinum Concilii Epheſini par. 1. cap. 16. pag. 1523; S. Cyrilli Alex. ad S. Cœleſtinum 8. edit. Cout., Synodica e Concilio Alex. ad Neſtorium apud Lupum epiſtol. Caſſin. cap. 1. pag. 13. tom. 7. oper. edit. Ven. 1726, & Harduinum cap. 4. pag. 1283; Capreoli Carthagin. ad Synodum Epheſinam act. 1. pag. 1419; Johannis Antioch. ad Neſtorium par. 1. cap. 15. pag. 1327; ac Synodicæ ejuſdem Concilii Epheſini repetitæ ad Theodoſium, & Valentinianum Imperat. pag. 1582, 1591, & 1611. Nihilotamen minus ab Epheſino Concilio de Neſtorio dijudicatum eſt iterum, in eumque integratum anathema, ſecundum tenorem ſententiæ tamen a S. Cœleſtino prolatæ, Concilioque ipſi præſcriptæ, cui ſiquidem diſperſi Epiſcopi jam adhæſiſſent, nec congregatis refragari licuit. S. Leonis M. judicio nedum, ſed Eccleſiæ univerſæ conſenſione jam damnatus hæreſis nomine Eutyches habendus erat: in ejus etenim damnationem ultrocitroque unanimi conſenſu conſpiraverant Eccleſiæ, Alexandrina, cui dubio procul acceptæ pridem fuerant Synodicæ S. Cyrilli cum ad Neſtorium, tum ad Orientales, quibus Eutychetis error anticipato judicio confixus fuerat, quæque Act. 2. Synodi Conſtantinopolit. ſub Flaviano relectæ, Act. 1. Chalcedonenſis inſertæ leguntur apud Harduinum to. 2. pag. 115. & ſeq.; Conſtantinopolitana in Concilio ann. 448. ſub Flaviano coacta, cujus acta celeberrima ad Flavianum epiſtola S. Leo confirmavit, eidemque ſubinde ſubſcribere epiſtolæ Anatolium, Synodique Chalcedonenſis Epiſcopos juſſit epiſt. 40, in edit. Quesnelli

nelli 60; Gallicana, quæ in Concilio Arelatenſi congregata, ut arguit Sirmondus, a S. Leonis in litteris ad Flavian. expreſſa ſententia nec latum unguem abſcedere religioni duxit, velut in Synodica ad Pontificem diſerte profeſsa eſt apud Harduinum tom. 1. pag. 1775; cui propterea orthodoxam fidem epiſt. 57, ſive 77. ibidem pag. 1778. S. Leo gratulatus legitur; Italica, quæ Synodica ad S. Leonem e Concilio Mediolanenſi ſub S. Euſebio ibid. deſcripta pag. 1779. ſibi nihil antiquius cordi eſse ſignificavit, quam integro, demiſsoque mentis obſequio ejus ad Flavianum Dogmaticæ inhærere, ut jure propterea idem Pontifex in epiſt. præcit. cap. 17. affirmare non dubitaverit: *Rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu*. Cur itaque S. Leo Synodum Chalcedonenſem haberi nihiloſecius indulſerit, id cauſſæ fuit, non ut Eutychetis utique cauſsa in diſcrimen iterum, diſceptationemque revocaretur, aut ab ſe jam lata in eum ſententia novo ſubjiceretur examini, id enim prohibuerat omnino; ſed ut Apoſtolicæ Sedi irrogata publice a Dioſcoro, ſub eoque a pſeudo-Synodo Epheſina per ſummum nefas injuria publico in Concilio pariter redimeretur.

Monothelitæ jam undique in Eccleſia univerſa hæreſis nomine peſſime audiebant, antequam Sexta Generalis Synodus eiſdem proſcribendis indiceretur, poſtquam videlicet hæreſis dica fuiſſet ipſis conſcripta a Summis Pontificibus, Severino, Johanne, Theodoro, Martino, Vitaliano, Adeodato, & Domno: ita enim ab Epiſcopis Italiæ, ac nominatim a Mauro Ravennate, Maximo Aquilej., Deuſdedit Caralitano &c. laudatis Concil. Later. ann. 649. Secret. 1. apud Harduinum tom. 3. pag. 703, & ſeqq., ab Epiſcopis Africæ, quorum expreſſam intueri licet ſenrentiam in litteris Synodicis quatuor Provinciarum Numidiæ, Byzacenæ, Mauritaniæ, & Proconſularis ad Theodorum, viciſſimque Martini ad Eccleſiam Carthag., eique ſubjectos Epiſcopos ibid. Secret. 2. relatis pag 634, 734, & ſeqq.; ab Epiſcopis Palæſtinæ, ac præſertim Sophronio Patriarcha, & Stephano Dorenſi ejuſdem vicibus defungente, a quibus ſcripta, voceque explicita, Synodica inſerta ibid. habetur pag. 711, & ſeqq., teſtaturque epiſtola S. Martini ad Eccleſiam Hieroſolym.; ab Epiſcopis Cypri, ac

ſpecia-

ſpeciatim Arcadio, & Sergio, quorum fidem abunde liberat Synodica ad Theodorum eodem Secret. 2. pag. 727, & ſeq.; ab Epiſcopis Aſiæ, ad quos percenſere licèt epiſtolas a S. Martino exaratas apud Harduinum eodem loci pag. 639, & ſeqq., non ſecus atque ad Antiochenam Eccleſiam pag. 655; ab Epiſcopis Galliæ, quemadmodum augurari fas eſt ex epiſtola a Pontifice inſcripta ad S. Amandum Trajecten. pag. 945; ab Eccleſia quinimo univerſa, ad quam legenda Encyclica Lateranenſi e Synodo a S. Martino exarata pag. 933 : ut propterea Concilium hoc Lateranenſe magno ſemper in pretio habitum ſit, locoque eodem illuſtri, quo Generalia ipſa; ideoque ut hacce perinde de cauſſa S. Agatho Patribus Synodi VI. jure præceperit, ne vel leve quidquam mutare, augere, minuere præſumerent eorum, quæ ab ſe, & ab Apoſtolica Sede adverſus Monothelitas definita jam fuerant. Quorſum igitur Sexta indicta ſubinde eſt Synodus, niſi Pontificum decretis gerendi morem gratia, conferendique de modo Monothelitas penitus profligandi? Ante Synodum VII, ſive Nicænam II. Iconoclaſtæ item bonis omnibus in Eccleſia odio habebantur: ac ſane ex univerſæ Eccleſiæ conſenſu in hæreticorum cenſu habendi erant. Cujus rei teſtem voco S. Gregorium II, qui omnium ptimus Sacrarum Imaginum vindicem, aſſertoremque ſe præſtitit acerrimum, qui Mauritanos, Wandalos, Gothos, Francos, aliaſque Gentes *ex toto interiori Occidente*, una cum Romana Eccleſia, in Sacrarum Imaginum cultum conſpirare certiſſime affirmare non dubitavit in epiſt. 1. ad Leonem Iſaurum Amplificatus ſubinde magis, magiſque is erga Imagines ardor eſt cum in Oriente, tum in Occidente, poſtquam iiſdem Sacris Imaginibus cultus integratus, confirmatuſque eſt a S. Gregorio III, S. Zacharia, Stephano II, S. Paulo I, & Stephano III, aliis IV, cujus in Synodo ann. 769. Romæ habita inter duo ſupra quinquaginta Epiſcopos ex Italia, Tuſcia, & Campania ejus ſententiæ adverſus Iconoclaſtas ſuffragatores conſederunt patiter Galliarum Epiſcopi duodecim, quorum præ Sirmondo nomina reſtituit vir Cl. Cennius in diſſert. de hoc Concilio capp. 2, & 4. (Quod heic commemoratum volui eo conſilio, ut intelligas hinc, quam perperam Gallicani quidam Epiſcopi poſtea, ideſt poſt annos 56.,

in Parisiensi Synodo a priori suorum Decessorum sententia desle-xerint.) Quominus etiam præclaram in eamdem sententiam cum Pontificibus confluxerint pariter Orientales Episcopi, nominatimque tres Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, aliique oppido multi, dubitare non sinunt eorum Synodicæ, de quibus dictum pag. 75. Supervacanea igitur habenda fuisset Synodus VII, nisi ea adfuisset causa, quam Tarasius ipse Constantinopolit. Antistes indicavit, videlicet Ecclesiæ Constantinopolitanæ cum Romana unionem redintegrandi, quæ plane ea lege redintegrata est demum, quam illi præscripserat Hadrianus I. in epist. ad Tarasium, ut diris cunctis devoveretur prior Constantinopolitana pseudo-Synodus sub Copronymo, ignominiæque dica conscriberetur quotquot SS. Imaginibus denegandum cultum deinceps blaterarent. Atque potiori ratione proinde superfluum haberi poterat Francofordiense Concilium, tam qua parte de Sacrarum Imaginum cultu retractandum assumpsit, ut ex dictis abunde liquet, quam ex qua Felicis Urgelitani causam revocavit ad incudem: nam Eginhardo teste post Synodi judicium Pontificio, istius supremum subiturus judicium, Tribunali sistendus ille erat; teste Alcuino lib. 1. adv. Elipan. ab Hadriano I. illius hæresis *funditus exterminata fuerat*, testeque demum Dungalo in lib. adv. Claud. Taurin. Monstri hujusce caput *Apostolicæ auctoritatis prævalida, ferreaque confregerat virga*.

Age vero cetera, quæ regeri in adversarios possunt, compendio perstringamus. Valdenses in Concilio Lateranensi III. an. 1179 Can. 27, ut de aliis taceam, sub Alexandro III. diro fuerant anathemate damnati: non fuisset igitur, cur iterata damnationis sententia ferirentur a Lucio III, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. an. 1215. Can. 3, & Gregorio IX. Cap. *Excommunicamus* Decret. lib. 5. tit. 7. *De Hæreticis*. Ab Urbano IV, Clemente IV, & B. Gregorio X. conciliandæ pacis legi præscriptæ de credenda fide Divina Spiritus S. processione etiam a Filio, deque Sanctorum Beatitate ad supremum Judicii diem nequaquam differenda Græci subscripserant. Eccur igitur iterum in Concilio Lugdunensi II. Spiritum S. pariter a Filio procedere, Sanctosque Beatitate statim, atque maculam exuissent omnem, a

Deo

Deo donari est definitum? Quid imo caussæ fuit, cur in Concilio postea Florentino de processione Spiritus S. a Filio disceptandi facultas Græcis fieret, neque Latini placulo, velut videri poterat, verterunt, eo de dogmate concertatione decernere? Latæ a Leone X. in Lutherum sententiæ adhæsisse statim Ecclesiam, ostendit doctiss. Thomassinus dissert. 12. in Concil. Chalced., ac paullo superius pag. 142., ubi de Synodis adversus Lutherum habitis incidit sermo, insinuatum est: nihilotamen minus ad Lutheranam damnandam hæresim frustra indictum, congregatumque Tridentinum Concilium nemo tam impudens dixerit. In eodem Concilio de sacrorum Librorum Canone disputatum est: quem tamen jam pridem in Ecclesia obtinuisse, a Romanisque Pontificibus vice plus simplici, Synodisque plurimis in tuto positum nemo ignorat, nemo inficiatur. Quid ergo, si nos veritas amet? Quam sapienter, fateor, profiteorque, tam salubriter in generalibus Conciliis decreta, quæ siquidem vel a Conciliis aliis generalibus, vel a Romanis Pontificibus edita, in dubitationem adduci, locoque dimoveri alioqui non patiar, ideo sive innovari, sive instaurari, quatenus eadem vel facilius executioni demandantur, vel efficacius ad eorumdem observantiam Refractarii obligantur. Quæ duo qui probe tenet, se filum tenere putet ab eo evadendi haud tamen heliopoleo labyrinto, quo Conciliorum propugnatores nos non tam, quam semet intricant, & involvunt.

Atque ita appositе in eos 2. argumentum instauratur. Decreta in Generalibus Conciliis, Adversariis ipsis affirmantibus, ita fidem nostram obligant, ut nefas sit illa denuo in disceptationem adducere, aut in dubium, adeoque ut propterea frugi cuilibet justissimam provocet indignationem Petri Allixii insolentissima dissertatio de Conciliorum quorumvis definitionibus ad examen revocandis inscripta. Atqui nihilominus eadem decreta passim in Conciliis Provincialibus integrata, aliquandoque iterata disputatione leguntur discussa. Ita namque post Nicænam habitæ adversus Arium sunt adhuc Synodi Romana an. 342, aut seq., Mediolanensis an. 344, aut 346, de qua Cl. Mamachius de Ratione temp. Athanas. pagin. 228, Sardicensis ann. 347,

Mediolanenſis an. 347, in quam videndi Pagius n. 8, & ſeqq., ac Tillemontius tom. 6. pagin. 765, Romana ann. 349, aut ſeq., Ægyptiaca ann. 352, Romana eodem ann., aut ſeq., Ariminenſis anno 359, Pariſienſis anno 361, aut ſeq, de qua Pagius numer. 27, & ſeq., Alexandrina, & Antiochena anno 363, Sicula, & Tyanenſis anno 365, Ægyptiaca anno 371, de qua S. Athanaſius in epiſt. ad Afros, & Pagius ad an. 369. num. 12, Romanæ ſub S. Damaſo, Illyriciana ann. 372, aut ſeq., Aquilejenſis ann. 381. Mitto alias teſte S. Athanaſio in epiſt. ad Epictetum in Gallia, & Hiſpania frequens adverſus Arianos habitas. Conſer etiam Synodi Syriacæ ann. 405, aut 410. acta apud Muratorium de antiq. Ital. med. ævi tom. 3. pag. 976, de quibus tamen valdequam dubitat vir doctiſs., exindeque a Manſio deſcripta tom. 1. Suppl. pag. 289, & ſeqq. Ita poſt Conſtantinopolitanum I. an. 381, adhuc tamen adverſus Macedonianos celebrata leguntur Concilia tum Romæ, tum Conſtantinopoli an. 382, & 383, de quibus conſer Manſium tom. 1. Suppl. in adnot. Crit., & Chronol. pag. 249. Poſt Epheſinum ann. 431. adverſus Neſtorium indicta ſunt denuo Concilia an. 432. Conſtantinopolitanum, de quo Coutantius in monito præv. ad epiſt. 3. Johannis Antioch. ad S. Sixtum III., an. ſeq. Antiochenum, e quo præfata Synodica exarata fuit, an. 433. Anazarbicum, & an. ſeq. Tarſenſe, de quibus conſuleſis epiſtolas Caſſin. a Lupo editas capp. 159, & 192., ibidemque virum doctiſs. in Scholiis, an. 435. Armenum apud Liberatum Brev. cap 10, an. 449 Conſtantinopolitanum, de quo Baluzius pag. 1456, an. 550. Mopſveſtenum Collat. 5. Synodi V. inſertum, Scirachavenſe in Armenia an. 863. apud Galanum in Conciliat par. 2. tom. 1. pag. 139, & Memphiticum an. 1582, de quo ex Poſſevino Harduinus tom. 10. pag. 1273. Non ſecus adverſus Eutychetem poſt Chalcedonenſem an. 451. celebratæ adhuc leguntur Synodi longe plures, eodem anno Alexandrina, & Theſſalonicenſis, Conſtantinopolitana 455, Romana 458, alteraque 465, de quibus Synodicon capp. 93, & ſeqq. apud Fabricium pag 228, Antiochena 472. apud Scriptorem geſtor. de nom. Acacii, altera 478. apud Theophanem, ac tertia 483, de qua Synodicon cap. 99. pag. 230, Conſtantinopoli-

politana 478, de qua Liberatus cap. 18, Cyrenſis 482. apud Synod. cap. 98, Romana 484, altera Conſtantinopolitana 487., de qua Baluzius pag. 1457, Antiochena 498. apud Manſium Suppl. tom. 1. pag. 377. ex Victore Tunonenſi ad ſeq. ann., Conſtantinopolitana, Hieroſolymitana, & Tyria 518. act. 5. Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna 536. inſertæ, Hieroſolymitana altera 536, Antiochena 560, de qua Synodicon cap. 120. pag. 239, Toletana III. an. 589, in qua cum Nicæna, & Conſtantinopolitana confirmata eſt Chalcedonenſis, Hiſpalenſis 619, Siſenſis in Armenia 1307. apud Manſium ex Galano Suppl. tom. 3. pag. 271. Poſt Conſtantinopolitanam II, vulgo Synodum V. an. 553. contra tria Capitula, habitam eodem ſubinde anno Hieroſolymitanam, in eaque ab Epiſcopis Palæſtinæ illius acta confirmata diſcimus ex Concilio Nicæno II. act. I, & ex Cyrillo Scythopol. in vita S. Sabæ apud Cotelerium tom. 3. Monum. pag. 375. Viciſſim vero eamdem contra Synodum V. pro tribus Capitulis pugnatum legitur in Conciliis Aquilejenſi an. 553. apud V. Bedam de ſex. ætat. tom. 2. oper. pag. 226, in Maranenſi an. 590, aut ſeq. apud Manſium Suppl. tom. 1. pag. 457, & in Aquilejenſi altera an. 698. apud Paulum Diac. lib. 5. cap. 14. Satis haberi, ſuperque poterat in Monothelitas pronunciata in Concilio Conſtantinopolitano III, Generali VI. an. 680, & ſeq. damnatio: hacce nihiloſecius de cauſsa habita paſſim recenſentur Concilia an. 684. Toletanum XIV, 688. Toletanum XV, 714, aut ſeq. Conſtantinopolitanum, ac Romanum, 750. Hieroſolymitanum, 775, ſive 780. Conſtantinopolitanum alterum, de quibus Synodicon Pappi capp. 137, & ſeqq. apud Fabricium Bibl. Græcæ tom. 11. pag. 247, & ſeqq. Ita definita adverſus Iconomachos in Nicæno II, ideſt Generali VII. Sacrarum Imaginum an. 787. cauſſa fuerat. Quod impedimento propterea tamen haud fuit, quominus eadem integraretur definitio in Conciliis Conſtantinopolitanis an. 814, de quo Combefiſius in Origin. Conſtantinopolit. pag 130, & Manſius Suppl. tom. 1. pag. 779, nec non an. 842, de quo Pappus in Synodico cap. 147. pag. 253, & Theophanes apud Henſchenium tom. 2. ad diem 13. Martii.

Poſt Lateranenſe III. an. 1179, atque Lateranenſe IV. an. 1215,

1215, in quibus execratione omni digni Valdenſes, & Albigenſes fuerant declarati, in haſce tamen peſtes Eccleſiaſticæ diſtringi pœnæ, integrarique non deſtitere in Conciliis, præter ea quamplurima, de quibus dictum pag. 94, & ſeqq., Arauſicano an. 1229., Melodunenſi 1232, Biterrenſi 1233, Arelatenſi 1234, Narbonenſi 1235, Tarraconenſi 1242, Biterrenſi altero 1246, Albienſi 1254, Biterrenſi rurſum 1255. &c. Quamvis etiam Joachimi dogmata quædam in Concilio Lateranenſi IV. atro fuiſſent carbone notata, neque ab inſtaurandis in eadem cenſuris abſtinuit Synodus Arelatenſis an. 1260. apud Harduinum tom. 7. pag. 509: quemadmodum neque paullo ante præl. Lateranenſis IV. ſtatuta calculo probare ſuo Arelatenſi Synodo alteri 1234. piaculo, religionique fuit. Ita Lugdunenſe II. an. 1274. confirmatum legitur in Saliſburgenſi eodem anno, in Conſtantinopolitano 1277. apud Raynaldum n. 32, & ſeqq., alteroque 1280, de quo Allatius Græciæ Orthod. tom. 1. pag. 366, ac Manſius in hiſt. Synop. de Græcor. Conciliis Suppl. tom. 3. pag. 85, in Melphitano 1284. apud Martenium vet. Monum. tom. 7. pag. 283, in Cadurcenſi 1289, de quo idem vir Summus Anecd. tom. 4. pag. 672, ac tandem in Florentino 1439. In Viennenſi Concilio an. 1311. in Beguardos intorta damnationis ſententia, in Tarraconenſi an. 1317. ingeminata exhibetur a Martenio vet. Monum. tom. 7. pag. 305: non ſecus atque Wicleffi, Huſſique hæreſes in Conſtantienſi an. 1414. confixæ iteratas expertæ ſunt iras Epiſcoporum in Synodis Salisburgenſi an. 1418. apud Hanſiſium Germ. ſac. tom. 2. pag. 468, Colonienſi, & Moguntina an. 1423. apud Serarium lib. 5. rer. Mogunt., Gneſnenſi, & Lancitienſi eodem anno apud Cochlæum lib. 5. hiſt. Huſſit., in Senonenſi, ſive Pariſienſi an. 1528. apud Harduinum tom. 9. pag. 1945. Tandem poſt Tridentinum an. 1563. abſolutum, ſeptimum nempe, ac viceſſimum poſt annum, quo Mantuæ a Paulo III. fuerat indictum, a prima vero Tridenti Seſſione annos poſt duodeviginti, in quo Lutheri, Calvinique nefandiſſimæ hæreſes confoſſæ ſunt, contra has perinde eadem integrata dogmata legere paſſim eſt in Synodis Petricovienſi an. 1551, de qua Florimundus Remundus, aliiſque plurimis apud Harduinum tom. 10, ac Manſium Suppl. tom. 5, & 6, quibus retexendis ſuper-

ſuperſedeo, ut vela tandem ſermoni contraliam. Ex quibus quis probe non perſpicit, non ſemper indicium ſuperioris, potioriſque poteſtatis eſſe, cauſſas jam ab alio Judice cognitas, & dijudicatas iterato cognoſcere, & dijudicare, ſed id quinimo frequenter indicium potius eſſe ſubjectionis, obſequii, adhæſionis, & obedientiæ, quatenus a ſuperiore Judice lata ſententia, etſi non abſque cognitione cauſſæ, juriſque exercitio, efficaciter executioni demandatur, ſive de impedimento auferendo, deque aptiori diligenter inveſtigatur modo, quo ſuo non fruſtretur effectu: quomodo circa decreta ſive Pontificum, ſive Generalium Conciliorum a particularibus ſive Epiſcopis, ſive Synodis factitatum frequentiſſime nemo in Eccleſiaſtica hiſtoria adeo hoſpes, qui neſciat, aut neget.

Quibus præjactis, jam prona, faciliſque ſuapte ad objecta adverſariorum reſponſio fluit. Atque Eccleſiæ quidem eſſe inquio, ſive Epiſcoporum, qua in Conciliis, qua extra Concilia, ſive generalia, ſive particularia, modo expreſſe, modo tacite de Controverſiis fidei dignoſcere, & dijudicare; Hæreſeſque inſurgentes proſcribere, atque e finibus Eccleſiæ propulſare: quis id inficias eat, & præclaram hanc juris particulam Epiſcopis, potiſſime vero Synodis invideat? Nihilotamen minus loquendo de Cauſſis majoribus, ac difficilioribus, deque definitione authentica, & indefectibili, nihil prohibet dicere unius eſſe Pontificis M. Controverſias fidei finire, judicio ſcilicet infallibili, atque hæreſes damnare, authentica ſcilicet definitione, cui inviolabiliter adhærendi Chriſtifidelibus cunctis omnimoda neceſſitas incumbat. Non ita vero in hujuſmodi privilegii Divinitus uni Pontifici facti partem ingrediuntur Epiſcopi, quorum ſive in Conciliis, ſive extra Concilia ſeorſum definitiones omni robore deſtituuntur, donec eiſdem Pontifex calculum adjecerit ſuum: ideoque rerum definitarum robur ab uno Pontifice, ſupremo velut a Capite dimanat; quo refragante, nihil ſatis firmum, tutumque in Epiſcoporum judicio ſit; quo ſuffragante viciſſim, jam e veſtigio Epiſcoporum judicium ratum, fixumque evadat. Hoc itaque ſenſu SS. Siricius, Innocentius I, Bonifacius I, ac Leo M., quorum integra dedi loca Tom. 4. Art. 8. §. 1. pag. 307, & ſeq., affirmare non dubi-

dubitabant a S. Petro, tanquam a Capite quodam, & fonte, in quo poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudo, ſummaque a Chriſto D. fuit collocata, ejuſdem poteſtatis in Epiſcopos particulas quaſdam promanare. Hoc ſenſu ad fidei quæſtiones finiendas non opus eſſe Conciliis ſcribebat ad S. Cyrillum Alex. S. Sixtus III. epiſt. 1. edit. Cont., ſed unius Pontificis ſatis eſſe, ſuperque ſententiam: *Sufficiunt, quæ a B. mem. Deceſſore meo ſcripta fuerunt de fide*: a S. Cæleſtino nempe contra Neſtorium. Hoc ſenſu Innocentius III. lib. 2. epiſt. 209. ad Camaterum ex generali ligandi, ſolvendique poteſtate, quam Chriſtus D. Apoſtolis omnibus, S. Petro tamen non ſecluſo, contulit, & ex peculiari, quam ſoli Petro, ſecluſis aliis omnino Apoſtolis, ab eodem Servatore concredita fuit, rite, optimeque arguebat id totum omne, quod Epiſcopi in Conciliis etiam collecti, abſque Pontificis auctoritate, conſenſuque nequeunt, poſſe e contra Pontificem ſolum, etiam ſine Epiſcoporum conſenſu: *Ut quod alii non ſine ipſo, ipſe ſine aliis poſſet ex privilegio ſibi collato a Domino, & conceſſa plenitudine poteſtatis*. Cujus proinde in perſona Rom. Pontificem falli, & fallere omnino eſſe neſcium, ab ipſoque ceteris omnibus neceſſitatem obſequendi, parendique omnimodam imponi concludit. Hoc ſenſu Clemens V. Viennenſe Concilium indicens, in Eccleſiæ Romanæ laudem hæc verba uſurpabat: ab ea ceterarum Matre, ac Magiſtra *veluti a fonte primitivo ad ſingulas alias ejuſdem fidei rivuli derivantur*: ideoque inquit Conſt. *Fidei Catholicæ* lib. 7. Decret. tit. *de Sum. Trinit.* hujuſmodi fidei cauſsas ad Apoſtolicam Sedem *dumtaxat declarare pertinet*: quæ verba plane alienum in ſenſum detorquere fruſtra conatur Boſſuetius. Hoc ſenſu Clemens VI. in epiſt. ad Conſolatorem Armeniæ Catholicum ſolius Pontificis eſſe ſcribebat fidei quæſtiones dirimere, ita ut eidem pronuncianti fideles omnes parere neceſſe foret, dum inter alios hunc ordine 13. Articulum fide tenendum proponebat: *Si credis Rom. Pontificem ſolum, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, poſſe per determinationem authenticam, cui ſit inviolabiliter adhærendum, finem imponere*. Cui ſane dicto alienum ſenſum appingere adnixus eſt perperam Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. XIII, & XIV. in Cenſorio ſuffragio tom. 16. edit. Luc.

Hoc

Hoc ſenſu Leo X. Conſt. *Regimini* in Concilio Lateranenſi V. ſeſs. 10, & Conſt. *Primitiva* ſeſs. 11. editis dicebat a Romana Eccleſia per Orbem conſtitutos Epiſcopos, eoſque in partem fuiſſe ſollicitudinis vocatos; onera, & officia gradatim per Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos diſtributa: diverſos Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus inſtitutos, Parochias deſignatas, Epiſcopos creatos, præfectoſque Metropolitas: *Tanquam membra Capiti obſequentia, .. & tanquam rivulos a perenni fonte derivantes*. Quorum ſimillima habet Conſt *Paſtor æternus*, & Conſt. *Dum intra*; ac juxta quæ loquutos intueri licet Par. hac II. Tom. 3. Artic. I. §. II. præ aliis plurimis ſpeciatim S. Gelaſium, S. Hormiſdam, Pelagium II, S. Gregorium M., S. Martinum I, S. Agathonem, S. Leonem II, Hadrianum I, S. Leonem IV, S. Nicolaum I, Benedictum VI, S. Leonem IX, S. Gregorium VII., Paſchalem II, Calliſtum II, Innocentium II, Eugenium III, Hadrianum IV, Gregorium IX, Innocentium IV, Urbanum IV, Clementem IV, Nicolaum III, Bonifacium VIII, Benedictum XII, Innocentium VI, Eugenium IV, Nicolaum V, Pium II, Sixtum IV, Julium III, S. Pium V, Sixtum V, Alexandrum VIII. &c. Quo perinde ſenſu accipi tam rite poſſunt, quam debent præclara, quæ dedi loca Tom. 3. Art. 11. §. 111 pag. 175, 182, & ſeqq., ac Tom. 4. Art. VIII. §. I. pag. 309, & ſeqq. ex SS. Cypriano, Optato, Gregorio Nyſs., Jo: Chryſoſtomo, Baſilio, Ambroſio, Proſpero, Gæſario Arelat.; item ex Stephano Lariſsaeo, Ferrando, Facundo, Johanne Ravennate, Alcuino, Hincmaro, Ratramno, Herivæo, Ratherio, S. Bernardo, Jacobo de Termis, Petro Bleſenſi, Alberto M., Alexandro Alenſi, SS. Thoma, & Bonaventura, Scoto, Petro Bertrando, Thoma Argent., Petro Alliac., Gerſonio, S. Antonino, Johanne de Turrecremata, Ambroſio Cather., Andrea Duvallio, Jacobo Almaino, Genebrardo, Johanne a Celaja, Coeffetello, Jo: Puteano, Thomaſſino &c. Quam in rem conferre quoque juvat Urbanum II. apud Baluzium Miſcell. lib. 1. pag. 238, Benedictum XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 1. cap. 4 n. 2, Andream Coloſſ., & Johannem Tarentinum Archiep. in orat. ad Baſileenſes apud Harduinum tom. 8 pag. 1518, & 1530, Stephanum Comitem Palat. Rheni, ac Bavariæ Ducem in epiſt. ad

Præſidentes ejuſdem Concilii apud Manſium Suppl. tom. 6. pag. 632, ac Ludovicum XI. Gall. Reg. in epiſt. ad Pium II. pro abrogatione Pragmaticæ Sanctionis apud Harduinum tom. 9. pag. 1640, qua ab ſe Romanum Pontificem eo ſupremo poteſtatis haberi loco profitetur, ex quo tanquam a capite, & fonte *Sacræ leges oriuntur, & manant*. Quod non eſt aliud, quam a Pontifice in Epiſcopos de cauſſis fidei dijudicandi jus ita diffluere, ut in illo velut in centro unitatis totius ſumma conſiſtat.

Cujuſce rei argumento, documentoque præterea, & quammaxime quidem ſunt Concilia ex ingenti Epiſcoporum cæteroqui numero conflata; quibus tamen, quia Rom. Pontificis defuit aſſenſus, res non bene ceſſerunt, aut in quibus procul a recta fide aberratum turpiter eſt, ideoque peſſime apud bonos audiunt: de quibus ſiquidem ſatis, ſuperque me dicere Tom. 3. Art. II. §. III. pag. 188, & ſeqq. memini, ideo non eſt, cur actum agam. Id præſtat unum pleraque indicare particularia Concilia, quæ toto procul oſtio a veritate, fideque deflexerunt, ut planum adpareat, quam diſpar ſit, longeque diſſimile jus, quod Epiſcopis de fide dijudicandi competit, atque illud, quo unus Pontifex gaudet. Enim vero in Concilio Epheſino circa an. 192 ſub Polycrate Quartadecimanorum error confirmatus eſt, de quo Euſebius lib. 5. cap 24. In Carthaginenſi an. 215. ſub Agrippino, in Iconienſi, & Synnadenſi an 235. ſub Firmiliano, de quibus S. Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum, & 73. ad Jubajanum, ac Euſebius lib. 7. cap. 7. Græc. hæreticorum Baptiſmus fuit expoſitus: qui error perinde ſub S. Cypriano plurimis, numeroſiſque in Conciliis an. 253, 254, 255, & 256. Carthagine celebratis, de quibus legendæ S. Cypriani epiſt. 68, 69, 70, 72, 73, comprobatus eſt. In Palæſtino an. 308 apud Theodoretum lib. 1. cap. 5, & ſeq., Antiocheno, ſive Nicomedienſi an. 328, aut inſeq. apud S. Athanaſium in epiſt. ad Solit., Cæſareenſi 334. apud Sozomenum lib. 2. cap. 25, Tyrio 335, Hieroſolymitano eodem an. apud Socratem lib. 1. capp. 21, & 26, Conſtantinopolitano 336, Antiocheno 341, de quo Scheſtratius, altero 344, aut ſeq., de quo S. Athanaſius lib. de Synod., Philippopolitano 347, Hieroſolymitano 350, aut ſeq., de quo tamen vide Touttæum diſſert. 1. de vit. S. Cyrilli cap. 5. ejus

oper-

oper. pag. 17, Arelatenſi 353, Mediolanenſi 355, de quo Baluzius pag. 29, & ſeq., Biterrenſi 356, Antiocheno eodem an. apud Sozomenum lib. 4. cap. 7, Cæſareenſi 357, Sirmienſi eodem, aut ſeq. anno, Ariminenſi, & Nicæno in Thracia 359 apud Baluzium pag. 58, & ſeqq., Antiocheno, duobuſque Conſtantinopolitanis 359, aut 360, ac 362, aut ſeq., de quo Chronicon Paſchale edit. Du-Cangii pag. 294, Antiocheno in Caria 366, aut ſeq. apud Sozomenum lib. 6. cap. 12, Sigedunenſi eodem anno, Nyſſeno, & altero in Galatia, de quibus S. Baſilius epiſt. 137. alias 134, 251. alias 72, & 235. alias 264, Antiocheno 380. apud Philoſtorgium lib. 10. n. 1, aliiſque multis ſequioris ætatis, quibus ſuperſedeo, Ariana hæreſis approbata fuit, & acceptata. Semiarianis etiam, ſive Macedonianis optime cuncta ex voto ceſſiſſe in Conciliis oppido multis ex fide dignis Scriptoribus diſcimus. Ita in Ancyrano an. 358. ex S. Epiphanio hær. 73, in Sirmienſi 359. ex S. Athanaſio de Synod., in Seleucienſi eodem an. ex S. Hilario in frag., in Acaico 359, aut ſeq. ex Prædeſtinato apud Baluzium, in Zelenſi Helenoponti 363, & in Cyziceno an. 372, ex S. Baſilio epiſt. 72, & 82. vet. edit. Ab Epheſino an. 431. ſub Johanne Antioch., ab Antiocheno 432, a Tarſenſi, ab Anazarbico, a Zeugmatenſi eodem anno, de quibus Synodicus apud Lupum capp. 53, 55, 58, 62, 66, 71, 76, 77, 113, 136, 141, 174, 201. &c., Neſtorius bene, S. Cyrillus autem male exceptus eſt. Impia præterea Neſtorii dogmata plus vice ſimplici ab ipſius Symmiſtis inſtaurata, inque Synodis ſtabilita in Beth-Lapeta, in Beth-Adri, Seleuciæ, & Cteſiphonte an. 488, & 489, Caſcaræ an. 544, Seleuciæ rurſum an. 588, 596, & 605, Niſibis an. 645, in Cœnobio S. Simeonis an. circiter 650, Seleuciæ denuo an. 654, in Inſula Dirina in Arabia an. 677, in Cœnobio Jonæ an. 694, Seleuciæ iterum an. 804, & 820, Bagdad an. 900. &c. legere præſtat apud Cl. Aſſemanum Bibl. Orient. tom. 3. par. 2. pag. 178, & ſeqq., 390, & ſeqq., 107, 142, 183, & ſeqq., 448, & 453. In Conſtantinopolitano, & Epheſino an. 449. pro impio Eutychete actum, pugnatumque eſt, cujus imo improbi errores poſt Chalcedonenſe adhuc probati evaſere Synodis oppido plurimis, uti Conſtantinopolitanis tribus an. 466, 497, & 499, ut Epheſinæ 477. apud Evagrium lib. 3. capp. 5, & 9, uti

Sidonenſi 512, de qua Cyrillus Scythop. in vita S. Sabæ cap. 73, ut Antiochenæ eodem anno apud Aſſemanum Bibl. Orient. tom. 2. pag. 18, uti tribus aliis Conſtantinopolitanis 512, 519, & 550., de quibus vetus Synodicon capp. 110, 112, & 119, uti Thevinenſi trigeminæ 536, 552, & 562. apud Galanum de Conciliat. lib. 1. pag. 105, ut Alexandrinis duabus 578. apud Aſſemanum pag. 69, & ſeqq., & Cotelerium tom. 3. pag. 397, uti Gubenſi in Meſopotamia 585. apud Manſium tom. 1. pag. 453, uti Syriacæ 726, Tarmanenſi circa an. 750, Hierapolitanæ 755, Sarugienſi eodem an., Telenſi 759, in Beth-Boten 793, Schialazienſi, & Gubenſi 837, Caphartutæ 869, & Conſtantinopolitanæ 969, de quibus Aſſemanus Bibl. Orient. tom. 2. pag 111, & ſeqq., 133, 338, & ſeqq., ac 437, & ex ipſo Manſius Suppl. tom. 1. In Conciliis Illyriciano an. 549, Carthaginenſi an. 550. apud Victorem Tunon., Aquilejenſi an. 553, ſive 557, & Maranenſi an. 587, ſive ſeq., altera incerti loci in Iſtria an. 591, de qua Manſius in Not. ad Pagium an 590. n. 2, & Aquilejenſi altera an. 698, turpiter in trium Capitulorum defenſionem ultrocitroque juratum eſt. Palmari Monothelitarum hæreſi patrocinari, ſuffragarique palam Epiſcopi complurimi haud veriti ſunt, vel in Synodis Conſtantinopolitana, & Alexandrina an. 633, in Conſtantinopolitanis duabus an. 639, in Theſſalonicenſi an. 649. apud Manſium tom. 1. pag. 483, inque tribus aliis Conſtantinopoli habitis an. 665, 666, & 712. in Collect Veneto-Labbeana tom. 7. pag. 477. ex Collect. Anaſtaſii apud Sirmondum tom. 3. oper. Contra Sacrarum Imaginum cultum tanquam pro aris, focisque, pugnatum eſt pariter, ac pluries in Conciliis Conſtantinopoli celebratis an. 754, 805, 809, 814, 815, & 832, de quibus Pappus in Synodico cap. 146, & Manſius tom. 1. pag 782, & ſeq, ac in Pariſienſi an 825, de quo pag. 76. dictum. Mitto pleraque multa, in quibus multis violata ſunt modis jura ſive Apoſtolicæ Sedis, ſive Catholicæ unitatis, quæ diſciplinæ morum, quæ legum Eccleſiaſticarum, pro quibus omnibus illud valet, quod probe dixit ſapientiſſimus Melchior Canus de Loc. Theolog lib. 5. cap. 5: *Pondus Conciliis dat Summi Pontificis, & gravitas, & auctoritas: quæ ſi adſit, centum Patres ſatis ſunt: ſin deſint, nulli ſunt ſatis, ſint quamlibet plurimi.* Cui

appri-

apprime cohæret in ſententia Cabaſſutius, cujus egregium locum recolere juvat tom. 3. art. 2. §. 3. pag. 202.

Jam quod attinet ad præmemorata Concilia particularia, in quibus nullum Pontificis M. præhabito conſenſu prædamnatæ ſæpius hæreſes perhibentur, auſim dicere (quo dicto viden, ut objectionis utrumque caput uno obtruncetur ictu) eadem Concilia, majorem ſaltem partem, non abſque Pontificis nutu prævio, aut conſenſu poſt adhibito, in Eccleſia obtinere, quatenus nempe Pontificis interfuit, præceſſitque, ſive antequam haberentur, ſacra juſſio, aut ſuaſio; ſive poſtquam habita ſunt, acceſſit, & ſubſecuta eſt aſſenſio, & approbatio. Ita plane, ſi veritati inniterentur, quæ de Heracleone refert Prædeſtinatus, verum pariter, ipſomet teſte, foret Patribus Siculis auctoritate ſua præiviſſe S Alexandrum I, qui ab illis de homine iſto rogatus, & interrogatus cum libro elucubrato, tum Legato miſſo Sabiniano Presbytero tam hæreſim, quam hæreticum profligaſſe refertur. At hæc ad fabulas amandanda, quæ paſſim, atque heic præſertim ingerit pſeudonymus hic Scriptor, jamdiu patefecit Cl. Coutantius in S. Clemente pag. 6. n. 2, & in S. Alexandro pag. 54. n. 5, dixique ego pag. 33, & ſeq. Potius itaque cum Valentino, cujus de hæreſi late Buddeus in diſſert. introduct. ad Philoſophiam Hebræor. ſubjecta agit, cuique paria ſenſiſſe Heracleonem, de quo Grabius Spicileg. tom. 2. pag. 183, teſtes locupletes accedunt S. Irenæus lib. 1. cap. 10, Tertullianus de præſcipt. cap. 30, ubi confer Lupum in ſchol., ac S. Epiphanius hæreſ. 35, & ſeq., Heracleon a S. Hygino, ſub quo Romam venit, & a SS. Pio, & Aniceto, ſub quibus Romæ viguit, referentibus S. Irenæo lib. 3. cap. 4, & Euſebio lib. 4. cap. 11, damnatus cenſeri debet. Atque ita perinde Epiſcopis Gallicanis in damnatione Valentini, ſiquidem Valentini ſymmiſta Colorbaſius eſſet, in hujuſce quoque damnatione Pergamenſi Synodo præiviſſe eoſdem Pontifices exiſtimari fas eſt. Non ſecus atque Orientalibus præceſſiſſe ſententia S. Hyginus, a quo Cerdonem ex Eccleſia ejectum tradunt S. Irenæus lib. 1. cap. 28, & lib. 2. cap. 4, ac Euſebius lib. 4. cap. 11, præſumendus eſt. Quo porro loci Valeſium (cui poſtea adhæſit Coutantius pag. 61. n. 2.) Ruffinum, & Chriſtophorſonum hunc ſive Euſebii, ſive S. Ire-

S. Irenæi locum perperam vertiſſe affirmantem, ubi loco *abſtentus eſt* vertendum fuiſſe *ſe abſtinuit* contendit, quaſi nempe Cerdo non a Pontifice quidem fuerit abdicatus, ſed ipſe ſemet ſponte abdicaverit, viden, ut jure refellat doctiſs. Cacciari in Not. ad Euſebii lib. 4. cap. 11. verſ. Ruff. In Montanum, & Theodotum a Sanctis ſive Sotere, ſive Eleuthero, ſive Victore, ſive Zephyrino anathematis jam tela intorta fuiſſe abunde oſtendi pag. 34, & ſeqq. Synodis itaque ſive Hierapolitanæ, ſive Anchialenſi, ſive Lugdunenſi, vel jam explicita pridem ſententia exemplo fuit, vel ab eiſdem Synodis lata poſtmodum fuit pari a Pontificibus judicio comprobata. Concilii Alexandrini ſub Demetrio in Origenem ſententiam duo potiſſimum cauſſæ irritam fecere, una, quod in abſentem, nec legitime citatum prolata fuiſſet; altera, quod Romani Pontificis auctoritate nedum fuiſſet firmata: qua de re adeundi Labbæus ad an. 230. tom. 1. nov. edit. pag. 642, & Cacciari in Not. ad Euſebii lib. 6. cap. 18. Quare uni Romano Pontifici acceptam Origenis damnationem referendam fore jure dixi pag. 39. Origenis Magiſter Ammonius cognomento Saccas, de quo Fabricius Bibl. Græcæ tom. 4. pag. 159, erroris auctor non fuit, ſed fidei Chriſtianæ, cui nomen dederat, dumtaxat deſertor, ſi fides adhibenda Longino, & Porphyrio in vita Plotini cap. 20, cujus etiam præceptor idem Ammonius fertur: proinde adverſus ipſum Alexandrina Synodus non de nova hæreſi dijudicavit, ſed veterem Religionem defendit. Verum duobus illis Ethnicis Scriptoribus, ac Porphyrio ſpeciatim Chriſtiani nominis infenſiſſimo hoſti, Longini hac de re teſtimonium adhibenti, cuique nimium fidit Valeſius, aures neutiquam accommodandas docet Euſebius lib. 6. cap. 15. verſ. Ruff., ubi Ammonium in fide integrum ad vitæ extremum uſque perſeveraſſe, manifeſtiſſimæ vero Porphyrium falſitatis redargui affirmat. Juxta quæ proinde Synodus illa pſeudo-epigraphis eſt adcenſenda. Lambeſitanam Synodum contra Privatum auctoritate ſua valere fecit S. Fabianus: qua de re, ut operæ ferebat pretium, dixi pag. 40. Berylli, opera poſtea Origenis ad frugem regreſſi, cui in errore anteiverat Praxeas a S. Zephyrino damnatus, teſte S. Optato lib. 1, Noeti, qui ab eodem Praxea abludebat haud procul, & Valeſiorum,

qui

qui hæreſim e Cataphrygum lacuna hauſerant, damnationi præ-
luſerant Romani Pontifices, quorum exemplo proinde ab aliis
Epiſcopis pluries in Conciliis in eas peſtes, ac S. Zephyrino ſpe-
ciatim in Cataphrygas fuiſse animadverſum Tertullianus lib. adv.
Praxeam cap. 1. conqueritur. S. Cornelium Conciliorum ſive ab
Afris, ſive ab Aſianis, qua contra Feliciſſimum, qua contra Nova-
tianum habitorum nunc auctorem ſe dediſſe, nunc auctoritatis
ſuæ pondus adjeciſſe pag. 40 planum jam feci.

Gradum itaque properando, obſervare non pigeat Millena-
riorum errorem bifariam adſpici poſſe: vel quatenus a Cerintho,
& Ebione invectus eſt, ac demum a Nepote, aliis Nepotiano, in
Ægypto, ſive Cyrene juxta Cavæum, Epiſcopo excitatus, quo-
modo S. Dionyſio, ac Synodo Alexandrinæ in ejus damnatione
anteiverant SS. Clemens, & Victor, ut indicavi pag. 33, & 38: vel
quatenus a SS. Papia, Juſtino, Irenæo, ac juxta aliquos ab eodem
Nepote, Severo Sulpitio, Scriptoribuſque aliis Eccleſiaſticis
fuerat inductus, inſtauratuſque: quo pacto in Apollinari demum a
S. Damaſo eſt damnatus. Ad hæc vero a S. Gelaſio decreto de Apo-
cryphis libris adnumeratus legitur Nepotis liber, cui in duos divi-
ſo hunc inditum titulum Ἔλεγχος Ἀλληγοριστῶν memorat S. Dionyſius,
qui duos itidem illis oppoſuit libros de Repromiſſionibus, apud Eu-
ſebium lib. 7. cap. 22. verſ. Ruff. Plura de Nepote diſſerit Fabri-
cius Bibl. Græcæ tom. 5. pag. 273, non ſecus atque de Cerintho,
ex quo ſuos hauſit errores Nepos, tom. 3. pag. 147, & ſeq. Syno-
dum Antiochenam contra Paulum Samoſatenum, petentibus Sy-
nodi Patribus a S. Dionyſio P. M., ſubindeque a S. Felice I. con-
firmatam fuiſſe oſtendi pag. 42. In Cerdone, de quo pag. 34. dixi,
prædamnatus a S. Hygino fuerat Manes; ſed & poſtea confirma-
tam in Manichæos damnationis ſententiam a Pontificibus aliis de-
monſtrare me memini pag. 43, & ſeq, 51, 58, & 70. Alexandri-
na Concilia adverſus Sabellium, Arium, & Colluthum veriſimil-
lime celebrata ſunt auctoritate S. Silveſtri ab Oſio ejuſdem in
Oriente vicibus defungente. Quin & Sabellius a S. Dionyſio Alex.
delatus jam antea diris cunctis devotus fuerat a SS. Sixto II, &
Felice I, de quibus pag. 41, & ſeqq. In Euſtathium ejaculatam
a Gangrenſi Synodo ſententiam Apoſtolicæ Sedi acceptam evaſiſ-
ſe,

ſe, ab eaque longe amplius robur accepiſse liquet ex dictis pag. 64, & ſeqq. Quorſum huc vero de Euphrate Colonienſi Epiſcopo in Concilio damnato mentio, cujus hæreſis nihilo ab Ariana diſtantis jam in Ario damnatio Romano a Pontifice fuerat proclamata? At enim non Euphratem, virum germane orthodoxum, orthodoxæque fidei vindicem acerrimum, quem ideo a Synodo Sardicenſi Legatum Antiochiam ad Conſtantium Imperat. delectum, & Antiochiæ dira ab Arianis perpeſsum refert S. Athanaſius in epiſt. ad Solitar., ſed Eupraxium, ex quo imperitus Librarius Euphratem fecerit, Agrippinenſi hac in Synodo damnatum auguratur Henſchenius in vita S. Servatii ad diem 13. Maji Contra quem Pagius ad an. 346. n. 6. exiſtimat nequaquam Euphratem deformandum in Eupraxium, ſed duos magis Euphrates diſtinguendos; quorum unus alterum e veſtigio exceperit, unus hæreſi infamis, locoque dejectus, orthodoxus alter, ideoque Legatus deſtinatus. Sirmondus viciſſim in Not. ad hanc Synodum Colon. in ea opinione verſatur, ut putet Euphratem vel poſtea reſipuiſſe, antequam Legatus decerneretur, vel ignotas ob cauſsas ad hanc obeundam legationem neceſsariam dijudicatam ipſius operam. E contra Agrippinenſe hoc Concilium ad pſeudo-epigrapha fore amandandum conjecturis haud facile contemnendis ſuadent Baronius ad an. 346. n. 7, & ſeqq., ac Mamachius de rat. temp. Athan. pag. 259, & ſeqq. Conſer & Chriſtianum Lupum de Appellat. diſſert. 1. cap. 7. oper. tom. 8. pag. 28, & ſeq. edit. Ven. 1726. A S. Julio, & Liberio damnati Urſacius, & Valens cum apud Julium, uti referunt S. Athanaſius in Apolog., S. Hilarius in frag. 2, & Socrates lib. 2. cap. 24, ex quibus Coutantius pag. 403, tum apud Liberium in Synodo ipſa Mediolanenſi, uti liquet ex Dialogo Liberii cum Conſtantio Imper., de quo S. Athanaſius in hiſt. Arian. ad Monach. n. 39, & Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccl. capp. 15, & 16, exindeque Coutantius pag. 434, palinodiam recinere, petere veniam, fideique profeſſionem emittere officio duxere: cui poſtea deficientes juſtas S. Damaſo pœnas dedere. Arianis partibus Aetius non modo adhærebat, ſed eas provehere cum Eunomio diſcipulo allaboravit adeo, ut Anomœorum Proſeuchæ evaſerit Præfectus: igitur de Arianorum fatis dicta de eodem perinde

rinde accipi debent, de quo pluribus diſſerit Fabricius Bibl. Græc. tom. 8. pag. 317, & ſeq. Nec etiam ab Ario ſors altera Saturnino Arelatenſi, qui hæreſim cum illo habere communem delectabatur, obtingere debebat; ideſt ut & ipſi eadem adhæreret ignominiæ labes, qua Romanis a Pontificibus Arioni fuerant aſperſi. S. Damaſo omnium primo cum Apollinaris, tum Macedonii damnationem acceptam fore referendam liquido, opinor, pag. 47, & ſeqq. demonſtratum eſt. Priſcillianiſtæ in Manichæis, quorum nefandiſſima dogmata pleraque recoquebant, profligati Summis a Pontificibus fuerant: ſententiæ vero in Synodis Hiſpanis in ipſos ſæpius jaculatæ vel auctores, vel laudatores acceſſere Pontifices, de quibus dictum pag. 50, & 59. Aquilejenſis Synodi adverſus Palladium, Secundianum, & Attalum auctor extitit S. Damaſus; non ſecus atque Mediolanenſis contra Jovinianum, Auxentium, & alios incentor fuit, interceſſorque S. Siricius. Eunomius jam ab anno 378. una cum Sabellio, Ario, Macedonio, Photino, & Apollinari confixus a S. Damaſo fuerat in epiſt. ad Paulinum apud Theodoretum lib. 5. cap. 11, & Holſtenium Collect. Rom. pag. 80. In Meſſalianos, alio nomine Euchetas, Adelphianos, Enthuſiaſtas &c. latam a Patribus Concilii Epheſini, Præſide S. Cyrillo Apoſtolicæ Sedis Legato, anathematis ſententiam acceptam habuit S. Cæleſtinus P. M. Qua de re confer Lupum in Scholio ad hoc decretum adv. Meſſal. oper. tom. 1. pag 405. edit. Ven. 1724 De Inſtantio, & Salviano intelligenda pariter ſunt, quæ paullo ſuperius de Priſcillianiſtis indicavi, quarum ii parrium erant Anteſignani. Bonoſo infamiæ dicam inflictam a S. Siricio fuiſſe, præceptoque ſuo auctorem ſe dediſſe Synodis Capuanæ, & Illyricianæ in hæreticum illum animadvertendi oſtendi pag. 52. De Origenis doctrina jampridem dijudicaverat S Fabianus: Origeniſtis vero proſternendis impares poſtea Theophilus Alex., & S. Epiphanius, Romani Pontificis longe potiorem adhibendam fore operam intellexere: qua reapſe egregie defunctos S. Anaſtaſium I, ac Vigilium declaravi pag. 52, & ſeqq., ac 68.

Ita per ſingulas diſcurrendo hæreſum ſpecies, nulla inter tantas, aut ego fallor, invenietur, cui obtruncandæ præſentiſſimos, omnimque primos non ſe dederint Romani Pontifices;

quibus proinde hanc victoriæ palmam velle eripere, quid eſt aliud, quam invidia agere, & injuria? Itaque præterquam quod cum Priſcillianiſtis, a quibus ne latum diſtabant unguem, Dictinius, atque Symphoſius damnationis ſententiam a Pontificibus accepiſſe reputandi ſunt, illud animadvertere juvat a S. Innocentio I. epiſt. 3. edit. Cout. ad eamdem Synodum Toletanam ejus indulgentiam erga duos illos ad frugem reduces laudatam fuiſſe, & probatam; operam quoque ab eodem Pontifice impenſam, ut Schiſma ex Dictinio, & Symphoſio dignitati ſuæ a Synodo redintegratis exortum componeret, atque comprimeret. Vide Coutantium in Monito prævio ad hanc epiſtolam, de qua egregie præfatur. Cæleſtii, & Pelagii cauſsam quod attinet, S. Innocentii I. judicio, confirmato ſubinde a S. Zoſimo, fuiſſe finitam ex SS. Auguſtino, & Proſpero, quin ipſo ex Pelagio late probavi pag. 55, & ſeq. Vigilii Papæ primas, ac præcipuas fuiſſe partes de tribus Capitulis, inter quæ de Theodori Mopſveſteni perſona, ac doctrina, cognoſcere, ac dijudicare (quod dictum pariter in Diodorum Tarſenſem cadere puta) atque Concilio ea de cauſſa congregato ſui Primatus jure præſidere agnovit Synodus ipſa Mopſveſtena in relatione Synodica ad eumdem Vigilium inſerta Collat. 5. Synodi V, ſive Conſtantinopolitanæ II. apud Harduinum tom. 3. pag 133: quo de argumento recole, ſi placet, tantique ſunt, abunde dicta parte 1. art. 2 §. 3. pag. 180, & ſeqq. Quid ad hæc autem, quod apud Pontificem in judicio ſibi experiundum eſſe intellexit ipſe Neſtorius, unaque S. Cyrillus? Ille, qui proinde S. Cæleſtino cauſſam deferre ſuam, integramque permittere dirimendam officio habuit: iſte, qui pariter de homine ad Pontificium tribunal delato Apoſtolicæ Sedis audiendam ſibi ante ſententiam eſt arbitratus, quam ad proferendam ſuam proſiliret, juxtaque Pontificis judicatum, in Neſtorium deinde judicium inſtituit, & tulit. Quæ S. Cyrilli ſane perſuaſio intima pariter fuit, arcteque cordi infixa S. Flaviano, qui latam in Eutychetem ab ſe in Synodo ſententiam confirmari a S. Leone infimis precibus poſtulavit, impetravitque; quo demum illam invictum obtinuiſſe robur intellexit. De Prædeſtinatianis non una profecto Eruditorum ſententia eſt. Nullos fuiſſe unquam hæreſi

infe-

infectos hujuſmodi, ſed eo dumtaxat nomine S. Auguſtini diſcipulos invidioſe traductos quidam exiſtimant, ideoque pariter commentitias eſſe duas illas Synodos, inter quos Uſſerius, Janſenius, Mauguinus, Cabaſſutius, Contenſonius, ac Thomaſſinus diſſert. 13. in Concilia Arelat., & Lugdun. Ex adverſo Prædeſtinatianam hæreſim, eſto paucorum fuerit, profectaque ab hominibus obſcuri nominis, rudioriſque intelligentiæ, a Semipelagianis tamen non fuiſſe dolo confictam, nec fraude a Fauſto in epiſt. objectam Lucido, nec falſo a S. Fulgentio lib. 1. cap 3. inſequenti Sæculo de eadem accuſatum Monimum, nec ideo præfatas Synodos de induſtria productas, veriſimilius propugnant alii, uti Baronius, Spondanus, Alvarezius, Sirmondus, Noriſius lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 15, Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. V. par. 2. diſſert. 5, Pagius ad an. 490. n. 3, & ſeqq., & Maffejus hiſt Theolog. lib. 16. n. 7. pag. 470, & ſeqq. Ut ut ſit, Synodis illis præluxerat, facemque prætulerat S. Cæleſtinus in epiſtola ad Galliarum Epiſcopos, qua totus incumbit, ut S. Auguſtini doctrinam ab obtrectatoribus defendat, digniſque exornet laudibus. Utraque Synodus poſtmodum Synodi Arauſicanæ II. probata aliquibus videtur, qui Prædeſtinatianorum errorem tacito nomine proſcriptum Can. 25. intueri ſe putant: cui Synodo poſtea calculum adjecit ſuum S. Bonifacius II. Qua de re tamen valdequam dubitat Pagius, adeundus, ſi placet, n. 6, & ſeqq., conſulenduſque loco ind. Maffejus. Prædeſtinatianos in Gotheſcalco poſtea revixiſſe ſunt, qui putant: qua de re paullo poſt. Pro certo illud interea pervelim haberi, quod Arauſicanam II, & Valentinam Synodos contra Semipelagianos ad eum, quo in Eccleſia ſunt, auctoritatis gradum evexit S. Bonifacius II, precibus exoratus a S. Cæſario Arelatenſi, qui utrique Concilio præfuit. Trium Capitulorum damnationem obligandi vim demum omnem a Vigilio, a Pelagio utroque, & a S Gregorio M. accepiſſe plus vice ſimpliciplanum feci.

Ad objectatas ſequentis ætatis Synodos, quæ præcedentium veſtigiis inhærentes a cenſuris in hæreticos, quum opus foret, diſtringendis, inſtituendoque in hæreſes judicio non abſtinuerunt, hujuſmodi nunc habeto reſponſa. Equidem cujas eſſet, cujuſve erroris Sectator Græcus ille hæreticus a Synodo Aurelianenſi

male habitus, in obſcuro latet. Si tamen conjecturis eſt locus, non alteram a Monothelitica, tum in Oriente longe, lateque graſſante, illi adhæſiſſe hæreſim exiſtimaverim. Jam vero in hujuſce Anteſignanos hæreſis omnium primos damnationis tela intorſiſſe Romanos Pontifices, intorquendique ſubinde Synodis in Africa, Italia, Anglia, Gallia, Hiſpania, & Aſia indictis exemplo, ac juſſione præiviſſe memoravi pag. 71, & ſeq. Quo proinde loci temperare mihi non poſsum, quin obiter ſummam redarguam audaciam D. Ravechet Sorbonici olim Syndici, qui ſermone coram Sorbonicis habito Clementinam Conſtitutionem *Unigenitus* rejiciendam ex eo capite arguens, ac temere aggreſsus, quod abſque Epiſcoporum acceptatione Pontificum decreta obtinere nequeant, potiorem in eo vim facit, quod Synodi, in ſpecie Lateranenſis I. ſub S Martino I, & Conſtantinopolitana III. ſub S. Agathone adverſus Monothelitas habitæ univerſam obligandi Eccleſiam vim non habuerint, donec Epiſcoporum omnium ſuffragio fuiſſent ratihabitæ. Cujuſmodi dicti teſtes, aſsertoreſque vocat SS. Martinum I, & Leonem II: illum, quia in epiſtolis ad S. Amandum Traject., ad Clodoveum, Dagobertum, & Sigebertum Galliarum Reges fidei confeſſionem adverſus Monothelitarum hæreſim ab Epiſcopis Gallicanis ſubſcribendam mittens, præcipuos ex Regni Epiſcopis Romam dirigi petierit, cum quibus communi ſuffragio de fide deliberare poſſet, quæ fuerint deliberata Romæ, in Galliarum deinde Provinciis comprobanda dirigere: iſtum, quia in epiſtolis ad Ervigium Hiſpaniarum Regem, Regnique Epiſcopos Synodi VI. acta, fideique definitionem ſe mittere ſignificarit, ut Epiſcoporum omnium ſubſcriptione communirentur. At enim quam ſiniſtra, & iniqua ſit iſta Sorbonici hujus interpretandi ratio ut demonſtretur, haud indiget multis. Eo enim conſilio S. Martinus Synodi acta in Galliam, non ſecus atque in Aſiam, & Africam miſit, ut Monothelitas omnibus damnatos, odioque habendos denuntiaret, innoteſceretque doctrina Romana in Eccleſia ſacra, religioſeque ſervata de duabus in Chriſto D. voluntatibus, eique omnes ex officio adquieſcerent. Gallicanos vero Epiſcopos virtute probos, doctrinaque præſtantes venire Romam voluit, quibus vices tuto ſuas apud Græcorum Imperato-

ratorem obeundas demandare poſset, atque ut quæ in Concilio Lateranenſi decreta fuerant, eorum opera Imperatori, ceteriſque Græcis innoteſcerent, & inſinuarentur. Nec abſimilem admodum cum Hiſpanis agendi rationem tenuit S. Leo II: cujus epiſtolas equidem Baronius ad an. 683. n. 16, & ſeqq., non ſecus atque S. Benedicti II. eadem de re exaratas ad an. 684. n. 3. pſeudo-epigraphis adnumeravit, pleriſque argumentis e re hiſtorica, rationeque chronologica ductis permotus, cujus nuper in opinionem abivit Illuſtriſſ. Johannes Bap. Bartholi in Apolog. pro Honorio cap. 27, quibus tamen ſatisfecere Combefiſius in hiſt. Monoth. pag. 154, & ſeq., Pagius ad an. 683. n. 5, & ſeqq., & ad an. 684. n. 9, & ſeqq., Lupus tom. 3. in diſſert. extrema de Synodo VI pag. 52, Ludovicus Jacobus Bibl. Pontif. pag. 20, & Aguirrius tom. 2. Concil. Hiſp. pag. 711, & ſeqq. Propterea epiſtolis illis tanquam legitimis admiſſis, confidentiſſime adfirmo nihil hinc, aut ex agendi, quam tenuere, Hiſpaniarum Epiſcopi, ratione præjudicatum juri Pontificis res fidei peremptorio, ut ajunt, judicio dirimendi. Enim vero quum Epiſcopi Hiſpani, abſoluto jam Concilio Toletano XIII, S. Leonis litteras una cum Synodi VI. actis accepiſſent, atque ingruente jam hyeme, ſe aggregare ſecundo nequirent, in annum ſequentem Synodum diſtulere: interea ad Epiſcopos per Provincias acta Synodica pro ſubſcriptione dirigentes, geſtorumque ita rationem Pontifici reddentes. Ad hæc officii admoniti a S. Benedicto II, qui S. Leoni ſucceſſerat, anno inſequenti, ideſt 684, in Concilio Toletano XIV. congregati, Can. 2. ſic ſtatuunt: *Ad hoc omnes Præſules Hiſpaniæ invitati ſunt* (a Pontifice) *ut prædicta Synodalia inſtituta, quæ miſerat, noſtri etiam vigoris manerent auctoritate ſuffulta, omnibuſque per nos ſub Regno Hiſpaniæ conſiſtentibus pateſcerent divulganda.* Quid in his latet doli, vel ambitus, quo ſe in Pontificis Judices erigere voluerint, qui id unum prætendunt ſe morem Pontifici gerendi gratia congregatos acceptatione ſua jubere, ut Synodi VI. acta in Hiſpania valeant, quæ ideo cunctis innoteſcere curant? Subinde Can. 3. excuſationem ſubtexunt, quare ſibi non licuerit illico convenire, ſubdenies Can. 4: *Placuit proinde .... ea ipſa geſta firmare, noſtræque fidei ſenſum puriſſima*

riſſima verborum enodatione depromere. Adornata itaque a Juliano (qui a Roderico Toletano rer. Hiſp. lib. 3. cap. 12 perperam Pomerius, genereque Judæus nuncupatur) Apologia ad Pontificem mittenda Catholicæ Religionis ſumma capita adverſus hæreticos exponunt, & defendunt: in qua quum quædam Pontifici minus probata fuiſſent, Apologetico altero illi plane ſatisfacere in altero Concilio Toletano XV. an. 688. curarunt. Quod indicium eſt haud obſcurum, quo obſequii loco dicta, juſſaque Pontificis ab Hiſpanis haberentur. Poſtquam vero Can. 5. eadem Synodi VI. acta cum Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi contuliſſent, *Ideo* Can. 6. ſubjungunt, *ſupradicti acta Concilii in tantum a nobis veneranda ſunt, & recipienda conſtabunt, in quantum a præmiſſis Conciliis non diſcedunt, imo in quantum cum illis concordare videntur*: propterea Can 7. quatuor illis Conciliis generalibus (quorum nedum in cenſu Synodum V. repoſuerant) Synodum VI. adnumerandam pariter fore concludunt. Quæ omnia eó recte collineant, ut oſtendant iccirco miſsa a Pontifice Synodi VI. acta, ne quæ mox de fide adverſus Monothelitas fuerant definita, Hiſpanos laterent Epiſcopos, qui eo libentius in eamdem conſpirare ſententiam non dubitarunt, quod cum præcedentium Synodorum dogmatibus, cum Patrum traditione, cum Rom. Pontificum doctrina ſumma eſſet Synodi VI, miraque conſenſio. Quæ qui ſiniſtrorſum intorquere adhuc velit, næ is fruſtra luci offundere conatur tenebras. Vide viros doctiſs. Cennium de antiq. Eccleſ. Hiſp. diſsert. 4. cap. 6. n. 20, ubi a Boſsuetio argumentum hoc eripit, redimitque, ac Lopezium de antiq. Can. Cod. Eccl. Hiſp. par. 1. cap. 35, & ſeqq., ubi Hiſpanos Epiſcopos a Cennio hac de re nonnihil vexatos defendit, & vindicat.

Quod nunc propius ad rem attingit meam, quid pluribus morer Hiſpanos Presbyteros illos graviſſime circa Euchariſtiam peccantes, ideoque a Synodo Bracarenſi damnatos, quorum adeo ſupinus error non tam dedocendus erat, veluti nihiloſecius ex S. Julio I. in epiſt. ad Ægyptios deſumpto argumento præſtitum eſt, quam ſevere adeo inſignis temeritas cum ſchiſmate conjuncta comprimenda fuerat, & caſtiganda? Contrà Adelbertum, & Clemen-

mentem a S. Bonifacio advocatam S. Zachariæ P. M. auctoritatem, adhibitamque, ideoque Synodis Sueſſionenſi, & Germanicæ robur ex Apoſtolica Sede acceſſiſſe paullo ſuperius pag. 78. adnotatum eſt: non ſecus atque pag. inſeq. Felicem Urgellitanum Hadriani I. auctoritate, quam Epiſcopi effictim exoraverant, quaque ſuffulti in ſententiam ſimiliter exierant, compreſſum fuiſſe, atque ad errorem ejurandum compulſum. Cæterum Concilium Narbonenſe contra Felicem ſuſpectæ admodum fidei a Pagio habitum eſt ad an. 788. n. 10. multis de cauſſis, tum quia notæ temporariæ, quibus conſignatur, inter ſe pugnant, Imperatoriſque Carolus M. illuſtratur nomine, quod ei tamen ante an. 800. attributum non fuit; tum quia Concilio ſubſcriptus legitur Felix, quin ſe tamen hæreſi abdicat, cui imó uſque ad Concilium Ratiſponenſe an. 792. tenaciſſime inhæſiſſe liquet ex Eginhardo ad hunc an., & Jona Aurel. in lib. adv. Claudium Taur. Conficiam nunc paucioribus, quoad ejus fieri poterit, quæ ad cauſſam Amalarii, & Gotheſcalci attinent. Equidem Amalario, cum homonymo Trevirenſi cognomento Fortunato non confundendo, nonnulla circa Euchariſtiam minus caute excidiſſe non negaverim, de quibus a Floro Lugd. & Agobardo fuerit jure reprehenſus: eum tamen de Chriſti D. corpore ſeceſſui ſuppoſito injuſte accuſatum oſtendit Mabillonius in præf. ad par. 2. Sæculi IV. Bened. §. 5. n. 69. pag. 324, & ſeq., qui pag. 322, & ſeqq. ab hac Stercoraniſmi labe pariter liberat, & excuſat cum ex Græcis Origenem & Nicetam, quem poſteriorem hujuſce flagitii poſtulaverant Humbertus, & Algerus, tum ex Latinis Heribaldum, & Rabanum, quibus idem error ab Herigero afflatus fuerat. At enim alterius circa Euchariſtiam erroris, qui ei cum Rabano, Herigero, & Ratramno fuerit communis, & cum Paſcaſio Radberto ad unum quatuor commiſerit, accuſatur Amalarius. Radbertus nempe, ſive Ratherius, ut quidam, minus veriſimiliter tamen, ex Mſ. Cod. Bibl. S. Martini Lovan. arguunt, lib. de Corp., & Sang. Dom ſcripſerat peracta conſecratione, panis vinique ſubſtantiam non ſupereſſe, locoque ſupervenire verum Chriſti D. Corpus, & Sanguinem; ipſumque Corpus non aliud ab eo, quod ex B. Virgine Maria natum, & in Cruce paſſum eſt. Ita expreſſe capp. 1, 4, 9,

4, 9, 12, & 20, in epiſtola quoque ad Fredugardum, & in Comment. ad cap. 26. S. Matth. E contra Rabbanus in epiſtolis ad Hegilonem, & Heribaldum, Amalarius in epiſt. ad Guntardum, Herigerus lib. de Corp., & Sang. D. apud Cellotium in append. ad hiſtor. Gotheſcalci (quamvis opus hoc Herigero tributum a Cellotio Silveſtro II. P. M. fore tribuendum autumant Scriptores hiſt. litter. Gallic. tom. 6. pag. 587.) & Ratramnus lib. de Corp., & Sang. D. (quem librum minus vere fœtum eſſe Johannis Scoti opinati ſunt Petrus de Marca in epiſt. ad Dacherium ante tom. 2. Spicileg., nov. edit. tom. 3. pag. 852, Anſelmus Pariſius in diſſert. adv. Allixium cap. 5. tom. 5. perpet. fid. par. 2 pag. 198, & Johannes Harduinus in diſsert. de Sacram. Altar.) Radbertum oppugnantes Euchariſtiam idem Chriſti D. eſſe Corpus negabant, quod ex Virgine Maria natum, & Cruci ſuffixum fuerat. Hinc Novatores opportunitatem Catholicum dogma oppugnandi avide arripientes Rabanum, Amalarium, Herigerum, & Ratramnum una pariter inter realis præſentiæ Chriſti D. in Euchariſtia hoſtes enumerare non erubuere, ut Albertinus, Claudius, Larroquianus, Goulartius, Lampadius, Allixius, Hopkinſius, Pfaffius &c.; Radbertum cum Ratherio viciſſim vel in Calviniſtarum partes rapere conati ſunt, uti Boxornius, & Hoſpinianus; vel Radbertum veluti novi dogmatis a veteris Eccleſiæ doctrina alieni procuſorem traduxerunt, uti Claudius, Larroquianus &c.; vel Radberti librum depravare, interpolareque non ſunt veriti, uti Jobus Gaſtius, qui ideo merito a Nicolao Mamerano vapulavit. At enim non reipſa, ſed in ſolo loquendi modo ab iſto diſſidebant illi, ſiquidem quomodo iſte, ſic illi tranſubſtantiationem panis, ac vini, Chriſtique D. poſt conſecrationem in Euchariſtia præſentiam credebant, & docebant: ita Rabanus in cit. epiſtolis, lib. 7. de Sacr. Ordin. cap. 10, & lib. 1. de Inſtit. Cleric. cap. 31; ita Amalarius in cit. epiſt. ad Guntardum, & lib. 3. de Eccl. offic. cap. 24; ita Herigerus lib. ind. cap. 4; ita Ratherius lib. de Corp., & Sang. Chriſti, & in epiſtola ad Patricum; ita Ratramnus in præcit. libro paſſim, ac nitide quidem par. 1, & in hujuſce partis concluſ., tum etiam par. 2 Itaque id unum contendebat Radbertus Chriſti D. Corpus in Euchariſtia illud ipſum eſſe quoad

quoad naturam, ſubſtantiæque naturales proprietates, quod ex B. Virgine natum, & in Cruce paſſum fuerat: quod inficias haud ibant Rabanus, Amalarius, Ratramnus, Herigerus, & Ratherius, qui id unum negabant, quod neque affirmabatur a Radberto, quantum ad affectiones mere accidentales, puta extenſionem, motum, externamque ſpeciem, Corpus Chriſti D. idem in Euchariſtia eſſe, quod ex Virgine ortum, in Cruce mortem obierat. Quo diverſo plane ſenſu a Patribus quibuſdam vere aſſertum, ut a SS. Ambroſio, & Gregorio, ab aliis autem non minus vere negatum, ut a SS. Hieronymo, & Auguſtino, qui duplex, aut triplex Chriſti D. Corpus diſtinxerunt, obſervatum jam pridem eſt a S. Fulberto Carnot. in epiſt. 2, a S. Lantfranco Cantuar. lib. adv. Berengar. cap. 18, a Floro Diac. in expoſit. epiſt. in Cœna D. legi ſolitæ, & ab Algero lib. 1. de Sacr. Corp., & Sang. D. cap. 17. Itaque in modo loquendi ſolo tota pugna iſta ſita erat, quos alioqui probe in ſententia pares conveniſſe, toto autem oſtio a Novatorum erroribus circa Euchariſtiam diſtaſſe multis demonſtrant Perronius lib. 2. de Euch. cap. 1.; Miraeus in Not. ad Sigeberti cap. 95. de Scriptor.; Cointius tom. 8. Annal. Franc. ad an. 818, 826, & 831. pag. 192; Gilbertus Mauguinus in diſſert. hiſt. Chron. de Gotheſcalco cap. 17; Petrus de Marca in epiſt. ad Dacherium; Cellotius in hiſtoria Gotheſc.; Jacobus Boilavius in præf., & Not. ad Ratramnum; Arnaldus tom. 1. lib. 8. perpet. fidei circa Euch. cap. 12; Mabillonius in præf. ad par. 2. Sæcul. IV. Bened. §§. 6, & 7. pag. 330, & ſeqq.; Anonymus Congreg. S. Genovefæ in diſſert. edita ad calcem tom. 1. perp. fid.; Natalis Alexander hiſt. Eccl. ad Sæcul. IX, & X. diſſert. 10, & ſeqq.; & Du-Meſnil. doctr., & diſcipl. Eccl. tom. 4. lib. 43. n. 57, ubi n. 58. Alfricum Cantuar. Antiſtitem, de quo Alfordus ad an. 1006, ab eodem circa Euchariſtiam errore, in quem ipſum invitum pertrahere Anglo-Proteſtantes adnituntur, omnino liberat, & vindicat.

Fuſius hæc forte, quam par fuiſſet, perſequutus ſum, quorum tamen lectori non pœnitendum opinor. Jam vero, quod ad Gotheſcalcum pertinet, ut brevius abſolvam, is in opuſculo ad Not. tingum Deum prædeſtinaſſe juſtos ad vitam, & reprobos ad mor-

tem docuit: in Apologetico vero contra Rabanum addidit, nec Deum velle omnes ſalvos fieri, nec Chriſtum pro omnium ſalute mortuum fuiſſe. Qua in doctrina porro, aliis aliter, vel præter, vel juxta ipſius mentem interpretantibus, adverſarios alios, alios defenſores habuit. Adverſarios ſenſit Rabanum Mogunt., Hincmarum Remen., Amulum Lugdun., & Pardulum Laudun., quorum opera in Synodis Moguntina, ac duabus Cariſiacis damnatus eſt. Ex adverſo erecta contra hos fronte pro Gotheſcalco defenſores fortiter ſtetere Ratramnus Corbejen., Lupus Servatus, S. Prudentius Trecenſis, & S. Remigius Lugd., Amuli ſucceſſor, quo agente, & præſidente ex tribus Provinciis Lugd. Vien., & Arelat. congregata eſt Synodus Valentina III. an. 855, in qua ſex prioribus Canonibus probum in ſenſum expoſita eſt Gotheſcalci doctrina: quos deinde Canones ſex calculo ſuo comprobarunt Synodi Lingonenſis, & Tullenſis an. 859. ex duodecim Provinciis coadunata. Hucuſque non habes profecto, ubi tuto pedem figas, ut enim vides, Gallicanam Eccleſiam geminas in partes Gotheſcalci cauſſa diſpertita eſt, huic refragantibus aliis, aliis ſuffragantibus: in ceteris per Orbem Eccleſiis altum de hiſce quæſtionibus audit ſilentium, Quid ages hac in rerum ambage, ſententiarumque diverſitate, niſi ei parti plene adquieſcas, in quam propenderit Romanus Pontifex? Ita plane; idque agnovit vel Hincmarus ipſe, ſive Gotheſcalci infenſiſſimus hoſtis, ſive in Rom. Pontifices haud multum honeſtus, quippe de controverſiis a Gotheſcalco motis certiorem fieri ſollicito S. Nicolao I. facere, ut oportebat, ſatis, rerumque geſtarum narrationem ad eum perducere officii loco habuit: a quo tamen, ut ipſe ſcribit in altera ad eumdem Pontificem epiſtola apud Flodoardum lib. 3. cap. 15, nullum reſponſum, neſcio quo fato, retulit: niſi forte quia vel Hincmari ſubleſta fides, comperta, ſuſpectaque jam evaſerat perſpicaciſſimo Pontifici, vel accuratiorem de his relationem, unde dilucide pateret veritas, deſideraſſet ab eo prudentiſſimus Pontifex. Præterea idem Pontifex quum iterum a Luidone Archid. Laudunenſi Romæ an 864. rem cum Hincmari, tum Regis agente de Gotheſcalco, rebuſque circa eumdem geſtis inquiſiviſſet, rationemque exegiſſet, prolixiorem Hincmatus ad Pontificem

ficem de Gotheſcalco, ejuſque doctrina, & damnatione relationem miſit, de qua Flodoardus lib. 3. cap. 12, & ſeqq. Quum vero Guntebertus Monachus Gotheſcalci cauſſam defenſurus Romam properaſſet, Gotheſcalci litteras Pontifici exhibiturus, Hincmarus tertio Egilonem Senon. Archiep. tum Romæ agentem ſollicitavit, ut Pontifici Gotheſcalcanæ cauſſæ integrum tenorem recitaret, aperiretque; ne forte Gunteberto enitente, Gotheſcalcus cauſſa vinceret. Porro qui Hincmarum reſponſo non eſt dignatus Pontifex, quid pariter Egiloni reſponderit, incompertum eſt: nihilominus Gotheſcalci cauſſam bene ceſſiſſe exinde augurari fas eſt, quod Valentini, & Lingonenſis Concilii capitula in gratiam Gotheſcalci edita, ad S. Nicolaum delata, ab ipſo confirmata fuerunt, uti teſtantur S. Prudentius Trec. in Annal. ab Hincmaro ipſo laudatis in epiſt. ad Egilonem,& Annaliſta Bertinianus ad an. 859. Quamobrem Synodis Moguntinæ, geminæque Cariſiacæ auteferendas Valentinam, & Lingonenſem affirmo, ac præ Tournellio de hæreſi Prædeſtin., Pagio ad an. 849. n 6, & ſeqq., Natali Alexandro hiſt. Eccl. ad Sæcul. IX, & X. diſſert. 5, ac Rebero Lutherano homine in diſſert. de erroribus Gotheſcalci, quibus peſſima, omninoque perdita Gotheſcalci cauſſa viſa eſt, utroque pollice ſubſcripſerim, non dicam Uſserio in hiſtor. Gotheſcalci, & Prædeſtinatianæ Controverſiæ, nec Voſſio hiſt. Pelag. lib. 7. par. 4. tom. 6. oper. pag. 812, & ſeqq., nec Janſenio lib. 8. de hær. Pelag. cap. 23, ubi totus incumbit, ut ab erroribus Gotheſcalcum omnino abſtergat, ſed Chriſtiano Lupo in Schol. ad Concilium I. Romanum ſub S. Gregorio VII, Contenſonio in append. unic. de Prædeſt. §. 3, Gilberto Mauguino in diſſert. hiſt. Chron. de Gotheſcalco, cujus Synopſim exhibet doctiſſ. Noriſius, Noriſio ipſi tom. 4. oper. pag. 681, Roncaliæ in animad. ad Gotheſcalci cauſſam, Berti de Theolog. diſcipl. lib. 6. cap. 14, aliiſque, quibus hæreſis dicam ſcribi Gotheſcalco non poſſe non modum viſum, ſed nec enim imo a doctrina S. Auguſtini vel digitum abluſiſſe: cui ſimillimos Gotheſcalci objectos olim errores a S. Proſpero in reſponſ. ad objectiones Gallorum, & Vincentianas didicimus.

Accipe nunc paucis, quæ circa reliquas objectas Synodos

reſolvenda manent. Aurelianenſis, Atrebatenſis, & Karrofenſis Epiſcopis in ſimilibus adverſus veteres hæreticos ſententiis præiverant Romani Pontifices, quales qui Manichæos, & Monothelitas, a quorum erroribus Stephanus, Liſojus, & Gandulphus non abludebant, diris cunctis devoverant. Concilio Quintilineburgenſi calculum adjecit ſuum S. Gregorius VII. Roſcellinum prædamnatum æſtimari fas eſt a Pontificibus illis, qui Praxeæ, Noeto, Sabellio, & Patripaſſianis hæreſis ignominiam inflixerant. Florentinam Synodum adverſus Fluentium auctoritate Pontificis, qui tum audiebat Paſchalis II, congregatam tradunt Sabellicus Enneade 9. lib. 3, & S. Antoninus tit. 16. cap. 11. Abaelardus a Synodo Senonenſi ad Pontificem provocans juſtiſſimas Innocentii II. iras expertus eſt, ut innui pag. 91, & ſeq.; quo perinde loci eidem Pontifici acceptam referendam Arnaldi damnationem oſtendi. Armenorum errores jam pridem in Eutychete a S. Leone M., ac ſequiori ævo a Benedicto XII, & Clemente VI, de quibus pag. 101, inflicto ſtigmate fuerant obſignati. Bogomili in Manichæis, ſive Paulicianis, & Meſſalianis, ex quibus ſectam conflaverant ſuam, de qua fuſe Anna Comnena lib. 15. apud Pagium ad an. 1118. n. 28, & ſeqq., Bandurius Imper. Orient. tom. 2. pag. 635. edit. Ven., & Wolphius in hiſt. Bogomil. edit. Witemberg. 1724, proſcripti ſæpius a Pontificibus fuerant, atque ita Palamitæ pariter. Gilberti Porretani cauſſa, nonniſi ab Eugenii III. auctoritate finem accepit. Soterichus conſilio evadendæ Neſtorianæ hæreſis de duabus in Chriſto perſonis, in oppoſitos Eunomii errores imprudens inciderat, quibus damnandis nova non opus Synodo fuerat, ut qui multo pridem a S. Damaſo fuiſſent damnati. Ad Valdenſes, Albigenſes, ſimileſque prognatas ex eis, propagataſque peſtes excindendas, exterminandaſque pœnis ſive temporalibus, ſive ſpiritualibus, ad id indictis ſive Comitiis, ſive Conciliis, poteſtatem utramque ſive Laicam, ſive Eccleſiaſticam ſæpiſſime, ſolerterque a Pontificibus excitatam fuiſſe, exſtimulatamque quis ignoret, poſtquam late hac de re peractum legere eſt pag. 93, & ſeqq.? In Petri Lombardi doctrinam a Pariſienſi Synodo inſtitura inquiſitio eſt juſſu Alexandri III, a quo perinde eadem propoſitio ab illo aſſerta legitur

tur improbata, uti ejus epiſtolam ad Willelmum Senon. luſtranti conſtabit. Pariſienſis Synodi adverſus Almaricum ſententiam robore induit in Lateranenſi IV. Innocentius III, cujus pariter ab judicio Arelatenſem dependiſſe fide, qui eidem præfuit, Florentinus Archiep., affirmat ſua. Stephano Pariſienſi Epiſcopo indicto Theologorum cœtu propoſitiones quaſdam fidei parum conformes proſcribendi auctorem ſe dedidit Joannes XXI, cujus hac de re litteras recenſet Raynaldus ad an. 1277. n. 9, & ſeq. Neque ſane cujuſcumque Academiæ ſententias non niſi ab Apoſtolica Sede auctoritatem obtinere, ac ſortiri inficiabitur nllus, ignorabitque. Propoſitiones quod attinet a Simone Langhamo Archiep. Cantuar. proſcriptas, eæ pridem in Origene, Pelagio, Wicleffo &c. a Pontificibus fuerant confixæ. Novæ non tam ſectæ, Intelligentiæ dictæ, inventores, quam veteris Berengarii, & Beguardorum inſtauratores Ægidium, & Guillelmum cum Berengario, & Beguardis profligatos a S. Leone IX, & Clemente V. pariter fuiſſe putandum eſt. Idem eſto de Jungellingo judicium, qui in Valdenſibus, & Wicleffo dignas jam pœnas dederat ſpirituales, dignus proinde, qui temporales etiam daret. Sed & e Valdenſibus, e Beguardis, e Marſilio Patavino ſuos hauſerat errores Ruchardus: itaque cum illis communem jam habuerat ſortem. In Edmundi Richerii librum lata, agente, ſatagente, ac præſidente Cardinali Perronio, a Concilio Senonenſi, ſive Pariſienſi, ac deinde ab Aquiſextienſi ſententia Paulo V. P. M. accepta, probataque fuit. Denique non abſque Benedicti XIII. conſcientia, & conſenſu in Ebredunenſi Concilio decreta Conſtitutioni *Unigenitus* obedientia eſt, ejuſque refractario Epiſcopo Sanicienſi depoſitionis inflicta pœna. Quæ omnia quum ita ſe habeant, hinc quanti facienda ſit in quæſtionibus fidei dirimendis, hæreſibuſque damnandis unius Pontificis ex Cathedra loquentis auctoritas, tanti nempe, ut ab ea Synodales ipſæ Sanctiones robur accipiant, vel ignaris facile datur intelligi.

Ex

Ex Jure præſcribendi Fidei formulas, recipiendique Fidei profeſſiones.

§. II.

EX eo in Eccleſia jugi, ſacro, & integro more, quo fidei formulas præſcribere Romanis Pontificibus ſolemne fuit ſemper, quibus quotquot, qui Chriſtiano cenſeri nomine, & Apoſtolicæ Sedis communione, ſacrorumque conſortio cohoneſtari deſiderarent, ſubſcribere deberent, quove fidei ſuæ Romanis Pontificibus rationem reddere, fideique profeſſionem, juxta præſcriptum Pontificis, emittere quicumque quovis gradu in Eccleſia fulgeret, omnino, omnique tempore fuit adſtrictus, quæ proinde loco eſſet teſſeræ Catholicæ Religionis, cui nomen dediſſet, cujuſque una Romana Eccleſia Centrum dignoſceretur a Chriſto D. conſtitutum, quis, quæſo, non ſtatim ſubinferat Pontificem Summum, qui ita cunctis Fidelibus præeſt, ut cunctis patiter in fide præeat, a fide deflectere nequaquam poſſe, eadem fide credendum fore plane? Si Pontifici propterea fidem edocenti auſcultare omnes utraque aure debent, adeo ut tradita ab eo fidei doctrina Fidelibus omnibus loco habenda ſit regulæ, cui ab omnibus fides accommodanda ſit, nonne ſimiliter, ac neceſſario conſequitur unum penes Pontificem Sacrorum, Religioniſque ſummam conſiſtere integram, nec eo in terris eſſe Superiorem? Eo vel magis, quod permiſſi nunquam particulares Epiſcopi fuiſſe legantur pro libitu, & facultate hujuſmodi formulas cudere, ſed a Pontificibus cuſis integro mentis obſequio ſolummodo cunctis fuerit ſubſcribendum; neque imo Synodis ipſis generalibus integrum fuerit unquam, liberumque aut fidei formulas, Pontifice inconſulto, aut non approbante, præſcribere, uti dictum eſt alibi, aut a fidei formula a Pontifice ipſo præſcripta vel latum unguem licuerit deflectere, ut ex dicendis mox palam fiet. Eo vel maxime, quod inter innumeras fidei formulas a Pontificibus frequentiſſime procuſas, atque præſcriptas adinvenire non eſt aliquando, aut aliquam, quæ divinæ a Chriſto D. traditæ fidei

vel

vel forte minus congrueret, vel tenuiter foret contraria: quemadmodum quæ ſæpe ſæpius ab hæreticis, ſcilicet ab his, qui Romano Pontifici de fide loquenti æquas præbere aures detrectavere, diverſis locis, ac temporibus adornatæ fuerunt, quam ortodoxæ fidei diſsonas, tam diverſiſſimas inter ſe, & contrarias ſibi invicem fuiſſe, nemo, qui haud in Eccleſiaſtica hiſtoria ſit valde hoſpes, ignorabit.

Quod poſtremum, ut bona in luce collocetur, mihi fas ante ſit, quam ad propoſitum argumentum aggrediar, hujuſce variationis in fide ab una vel altera hæreticorum Secta exemplum capere. Certe vel circa unum doctrinæ Evangelicæ, & Apoſtolicæ, caput de Chriſti D. Divinitate, aut Humanitate, aut Incarnatione mirum quam multæ adverſæ exarſerint hæreſes, quas ex Niceta lib. 3. Theſaur. cap. 39. tom. 25. Bibl. PP. Lugd., Petavio in lib. de Incarn., Fraſſeno in Scoto Acad. tom. 3, Imbonato in adventu Chriſti, aliiſque ad tredecim non minus ſumma reduxit capita Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 8. Sed in his, aliiſque hujuſce genus animus non eſt immorari, ſed unius duntaxat, vel alterius, quæ in diverſas ſecta ſit partes, habere delectum. Ergo iſtendo in Arianis, hi nuſpiam habentes, ubi certo pedem figerent, qui nempe Pontificis fidei ſe integros permittere renuebant, perquamfacile fidem, mutata opinione, vel opportunitate, mutabant: ita inconſtantiam mendacii, erroriſque individuam eſſe comitem oſtendentes. Principio enim vero formula fidei ambigua, Nicænæque adverſa ab Ario adornata, & Conſtantino Imp. oblata, ultro citroque ſuis a Symmiſtis in Synodo Hieroſolymitana an. 335. ſuſcepta eſt. Alteram ſequenti anno, Nicænam nempe, Imperatori obtulit Arius, aliam tamen eodem tempore perfidiæ ſuæ formulam ſub ala recondens, ac ita ſe credere juramento conteſtatus eſt, mentali reſtrictione id de recondita intelligens. Poſt Arii obitum, Ariana Secta in tres factiones diviſa, tres diverſas fidei, ſive perfidiæ potius, formulas, tresque diverſas ad ſignificandam Verbi Divini ſubſtantiam voces invexit. Prima Arianorum, quæ & ab Anomæis, & Aetianis, Eunomianis, & Eudoxianis, & Euſebianis denominata purum, putumque Arii propugnabat errorem, ac Dei Filium ἀνόμοιον, ideſt Patri per om-

omnia diſſimilem profitebatur. Secunda Semiarianorum, quæ & in Macedonianos diverſa ratione tamen deſcivit, atque Dei Filium Patri non utique conſubſtantialem, ſed per omnia ſimilem prædicabat, ideoque rejecta voce Ὁμοούσιον, loco vocem Ὁμοιούσιον ſubrogavit. Tertia Acacianorum, dicta ab Acacio Cæſareenſi, quæ Dei Filium dicere ſive Patri conſubſtantialem, ſive ex Creaturis unum refugiebat, ſed dumtaxat ſimilem admittebat, non tamen ϰατὰ, ideſt ſubſtantia, ſed externa tantum ſpecie, veluti ſimulacrum hominis ſolis hominis lineamentis eſt ſimile; unde Dei Filium denominabat non Ὁμοούσιον, ut Catholici, non Ἀνόμοιον, ut Anomœi, non Ὁμοιούσιον, ut Semiariani, ſed Ὅμοιον, ideſt in externa ſpecie ſimilem. Ad hanc fidei diverſitatem diverſis formulis, antequam in apertam inter ſe pugnam deſcenderent, componendam diverſis in Synodis ſe compararunt. In Antiochena an. 341. quatuor fidei elucubratæ formulæ ſunt, in quarum prima Dei Filius non dicebatur *Conſubſtantialis*, in ſecunda nominabatur *Similis*, in tertia vox *Similis* omittebatur, & in tertia Nicæna quidem ex parte fides uſurpabatur, non etiam vox *Conſubſtantialis*. In Antiochena iterum altera an. 345. nova fidei formula, quam Μακρόστιχον vocant, eademque ceteris ante editis prolixior, propiuſque ad fallendum compoſita, evulgata eſt, qua homines a capite ad talos Ariani ab Ariana hæreſi ſe procul abhorrere profitebantur, in eaque vox *Similis*, non etiam *Conſubſtantialis* habebatur. In alia perinde adornata in pſeudo-Synodo Philoppopolitana an. 347. utrumque verbum tam Ὁμοούσιον, quam Ὁμοιούσιον æque ſuppreſsum eſt. Ita nempe ſibimet nunquam ſatis conſtantes pro ingenio fidem mutabant. Tres adhuc alias fidei formulas, exinde Sirmienſes dictas, Sirmii elaboratas ſcitum eſt. Prima in Synodo an. 351. edita a voce *Conſubſtantialis* abſtinet. In ſecunda jam non in Synodo, ſed in paucorum Conventu procuſa, Sirmii tamen an. 357, pura, putaque Ariana hæreſis adſtruitur, atque utraque pariter vox cum *Conſubſtantialis*, tum *Similis*, tanquam a SS. Scripturis aliena, proſcribitur. A tertia Sirmii an. 359. ſimiliter, non tamen in Synodo, conſcripta, ſed in paucorum congreſſu, vox Ὁμοούσιον exulat, quin interea vocis Ὁμοιούσιον uſus interdicatur.

Atque

Atque ad hæc usque ferme tempora, una, communisque fuerat Arianorum causſa, inter ipsos quidem diversis exagitata opinionibus, unanimi tamen impetu adversus Catholicos agitata, & sustentata. Donec magis in dies, magisque ab invicem dissensione exardescente, eadem Secta in duas Arianorum, & Semiarianorum apertas factiones primum dissecta est, Arianis pristinis ab se adornatis perfidiæ formulis tenacissime adhærentibus, Semiarianis novas hæresim mollientes phrases adinvenientibus. Hinc factum, ut in Synodo Ancyrana an. 358, aut seq. a Semiarianis, damnata voce ὁμοιστου, ac formula edita, secundæ Sirmiensi contraria, tertiæ vero conformi, voceque ὁμοιστου restituta, Dei Filius per omnia Patri similis declararetur. Qua perinde ex formula, atque ex tertia Sirmiensi formulam aliam conflarunt Ariani in Synodo Nicæna in Thracia an. 359, in qua ὅτια, & ὁμοιστου suppressis, Dei Filius pronuntiabatur similis Patri, non quidem *per omnia*, sed dumtaxat *secundum Scripturas*, eique ut subscriberent Patres Ariminenses, dolis, minisque demum impetrarunt. Ad hanc usque Epocham duo solummodo vigebant Arianorum, & Semiarianorum factiones, quarum altera, pro temporis, animique inconstantia, viritim in alterius concedebat sententiam. Suborta sub id temporis tertia Acacianorum Secta scissiones adauxit. Scilicet in Synodo Seleucienſi an. 359. facto schismate, atque in duas partes discissis Semiarianis, & Acacianis, ab his scilicet Acacianis nova fidei formula composita est, quæ Filium Patri similem fatebatur, non quidem substantia, sed sola volontate: quod in causa fuit, cur Semiariani similitudinem in substantia propugnantes, a Nicæna quidem abhorrerent, in professione tamen Antiochenæ an. 341. formulæ persisterent. Altero eodem anno 359. Conciliabulo Constantinopoli celebrato ab Acacianis, Semiarianis agentibus, Aetii formula, qua Filius Patri *dissimilis* dicebatur, una cum suo auctore damnata, nova fidei conscripta formula est, quam nonam numerat Socrates earum, quæ ad eam diem ab Arianis procusæ fuerant, ad quam illud perfidiæ adjectum fuit, ut non solum Usiæ, sive substantiæ nomen aboleretur, juxta formulam Ariminensem, quæ tum confirmata est, sed etiam silentio nomen Hypostasis, sive subsisten-

tiæ damnaretur. Conſtantio Imp. oblata utraque formula, & quæ Arimini perlecta fuerat, & quæ fuerat Conſtantinopoli procuſa, quibuſque etſi ab invicem diverſis Acaciani ſubſcribere non detrectarant, idem Imperator alteram in Oriente, in Occidente alteram (perbella ædepol totum in pace componendi Orbem ratio!) obſervari juſſit. In Antiocheno rurſus altero an. 360, mutato conſilio, ab Acacianis nova, omniumque deterrima fidei formula condita eſt, in qua, nomine *Similis* ex formula Arimini perlecta, & Conſtantinopoli procuſa expuncto, FiliusPatri ſubſtantia non modo,ſed etiam volontate *Diſſimilis* eſt prædicatus. Verum in altero legitimo Antiocheno an. 363. iidem Acaciani, ut S. Meletium, & Jovinianum Imp. demererentur, fidem Nicænam ratam facere, & ex formula profiteri, in qua Filius Patri *Conſubſtantialis* affirmabatur, haud ſibi conſtantes non dubitarunt. Semiariani viciſſim in Synodo Lampſacena an. 365, abrogata formula fidei ad Acacianis in pſeudo-Synodo Conſtantinopolitana ſancita, illam amplectendam, tenendamque, quæ in Synodo Antiochena an. 341. elucubrata, in Seleucienſi an. 359. confirmata fuerat, & in qua Filius Patri *ſubſtantia ſimilis* dicebatur, decrevere. Sed & altera in Zelenſi Synodo evulgata a Semiarianis eſt, cujus unus meminit S. Baſilius epiſt. 72, nunc 251. Quin & Ariani Synodo Antiochena Cariæ an. 366. celebrata, uno vocabulo ὁμοίου exploſo, fidei formulas Antiochiæ, & Seleuciæ editas ratas habere haud detrectarunt. In Synodo adhuc tamen Singidunenſi in Mœſia an. 366, aut inſeq. Valens, & Urſacius Semiarianos ad formulam Ariminenſem, & Conſtantinopolitanam approbandam pellicere, & cogere pro viribus ſategerunt. Quæ omnia conſtant ex SS. Athanaſio, Hilario, Baſilio, & Epiphanio, ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Sulpitio, aliiſque, ut proinde mirari non ſubeat ex variatis toties fidei formulis tot ex Ariana hæreſi, velut ex infecta radice prava germina, præter Anomœos, ſive Aetianos, Semiarianos, ſive Macedonianos, Acacianos, & Photinianos, prodiiſſe apud Theodoretum Pſatyrianos in Deo eſſe idem gignere, atque creare affirmantes, Cyrtianos, atque Dulianos Dei Filium Patris eſſe Servum dicere non dubitantes.

Quod

Quod ſi ad poſteriora, nihilo meliora tempora, referimus pedem, atque ſilentio pleraſque alias prætereundo, eaſque præſertim, quæ vel ex una Valdenſium Secta progenitæ ſunt, ac propagatæ, infames hæreſum ſoboles, quas paullo ſuperius paucis, quantumque operae ferebat pretium, complexi ſumus, unde, quæſo, putamus ex Lutheri, Calvinique Schola tot hæreſum tam variegata ſuborta monſtra, quæ num etiam, magno cum rei Chriſtianæ tum damno, tum dedecore, tot in florentiſſimis Regnis impune graſſantur, quam ex eo peſſimo præjacto propoſito, indeflexoque ingenio nollendi in fidei rebus Pontificis M. judicio ſe integre permittere, ex quo facile factum eſt, ut procliviter pro ingenio, pro opportunitate, pro compendio fides toties variaretur, quoties illam variandi intereſſet ſua, e reque eſſet ad ſaporem, ad libidinem, ad affectum faciente? Cujuſmodi variationis experimentum ex uno Lutheri loco, inter innumera, quæ congeri poſſent, atque congeſta paſſim legere præſtat apud Illuſtriſſ. Boſſuetium in hiſt. Variat., cuique ſi locus hîc cognitus fuiſſet, magno ei profecto uſui, profectuique veniſſet, ex uno, inquam, loco, qui non eſt alius, quam epiſtola ab ipſo Luthero ſcripta an. 1528. ad Guillelmum Pravveſtinum, in lucem primum edita a Franciſco Brujs hiſt. Pontif. tom. 4. pag. 467, capere liceat. Ea igitur in epiſtola Lutherus Miſsam Latina ab ſe lingua, Cæremoniiſque Romana in Eccleſia receptis tuto peragi: Romanis etiam ritibus Baptiſmum conferri, Imagines in Templis retineri, ſeque a Cæremoniis aliis ab Eccleſia frequentatis haud abſtinere fatetur, nec eſſe, cur non ita faceret, ingenue, religioſeque profitetur. A quibus omnibus Religionis, cultuſque Religioſi ſpeciebus quam is abhorruerit poſtea, nemo profecto neſcit. E Lutheri deinde Proſeucha, diſtractis in partes diverſas ipſius diſcipulis, pro diverſitate ingeniorum, opinionum, affectuum, tres primum diverſæ prodierunt Sectæ, ex quibus aliæ, & aliæ, aliaque alia pejor, ac peſtilentior ſubindæ ſubnatæ ſunt. Quarum 1. Anabaptiſtarum, auctoribus Nicolao Storchio, & Balthaſare Hubmejero apud Spondanum ad an. 1524. n. 14, adjutoribus vero Thoma Muncero, & Jo: Matthia Harlemenſi. 2. Andrea Carloſtadio, Oecolampadio, & Zuvinglio

parentibus, Sacramentariorum, in Berengario pridem ſepulta. 3. Confeſſioniſtarum, ſive Proteſtantium, obſtetricante Philippo Melanchtone. Ab Anabaptiſtis diviſis in varia deinde placita diverſæ Sectæ prorupere, quæ vel ab auctoribus, vel a locis, vel a doctrinæ genere, vel a vitæ inſtituto varia ſortita ſunt nomina; Munſteriani, Huſſitæ, Montaniſtæ, Auguſtino-Bohemi, Ægidiani, Oſiandritæ, Bucholdiani, Melchioritæ, Kautiani, Memnomitæ, Huttipæ, Rotmaniſtæ, Hutteriani, Franciſtæ, Hofmaniſtæ, Pacimontani, ſcilicet ab auctoribus: Cæleſtes Prophetæ a Georgio Stifelio, Enthuſiaſtæ a Nicolao Pelargo, Eſtatici a Melchiore Hofmanno; Adamitæ, Angelici, Antidæmoniaci, Apoſtolici, Cathari, Chriſtini, Chriſtifamilia, Clancularii; Polygamiſtæ a Bokelſono, a Kniperdolingo, a Kloprifio; Euchitæ, Effrontes, Eleuthero-Papiſtæ, Ejulantes, Communia habentes, Gnoſtici novi, Condormientes, Impeccabiles, Judaizantes; Anti-Scripturarii a Georgio Davide, Anti-Decalogiſtæ a Jo: Agricola, Anti-Evangelici ab Ottone Brunsfeldio; Linguatarii, Fratres Roſæ Crucis, Liberi Fratres, Libertini a Quintino Picardo; Non orantes, Manifeſtarii, Nudipedes, Pacifici, Pauliciani, Pneumatici, Paſtorcidæ, Sabbatarii, Sanguinarii, Stablarii, Separati &c., videlicet vel a doctrina, vel a moribus ita dicti. A Sacramentariis ab invicem ſciſſis ſuborti inde ſunt Carloſtadiani, Oecolampadiani, Zuvingliani, Amsdorfiani, Martyriani, Molei, Stancariani, Suvenkfeldiani &c., ſcilicet a Synagogiſtis; Zuvinglio-Calviniſtæ, Luthero-Zuvingliani, Pelagiani novi, Pſeudo-Eccleſiaſtæ; Athei novi a Carloſtadio; Ethnici novi, ſive Ethniciſtæ a Jacobo Kautio; Neſtoriani novi, Eutychiani novi, Maſſiliani novi; Iconoclaſtæ novi a Balthaſare Pacimontano, Elceſaitæ novi a Willelmo Farello, & Petro Vireto; Antipuritani, Arrabonarii, Apologetici, Boquini, Energici, Iſchariotitæ, Inviſibiles, Metaphoriſtæ, Tropiſtæ, Transconditionatores, Neutrales &c., ita videlicet a doctrinæ varietate nuncupati, vel a diverſa vivendi ratione. A Confeſſioniſtis, qui a Confeſſione Auguſtana dicti etiam ſunt Cothurnifices apud Reſcium pag. 151, ſive vocabulo nunc uſitatiori Proteſtantes, ortum nacti ſunt primo Adiaphoriſtæ, ſive Indifferentes; Lutherani

rani rigidi, quorum anteſignanus Matthias Flaccus Illyricus, cujuſque deinde partes valdequam adjuvit Joachimus Merlinus; Lutherani molles, quos ita lenivit Spargenbergius, ac conſectata perinde eſt Confeſſio Antuerpienſis; Semi-Lutherani, inter quos primipili Smidelinus, & Heshuſſius. Exinde nati Centuriatores, Interimiſtæ, Subſtantiarii, Antinomi a Jo: Agricola; Ubiquiſtæ a Brentio; Calixtini a Jo: Bugenhagio; Accidentarii, Syncretizantes, Colludentes, Paſtillarii, Concordiſtæ, Juſtificatorii, Majeſtatici &c. Speciatim vero a Lutheranis rigidis ſuborti ſunt, obſtetricantibus Michaele Serveto, & Johanne Campano, Anti-Trinitarii, Aeriani, Vergeriani, Amniſtitæ, Belliani, Amſdorfiani, Adeſſenarii, Antidiaphoriſtæ, Antipaſſifurioſi, Manus impoſitorii, Biſacramentales, Synergiſtæ, Infernales &c. A Lutheranis mollibus autem ſubnati commemorantur Bibliſtæ, Conſubſtantiatores, Eberiani, Majoriſtæ, Pœnitentiarii, Triſacramentales, Quadriſacramentales &c. Auguſtanam denique Confeſſionem fingere, & refingere pro libitu non deſtitere Melanchton, Scepſius, Strigelius, Morlinus, Stoſſelius, Sarcerius &c.; quod non eſt aliud, quam neſcire eos profecto, qui a via ſemel veritatis præoſtenſa a Pontificibus deflexerint, ubi tuto pedem figere.

Quæ perinde fata Calvini fuere, e quo, pariter in diverſa placita diviſis ipſius partiariis, quatuor præ aliis celebriores prodiere Sectæ: videlicet 1. Reformati, dicti in Gallia Hugonotti, in Anglia Puritani, quibus accedunt Presbyteriani, alio nomine Independentes, ſuntque ii Calviniſtæ rigidi. 2. Epiſcopales Angli, ſive Anglo-Calviniſtæ. 3. Piſcatoriani a Johanne Piſcatore denominati. 4. Arminiani derivato a Jacobo Arminio nomine, qui cane pejus, & angue a Gomariſtis odio habiti ſunt, iiſdemque agentibus in Synodo Dordracena an. 1618. damnati, contra quam exercere tamen illi calamum non abſtinuere, de quibus Fabricius Bibl. Græcæ tom. 11. pag. 725, & ſeqq. Calviniſtis rigidis adnumerantur Gomariſtæ, a Franciſco Gomaro nomine accepto, dicti etiam Contraremonſtrantes: Calviniſtis mollibus contra Arminiani, denominati alias Remonſtrantes adcenſentur. Ex his, ac ſpeciatim e Calviniſtis rigidis, innumeræ aliæ propagatæ ſunt peſtes, novæque in dies prodeunt, in Anglia,

glia, & Batavia præſertim: inter quas Antitrinitarii a Serveto, a Marlorato Chriſtodini, Bideitæ, ſive Duitæ a Goviezio, Trinitarii, ſive Deiſtæ a Gentili, a Theodoro Beza Athei, & Quatritheitæ, a Fauſto Socino Tritheitæ, ſive Unitarii, ſive Eſſentiatores, cui in errore anteiverant Stembergius, Duditius &c., tenacius vero adhæſere Crellius, Smalcius, Volckelius &c., Ebioniſtæ novi a Simone Budneo, Antropomorphitæ novi a Conrado Voertio, Sabelliani novi, novique Ariani a Chriſtophoro Sandio, a Georgio Blandrata, a Franciſco Davide, a Gregorio Pauli &c., Novi Macedoniani, Eunomiani, Neſtoriani, Eutychiani, Pelagiani, Millenarii, Iconoclaſtæ, Manichæi &c.; Antiſcripturarii a Mennone, Prædeſtinatiani a Luberto Sibrante, Antibaptiſtæ a Johanne Alaſco, a Pereyrio Præadamitæ, ab Uritio Uncti, Laicocephali ab Henrico VIII, Puritani a Sampſone quodam Anglo Presbytero, juxta Sanderum, aut potius a Colmanno Buttono, & Hallingamo Benſomo, juxta Camdenum, & Thuanum, Quacheri, ſive Tremolantes a Jacobo Nailor, a Johanne Robinſon Independentes, ſive Brouniſtæ, a Benedicto Spinoſa Materialiſtæ, ſive Spinoſiſtæ, Rantkerii, ſive Epicuræi novi, novi Sceptici, Borboritæ, Galeniſtæ, Borreliſtæ, Cauſarii, Benneliſtæ, Fratres amoris, Fraticelli, Perfectiſtæ, Paſtorcidæ, Levellii, ſive Antipolitici, Sepulcrales, Grubenarii, Stercorarii, Adamitæ, Denſciani, Politici, Deorelioti, ſexcentæque harum ſimiles in dies erumpentes Sectæ, aliiſque deteriores aliæ, adeo ut Thomas Eduardus Londini Miniſter in libro, cui titulum fecit, *Gangraenæ*, 180. percenſere hæreſes potuerit, quæ in præſentia rerum ſola vigent, ſerpuntque in Anglia: in qua præſens quoque, ac fœdiſſimum Proſeuchæ Anglo-Puritanæ aſpectum depingunt Gnillelmus Gilbius in admonit. 2. ad Parlam. præfat., Andræas Philopater in reſp. ad edictum Reg. Elizabethæ ſect. 5, Stanislaus Reſcius in Evangelicis ſectarum Centuriis, & alii. Mitto, ne longior ſim, multiplices, interque ſe varias Proteſtantium Confeſſiones Auguſtæ, Marpurgi, Saxoniæ, Wormatiæ, Argentinæ, Witembergæ, Galliæ, Antuerpiæ, Bataviæ, Angliæ, Scotiæ, Helvetiæ &c., de quibus, innumeriſque aliis hæreſum monſtris e Luthero, & Calvino ſubortis legen-

gendi Sanderus, Lindanus, Hoſius, Surius, Cochlæus, Prateolus, Cratepolius, Florimundus, Faber, Valemburgii, Veronius, Caltrucius, Boſſuetius, Berninus, Jovetius, Johannes a Turre, Scianda, ac recens P. Travaſa, aliique cum veteres, tum recentes de hæreſibus tractatores, quorum ex lectione facile liquebit, quod ſicutiex prava, effrenique licentia propria opinionum figmenta circa fidem ſectandi tot, ac tam nefanda errorum monſtra emerſerunt, totieſque fidei mutatio facta eſt, ita non niſi ab unius Romani Pontificis nutu pendendo, obtemperandoque placitis, orthodoxæ fidei unitas, & integritas tuta, & immaculata ſervatur.

Jam vero ut ordine agamus, agere pretium eſt operæ 1. de fidei formulis, quas procudere, ſubſcribendaſque proponere qua in fide, & unitate puris, ac firmis, qua a ſchiſmate, aut hæreſi reſipiſcentibus, & ad frugem reducibus, in ſolemni Romanis Pontificibus fuit poſitum more: 2. de fidei profeſſionibus, quas Romanis viciſſim Pontificibus nuncupare tam iis, qui de catholica Religione optime mererentur, & in chriſtiana Republica illuſtriorem aliquem occuparent gradum, quam iis, qui Divinæ affulgente gratiæ lumine diſcuſſis mentis erroribus, ad chriſtiana Sacra tranſirent, ac in Romanæ ſinum Eccleſiæ ſe reciperent, officio, religionique ſemper, ac ſummopere ceſſit. Dolendum ſane, quod diſciplinæ iſtius, moriſque in Eccleſia primis ab ævis uſurpati documenta magno rei Chriſtianæ damno temporum iniquitas nobis inviderit: ex iis tamen, quæ litterarum monumentis demandata num etiam ſuperſunt, continuaque ſerie factitata augurari fas eſt, procul dubio concludere pronum eſt, id juris Romani jugiter fuiſſe Pontificis, nulloque non tempore frequentati, ad fidei periculum faciendum de iis præſertim, qui ſuſpicione nec leviter laborarent, ac in fide confirmandos eos quoque, de quibus alioqui ſiniſtra nulla dubitatio ſuccurreret, fidei formulas & procudere, & præſcribere. Atque ut a primo exordium capiam, inter Cyprianicas Epiſtola 46. edit. Pamel., 49. Oxon. extat S. Cornelii ad S. Cyprianum, qua Novatiani ſchiſmatis ejurandi iis, qui ad frugem bonam ſe reciperent, formulam præſcribit, eam Africanis Eccleſiis denuntiari præcipiens, cuique profecto ſyngrapham appoſuiſſe ſuam Africanos Epiſcopos

S. Cypri-

S. Cyprianus affimat epiſt. 47,& 49. edit Pamel.,51, & 52. Oxon. ad S. Cornelium, quin etiam Orientales, atque ex his pleroſque jampridem animo erga Novatianum procliviores, adparet haud obſcure ex S. Dionyſio Alexandrino in epiſt.tum ad S.Cornelium, tum ad S. Stephanum, cujus poſterioris etiam litteras ad Syriæ, & Arabiæ Eccleſias hac de re exaratas memorat apud Euſebium lib.6. cap. 46, & lib.7. cap. 5, ubi inſigniores inter Orientis Epiſcopos, qui in unam, eamdemque confluxerint ſententiam, ſingillatim nominat Demetrianum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Mazabanem Æliæ, Marinum Tyri, Heliodorum Laodiceæ, Helenum Tarſi, & Firmilianum Cappadociæ, alioſque Ciliciæ, Syriæ, Arabiæ, Meſopotamiæ, Ponti, ac Bithyniæ. Ex decretis S.Eutychiani refertur apud Burchardum lib. 1. cap. 91, & ſeqq., S. Anſelmum lib. 6. cap. 146, & Gratianum 35. q. 6. Can. 7. formula ſacramenti Synodalis, velut ab eo præſcripta Pontifice, juxta quam ab Epiſcopis interrogari debeant, qui juramento obſtringendi eſſent. At enim haſce ſuper Reliquias, ſive ſupra Evangelia jurandi formulas, de quibus in Legibus Alamannorum cap. 7, & Ripuarienſi cap. 57, ſive in Capitul. 2. an.630, & 4. an. 803. apud Baluzium tom. 1 Capitul. pag. 60, & 398, ac Sirmondum tom. 2. Concil. Gall. pag. 246, atque in Concilio Francofordienſi an. 794. cap. 9, non ante Sæculum VI.obtinuiſſe ex Vigilii epiſt. 15, Pelagii frag. 44, Synodo Mopſveſtena, ac Synodo VI.act.14.arguit Coutantius §. unic.de Decretis S.Eutychiano adſcriptis n. 12. pag. 304. Ut ad vetuſtiora itaque, ac certiora me documenta devolvam, certe Catholicæ fidei formulam, quam Nicæni Patres veluti teſſeram ad Chriſtifideles ab Arianis diſcernendos, declinandoſque horum dolos, cunctiſque recta de fide orthodoxa ſapere cupientibus religioſe cuſtodiendam tradidere, tanquam præcipuo auctori Oſio Cordubenſi, S. Silveſtri vice defungenti, Synodique Præſidi fore referendam tradit S.Athanaſius in epiſt.ad Solitariam vitam agentes verbis hiſce, quæ ex Arianis ipſis refert,veraque confirmat: *Hic eſt Princeps Synodorum... Hic formulam fidei in Nicæna Synodo confecit*.Haud me quidem latet Nicæni Symboli auctorem a Græcis apud Trapezuntium haberi Euſebium, & a S. Baſilio epiſt. 319. hanc laudis

partem-

partem S. Hermogeni ſuo in Eccleſia Cæſareenſi deceſſori tribui. Quod diſſidium hac ratione componi poſſe cenſuit Tentzelius in Exercitat. ſelectis par. 1. pag. 13, ut Euſebius prima Symboli fundamenta locaverit, Oſius formulam integram compoſuerit, ac compleverit, Hermogenes demum, velut ibidem S. Doctor indicare videtur, Symbolum ab Oſio conceptum litteris conſignaverit, aut ſyngrapha confirmarit.

Diſciplinæ iſtius illuſtre documentum aliud in Liberio nobis ſuppeditant Socrates lib. 4. cap. 12, & Sozomenus lib. 6. cap. 10, & ſeqq., quibus in locis de Liberii Encyclica, qua reſciſſum eſt Ariminenſe Concilium, dicendumque in Arium a cunctis anathema decretum, loquentes, epiſtolæ utroque ſubſcribere pollice officii loco Orientales habuiſſe teſtantur. Ex iis vero nominatim Semiariani, ſive Macedoniani, uti ſubjungit Socrates *Per ſingulas Civitates ultro citroque Legatos inter ſe miſerunt, ſignificantes neceſſario confugiendum eſſe tum ad Fratrem Imperatoris, tum ad Liberium Romanæ Urbis Epiſcopum, eorumque fidem amplexandam potius, quam ut Eudoxio communicarent.* Addit Concilia plurima fuiſſe hacce de re habita, & epiſtolas quidem ſcriptas tum e Smyrna in Aſia, tum e Pamphylia, Iſauria, & Lycia, ubi Concilia celebraverant: quibus in epiſtolis fatebantur Liberii fidem dubio omni ſepoſito fore ſuſcipiendam, atque ad eas quaquaverſum perferendas delectos fuiſſe Euſthatium Sebaſtenum, Silvanum Tarſenſem, & Theophilum Caſtaballitanum. Epiſtolis adjectus a Legatis eſt libellus, ex quo præſcriptam a Liberio formulam profeſſi fuerant. Subſcripſiſſe denique proculdubio eidem Liberii Encyclicæ Occidentis Epiſcopos, atque in his ſignatim Italiæ, Siciliæ, Galliæ, & Africæ teſtata res eſt, cujus etiam fidem facit Sozomenus, quos multo plures fuiſſe iis, qui Synodo in Ariminenſi conſederant, ſubjungit. At enim S. Damaſo præcipue hæc debetur pars laudis, quod præ ceteris Prædeceſſoribus ſuis ſingulare iſtiuſmodi Pontificii juris ſpecimen præbuerit. Siquidem e Romana Synodo an. 377, aut ſeq., poſtquam Arianos, Pneumatomachos, Apollinariſtas, peſteſque alias diro perſtrinxiſſet anathemate, una cum Synodica, ſive Decretali an. 378. miſſa fidei formula ad Paulinum apud Theodoretum lib. 5. cap.

11, Epiphanium Scholaſt. lib. 9. hiſt. tripart. cap. 16, & Holſtenium Collect. Rom. pag. 180., ab omnibus Orientis Epiſcopis eidem juſſit ſyngrapham apponi, eamdemque profiteri quotquot de hæreſi ſuſpecti in Eccleſiam recipi flagitarent. Tantum autem abeſt, ut id Orientales inſolito oneri haberent, quin anno 378, aut ſeq. Antiochiæ num. 146, in Codice Vatic. 163, congregati, inter quos doctrina, & ſanctitate eminebant S. Meletius Antiochenus, S. Gregorius Nyſſenus, S. Euſebius Samoſatenus, S. Pelagius Laodicenus, S. Eulogius Edeſſenus, Zeno Tyrius, Bernaces Mallenſis in Cilicia, & Diodorus Tarſenſis, Pontifici facere ſatis, præſcriptæque formulæ uno ſuffragio ſubſcribere officio, religionique duxere. Ad hæc eo ipſo Tomo, veluti loquuntur in Synodica Concilii Conſtantinopolitani anno 382. legenda apud Theodoretum lib. 5. cap. 9, & Epiphanium Schol. lib. 9. cap. 18, qui Antiochiæ conditus fuerat, cujuſque nomine accipiendam fore, non quidem fidei expoſitionem a Synodo Sardicenſi editam, uti volunt Zonaras, & Balſamon, neque S. Damaſi epiſtolam ad Paulinum, uti viſum Baronio eſt, neque magis Occidentalium Synodicam, uti Petrus de Marca cenſet, neque demum Orientalium epiſtolam e Synodo Antiochena exaratam, ut arbitratur Petitus var lect. lib. 3. cap. 2, bene vero fidei formulam a S. Damaſo conſcriptam, & a Synodo Antiochena ſubſcriptam oſtendunt Valeſius, & Coutantius, eo ipſo Tomo, inquam, ad S Damaſum deſcripto Orientales Epiſcopi nihil antiquius habuere, quam ad formulam ab eo præſcriptam fidem exigere ſuam, & exponere, ac iſtius ad inſtar Sabellio, Ario, Marcello Ancyrano, Eunomio, Macedonio, Photino, & Apollinari dicere anathema. Quo quid illuſtrius proferri, deſiderarique poteſt ad hanc Pontificii juris particulam bono in lumine, locoque optimo collocandam?

At enim res ipſa clamat ejuſdem partium eſſe, qui Chriſtianæ Reipublicæ ſummam gerit, Chriſtifidelibus ubique gentium orthodoxæ fidei dogmata propinare, & amplexanda demonſtrare, cujus eſt contraria hæreticorum deliramenta explodere, fugiendaque denuntiare. Juri huic itaque tam rato, quam ſuam ad uſque diem ſuis a Deceſſoribus exercito innixus S. Zoſimus Pelagio,

gio, Cæleſtioque Romæ damnatis, celebrem illam de eorum damnatione, deque Catholica illorum erroribus contraria S. R. Eccleſiæ doctrina Tractoriam dedit, cujus fragmentum reſtat apud Marium Mercat. Common. pag. 138. edit. Baluzii, S. Cæleſtinum in epiſt. ad Galliar. Epiſcopos capp. 8, & 9, S. Auguſtinum in epiſt. 190. alias 157. ad Optatum, & S. Proſperum libro contra Collat. cap. 10, ad Orientis, totiuſque Occidentis Eccleſias, ac ſpeciatim Italiæ, Africæ, Orientis, Ægypti, Conſtantinopolis, Theſſalonicæ, & Hieroſolymæ, ut habet Marius Mercator pag. 134, cui epiſtolæ cuncti per Orbem Epiſcopi calculum apponere ſuum deberent, Pelagianiſque damnatis, ad præſcriptam ab ipſo regulam, Romana in Eccleſia integram, fidem ſuam conformare. Quæ quid aliud cenſenda epiſtola iſta eſt, quam quædam fidei formula Epiſcopis omnibus propoſita? cui propterea Honorius Imper. pari obtemperans obſequio lege lata Pelagianos toto Chriſtiano ab Orbe tanquam hæreticos habendos denuntiavit, atque undique, Urbeque præſertim, pelli juſſit. Qua de re optime confecta Pontifici gratulati quammaxime ſunt Africani Epiſcopi, quorum maximopere intererat peſtem hujuſmodi procul ab Africa propulſari. A ceteris ubique gentium Epiſcopis eidem epiſtolæ ultro citroque fuiſſe ſubſcriptum, Julianum vero, Pelagianoſque alios ſubſcribere detrectantes gradu dejectos, atque ex Italia deturbatos fide affirmat ſua Marius Mercator pag. 138: *Illa*, inquiens, *B. mem. Epiſcopi Zoſimi Epiſtola, quæ Tractoria dicitur, qua Cæleſtius, Pelagiuſque damnati ſunt, Conſtantinopolim, & per totum Orbem miſſa ſubſcriptionibus SS. Patrum eſt roborata: cui Julianus, & reliqui ejus complices ſubſcribere detrectantes ... non ſolum Imperialibus legibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatuiis depoſiti, atque exauctorati, ex omni Italia deturbati ſunt.* Deceſſoris ſui veſtigiis hærens S. Bonifacius I. ab Honorio Imperat. pariter impetravit, ut Pelagiani undique pellerentur, atque ad ſubſcribendum prælaudatæ Tractoriæ a Prædeceſſore ſuo contra Pelagianos ſcriptæ cuncti per Orbem Epiſcopi compellerentur. Conſtitutionis hujuſmodi meminit Honorius in epiſt. ad Aurelium Carthag., de qua adeundus doctiſs. Garnerius in diſſert. 3. Conſtit. Imperat. in cauſſa Pelagia-

norum. Pontificii hujuſmodi juris præſcribendi fidei dogmata adverſus erumpentes hæreſes eximium quoque capere experimentum licet ex S. Cæleſtini litteris ad S. Cyrillum Alex., Juvenalem Hieroſolym., Rufum Theſſal., ad Eccleſias Conſtantinopolitanam, & Antiochenam, nec non ad Patres Epheſinos, quibus fidei decretis ab ſe in Neſtorium editis nulla adhibita mora juſſit ſubſcribi: ſubſcripſiſſe vero Encyclicæ ea de re a S. Cyrillo directæ Epiſcopos 6000. rradit Dalmatius Archim. in Apologia inſerta actis Concilii Epheſini apud Harduinum tom. 1. pag. 1587: ſed & juxta litteras decretales S. Cæleſtini a Patribus Epheſinis uno ſuffragio prolatam adverſus Neſtorium non tam ſuam, quam Apoſtolicæ Sedis executioni demandaram ſenrentiam, teſtatur Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus verbis hiſce act. 2. Concilii Epheſini pag. 1471: *Formam illam executioni mandavimus, Canonicum, Apoſtolicumque judicium in illum proferentes*: ubi loco verbi *proferentes* Græce habetur χατω ποιουντες κριμα, ideſt intelligentes judicium a Pontifice in Neſtorium jam prolatum Apoſtolicum eſſe, atque Canonicum.

Agendi genere haud abſimili cum Synodi Chalcedonenſis Epiſcopis ſe geſſit ſubinde S. Leo re, ac nomine Magnus, quibus ſuam ad S. Flavianum epiſtolam contra errores Eutychetis, ceu fidei formulam propoſuit, ſubſcribique ulla abſque dubitatione præcepit: ad alios mitti deinde Metropolitas, atque a cunctis adjici calculum. Adjectum vero cunctatione omni abjecta ab Euſebio Mediolanenſi in Synodo, nec non a Ravennio Arelatenſi cum Synodo pariter ſua, patet ex Synodicis ad S. Leonem apud Harduinum tom. 1. pag. 1775, & 1779. Adjectum præterea ab Epiſcopis 1200. auctor eſt Cecropius Sebaſtopoleos Epiſcopus act. 4. Concilii Chalced. edit. Hard. tom. 2. pag. 419; quin imo ab Epiſcopis 1600. teſtis accedit Eulogius Alexandrinus in excerptis Photianis Bibl. Cod 230. Veterem hunc in Eccleſia uſum eſſe tam jugem, quam integrum, ut hæretici ad Eccleſiaſticam non ante communionem admittantur, quam hæreſi ſe abdicaſſent, liquidus teſtis, ac locuples eſt idem S. Leo, qui ideo Manichæis illis, quibus Catholici nominis larvam detrahere, ſalubrioraque orthodoxæ fidei inſpirare conſilia ipſi licuerat, non niſi ea locum

ſe

ſe feciſse in Eccleſia lege ſignificat in epiſt.7.edit.Baller.alias 8.ad Italiæ Epiſcopos: *Ut damnarent Manichæum cum prædicationibus, & diſciplinis ſuis publica in Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione*. Conjectura proinde ſua haud procul aberrarit, qui eidem Pontifici tredecim Anathematiſmos adverſus Manichæos, ſive a Cotelerio ad lib. 4. Recognit. S. Clementis cap. 24. adjunctos, ſive a Muratorio e Cod. Mſ. Bibl. Ambroſ. deſcriptos tom.2. Anecd. pag. 112, acceptos fore referendos arbitretur. De violato, neglectoque perinde erga Pelagianos ejuſmodi ritu cum Epiſcopo Aquilejenſi, qui Nicetas Editoribus Lovanienſibus, aliiſque viſus eſt, Adelphus vero, aut Maximus Balleriniis Fratribus in admonit.prævia ad hanc epiſtolam ipſis 1, Queſnello 6, n.23, graviter expoſtulans, diſtricte juſſit, ut eidem preſſe inſiſtens, Synodo indicta illorum quotquot, ſive qui jampridem imprudenter fuiſſent recepti, ſive qui recipi impoſterum rogarent, aperta confeſſione, propria confirmata ſyngrapha, una cum erroribus ejurare Auctores, & exſecrari compelleret: *Damnent*, inquiens, *apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris Auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur, omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare plenis, & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur*. Nec tibi moram faciat, quod audis a Pontifice præcipi, ut amplectantur decreta Synodalia dumtaxat, quaſi quod ſolummodo decreta in Synodis fidem obligandi vim habeant: loquitur enim S. Leo de decretis a Synodis Africanis contra Pelagianos, atque de iis quidem, quibus Deceſsorum ſuorum SS. Innocentii, & Zoſimi auctoritas acceſſiſſet: unde vides ex S. Leonis ſententia Africanarum Synodorum decretis nonniſi ex Apoſtolicæ Sedis approbatione robur adquiſitum. Huic ipſi agendi rationi cum Novatianis, ac Donatiſtis ad Apoſtolicæ Sedis gratiam adſpirantibus indivulſe S. Leonem inhæſiſſe legimus in epiſt. 12. alias 1. ad Africanos Epiſcopos, qua Donato e Novatianis partibus cum plebe ſua ad frugem regredienti, ac Maximo e Donatiſtarum laqueis diſruptis ad Chriſtifidelium unitatem admitti deſideranti tum communionis, tum gradus veniam, gratiamque facit, ea tamen

lege

lege adjecta, ut libello ad ſe miſso, propriaque manu ſignato nefandas hæreſes illas abnegent, fidemque Catholicam ſincere confiteantur. Ad hæc a S. Turribio Aſturicenſi Epiſcopo admonitus de Priſcilliani reliquiis in Hiſpania repullulantibus, e veſtigio reſcripta epiſtola 15. edit. Baller. ad ſingula gliſcentis hæreſis capita diſtincte conterenda, & profliganda totum ſe convertit, totidemque oppoſitis fidei orthodoxæ dogmatibus, hinc jubet Hiſpaniarum Epiſcopos diſcere, quid adverſus Priſcillianos ſibi decernendum ſit, diligenterque ſimul diſquirere, quibus demum hanc adverſus peſtem decertandum modis. Itaque juxta ipſius monita, ac mandata duo celebrata ſunt Concilia Aſturicenſe, & Bracarenſe, quorum mentio in Bracarenſi II. an. 561. occurrit, in quo poſteriori ad amuſſim præſcriptæ S. Leonis epiſtolæ ad Turribium adornata eſt fidei regula, adjectique duo de viginti adverſus Priſcillianiſtas anathematiſſimi, qui cum præfata fidei regula proſtant ad calcem Concilii Toletani I. apud Harduinum tom. 1. pag. 993, atque 17. repetiti tom. 3. pag. 347. Atque hanc perpetuo cum hæreticis ad frugem regredientibus agendi rationem tenuiſse, & obſervaſſe S. Leonem adparebit ejuſdem luſtranti epiſtolas 30, 31, 79, 95. edit. Baller. alias 26, 27, 59, 75. edit. Queſn. ad Pulcheriam, 32. alias 28. ad Archimandritas, 33. alias 29. ad Synodum Epheſinam, 34. alias 31. ad Julianum Coenſem, & 80. alias 60. ad Anatolium.

Hiſce preſſe inhærebat veſtigiis S. Hormiſdas, dum a Juſtino Imp., Johanne Conſtantinopolitano, ac Dardaniæ, & Illyrici Epiſcopis infimis precibus inflexus ad redintegrandam Orientalis Eccleſiæ cum Romana concordiam, ab Acacio diu abruptam, conſenſit tandem ea conditione, & lege tamen, ut libello fidei Legatis ſuis propediem Conſtantinopolim profecturis tradito Epiſcopi omnes ante ſubſcriberent, quam ad Romanæ Eccleſiæ communionem reciperentur. Porro ea fidei formula hiſce præ aliis concepta erat verbis: *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & a Patrum traditione nullatenus deviare: quia non poteſt D. N. Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis:* Tu es Petrus &c. *Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper ſervata Religio. Unde ſequentes*

in

in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia Conſtituta, ſpero, ut in una Communione Vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra, & verax Chriſtianæ Religionis ſoliditas: profitens etiam ſequeſtratos a communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt non in omnibus conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe Myſteria. Hanc autem profeſſionem meam propria manu ſcripſi, & Tibi Hormiſdæ Sancto, & Ven. Papæ Urbis Romæ obtuli. Atque huic quidem formulæ fidei utroque pollice ſubſcriptum fuiſſe a Johanne Conſtantinopolit., ab homonymo Nicopolit., ab Epiſcopis Epiri, Dardaniæ, Illyrici, Aſiæ, Ponti, Thraciæ &c., quos 2500. circiter, quot nempe Concilio Chalcedonenſi ſubſcripſerant, recenſet Ruſticus Diac. in Dialogo adverſus Acephalos, abunde liquet ex relationibus Legatorum, ex libellis Johannis Conſtantinopolit., & cognominis Nicopol., & ex litteris S. Hormiſdæ ad Epiri veteris Epiſcopos, ad S. Cæſarium Arelat., ad Johannem Nicopol., ad Juſtinum Imp., ad Johannem Patriarcham &c., quibus gratulatur de pace inita, adhortaturque, ut pro hac pariter, eademque lege, Eccleſiis Alexandrinæ, & Antiochenæ reſtituenda naviter adlaborent. Qua de re quoque S. Hormiſdæ gratulati ſunt Galliarum Epiſcopi, exarata omnium nomine a S. Avito Vien. epiſtola quod argumento eſt Gallicanis Epiſcopis pariter eam fidei formulam Græcis præſcriptam, placuiſſe, fuiſſeque probatam. Non abſimilis huicce fuit fidei profeſſio, quam in Eccleſiæ Romanæ caſtris demereri efflictim deſiderantes S. Agapeto nuncupare Juſtinianus Imper.; & Mennas Conſtantinopolit. Antiſtes, quamque propria ſubſignatam ſyngrapha Hadriano II. tranſmittere Patres Synodi VIII, de quibus paullo infra, religioni duxere. Quorſum itaque Boſſuetius id omne faſſus, eum poſtea in præpoſterum ſenſum formulæ verba intorquet, ut Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem inter, ac ſedentem in ea Pontificem diſtinguens, non hunc quidem, ſed illam dumtaxat falli, ac fallere neſciam eſſe dicat, ſubdatque id non obſtitiſſe eo ſecius, quominus in Synodis VI, VII, & VIII. de ipſis Rom. Pontificum definitionibus quæſitum fuerit, deliberatum, rerractatum, dijudicatumque? Quæ plane quam falſa ſint, ac futilia, quum ſuis fuerit locis demonſtratum,

ſtratum, ſuo proinde ordine ut procedat, oratio eſt permittenda.

Atque gradum feſtinando ad S. Gregorium M., non deſunt equidem, qui hunc iſtius generis juramenti, quod nunc frequentari ſolet, Pontifici Romano pendendi, fidemque obligandi, formularum auctorem primum agant. Quam tamen perperam ex dictis hactenus præterquam, aut ego fallor, abunde patet, exinde quoque liquido planum fit, quod Vigilio P. M. jam pridem Ruſticus, & Sebaſtianus S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi, antequam ordinarentur, fide juramento firmata ſe obſtrinxerant: ex quo proinde reum utrumque magis, magiſque ſchiſmatis, violatæque obedientiæ non modo, ſed religionis etiam Pontifex egit in epiſt. ad eoſdem Collat. 7. Synodi V. inſerta apud Harduinum tom. 3. pag. 175. Cæterum a S. Gregorio M. pro eo, quo a ſchiſmate Iſtros ad unitatem revocandi flagrabat ſtudio, quorumque plane oppido plurimos ad Eccleſiæ caſtra perducere ei ex ſententia ſucceſſit, reſipiſcentibus, ac redeuntibus fidei profeſſionem fuiſſe præſcriptam certo certius evadit ex lib. 10. epiſtola 31, qua illorum quemque bonam ſe ad frugem recipientem ſpondere præcipit, ac ſub juriſjurandi vinculo polliceri B. Petro, ejuſque Vicario B. Gregorio, ac in Sede Apoſtolica Succeſſoribus non amplius cujuſpiam ſuaſu relapſurum deinceps in ſchiſma, ſed ſemper in Eccleſiæ Catholicæ unitate permanſurum, atque in Communione Romani Pontificis. In Synodo VI, ſive Conſtantinopolitana III. dogmaticam S. Agathonis epiſtolam adverſus Monothelitas, ceu fidei regulam ex juſſu ejuſdem Pontificis habitam fuiſſe, cui e veſtigio Patres illi fidem conformare ſuam, eamque propria confirmare ſyngrapha officio, religionique duxerint, quin ulli in mentem veniret debuiſſe prius formulam illam ad fidem S. Scripturæ, ac Traditionis exigi par. 1. art. 2. §. 3. plurimis demonſtratum eſt. Iſtiuſmodi mori inſiſtens, Anaſtaſio teſte, S. Leo II. Anaſtaſio Presbytero, ac Leontio Diacono Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, in exilium Romam ejectis, abſolutionis beneficium non ante largitus eſt, Eccleſiæque Romanæ communionem reſtituit, quam juxta fidei formulam a Prædeceſſoribus ſuis præſcriptam, atque a Synodo VI. ſubſignatam, hæreticis omnibus, ac nominatim Monothelitis, quorum hæreſis ſuſpicione haud leviter laborabant, anathema dixiſ-

dixiſſent, ac ſcripto fidem prodidiſſent ſuam, unde pateret, an non ei conformis eſſet, quæ Romanæ Eccleſiæ tam integra eſt, quam antiqua. Sub eadem lege ſubſcribendi fidei formulæ adverſus Monothelitas ab Apoſtolica Sede conſcriptæ Macario Antiocheno in Synodo VI. Sede ob hæreſim deturbato, ac tum temporis Romæ in exilio pariter agenti, priſtinum gradum reſtituere promiſiſſe S. Benedictum II. diſcimus ex relatione Petri S. Rom. Eccleſiæ Presbyteri, Monaſterii S. Sabæ Romæ Abbatis, & Hadriani I. Legati act. 1. Concilii Nicæni II. inſerta edit Hard. tom. 4. pag. 63: quamquam hæretici hominis vincere pertinaciam optimo Pontifici datum non eſt, malentis, etſi abſque gradu, in opinione manere.

Mutuam documenta hæc ſibi affundunt lucem, accipiuntque ex diſciplinæ parte illa cum veteri, tum varia, in unitatis indiſſolubili vinculo inſita, qua Metropolitis in collatione Pallii non tam onus, quam onor imponebatur ſolemni fidei ſacramento Romano Pontifici ſe devinciendi, obedientiæque canonicæ obſequia dependendi. Qua de politia, ut Romano ante Pontifici fidem Metropolitæ exponerent, & nuncuparent ſuam, quam Pallii honore adaugerentur, loquentes S. Zacharias in epiſt. 4. ad S. Bonifacium Mogunt., & Johannes VIII. in epiſt. ad Willibertum Agrippin. apud Gratianum diſt. 100. cap. 4, & in Concilio Ravennate an. 877. cap. 1. apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 185. hæc habebant, ille quidem, *Qualiter mos Pallii ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere debeant hi, qui Pallio uti conceduntur, eis direximus*: iſte verò, *Optatum tibi Pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus*: & iterum in Synodicis ſtatutis, de quibus etiam Deuſdedit lib. 1. cap. 135: *Metropolitanus ... tamdiu Epiſcopali Sedi cedat, omnique conſecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, & in expetendo Pallio priſcum morem contempſerit.* Quo de argumento quia late diſſerui par. hac. 2. Tom. 3. art. 1. §. 1. pag. 45, & ſeqq., ac Tom. 4. art. 8. §. 11. pag. 347, & ſeqq., ubi oſtendi, quatenus formulis hiſce fidei Apoſtolicæ devincire Sedi, ac devovere ſtuduerint, & ſategerint Germanos, & Gallos S. Gregorius II, Ravennates S. Nicolaus I, Græcos Hadrianus II, Schiſmaticos S. Gregorius VII, Hungaros Paſchalis II, Romana ab Eccleſia ſegreges Alexan-

der III, Eccleſiis Cathedralibus admotos Innocentius III, Gregorius IX, Clemens VI, & Urbanus V, ac Eccleſiaſticis dignitatibus adauctos omnes, ſive adaugendos Pius IV, Clemens VIII, & Urbanus VIII, ne propterea diſpendium operæ faciam, ab his refingendis abſtinere, manumque ab hac retrahere tabula ſatius habeam. Non committam tamen, ut cauſſam, quam ſuſcepi, ita deſeram, jejunamque dimittam, quin adhuc pleraque, quæ ad præclarum hoc diſciplinæ caput confirmandum, bonoque in lumine collocandum plurimum conferre poſſunt, loca perſequar, ac perſtringam. Juxta hæc itaque ab Hadriano I. Felicem Urgellitanum formula confeſſionis expreſſa compulſum fuiſſe ad hæreſim abdicandam ex Eginhardo in Annal., & Alcuino in lib. adv. Elipandum alibi jam adnotavi. Non ſecus atque ab eodem Pontifice Synodi VII. Patribus fidem præſcriptam fuiſſe, quam in cultu SS. Imaginum profiteri deberent, nec plane aliam, quam quæ Romana in Eccleſia jugis erat, & integra, par. 1. art. 2 §. 4. obſervatum jam eſt. Obſervatu nunc illud dignum a Leone III, occaſione graviſſimæ de proceſſione Spiritus S. a Patre, & Filio controverſiæ Monachos Latinos Montis Oliveti incolas inter, ac Graecos in Palæſtina commorantes commotæ, de qua copioſe par. hac 2. Tom. 4. art. 9. §. 1. pag. 469, & ſeqq., fidei confeſſionem fuiſſe conſcriptam, & ad omnes Orientis Eccleſias tranſmiſſam, in qua hæc legebatur periocha: *Spiritus S. plenus Deus a Patre, & Filio procedens*: qua de confeſſione, ſive fidei ſymbolo confer Baluzium tom. 7. Miſcell. pag 18, & ſeqq.

Ut erat vero S. Nicolaus I. Eccleſiaſticæ politiæ, atque in hac parte quidem prudentiæ, diſcretionique plenæ retinentiſſimus, illud Apocriſariis ſuis Conſtantinopolim ad jus dicundum S. Ignatium inter, & Photium profecturis tam memoriæ demandavit, quam in mandatis dedit, ut in cauſſa SS. Imaginum agerent juxta definita ab Apoſtolica Sede, ab eaque definitis adquieſcere, ac ſyngraphum adjicere omnes compellerent, qui moras necterent, aut in ſiniſtra manere ſententia mallent, Apoſtolicæ Sedis auctoritate comprimerent: quæ de re legendæ epiſtolæ ad Photium, ad Michaelem Imper., ad Epiſcopos Diœceſis Conſtantinopolit., & ad univerſos Catholicos apud Harduinum tom. 5. pag. 119,

119, & ſeqq. Sacræ Hadriani II. juſſioni, ut primum innotuit, paruiſſe illico Synodi VIII. Patres, & ſecundum ejuſdem ſententiam fidei formulæ, Græcis jampridem ſubſignandam propoſitæ a S. Hormiſda, utroque ſubſcripſiſſe pollice liquet ex Anaſtaſio in præfat. Synodi VIII, ex Guillelmo Bibl. in ejuſdem vita, atque ex Synodo ipſa act. 2, ubi ſubſcribunt, ac ſpondent in hæc verba: habere *Sequeſtratos a communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt non conſentientes Sedi Apoſtolicæ* &c. Super quibus verbis Natalis Alexander hiſt. Eccl. ad Sæculum IX. diſſert. 4. §. 13. ingenue faſſus eſt, & profeſſus eódem recidere ab Eccleſiaſtica communione ſequeſtratum eſſe, ac non eſſe Sedi Apoſtolicæ conſentientem. Miſsos facio libellos qua fidei, qua pœnitentiæ directos ſive a Johanne VIII. ad Photium, ſive a Formoſo ad Photii quondam partiarios, coram Apoſtolicæ Sedis Apocriſariis recitandos, ſi veniam infractorum conſequi Canonum, Romanæ gratiam Eccleſiæ adipiſci, atque priſtinis reſtitui gradibus cuperent, ſtatimque venio ad celebrem illam Photiani ſchiſmatis a Michaele Cerulario, & Leone Acridano inſtaurati epocham, quo a Latina Eccleſia Græca abſtracta eſt, & divulſa. Qui ergo primas ad conciliandam pacem, Græcoſque ad officium revocandos curas intendit, & contulit, S. Leo IX. eadem lege uti Legatos ſuos voluit erga ſegreges, quos ad ſanitatem reducere ſuccederet, ut ejuratis ſcilicet cum ſchiſmate erroribus, fidem profiterentur, quæ Romana in Eccleſia tam ſtabilis eſt, quam ſincera: quemadmodum pro voto factum eſt quidem cum Niceta Pectorato viro Græcorum tum temporis litterarum gloria præſtantiſſimo, quamvis quominus id pariter confieret, prout optimus Pontifex vehementer optaverat, cum duobus ſchiſmatis Architectis, impedimento fuit horum ingens, quo ferveſcebant, cum erga Latinam Eccleſiam animi livor, tum ingenii levitas, qua in apertiſſimam veritatis lucem turbatam defigere oculorum aciem prohibebantur.

Quia vero par. hac 2. Tom. 3. Art. 6. §. 1. pag. 602, & ſeqq., quo de ſchiſmatibus extinctis, exterminatiſque egimus, agenteſque ſpeciatim de Orientali ſchiſmate, ei extirpando operam a Pontificibus egregie impenſam proſequuti ſumus; ac Tom. 4. Art. 10. §. 1. pag. 556. de procurata nullo non tempore Gentium

omnium ſalute pertractantes, impeditiſſimam provinciam iſtam Romanis a Pontificibus omni ex parte expletam fuiſſe, numeriſque abſolutam omnibus oſtendimus, ſatius nunc erit illorum elenchum retexere, qui ea occaſione Orientales populos litterarum, Miſſionariorum, ac Legatorum ope ad poſtremam hanc uſque ætatem quanto Romanæ Eccleſiæ fide imbuere cum labore ſategerunt, tanta cum prudentia, quæ obſervanda forent, orthodoxæ fidei dogmata oſtendere, & tradere non deſtitere: videlicet Bulgaris S. Nicolaus I, & Hadrianus II; Græcis Stephanus IX; Ruthenis, Armenis & Græcis S. Gregorius VII; Urbanus II. Græcis; Eugenius III. Armenis, Græcis, & Syris; Hadrianus IV. Græcis; Græcis Innocentius II; Græcis, Bulgaris, Malabaris, & Saracenis Alexander III; Saracenis Lucius III; Innocentius III. Græcis, Armenis, & Bulgaris; Honorius III. Ægyptiis, Ruthenis, Tartaris, Cumanis, & Saracenis; Gregorius IX. Græcis, Moſchis, Tartaris, & Muhamedanis; Albanenſibus, Cypriis, Bulgaris, Tartaris, Saracenis, Maronitis, Jacobitis, & Neſtorianis Innocentius IV; Græcis, Cypriis, & Ruthenis Alexander IV; Græcis, & Tartaris Urbanus IV, Clemens IV, & B. Gregorius X; Græcis Innocentius V, Johannes XXI, Nicolaus III, & Martinus IV; Nicolaus IV, & Bonifacius VIII. Græcis, Sclavis, Bulgaris, Valachis, Colchis, Iberis, Georgianis, Moſchis, Cumanis, Saracenis, Armenis, Syris, Perſis, Indis, Tartaris, Jacobitis, & Neſtorianis; B. Benedictus XI. Perſis; Clemens V. Perſis, Æthiopibus, Græcis, & Tartaris; Johannes XXII. Tartaris, Armenis, & Saracenis; Tartaris, Armenis, & Græcis Benedictus XII; Græcis, Armenis, Boſnenſibus, Serviis, Raſciis, & Valachis Clemens VI, & Innocentius VI; Bulgaris, Moldavis, Albanis, Tartaris, Guinenſibus, Angolanis, & Congitanis Urbanus V; Slavis, & Albanenſibus Gregorius XI; Martinus V. Græcis; Eugenius IV. Græcis, Cypriis, Ruthenis, Armenis, Maronitis, Syris, Meſopotamenis, Chaldaeis, Abyſſinis, Neſtorianis, & Jacobitis; Nicolaus V. Græcis, & Azoriis; Pius II. Turcis, Græcis, Armenis, Georgianis, Iberis, Paläſtinis, Ægyptiis, Syris, Maronitis, & Meſopotamenis; Maronitis Paulus II; Moſchis, ſive Ruthenis Sixtus IV; Guinenſibus, Angolanis, & Congitanis Innocentius VIII; Alexander VI. Amerika-

ricanis, Græcis, & Georgianis; Julius II. Congi, Angolæ, Guineæ, & Americæ Incolis; Leo X. Maronitis, Abyſſinis, Moſchis, & Americanis; Americanis Hadrianus VI; Americanis, Maronitis, Armenis, Moſchis, Æthiopibus, Congitanis, Angolanis, & Guinenſibus Clemens VII; Æthiopibus, ſive Abyſſinis, Africanis ſub linea degentibus, Japponiis, & Americanis Paulus III; Julius III. Americanis, Ruthenis, Syris, Neſtorianis, & Jacobitis; Paulus IV. Coptis; Pius IV. Coptis, Græcis, Ruthenis, Armenis, Malabaris, Americanis; Moſchis S. Pius V; Cocinenſibus, Ceilanis, Japponiis, Malabaris, Neſtorianis, Jacobitis, Coptis, Maronitis, Cypriis, & Moſchis, Gregorius XIII; Indis Malabaris Sixtus V; Clemens VIII. Græcis, Coptis, Ruthenis, Albanenſibus, & Malabaris; Paulus V. Maronitis, Chaldæis, Armenis, Perſis, & Japponiis; Urbanus VIII. Congitanis, Æthiopibus, Coptis, & Græcis; Chaldæis, Syris, Phœnicibus, & Perſis V. Innocentius XI; Æthiopibus, Malabaris, & Sinenſibus Innocentius XII; Sinenſibus, Æthiopibus, & Coptis Clemens XI; Indis in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Benedictus XIII, & Clemens XII; ac demum Benedictus XIV. Græcis, Melchitis, Albanenſibus, Ruthenis, Maronitis, Armenis, Malabaris, Cocinchiniis, & Sinenſibus: quibus omnibus ſcilicet Gentibus ſtudere pariter pro eo, quo rei Chriſtianæ ſive reſtituendæ, ſive amplificandæ præclaro afficiebantur ſtudio, Romani Pontifices a primæva ad hanc uſque poſtremam ætatem non deſtitere.

Quibus carptim perſtrictis, juvat nunc, præſtatque retro pedem referre ad eos percenſendos, quibus fidei formulas qua Schiſmaticis, qua Hæreticis, qua Paganis ſpeciatim præſcribere cordi fuit. Atque quidem a Victore II, Nicolao II, Alexandro II, & S. Gregorio VII. Berengarium repetitis vicibus ad hæreſim abdicandam, fideique profeſſionem juxta præſcriptas formulas emittendam fuiſſe compulſum, ſatis ſuperque paullo ſuperius pag. 85, & ſeq. enuntiatum eſt. Ab hoc poſtremo, S. Gregorio VII. ſcilicet, ob cauſam ſchiſmatis aliam præterea fidei profeſſionem ſive formulam præſcriptam fuiſſe auctor eſt Paſchalis II. in epiſt. 5. ad Epiſcopum Colocienſem, qua utramque, ſui deceſſoris ſcilicet, & ſuam dictis, ſcriptiſque laceſſitam a ſchiſmaticis vindicat.

Habe-

Habetur hæc formula lib. 2. Decret. tit. 24. Cap. *Ego* 4. *De Jurejurando*, juxta quam in Synodo Romana VI. an. 1079. Henricus Aquilejenſis, Gandulphus Regienſis, & Robertus Carnotenſis Epiſcopi ſchiſmatis labem abſtergere, fidemque Pontifici deſpondere ſuam compulſi ſunt. Sed & hanc formulam, ſecundum quam Gregorius IX. fidei juramentum exegit a S. Edmundo Cantuarienſi, a Jarletio Upſalenſi, a Petro Rotomagenſi, & a Martino Legionenſi Antiſtitibus, teſte Raynaldo ad an. 1233. nu. 65, Pontificali Romano inſertam legere præſtat, atque Epiſcopis inaugurandis præſcriptam a Clemente VIII. Conſt. *Ex uno*, & Urbano VIII. Conſt. *Quamvis*. At enim ad Paſchalem II. redeundo, is pari vigente ſchiſmate, quo plerique a legitimi Pontificis obedientia reſilire non exhorrebant, Romæ Synodo habita anno 1102. Catholicæ fidei profeſſionem, ac fidelitatis formulam, juramento firmandam, procudit de præſtanda ab omnibus Pontifici M. obedientia, cujus hic eſt tenor apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1863. *Anathematizo omnem hæreſim, & præcipue eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet, & adſtruit anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici D. Paſchali, ejuſque Succeſſoribus, ſub teſtimonio Chriſti, & Eccleſiæ, affirmans, quod affirmat, damnans, quod damnat Sancta, & univerſalis Eccleſia.* Arcte tenebat perpetua hæc ipſa obſervantia Alexandrum III, qui a quatuor Antipapis Victore IV, Paſchali III., Calliſto III, & Innocentio III. ſævo ſchiſmate ad annos 19, aut etiam 21. divexatus fuerat, diraque perpeſſus, a ſchiſmate reſipiſcentes non ante recipiendos in Concilio Lateranenſi III. ſancivit, quam Schiſma ſub præſcripta juramenti formula exſecrati fuiſſent, cujus tenor non admodum ei abſimilis, quæ a Paſchali fuerat præſcripta, ex Alberto Stadenſi in Chron., & Krantio hiſt. Eccl. Saxon. lib. 7. cap. 31. deſcripta exhibetur a Pagio Jun. in Alexandro III, & ab Harduino tom. 6. par. 2. pag. 1685. Pari cautione Religionis puritati conſulendum, proſpiciendumque curabat Innocentius III, qui Albigenſium ab hæreſi regredientes, aut illius ſola imo ſuſpicione laborantes fidei profeſſione hanc ab ſe labem, aut notam amoliri voluit, decreto edito in Concilio Lateranenſi IV. Cap. 3.

De

De Hæreticis: quam in rem conferre juvat formulas Juramenti præſtiti a Raymundo Comite Toloſano, a Toloſanis Conſulibus, a Raymundo Comite Fuxenſi, a Bernardo Comite Convenarum, & a Gaſtone de Bearno apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1028, & ſeqq., ac tom. 7. pag. 131, & ſeq.

Atque hac optima quidem ratione tam fidei integritati, quam Eccleſiaſticæ unitati conſultum omnino iri, cautumque judicavit Concilium Tridentinum, a quo ideo Seſs. 24. de Reformat. cap. 12. ſaluberrimo decreto ſancitum eſt, ut qui ad gradus, dignitateſque in Eccleſia conſcendere vellent, ſacramento, votique religione Romano Pontifici ſe ſe peculiariter devincirent, fidemque deſponderent ſuam: *Teneantur .... orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent.* Cujuſmodi erga Romanum Pontificem religionis, & obſervantiæ egregium nobis ſuppeditat ſpecimen Synodus Lovitienſis in Polonia, Aloyſio Lyppomano Pauli IV. Legato Præſide, an. 1556. habita, cujus acta a Martenio vet. Script. tom. 8. pag. 1445. deſcripta in ſuum Concil. Supplem. tom. 5. pag. 703, & ſeqq. tranſtulit Cl. Manſius: inter alios enim fidei articulos, quos e præconcepta formula principio ſibi profitendos propoſuit, illum n. 25. firma tenendum fide præſcribit: *Unam eſſe in terris veram, & Catholicam Chriſti Eccleſiam, eamque viſibilem, quæ ab Apoſtolis fundata, in hanc uſque noſtram ætatem perdurans, retinet, & ſuſcipit, quidquid de fide, & Religione traditur a Cathedra Petri, ſuper quam ita a Chriſto ſuo ſponſo eſt ædificata, ut in eis, quæ fidei ſunt, & Religionis, errare non poſſit*: & illum n. 27. pari fide profiteri non dubitat, ac fidelibus credendum proponit: *Unus eſt Eccleſiæ Summus Paſtor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium Controverſiæ, quæ ſuper fide, & Religione exiſtunt, ſunt referendæ.* Quamvis autem Concilium Tridentinum ad fidei profeſſionem faciendam diſtricta eos lege adſtrinxerit, qui ad Eccleſiaſticas dignitates promovendi forent, peculiarem tamen fidei formulam, certis verbis conceptam, non adornavit. Hanc igitur procudit formulam Pius IV, geminaque Conſtit 88. *In Sacroſancta*, & 89. *Injunctum* an. 1564. præſtandam iis præſcripſit, qui Eccleſiis Cathedrali-

dralibus præficiendi eſſent, aut ad dignitates Eccleſiaſticas adſpirarent, aut ad Beneficia animarum curam adnexam habentes admitti poſtularent, aut gradibus Doctorum admoveri, & in Gymnaſiis ad profeſſiones lectionum promoveri deſiderarent. Pianam juxta formulam fidei profeſſionem ab Academia Ingolſtadenſi emitti juſſit S. Pius V, quod imperium perinde ad alias extendiſſe Academias legitur apud Laderchium ad an. 1568. pag. 72. Eamdem quoque fidei profeſſionem emittendam in Ordinis ingreſſu propoſuit Militibus Ordinis S. Mauritii, quem cum antiquo S. Lazari Conſtit. an. 1572. edita conjunxit, Gregorius XIII, a quo pariter Conſtit. 33. fidei præſcripta formula eſt Græcorum quotquot, quibus ab hæreſi, ac ſchiſmate ad Romanæ Eccleſiæ fidem, unitatemque redeundi adfuiſſet propoſitum, & ingenium; a quibus inter alia de Romano Pontifice ea credi imperat, quæ Græcis pariter jam pridem in Concilio Florentino credenda fuerant præcepta. In hæc ipſa preſſe veſtigia incedens Paulus V. Chaldæis adverſus Neſtorii errores, quibus aſperſi erant, fidei profeſſionem expreſſit, cui congregata in Amed anno 1616. ſuorum Epiſcoporum Synodo Elias Patriarcha ultrocitroque ſubſcripſit, utque a ceteris paritet ſubſcriberetur, ſedulo procuravit. Synodi acta deinde Romam tranſmiſſa, digna habita ſunt, quæ Pontifex probaret, niſi quod circa ritus nonnullos correctionem adhibuit, qui nempe ritibus Eccleſiæ Romanæ nonnihil repugnarent. Pro eo quoque, quo animatus erat, zelo cum puritati fidei, tum obedientiæ Apoſtolicæ Sedi debitæ proſpiciendi, Alexander VII. ad omnes tandem Janſeniſtarum tergiverſationes amputandas, quibus Innocentii X. deceſſoris ſui, ſuiſque adverſus Janſenium editis Conſtitutionibus illudebant, Conſtitutione altera *Regiminis Apoſtolici* an. 1664. 15. Kal. Mart. evulgata, quam Conſtit. *Vineam Domini* 17. Kalen. Aug. an. 1705. Clemens XI. confirmavit, formulam juramenti præſcripſit, quod Eccleſiaſticæ perſonæ omnes præſtare deberent, profitentes ſe Conſtitutioni Innocentii X. die 31. Maji an. 1653, & Conſtitutioni alteri ipſius Alexandri die 16. Octob. 1656. ſubjici, & quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptas, ac in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illæ præfatis Conſtitutionibus confixæ ab utroque

Pon-

Pontifice fuerant, ſincero animo rejicere, atque damnare. Quo ego quidem loci Dugueti calumnias haud moror, quibus in epiſtola die 25. Jul. 1724. ad Epiſcopum Monſpel. formularium Alexandrinum inſectatur, illud inter alia, centies noſtratibus a Theologis abunde diluta, uſurpare non veritus, quod tota retro ex antiquitate exemplum non ſuppetat formulæ juramenti, fideique præſcriptæ circa factum aliquod dogmaticum, ac librum auctoris damnati: quod ex hactenus demonſtratis quam falſum eſſe, tam futile omnino evidenter oſtenditur. Catholicam Religionem in Malabaria a Ritibus ſuperſtitioſis poſtquam expurgaſſet Clemens XII. decreto *Compertum* die 24. Aug. 1734 edito, ut in tuto eamdem poneret, decreto altero *Concredita* die 13. Maji an. 1739. formulam juramenti Epiſcopis, & Miſſionariis præſcripſit, juxta quam fidem, obedientiamque Pontifici obligarent ſuam, præfatumque decretum ulla abſque tergiverſatione obſervaturos ſponderent. Utrumque hoc vero Clementis XII. decretum confirmavit, ſuæque intexuit Conſtitutioni 107. *Omnium ſollicitudinum* die 12. Sept. an. 1744. Benedictus XIV. Quam Conſtitutionem quidem impudentiſſime oppugnatam ab Anonymo Epiſtolæ Gallico idiomate inſcriptæ *Lettre ſur la Bulle Omnium ſollicitudinum* obſcuro Scriptore paucis utique, ſed validiſſimis defendit, ac vindicat Doctiſſ. Jo. Facundus Raulin in Εμμελεια Diamperitanæ Synodi cum Apoſtol. Conſtitutionibus ad calcem hiſt. Eccl. Malabaricæ pag. 507, & ſeqq. Ad hæc demum ab eodem Benedicto XIV. fidei, juramentique formulæ præſcriptæ habentur, atque præſtandæ ab Abbatibus, aliiſque juriſdictione quaſi Epiſcopali inſignitis Conſt. 7. *Quod Sancta* Bullar. tom. 1. pag. 19; ab Officialibus Eccleſiaſticis Militiæ S Georgii in Bavaria Conſt. 32. *Militares* pag. 78; ab Electo Epiſcopo Nankinenſi, juxta decreta a Clemente XI. circa Ritus Sinenſes, Conſt. 67. *Nuper Nos* pag. 219; a Patriarcha Eccleſiæ Antiochenæ Maronitarum Conſt. 78. *Nuper ad Nos* pag. 256; ab Officialibus Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Conſt. 96. *In Apoſtolicæ* pag. 330; ab Epiſcopis Pallio inſignitis Conſt. 39. *Romanus Pontifex* Bullar. tom. 4. pag. 225.; atque a Syris, & Armenis Sacerdotibus Conſtit. 47. *Allatæ ſunt* ibid. pag. 286; atque hactenus de fidei formulis

mulis plus vice ſimplici a Summis Pontificibus procuſis, præſcriptiſque.

Quod ad fidei profeſſiones pertinet (quod 2. loco pertractandum fuerat propoſitum, ex quo pateret priſcum hunc morem nullo quidem modo acceptum fore referendum, veluti pro impudentia Proteſtantes faciunt, ambitionis vitio, quo Romani Pontifices ſuis amplificandis plus æquo juribus ſtuduerint, ſed potius a Religionis ſtudio profectum, quo de unitate Romana cum Eccleſia tenenda Eccleſiarum Præſules ſolliciti fuerint ſemper) haſce nullo non tempore Pontificibus Romanis nuncupare ſive Patriarchas, ſive Principes, qua homines Chriſtiana in Republica agentes, qua hæreticos ab errorum fallaciis, Deo auſpice, ſe ſe abſtrahentes ſolen ni habuiſſe in more poſitum, atque frequenti quidem eis uſu præſertim veniſſe, qui ad gradus, dignitateſque Eccleſiaſticas adſpirarent, aut de quibus ob ſiniſtram fidei ſuſpicionem a Pontificibus Summis, ſui pro muneris ſupremi particula, capiendum periculum fuiſſet, ut modo demonſtretur, operæ pretium exigir. Atque principio illud tanquam fundamenti loco ponendum, quod prætermittere vel religioni duxit Queſnellus in diſſert. 14. de variis fidei libellis, videlicet religioſo, vetuſtoque in more poſitum fuiſſe, ut nullus adultæ ætatis Baptiſmate ablueretur, niſi anrea graſſantes tum hæreſes fuiſſet exſecratus, conceptiſque verbis Catholicæ fidei profeſſionem emiſiſſet, quæ ipſius profitentis manu ſubſcripta in tabulas deinde referri ſolebat: quo de ritu ſane locupletes accedunt teſtes S. Cyprianus in epiſt. 76. ad Magnum, Tertullianus de Baptiſ. cap. 6, S. Ambroſius lib. de Spir. S. cap. 11, & lib. 2. de Sacram. cap. 7, S. Gregorius Nazian. orat. 40. de Baptiſ., S. Cyrillus Hieroſol. Catech. Myſtag. 2, Euſebius in epiſt. ad Cæſarienſes apud Socratem lib. 1. cap. 8, & Theodoretum lib. 1. cap. 12, Auctor Conſt. Apoſtol. lib. 7. cap. 42, pſeudo-Dionyſius Areopagita de hier. Eccl. part. 2. cap. 2, S. Hieronymus in dialogo adv. Lucif., S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 2, S. Optatus lib. 1, S. Cyrillus Alex. lib. 12. in Johan. cap. 65, S. Nicetas Trevirenſis in epiſt. ad Juſtinianum Imp. apud Ducheſnium hiſt. Franc. tom. 1, S. Bonifacius Mogunt. Conſtit. Eccleſ. 27. apud Dacherium Spicileg. tom. 9;

quave

quave de re Acta ſincera SS. Martyr. de S. Geneſio apud Ruinartium, & Sacramentaria Gelaſianum, Gregorianum, Gallicanum &c. apud Menardum, Mabillonium, Thomaſium &c. Ante Baptiſmum autem in omnibus per Orbem Eccleſiis morem obtinuiſſe, cui proinde contradicere perperam conatus eſt Voſſius in diſſert. de tribus Symb. theſi 30, ut idem, quo utebatur Romana Eccleſia, Symbolum Apoſtolicum, quod tam impie, quam inſipienter ab Arianis in Nicæno Concilio, ſicut Nicænum ab Homouſianis conditum dicere ſomniatus eſt Sandius in Nucleo hiſt. Eccleſ. pag. 167, ideo refutatus ab ipſo Bebelio Antiq. ſæcul. IV. part. 1. art. 4. theſ. 46, & 48, Symbolum, inquam, Apoſtolicum recitandum baptizandis traderetur, auctor eſt locuples S. Leo M. ſerm. 93. edit. Queſnelli, edit. Baller. 96. cap. 1, ac in epiſtolis 27, nunc 31. ad Pulcheriam cap. 4, 24. nunc 28. ad Flavianum capp. 1, & 2, ac 97. nunc 124. ad Monachos Palæſtinos cap. 8.

Hocita conſtituto ritu, deſcendendo nunc ad exempla, quibus æque priſcus ritus alter quorumlibet probandi fidem, propoſitis eiſdem fidei profeſſionibus, ac formulis explicitis, loco confirmetur, non omnia perſequi ſane præſtat, ſiquidem innumera ſint, quæ nobis Eccleſiaſtica monumenta ſuppeditant, ſed erit ſatius nonnulla e promiſcuo genere perſonarum delibare, quibus dilucide palam fiat, Pontifici M., ſi jubeat, ab omnibus fidei ſuæ rationem fore reddendam, nec eſſe in Eccleſia, cui onus iſtiuſmodi non incumbat. Atque exordium auſpicor a S. Dionyſio Alex., qui, ut ſæpe dictum eſt, de fide delatus a Pentapolitanis, apud quos Sabellianæ labis ſuſpicione laborabat, ad S. Dionyſium P. M., atque ab iſto admonitus, juſſuſque Apologia elucubrata fidem ſuam expoſuit, expurgavitque. Qua de re S. Athanaſius in epiſt. de ſententia S. Dionyſii, de Decretis Nicænæ Synodi, deque Synodis Arimin., & Seleuc., Euſebius lib. 7. cap. 26, & Facundus lib. 10. cap. 5, poſt quos illum ab omni Sabellii nota abſtergere non dubitarunt Baronius in Not. Martyrolog. ad 17. Novemb., Bullus in defenſ. fidei Nicænæ, Moynius in Not. ad varia Sacra pag. 235, & ſeq., ac Coutantius in Notit. epiſt. S. Dionyſii pag. 271, & ſeqq. S. Athanaſius ipſe ab Arianis im-

petitus, Romam ad S. Julium I. profectus, nihil habuit antiquius, quam Pontifici fidei suæ, professione emissa, accuratam reddere rationem. Ea porro occasione editum a S. Doctore Symbolum, quod Athanasianum vulgo audit, (cujus quidem prima mentio occurrit in Collect. Barberina Cod. 2888, & Vaticana, Cod. 1342. in epist. Canonica sub initium sæculi VI. exarata, quam ex Bibl. Capit. Vercell. edidit Dacherius Spicileg. tom. 1. pag. 439, ex Sirmondi schedis descripsit Baluzius tom. 2. Capit. pag. 1374, & ex Lucensi Mansius transtulit in Suppl. tom. 1. pag. 817, ut observant Ballerinii Fratres; fit etiam a Venantio Fortunato in expos. fidei apud Muratorium Anecd. Lat. tom. 2. pag. 212; fieri quoque videtur in Concilio Toletano IV. an. 633. cap. 1; indubitata vero occurrit in Concilio Augustodunensi anno non 663, ut Fabricio Bibl. Græc. tom. 5. pag. 316. visum, nec an. 670, ut existimavit Quesnellus in dissert. 14. n. 12, sed anno 676, aut inseq., ut ostendit Bohierius in epist. ad Mabillonium, tom. 7 Concil. Ven. edit. pag. 549. not. 1, celebrato Can. 1. in Collect. Bibl. S Benigni Divion. apud Harduinum, tom. 3. pag. 1016, & in Collect. Herouvalliana apud Jacobum Petit cap. 1.) sunt, qui cum Baronio ad an. 340. n. 11, & seqq., Bona de Divina psalm., & Caleca lib. 2, oppidoque multi putent. At enim S. Athanasio Symbolum hoc abjudicant haud levibus ducti momentis Hermantius in vita S. Athan., Usserius, Quesnellus dissert. 14. n. 13, Gerardus Vossius dissert. 2. de tribus Symb., Oudinus de Script. Eccles. pag. 32, Montfauconus in diatriba de hoc Symbolo §. 3, Tillemontius tom. 8. Not. 34. in S. Athanasium, Natalis Alex. hist. Eccles. ad sæcul. IV. cap. 6. art. 8, Henricus Nicolai in Diatriba, Pagius ad an. 340 n. 8, Antelmius in disquisitione de hoc Symbolo, Papebrochius in resp. ad exhibit. error. part. 2. art. 13. §. 4, Muratorius in disquisitione de hoc Symbolo Anecd. tom. 2, Speronius in dissert. 1. de eodem argumento, Ballerinii Fratres in observat. ad præcit. dissert. 14. Quesnelli §. 3, Grancolas in Comment. histor. ad Breviar. Rom. lib. 1. cap. 35, aliique, de quibus Ernestus Tentzelius in Judicio Eruditorum de Symbolo Athanas. edit. Gothæ 1687, & Antonius Sandinus in disput. 14. de Symbolo *Quicumque*.

que. Quis vero legitimus Symboli parens haberi debeat, inter Eruditos non convenit: nam alii ejus auctorem faciunt S Hilarium Pictavienſem, aliis Euſebium Vercellenſem, quidam adſcribunt Anaſtaſio Synaitæ, quidam Athanaſio Spirenſi circa an. 640, uti Sandius in append. ad Nucleum hiſt. Eccleſ. pag. 35, minus veriſimiliter tamen, ſiquidem Symboli hujuſce mentio hanc ante epocham occurrit: neque defuere, qui S. Bonifacio, ſive S. Anaſtaſio I. P. M. illud tribuerent, ut in duabus Mſs. veteribus Gallicis verſionibus apud Montfauconium, ac obſervat Lequiennius in diſſert. 1. Damaſc. §. 17. Anonymo Gallo ſub Pippini, aut Caroli M. ætate agenti Symbolum iſtud adjudicandum exiſtimat Petrus Pithœus lib. de proceſſ. Spirit. S., qua ab opinione non multum abhorret Voſſius. Vigilio Tapſenſi adſcribit Queſnellus cit. diſſert. n. 14, cui adſtipulatur Pagius loco cit., ſed ejus conjecturas evertunt Antelmius, & Ballerinii n. 5, & 6. Vincentio Lirinenſi potius tribuendum putat Antelmius, cujus nihilo ſolidiores conjecturas convellunt Montfauconius, Muratorius, Speronius, & Ballerinii n. 7, & 8. Venantio Fortunato vindicandum auguratur Muratorius, ſed momentis haud multum ſtabilibus innixus: ut proinde concludere præſtet magis cum Tillemontio, Fabricio Bibl. Græc. tom. 5. pag. 316, ac Ballerinis auctorem Symboli Athan. in obſcuro adhuc latere.

Jam unde paullulum digreſſa eſt, ut in ordinem redeat oratio, Paulus Conſtantinopolitanus Antiſtes, cui ab Arianis par S. Athanaſio ſors obtigerat, ad ejuſdem Romanæ Eccleſiæ beneficium pariter demerendum, ipſi Pontifici S. Julio Nicænæ fidei profeſſionem emittere officio duxit. Quod idem, eamdem ob cauſſam, ab Aſclepa Gazenſi, a Lucio Hadrianopolitano, & a Marcello Ancyrano præſtitum ignorat nemo. Et certe Marcello Ancyrano, etſi ab impactis erroribus abſoluto, a S. Julio Sacrorum conſortium non ante redditum fuiſſe, quam fidei profeſſionem verbis non modo, ſed etiam ſcriptis præſtaſſet, uti nos docet S. Epiphanius hær. 72, ubi illam refert. Præſtavit id vero haud invitus, Pontificem interea precibus infimis obteſtatus, ut profeſſionem ab ſe proditam epiſtolæ ſuæ Encyclicæ adnectere dignaretur, ideo ut ex ipſius Pontificis irrefragabili teſtimonio cunctis probe conſtaret,

ſtaret, ſe cum Pontifice in unitate fidei optime convenire: *Rogo Te*, inquit apud S. Epiphanium, *ut exemplar*, (jam factæ profeſſionis fidei) *ad epiſtolam, quam ad Epiſcopos miſſurus es, inſcribas, ne aliqui ex his, qui non exacte noverunt nos, & illos* (Euſebianos) *ſcriptis illorum animum advertentes, decipiantur*. Quibus præterea ſignificat fore, ut præ cunctis aliis Pontifici adhibenda ſit fides, ac magis, quam ex propria confeſſione, ex authentico Pontificis teſtimonio fides ſua in tuto collocanda ſit, atque ab omni ſiniſtra vel levi ſuſpicione liberanda. Confer Scheleſtratium in diſſert. 3. de Synodo Antioch. cap. 3, Pagium ad an. 342. n. 12, & ſeqq., & Coutantium ad epiſt. S. Julii pag. 390, & ſeqq. Majorum more S. Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Præſul alter eximius, quod pro fide viriliter pugnaret, contenderetque ſartam eam, tectamque ſervare, in exilium propterea ejectus, Romam profectus ad S. Damaſum, poſtquam eidem de fide adverſus Apollinarem edicenti diligenter auſcultaſſet, teſte Sozomeno lib. 6. cap. 25, fideique ſuæ profeſſionem nuncupaſset, Pontificiis litteris communitus, in Provinciam remiſsus, a gentilibus ſuis cum gaudio receptus eſt, teſte Socrate lib. 4. cap. 30. Non loquar heic autem de fidei libellis, ſive expoſitionibus, tum qua S. Athanaſius apud Liberium ſuſpicionem eluiſse fertur, tum qua S. Gregorii Thaumaturgi aſsumpto nomine Romano Pontifici fucum facere Apollinariſtæ tentarunt aliquando: nam S. Athanaſio ſuppoſitam illam ad Liberium de fide Incarnationis epiſtolam, convenit inter Eruditos, ac conferre juvabit Maurinos editores tom. 2. pag. 667, & Coutantium in append. pag. 95: a S. Gregorio vero Neocæſar. genuina quidem fidei expoſitio confecta eſt, quam ſuæ Euſebii hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 25. Latinæ verſioni Ruffinus inſeruit: at eam, quæ ſub ejuſdem S. Gregorii nomine inſcribitur κατὰ μέρος πίστις, falſam præferre epigraphen, opuſque cujuſpiam eſse Apollinariſtæ diſcimus ex Leontio de ſectis pag. 540, libroque altero Bibl. PP. Lugd. tom. 9. pag. 707, & ſeqq., ex Evagrio lib. 3. cap. 31, & Hypatio Epheſino in Collat. cum Acephalis apud Harduinum tom. 2. pag. 1162, & ſeq.

Tres porro alias fidei expoſitiones, tanquam ad Apoſtolicam Sedem miſsas, refert Queſnellus in Cod. Canon. Eccleſ. Capitu-

pitulis 37, 38, & 39, quas opus fuiſse trium Luciferianorum, Fauſtini, Marcellini, & Gregorii Boetici, opinatur in diſſert. 14. n. 5, & ſeqq. At enim libellum fidei capit. 39. deſcriptum non Gregorio Boetico utique, ſed S. Gregorio Nazianzeno reſtituendum, utpote qui cum ipſius ſerm. 49, genuino plane ejuſdem fœtu, optime concinit, veriſimilius pugnant Balleriniī Fratres in obſervat. ad præcit. Queſnelli diſſertationem §. 1: qui & ſermonem illum 49, ac ſequentem 50, qui ipſemet libellus eſt fidei, S. Phœbadio adſcriptos ab Auctore hiſt. litter. Gall. tom. 1. par. 2. edit. Pariſ. 1733. pag. 273, eidem S. Gregorio Nazian. vindicant. Haud diſpar ferendum judicium de fidei expoſitione, ſive Symbolo, quod S. Hieronymo tributum inter ipſius ſuppoſititia habetur tom. 5. nov. edit. pag. 122: expoſitionem enim fidei eſſe eamdem, quæ in præcit. ſerm. 50. S. Gregorii Nazianz., & quæ in ſerm. S. Auguſtini de tempore 115, num. 235, de quo paullo poſt, exhibetur, obſervat Coutantius in append. pag. 101. Atqui dubiis hiſce non opus habeo, ut rem aliunde probatiſſimam confirmem. Quare ut ad documenta undequaque certiſſima me convertam, S. Cæleſtino I. inſcripta, una cum Synodica, fidei profeſſione, acceptus fieri meruit Maximianus in Neſtorii locum ſuffectus. Qua occaſione ſpecialem fidei profeſſionem ſub certa formula Eccleſiam ſemper exegiſſe tum a Catholicis levi vel hæreſis ſuſpicione laborantibus, tum ab Hæreticis ad frugem ſe recipientibus, tum ab Epiſcopis novis gradibus inſignitis, auctor eſt S Cyrillus Alex. in epiſt. ad Acacium tom. 5. par 2. Oper. pag. 109, multiſque oſtendit Lupus in Schol. ad Canon. Epheſinos tom. 1. edit. Lovan 1665. pag. 360. A S. Sixto III. enim vero S. Proclus fidei ſuæ puritate, & confeſſione promeruit, ut Canonum veniam impertiret, qua a Cyziceno Epiſcopatu ad Conſtantinopolitanum (quod alioqui per Canones Nicænum 16, Sardicenſem 1, & 2, Capuanum in Carthaginenſi III. laudatum 38, perque Decretales S. Julii I. epiſt. n. 5, S. Damaſi epiſt. 5. n. 4, & epiſt. 6. n. 3, ac S. Siricii epiſt. 10. n. 16. edit Cout. fieri prohibebatur) facere gradum liceret. Præclarum accipe nunc aliud hanc in rem documentum. Leporius in Gallia Monachus, qui ideo quod quartam in Trinitate ſubintroduxiſſet perſonam, alios præter erro-

res,

res, quos ex Pelagio adoptaverat, ab Episcopis suæ provinciæ, quæ in Gallia Provincia est, correptus fuerat, locoque ejectus, ad frugem regressus, factique pœnitens, in Africam trajecerat ad S. Augustinum, Florentium, & Secundinum confugiens, eorumdem efflagitaturus consilium, & opem. A quibus, atque maxime a S. Augustino rectæ fidei admonitus cum epistola ad Galliarum Episcopos libellum accepit, quem *Confessionis* nuncupat Cassianus lib. 1. de Incarn. cap. 5, *Satisfactionis* Facundus lib. 1. apud Sirmondum oper. tom. 2. pag. 422, *Emendationis* Gennadius apud Honorium lib. 2. cap. 58, *Correctorium adversus hæresim* Trithemius cap. 141, *Fidei* propriùs, ac S. Augustino tribuit, Theodoretus Dialogo 2, qui *Inconfusus* inscribitur, *Assertionis fidei*, atque S. Augustino pariter adscribit, S. Leo M. epist. 97, sive 134, velut ex Codice Grimanico probat Quesnellus in observat. ad hanc epistolam. Quem libellum, postquam direxisset primo Apostolicæ Sedi probandum, ad Aurelium postea Carthag., Africanumque Concilium transmisit, uti refert Facundus lib. 1. cap. 4, atque postremo ad Galliarum Episcopos, ac præsertim ad Proculum Massilienſem, & Cyllinium Aquensem, non Forojulienſem, ut Antelmio, & Norisio arrisit, a quibus fuerat condemnatus. Atque tum demum, postquam hoc est Pontifici M. fuisset probatus, tanti factus est libellus hic Leporii, ut inter celebriora SS. Patrum opuscula, velut observat Garnerius, computatus fuerit in Concilio Ephesino par. 1. cap. 17. in Supplicat. Basilii Diac., & reliquorum Monachorum ad Theodosium Imp. apud Harduinum tom. 1. pag. 1335: quamquam Quesnellus hoc loci putat de Leporio altero Episcopo loqui, qui S. Ambrosii Mediol. anterior fuerit: ut S. Leo M. inter Patrum testimonia, quæ post Ephesinam pseudo-Synodum collegerat, atque per Legatos in Orientem miserat, ut doctrinam ab se traditam in dogmatica ad S. Flavianum SS. Patrum doctrinæ cohærentem ostenderet, quæque testimonia Græce subjecta leguntur cum Epistolæ 10, in edit. Quesnelli 24, Baller. 28. ad Flavianum lectæ in Conciliis Chalcedonensi act. 2, tum Epistolæ 97, in edit. Quesnelli 134, Baller. 165. ad Leonem Augustum, ex eodem libello, S. Augustini laudato nomine, quem revera Leporio auctorem libelli fuisse ex plerisque

risque aliis collatis S. Auguſtini locis, præter ea quamplurima, quæ congeſſit pariter Garnerius in Not. ad Marium Mercat. tom. 1. pag. 230, confeſſioni huic Leporii approbe concinentibus probat Queſnellus in obſervat. ad Epiſt. cit. S. Leonis, ex libello iſto, inquam, Leporii loca laudare, inque medium proferre non dubitaverit: ut Johannes II. P. M. in epiſt. 3. ad Avienum, Liberium, alioſque Senatores apud Harduinum tom. 2. pag. 1152. laudibus excipere libellum, ſubque Leporii expreſſo nomine locum excerpere non ambegerit: ut Caſſianus lib. 1. de Incar. cap. ult. hanc Leporii confeſſionem ab Africanis, & Gallicanis Epiſcopis abſque dubio approbatam fuiſſe, acceptamque affirmarit. Editus eſt Leporii hic libellus a Sirmondo tom. 1. oper., a Garnerio tom. 1. oper. Marii Merc. pag. 225, Bibl. PP. Lugd. tom. 7. pag. 14, & in Collect. Concil. Labbei tom. 2. pag. 1678, Harduini tom. 1. pag. 1263, & Coleti tom. 3. Quo etiam de Leporio confer Queſnellum loc. cit., Pearſonium in Symbolum pag. 421, Noriſium lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 3, Antelmium in diſſert. de initiis Eccl. Forojulien. cap. 12, Garnerium in diſſert. 2. de Synodis in cauſſa Pelag., Tillemontium tom. 13. pag. 878, & 1039, Maurinos in præfat. ad tom. 10. oper. S. Auguſtini, Pagium ad an. 420. n. 9, & ſeqq, ac Ballerinios in admonit. ad præcit. S. Leonis epiſtolas.

Formularium alterum fidei, quod S. Auguſtino pariter adſcribit Queſnellus in Codice Canon. Eccleſ. Capit. 40, & in diſſert. 14. n. 8, quodque reapſe S. Auguſtini nomen præfefert in Codicibus Vaticano 1340, Iſidoriano, Thuano, Oxonienſi, Herouvalliano, Vindebonenſi, Remenſi &c., atque olim extabat tom. 10. ejuſdem oper. ſerm. 129. de Temp., nunc in append. tom. 5. ſerm. 233, appellatoque S. Auguſtino laudatur a Magiſtro Sentent. lib. 3. diſt. 21: quem tamen Sermonem, ſive fidei libellum S. Doctori abjudicare non dubitant Verlinus, Vindingus, Maurini, & Coutantius in Monito ad epiſt. 5. S. Damaſi n. 8: Formularium, inquam, fidei ex præſcripto S. Leonis M. adverſus graſſantes hæreſes, ac Priſcillianam quammaxime, ab Hiſpanis Epiſcopis procuſum fuiſſe, quod *Regulam* vocabat illa ætas, ſicuti *Tomum* ætas S. Damaſo coæva, conſtat ex Concilio Hiſpanico, quod quidam Toletanum I. vocant an. 400, aut 405, ce-

lebratum, cui ea Regula fidei subjecta legitur, quidam Toletanum aliud putant an. 447, aut paullo post, quod congregandum Pontifex in epist. 15. ad S. Turribium præscripserat: ubi sub initium hæc habentur: *Incipit regula fidei Catholicæ contra omnes hæreses, quammaxime contra Priscillianistas, quam Episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, & Bætici fecerunt, & cum præcepto Papæ Urbis Romæ Leonis ad Balconium Episcopum Galleciæ transmiserunt.* Confer Tillemontium tom. 8. Not. 15. in Priscillianistarum hist., Coutantium in Monito ad epist. 3. S. Innocentii I. n. 4, & seqq., & Ballerinios in adnotat. ad epist. 15. S. Leonis tom. 2. pag. 1373, & seqq., nec non in observat. ad dissert. 14. Quesnelli §. 2. tom. 3. pag. 950. A Bachiario genere non Hiberno, aut Britanno, sed Hispano, nec dignitate Episcopo, uti legitur in Codicibus Gennadii Veronensi, & Parisiensi S. Victoris, sed instituto Monacho, ut ostendit Florius, de hæresi non Pelagiana utique, sicuti visum est Baleo, & Pitseo, sed Priscilliana, seu etiam Manichæa, veluti probatum evasit virorum doctiss. pari Muratorio in proleg., a quo primum editus est tom. 2. Anecd. Latin., & Florio, a quo recusus, illustratusque est Romæ 1748, a Bachiario, inquam, ad hæresis infamiam eluendam, quam infligi sibi ferre nequibat, libellum fidei conscriptum fuisse, sive ex Apologia Ruffini, cui synchronus fuit, descriptum, atque Pontifici M., quem S. Siricium, aut S. Anastasium suspicatur Muratorius, fuisse oblatum, nempe S. Leoni M., post Gennadium de Script. Eccl. cap. 24, Honorium, & Capgravium persuasum habuere Baleus cent. 1. n. 46, Pitseus de Script. Britan. ætat. V. ad an. 460, Vossius lib. 3. de Matheſi cap. 63, Possevinus in Appar. Sacr., Cavæus de Script. Eccl. pag. 242, Oudinus in Suppl. ad Labbeum pag. 100, Morerius in Dict. hist., Vallarsius in Not. ad Gennadii cap. 24, tom. 2. oper. S. Hieronymi, aliique plures. Quia tamen gravioribus documentis libellum huncce fidei ad objectam Priscillianismi labem purgandam a Bachiario oblatum fuisse, non Romano quidem Pontifici, sed verius cuidam alteri paris instituti Sectatori suadet, & persuadet Cl. Franciscus Florius in dissert. prævia ad Bachiarii opuscula, proinde ad firmiora alia progredi exempla præstat.

In qui-

In quibus illud quidem ſuccurreret Theodoreti, illud S. Flaviani, illud Maximi Antiocheni, & illud Anatolii, qui ad unum omnes S. Leonem M. de fidei ſuæ integritate facere certiorem officio, religionique duxere: ſed quia de his fuſe dictum eſt alibi, obiter heic indicaſſe ſufficiat; quin tamen longiorem operam ceteris decurrendis impendam. Ut igitur brevitate utar, S. Simplicio accuratam fidei ſuæ rationem leguntur reddiſſe Timotheus Salophaciolus, poſtquam veniam fuiſset deprecatus, quod gladiis Eutychianorum compreſsus a Dioſcori nomine inter Sacra ad Altare recitando non abſtinuiſset; Johannes Talaja Alexandrinus, Stephanus Junior, & Calendion Antiocheni, & Acacius Conſtantinopolit., qui poſtremus quandiu Apoſtolicæ Sedi obſequentem ſe præſtitit, ejuſdem obire vices in Oriente promeruit. Majorum more S. Gelaſio, epiſtola inſcripta, fidei profeſſionem exhibuit Euphemius Conſtantinopolit., in qua tamen reprehenſione dignum id reperit Pontifex, quod damnata Acacii memoria e Sacrorum albo nondum fuiſſet expuncta: quam ob rem Euphemio, ceteriſque Orientis Epiſcopis indignatus communionem reſtituere diſtulit, donec e diptychis Acacii nomen abraſum ſciviſſet. Hac eadem conciliandæ unionis de cauſsa S. Anaſtaſii II. Apocriſariis Conſtantinopolim appulſis, ut in Romanæ Eccleſiæ communionem adreperent Clerici Alexandrini, oblato libello fidei ſuæ confeſſionem exhibuerunt: qui voti tamen compotes fieri nequaquam meruere, ideo quod Dioſcori, Timothei, & Petri ſuorum olim Epiſcoporum nefandiſſima nomina recitare adhuc e diptychis Sacris ad Altare non deſiſterent. Similibus ſubdolis artibus in S. Hormiſdæ communionem immigrare Anaſtaſius Imp. adnixus eſt: ſed digna habita eſt ejus fidei profeſſio, quæ a Pontifice repelleretur, cui & monenti, & mandanti æquas, pronaſque ille præbere aures nolebat. Non ita viciſſim factum cum longe facilioribus ſive Juſtino Imp., ſive Johanne Conſtantinopolit., quorum fidei profeſſionem ambabus ulnis admiſit, tum quia ſincere ſine ulla ambage, ſive ambiguitate expunctioni nominis Acacii conſenſiſsent, tum quia fidei libello ſuis a Legatis oblato ultro citroque ſubſcripſiſsent: qua lege tandem abſoluta eſt toties fruſtra tentata cum Romana Græcæ Eccleſiæ reconciliatio. Poſt

hæc ad Epiphanium in Johannis demortui Sedem ſuffectum, moraſque mittendi juxta morem ad Romanum Pontificem legatum, litteraſque nectentem, litteris datis admonuit idem S. Hormiſdas tum moris, tum muneris, quibus premebatur petendi a Pontifice ſive Sacrorum conſortium, ſive Sedis confirmationem. Ergo Epiphanius, ut officio defungeretur ſuo, litteris, legatiſque miſſis, fidei ſuæ confeſſionem exhibuit, propterea que una cum Pallio vicaria Apoſtolicæ Sedis præfectura adaugeri promeruit, uti conſtat ex epiſt. 80. ad eumdem exarata. S. Johanni I. Conſtantinopoli agenti Juſtinus iterum, Juſtinianus, & Epiphanius, poſtquam ex præſcripto fidem profeſſi fuiſſent, communione Sacrorum conglutinati ſunt. Johanni II. etiam accepta fuit edita a Juſtiniano ad Imperii faſtigium evecto fidei profeſſio: quam perinde a S. Agapeto probari impetravit. Quo loci mihi nunc liceat obiter obſervare cum doctiſs. Bencino in Not. ad Johannem II. tom. 3. Anaſt. ſect. 93. pag. 259. Orientis Imperatoribus, ſicuti poſtea Occidentis, in more poſitum fuiſſe, ut Imperii habenas ſuſcepturi fidei profeſſionem, manu propria ſubſcriptam, ad Pontificem tranſmitterent. Cujus vetuſtæ conſuetudinis liquidos teſtes adhibeo S. Symmachum in epiſt 7. ad Anaſtaſium, quem his alloquitur: *Omnes Catholici Principes, ſive cum Imperii gubernacula ſuſceperunt, ſive cum Apoſtolicæ Sedis novos agnoverunt Præſules inſtitutos, ad eos ſua protinus ſcripta miſerunt, ut ſe docerent ejus eſſe inſtituti &c.*; S. Felicem III. eidem Imperatori perjuria regerentem, quæ contra fidei profeſſionem Apoſtolicæ Sedi pridem oblatam patrare non deſiſtebat; S. Gregorium M., qui a Phoca fidei profeſſione recepta, epiſtolam 38. lib. 11. ind. 6. reſcripſit, qua Orientalis Eccleſiæ res afflictiſſimas exponit; & S. Gregorium II. in epiſt. ad Leonem Iſaurum hujuſmodi Imperatorum profeſſiones Romæ diligenter aſſervari hiſce affirmantem, & confirmantem verbis: *Acceptas epiſtolas tuas in S. Eccleſia repoſitas in limine Confeſſionis Sancti, & glorioſi, ac Principis Apoſtolorum Petri diligenter ſervamus: ubi & Chriſti amantium Prædeceſſorum tuorum, qui imperarunt, ſunt litteræ.* Subdit Imperatorum ſubſcriptiones iſtas conſtare ex Cinnabari, mixtura coloris nempe ex cocto murice, & trito conchilio, quæ propria erat Impera-

Imperatorum, unde Imperialia ſcripta dicebantur Phœnicia, aut Purpurea, Caniclini vero apud Græcos ii, qui Palatino huic præficiebantur officio: qua de re extant in Cod. LL. 4, &6. *De diverſis Reſcriptis*, aguntque Plinius lib. 33. cap. 7, Procopius in hiſt. arcana pag. 26, Pachimeres lib. 8. cap. 32, & lib. 9. cap. 24, Anaſtaſius in Not. ad act. 10. Synodi VIII, Salmaſius in Not. ad Solinum, & Cruſius in Turco Græc. pag. 191. Adeundus etiam Bernardinus Ferrarius de antiquo epiſtol. Eccleſ. genere lib. 1. cap. 7, ubi de his Imper. fidei formulis agit.

Sed ad S. Agapetum redeundo, is ſacro huic mori preſſe inhærens a Menna, antequam in Conſtantinopolitanum Antiſtitem inaugurare tur, fidei profeſſionem, & quidem publicam, eamque plane, quæ pridem fuerat a S. Hormiſda præſcripta, exegit: qui imo poſt ordinationem, juxta morem Majoribus ſuis ſacrum, oblata denuo Pontifici fidei profeſſione, ipſius ſe obedientiæ, & obſequio devovit, devinxitque, teſtibus Vigilio in epiſt. ad Juſtinianum, ipſoque S. Agapeto in Encyclicis ad Orientales. Vigilio quoque fidem obſtringere ſuam officii loco habuit Eutychius, profitens inter alia ſincere ſe amplecti Decretales epiſtolas a Deceſſoribus ejus adornatas: *Suſcipimus, & amplectimur epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ . . . de recta fide ſcriptas &c.*. Cui fidei profeſſioni Collat. 1. Synodi V. inſertæ ſubſcripti pariter ibidem leguntur Apollinarius Alexand., Domninus Antioch., eorumque Suffraganei: probatam vero Pontifici fuiſſe ex litteris Vigilii ſubjunctis liquet apud Harduinum legendis tom. 3. pag. 59, & ſeqq. Abſoluta Synodo V, probataque Romanis Pontificibus, optima hacce ratione tum Schiſmaticorum pertinaciam fuiſſe perdomitam, tum Synodi integritati proviſum, conſultumque a Pelagio I. in epiſt. 6. ad Tuſciæ Epiſcopos, & 7. ad omnes Chriſtifid., a Johanne III, a S. Benedicto I, a Pelagio II. in epiſt. 1, 2, & 3. ad Iſtriæ Epiſcopos, ubi de ſuis Prædeceſſoribus idem teſtimonium perhibet, & a S. Gregorio M. lib. 3. epiſt. 2. ad Conſtantium, & lib. 9. alias 7. epiſt. 9. ad Marinianum, ac epiſt. 52, alias 54. ad Secundinum obſervat Emin. Noriſius in diſſert de Synodo V. cap. 9. §. 3, ut nempe nemo in Italia quammaxime conſtitueretur Epiſcopus, niſi ante fidei dato chirographo, & ad Apoſtolicam

cam Sedem directo in Synodum V. juraret, triaque professione explicita ejuraret Capitula: *Vides ergo*, inquit, *a novis Episcopis transmitti solitam cautionem, qua tria Capitula ejurabant. Illam ergo Laurentius* (Mediolanen.) *misit an.* 571.... *ut jam Halloixius apertæ falsitatis reus habeatur, qui Benedictum, ac Johannem decessorem tria Capitula minime damnasse affirmare non dubitaverit.* Hac ipsa ratione, quod fidei professione missa, propria manu signata, hæresis suspicionem omnem, quæ ipsi ex incauta libri hæretici lectione adhæserat, abunde eluisset, Athanasius Presbyter Ecclesiæ Constantinopolit. a Johanne Patriarcha accusatus, ab omni hæresis labe absolutus, tum ad gradum, tum ad Apostolicæ Sedis gratiam regrediendi veniam a S. Gregorio M. obtinuit lib. 6. epist. 66, alias lib. 5. epist. 24. Neque certe, nisi caussa eluendæ suspicionis siniſtræ, qua apud Pontifices nec leviter, nec perperam laborabant, doloque ipsis obrependi, quibus alioquin obsequendi sibi omnimodis incumbere opus non ignorabant, fuco plenam fidei professionem exhibuere Pontificibus Maximis Monothelitarum primipili, ita Severino Sergius, ita Theodoro Pyrrhus, & Paulus, ita S. Eugenio Petrus, ita etiam Constantino Philippicus, quin ulli tamen ex tam iniquo consilio succesſerit, ut ab ullo Pontificum hujusmodi subleſtæ fidei professio haud respueretur. E contra Ecclesiæ Romanæ fidem adversus Monotheliticam hæresim scriptis editis, & ad Pontifices Theodorum, S. Martinum I, S. Agathonem, & Constantinum transmissis, ut Apostolicæ Sedis optatissimæ communionis participes fieri promererentur, fateri, & profiteri religioni duxerunt S. Sophronius Hierosolym., & Stephanus Dorensis in Palæstina Episcopus, S. Maximus Abbas, & Martyr, eximius Monothelitarum debellator, Arcadius in Cypro Episcopus, ejusque succesſor Sergius, Victor Carthag., Columbus, Stephanus, & Reparatus Provinciarum in Africa Proconsularis, Numidiæ, Byzacenæ, & Mauritaniæ Primates, Maurus Ravennas Antistes, Johannes, Theodorus, Thalassius, Georgius, aliique Monachi pares, egregiique orthodoxorum dogmatum adversus Monothelitas propugnatores, quorum fidei libelli, proque fide labores commemorantur in Synodo Lateranensi sub S. Martino secret. 2, Georgius Constantino-

tinopolit., ceterique eidem ſubjecti Epiſcopi in Concilio Conſtantinopolit. III, vulgo Generali VI, congregati, ac tandem Anaſtaſius Imp., qui ex Imperii faſtigio Philippico deturbato, ſtatim atque inauguratus eſt, nihil antiquius habuit, quam Romano Pontifici fide, communioneque conſociari, a quo propterea fidei ſuæ confeſſione probata id honoris promeruit, ut ipſius nomen in Imperatorum Orthodoxorum album referretur, quibus bene Eccleſia Catholica adprecatur.

Exemplis his edoctus Johannes Conſtantinopolit. hujus nominis VI, ut in caſtris Romanæ Eccleſiæ optime mereri ſibi pro voto contingeret, repetitis Synodicis, tum primum eidem Conſtantino, tum poſtea S. Gregorio II. fidei ſuæ profeſſionem exhibuit: quam quidem a Pontifice rejectam, Anaſtaſio teſte, fuiſſe, tanquam ab eo procuſam, qui in hæreticorum cenſu haberetur, opinati ſunt quidam cum Baronio, cui Johannis prior apologetica ad Conſtantinum ignota fuit, ideoque ab Anaſtaſio Imp. S. Gregorii litteris exſtimulato Johannem in ordinem fuiſſe redactum, locoque dejectum. Verum Johannis orthodoxiam vindicat, ac prorſus liberat Pagius ad an. 712. n. 2, & ſeqq., & ad an. 714 n. 1, oſtendens illum nec hæreſis ſuſpicione vel leviter aſperſum, nec eo proinde nomine a Pontifice indignanter exceptum. Hanc porro Anaſtaſianam periocham de fidei profeſſione a Johanne Conſtantipolit. miſſa ad S. Gregorium II. potius ad Conſtantinum ipſius deceſſorem pertinere autumat doctiſs. Bencinus in Not. ad Anaſt. tom. 4. ſect. 178. pag. 171. ratione temporis motus, qua Johannis obitum conjicit in an. 714, Conſtantini vero in ſeq. an. 715. rejicit; minus recte tamen, ſiquidem Pagius loc. cit., & poſt ipſum Cuperus in hiſt. Chron. Patriarch. Conſtantinopolit. §. 47. ex Theophane, & Nicephoro in Chron. oſtendunt Johannis mortem incidiſſe Menſe Aug. an. 715, quo etiam anno Menſe Maji conſignanda eſt S. Gregorii II. electio. Itaque fatendum eſt geminam a Johanne conſcriptam fuiſſe Synodicam, ad Conſtantinum, teſte Agathone Diacono, quæ ſub hac epigraphe primum edita a Combefiſio tom. 2. Auct. Bibl. PP. habetur apud Harduinum tom. 3. pag. 1838, & ad S. Gregorium II, teſte Anaſtaſio, quæ poſterior tamen ad nos non pervenit. Ad eumdem Pontificem, ut ipſius commu-

communionis particeps fieret, fidei profeſſionem direxit Leo Iſaurus illico, atque ad Imperii faſtigium levatus fuit: cui propterea de re optime geſta gratulatus eſt Pontifex, atque optima quæque adprecatus. Stetiſſet utinam in ſententia impius Imperator! a qua quia paullo poſt imprudentiſſime deſciſcens, in ſacras Imagines debacchari iniquiſſime cœpit, a bonis omnibus propterea odio habitus eſt, optimoque a Pontifice diris cunctis impetitus, ſupremi in ſe Numinis juſtiſſimas expertus iras, miſerrimo fine periit. Quia eodem furoris æſtu erga ſacras Icones percitus eſſet Anaſtaſius pſeudo Patriarcha Conſtantinopolit., in locum pulſi S. Germani ſubrogatus, ejuſdem perinde Synodicam, qua Romanæ in Eccleſiæ clientelam, Sacrorumque conſortium irrepere, fidei profeſſione ementita, tentaverat, contemptui habuit idem S. Gregorius, teſte Anaſtaſio Bibl. ejus de geſtis agente. Diverſo viciſſim ſpiritu ductus ad S. Paulum I. Legatis, litteriſque directis ſinceram fidei ſane profeſſionem ſcripſit Theodorus Hieroſolym. Patriarcha, conteſtatus ſecum unanimes conſentire cum in eadem fide, tum in eodem cultu erga SS. Imagines, quo fervere in eaſdem Romanam Eccleſiam non latebat, Coſmam Alex., Theodorum Antioch., alioſque oppido multos Orientis Antiſtites. Pio pariter affectu erga ſacras Imagines animatus Taraſius Conſtantinopolit. Patriarcha, ad Hadrianum I. legatione, litteriſque dimiſſis, ſinceram, orthodoxamque fidei ſuæ confeſſionem præſtitit, quam meritis proſequutus eſt laudibus Pontifex; id in eo graviſſime interim ſuccenſens, & increpans, quod ab uſurpando titulo *Univerſalis Patriarchæ*, uti fuiſſet par, non abſtinuiſſet. Luculentiorem fidei ſuæ formulam ad Leonem III. deſtinavit, rationemque illuſtriorem reddidit S. Nicephorus, in Taraſii defuncti locum ſubingreſſus: quippe poſtquam de vitæ genere, quod antea fuerat conſectatus, deque gradibus, quibus ordinatim ad Epiſcopatum aſcenderat, certiorem Pontificem feciſſet, tum ſuo, tum Eccleſiæ, cui præerat, nomine confeſſione emiſſa, ac ſummiſſa profeſſus eſt ab erroribus ſe omnibus abhorrere quammaxime, quibus aliquando conſpurcata fuiſſet Conſtantinopolitana, & alia quævis Orientalis Eccleſia, uniuſque Romanæ omnium Matris, ac Magiſtræ fidem integre abſque alla diminutione, ſincereque ullo abſque dolo complecti. Ab eo

Ab eo porro tempore, quo translatum a Græcis ad Latinos, ſive inſtauratum in Occidente Imperium eſt, quod factum ſub Leone III. fertur, invectum pariſormiter Imperatoribus Orientis jampridem ſacrum morem, ut ad Romanum Pontificem recens inaugurati Occidentis Imperatores fidei ſuæ profeſſionem, una cum fidelitatis ſacramento dirigerent, multis non opus eſt, ut demonſtretur, nec tantum ſuppetit otii; ſed omnium vices ſupplebit unum ſpeciale Caroli M. exemplum, cui omnium primo delatum a Leone III. dicitur Imperium, cujuſque formulam juramenti relatam in librum Sacrorum Rituum impugnavit quidem, tanquam fictitiam, Goldaſtus, defendit vero, vindicavitque egregie Gretzerus in Apolog. Baronii cap. 4. Inolevit ab hinc religioſus hic ritus, ut recens deſignati Imperatores non ante Imperiali redimirentur diademate, quam obedientia, fideque Romano Pontifici ſemet faſceſque demitterent: ita Stephano V. Ludovicus Pius, de quo Carolus Calvus in epiſt. ad S. Nicolaum I; S. Paſchali I. Lotharius apud Agobardum in epiſt. ad Ludovicum Pium; S. Leoni IV. Ludovicus II, de quo Annaliſta Bertinianus ad an. 851; Johanni VIII. Carolus Calvus in Synodis Ticinenſi, & Pontigonenſi an. 876, item Carolus Craſſus ipſo Pontifice teſte in epiſt. 269; Formoſo Arnulphus, de quo Regino ad an. 896; Johanni IX. Lambertus in Synodo Romana an. 904. cap. 6; Johanni X. Berengarius, de quo Pagius ad an. 915. n. 3, & ſeqq.; Johanni XII. Otto M. apud Gratianum diſt. 63. C. *Tibi Domino*; Johanni XIII. Otto II, teſte Witichindo lib. 3. Annal.; Gregorio V. Otto III, de quo Lambertus Scafnaburg. ad an. 996; Benedicto VIII. S. Henricus II. apud Glabrum lib. 1. in fin.; Johanni XIX. Conradus II, de quo Wippo in ejus vita; Clementi II Henricus III; S. Gregorio VII. Henricus IV, & Rodulphus apud Harduinum tom. 6. pag. 1356, 1481, & 1485. Mitto ceteros, ne ſim longior, quibus omnibus præter eam, quæ refertur a Gratiano diſt. 63. cit., formula juramenti recens electis ab Imperatoribus Pontifici Romano præſtanda a Clemente V. præſcripta legitur lib. 2. tit. 9. Quibus præterea exempla non pauca attexere pronum eſſet Regum, aliorumque Principum, qui nihil antiquius habuere, quam fidei, clientelæque Roman. Pontificum integre ſeſe, demiſſeque per-

mittere, quibus propterea, Deo profecto auſpice, cuncta pro votis, ac pro devotione proſpere ſucceſſere, ſed ut ad finem oratio properet, fines operi præſtituti valdequam urgent.

Age modo ergo compendio ea præcipua complectar ſive Præſulum, ſive Principum exempla, qui ſequioribus ævis Summis Pontificibus fidei profeſſione, obedientiaque obligare ſe, & obſtringere religionis, officiique loco duxere; cujuſmodi formulæ exemplaria ex Sirmondo tom. 2. Concil. Gall. deſcripta legere præſtat apud Harduinum tom. 5. pag. 1444, & ſeq. Ita Hadriano II. Guntharius Colon. apud Annal. Bertinianum ad an. 869. Johanni VIII. Hincmarus Remenſis, cui ſimiliter ceteri Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi ſuffragati ſunt in Synodo Trecenſi II. act. 2. an. 878. Stephano V. Stylianus Neocæſareæ in Euphrateſia, & Theophylactus Ancyræ in Galatia Metropolitæ ſuo, orthodoxorumque omnium in Oriente nomine, quorum litteræ defuncto Stephano, ejus ſucceſſori Formoſo redditæ fuerunt apud Harduinum tom 6. par. 1. pag. 368, & 423. Johanni XV. Gerbertus Remen. apud Ducheſnium tom. 4. rer. Francic. S. Leoni IX. Thomas, Petrus, & Johannes Africani Epiſcopi, ac Petrus Antiochenus; ad quos epiſt. 3, 4, & 5. Paſchali II. S. Otto Bambergenſis apud Caniſium tom. 2. antiq. lect. pag. 371, & Gretzerum de Divis Bamberg. Innocentio II. Maximus Armeniæ Catholicus, ſcilicet in Synodo Hieroſolymis habita an. 1136. ab Alberico Sedis Apoſtolicæ Legato, de qua Guillelmus Tyrius lib. 15. cap. 12, & ſeqq. Alexandro II. Soldanus Iconii, atque Æthiopum, ſive Abyſſinorum Imperator, ad quos litteræ Catecheticæ apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1401, & 1415. Innocentio III. Gregorius Armeniorum Patriarcha, & Leo Rex; Johannitius item, ſive Calojoannes Bulgariæ Rex, & Baſilius Trinovitanus, aliique duo ejuſdem Regni Archiepiſcopi; de quibus acta Innocentii III. a cap. 65, & ſeqq, & cap. 109, nec non lib. 2. epiſt. 209, & ſeqq., lib. 5. epiſt. 43, & ſeqq., ac lib. 7. epiſt. 1, & ſeqq. Gregorio IX. Ignatius Jacobitarum Orientalium Patriarcha apud Pariſium ad an. 1237, & ad quem lib. 11. epiſtola 172. Innocentio IV. Neſtorianorum, & Jacobitarum Patriarchæ Enſtaib, & Ignatius, nec non Johannes Maphrianus apud Raynaldum ad an. 1247. n. 32, & ſeqq. Alexandro

andro IV. Germanus in Cypro Græcorum Archiep., de quo idem Pontifex lib. 6. epiſt. 121. B. Gregorio X. Michael Palæologus, ac Græci Metropolitæ Aſiæ, Europæ, Ponti, & Thraciæ cum Suffraganeis ſuis apud Wadingum ad an. 1274, & Harduinum tom. 7. pag. 697, & ſeqq. Nicolao IV. Uroſius, & Stephanus Sclavorum Reges, ac Elena Regina; Jaulaha, Barſaumas, & Dionyſius in Tartaria Epiſcopi; Tartarorum etiam Reges, & Reginæ, ac Optimates Argon, & Cobila, Elegages, & Tuctanes, Sabadinus Archaon, & Caydonus; Aytonus, & Toroſus Armeniæ Reges, Maria Reginæ Soror, ac Leo Comes ſtabilis; Georgianorum, & Iberorum Reges Demetrius, & David, aliique Æthiopes Aſiatici Neſtoriani, & Jacobitæ apud Raynaldum ad an. 1288. n. 29, & ſeqq., & ad an. 1289. n. 56, & ſeqq. B. Benedicto XI. Hyabalaha Chaldæorum Patriarcha, de quo Baronius apud Raynaldum ad an. 1304. n. 23, & ſeqq. Johanni XXII. Armeniæ Reges Oſſinius, & Leo, Conſtantius Catholicus, & Jacobus Cabanenſis Epiſcopus ibid. ad an. 1318. n. 8, & 1323. n. 4, & 73 Abuſcanus Tartariæ Aquilonaris Regis filius ad an. 1321. n. 1, Oroſius Serviæ Rex ad an. 1323. n. 18, Milenus Alanorum, & Verſachus Zichorum Principes ad an. 1333. n. 37, & ſeqq. Benedicto XII. Tartariæ Imperator, aliique Principes Alanorum apud Raynaldum ad an. 1338. n. 74, & 77. Clementi VI Conſolator Armeniæ Patriarcha, de quo idem Annaliſta ad an. 1346. n. 68. Innocentio VI. Johannes Palæologus ibid. ad an. 1355. n. 34. Eugenio IV. Græci, exemplo præeuntibus Johanne Palæologo, & Joſepho Patriarcha; Armeni, Conſtantino Patriarcha auctore; Jacobitæ Ægyptii, a Patriarcha Johanne miſſo oratore Andrea Abb.; Æthiopes, Conſtantini Imper. vicibus defungente Nicodemo Abb.; Neſtoriani Syri, & Meſopotameni, duce Abdala Edeſſeno Metropolita; Chaldæi, & Maronitæ, ducibus Timotheo Tarſenſi Archiep., & Iſaaco Nuntio Eliæ Patriarchæ apud Horatium Juſtinianum in Collect. actor. Concil. Florent. par. 3. Sed de his non plura, quæ adhuc ſupperterent, quorumque pleraque alibi attigi: vereor enim, ſi longior ſim, ne moroſioribus, qui brevitate delectantur, difficileque denuo rebus jam actis aures accommodant, gravior ſim, ac moleſtior.

Cedere hoc loci tamen mihi liceat brevem Conciliorum indicem, quibus nihil accidere potuit antiquius, quam ad formulas a Pontificibus Romanis præscriptas, ac præsertim a Pio IV, fidem exigere suam, suorumque pariter subigere. In Augustodunensi, ut superius innui an. 676, aut seq. illud cautum, ac jussum legitur, ne a Clericis Symbolum sive Apostolicum, sive Athanasianum ignoraretur. In Tolosano an. 1129. cap. 10. juramenti formula Christifidelibus cunctis præscribitur, juxta quam *Abjurent omnem hæresim extollentem se adversus S. Catholicam, Romanam Ecclesiam, & fidem orthodoxam . . . Jurent etiam, quod fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia tenet, & prædicat, servabunt.* In Tarraconensi an. 1242. apud Harduinum tom. 7. pag. 254. forma præscripta habetur, qua de hæresi suspectus publice se purgare debeat, profitendo nempe, ac protestando se *Credere, & semper imposterum creditarum fidem Catholicam, quam S. Romana Ecclesia, & Apostolica publice tenet, docet, & prædicat.* In Lovitiensi in Polonia an. 1556. apud Martenium veter. Monum. tom. 8. pag. 1445. fidei Catholicæ amplissima formula toti Regno tenenda, inviolateque servanda adversus grassantes hæreses præscripta legitur: quo loci succedit Synodica Nicolai Gnesnensis Archiep. ad Paulum IV. P. M. Post annum vero 1564. Synodi, quæ subsecutæ passim sunt, juxta præscriptam a Pio IV. formulam, professionem fidei tum emittere, tum emittendam præcipere statim sub initium religioni, officioque duxere. Ita Cameracensis an. 1565. in præf.; Mediolanensis I. an. eodem par 1. cap. 1; Toletana eodem an. act. 1; Sipontina an. 1567 sub initio; Ravennatensis an. 1569. in præf.; Urbinatensis eodem an. in principio; Mechlinensis an. 1570. decr. 1; Florentina an. 1573. rubr. 1. cap. 1; Mediolanensis IV. an. 1576. par. 1. cap. 1; Neapolitana eodem an. cap. 1; Consentina an. 1579. sess. 1; Mediolanensis V. eodem an. par. 1. cap. 1; Rotomagensis an. 1581 cap 1; Remensis an. 1583. cap. 1; Burdigalensis eodem an. cap. 1; Turonensis eodem an. cap. 4; Bituricensis an. 1584. cap. 1; Aquensis an. 1585. cap. 1; Mexicana eodem an. lib. 1. tit. 1; Cameracensis an. 1586. tit. 1. cap. 1; Tolosana an. 1590. par. 1. tit. 1; Avenionensis an. 1594. tit. 6; Salernitana an. 1596. cap. 1; Aquilejensis eodem

dem an. rubr. 1; S. Severinæ duæ Synodi an. 1597. in præf.; Amalphitana eodem an. in princip.; Diamperitana an. 1599. act. 2. apud Raulinum pag. 70, & ſeqq.; Mechlinenſis an. 1607. tit. 1. capp. 1, & 4; Narbonenſis an. 1609. cap. 1; Burdigalenſis an. 1624. cap. 1. apud Harduinum tom. 9, 10, & 11; Albana anno 1703. par. 1. cap. 1; Zamoſchienſis Ruthenorum an. 1720. apud Manſium tom. 5, & 6. pag. 289, & ſeqq. Quod quid aliud, amabo, præfert, niſi intimam, quæ Synodis inerat, perſuaſionem cum de Pontificis M. indeclinabili poteſtate, qua ad formulas fidei ab ipſo præſcriptas recipiendas cogebantur, tum de ipſius indefectibili fide, ad quam perinde tuto propiam exigere tam deberent, quam poſſent?

Officere nihilominus hactenus dictis inquiunt Pontificiæ infallibilitatis, ac poteſtatis Oſores ipſorummet Pontificum dicta, & facta, quibus a fide ſe deflectere poſſe ultro citroque faſſi ſunt, ac profeſſi, profeſſionemque fidei emittere, atque rationem pariter reddere officii loco haud ſemel habuere. Enim vero a priſca Eccleſiæ ætate Pontificibus ſolemni in more poſitum fuiſſe, ut ſive paullo ante ordinationem, ſive poſt immediate, fidei profeſſionem emitterent, ex pervetuſtis formulis oſtendunt Antonius Auguſtinus ex Cod. Mſ. apud Baronium ad an. 869. n. 58, & ſeqq., ac Johannes Garnerius in Not. ad librum Diurnum Rom. Pontif., unde Pagius Junior in Brev. hiſt. Chron. Crit. Rom. Pontif. in Bonifacio VIII. Ciacconium erroris redarguit, ideo quod tom. 2. pag. 297. ſcripſerit Bonifacium VIII. primum Rom. Pontificum fuiſſe, qui fidei profeſſionem emiſerit. Morem vero iſtum profeſſionem fidei præſtandi uſque ad Bonifacii VIII. tempora perduraſſe exiſtimat præmemoratus Garnerius in append. ad Not. in cap. 2. libri Diurni. Qui quidem mos in eo etiam poſitus fuerat, ut ad alios Epiſcopos, ac Patriarchas quammaxime, ea fidei profeſſio mitteretur, ut cunctis per Orbem pateret Romani Pontificis integra, intemerataque fides. Argumento ſint autem evidenti unus alterve Pontifex, e quibus liquido, quid ab aliis pariter fuerit præſtitum, diſcatur. S. Gelaſius in epiſt. 2. ad Laurentium de Lignidio apud Labbæum tom. 4. pag. 1163. Illyrici Epiſcopos, formula miſſa, fidei ſuæ certiores feciſſe legitur, iccirco, ut cunctis

ctis innoteſceret, quam pura eſſent dogmata, quæ ſibi propoſuerat conſectanda: *Mos eſt*, inquiens, *Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti noviter conſtituto formam fidei ſuæ ad Sanctas Eccleſias prærogare*. Legendi Liberatus Brev. cap. 17, Auctor Prædeſtinati lib. 1. hær. 89. apud Sirmondum, & Garnerius in Not. ad cap. 18. Diur. S. Gregorius M. poſtquam fuiſset ordinatus, Synodica ad Orientalis Eccleſiæ Patriarchas omnes inſcripta, quæ lib. 9. Regeſti eſt 52, eidem fidei ſuæ profeſſionem intexuit, teſtatus inſuper eum receptiſſimum in Eccleſia morem ſub eadem ætate viguiſse: *Ut quoties*, verba ſunt ejus, *in quatuor præcipuis Sedibus Antiſtites conſecrabantur, Synodales ſibi epiſtolas viciſſim deſtinarent*. Confer & Johannem Diac. lib. 2. cap. 3. Ad hæc S. Leo II. Serm. habito in die ſuæ Ordinationis, ſive in die octava, quem a Luca Holſtenio acceptum in Conatum Chron. hiſt. diſsert. 23. alias 15. n 82. retulit Papebrochius, ſubdubitans tamen, num S. Benedicto II. tribuendus ſit, priſcum juxta morem Populo coram, palamque fidei profeſſionem edidit. Alterius fidei profeſſionis exemplar ex vetuſtiſſimo formulario ab Holſtenio deſcriptum, atque a Conone, aut ab inſequente S. Sergio I. ipſo electionis die editum, ſibique traditum eodem loci n. 85. exhibet Papebrochius, eam formulam a Pontifice electo propria manu firmatam, juramentoque confirmatam, S. Petro oblatam fuiſſe obſervans. Accepta a Johanne Conſtantinopolit. Synodica, reſcripſiſſe paria S. Gregorium II, fideique ſuæ rationem Patriarchæ illi expoſuiſſe auctor eſt Anaſtaſius. Quid imo quod ad Patriarchas non modo, ſed ad ipſos quoque laicos Principes, ſi quando præſertim fidei ſuſpicione, famaque apud ipſos laborarent, fidei ſuæ profeſſionem dirigere, atque ſinceræ confeſſionis pro officio certiores facere Rom. Pontifices non detrectarunt? Indubiam rem hancce faciunt Pelagius I, qui apud Childebertum Francor. Regem in ſuſpicionem ſe veniſſe ſiniſtram, quaſi minus æquus erga Concilium Chalcedonenſe eſſet, minoriſque haberet S. Leonis litteras, intelligens, quin etiam a prælaudato Rege de fide poſtulatus, epiſtola ad ipſum exarata fidei ſuæ confeſſionem dirigere probro non duxit, alteraque ad Sapaudum Arelat. inſcripta, perinde interrogare, an fidei ſuæ profeſſio Regi placuiſſet. S. Zacharias, de quo poſtquam Eccleſiæ clavo

clavo manum admoviſſet, Pontificatum adeptus, refert apud Blanchinium tom. 4. Sect. 219. pag. 217. Anaſtaſius Bibl. *Hic Beatiſs. vir, juxta ritum Eccleſiaſticum, & fidei ſuæ ſponſionem orthodoxam, Synodicam Eccleſiæ miſit Conſtantinopolitanæ, ſimulque & aliam ſuggeſtionem dirigens Seren. Conſtantino Principi.* Bonifacius VIII. denique, qui comperiens apud Philippum Galliar. Regem fide ſe, famaque haud leviter laborare, atque ſuſpectum, minuſque legitimum præfato Regi viſum fuiſſe ipſius ad Pontificatum ingreſſum, fidei confeſſione conſcripta, ad eumdemque exarata, ſacramento ſe obſtrinxit, ſpondens nunquam ſe ab Eccleſia defecturum; fidem de Uno Deo, & Trino, deque Dei Verbo Incarnato, ac de aliis dogmatibus in Conciliis Oecumenicis definitis, ſpreto mortis diſcrimine, acerrime defenſurum; SS Patrum traditiones item, Canonicas Conciliorum ſanctiones, Prædeceſſorumque ſuorum decreta inviolate cuſtoditurum. Ita refert Auctor Gloſſæ in præmemoratam fidei profeſſionem a Bonifacio VIII. elaboratam, quam reperiſſe plurimis in locis, præſertim in Gallia perhibet, quamque e Bibl. Capranicæ Codice Romæ deſcripſit Mabillonius tom. 1. Muſæi Ital., exaravit etiam ex Cod. Mſ. Vatic. Archivi Card. Aragonii Raynaldus ad an. 1295. n. 2, recitant quoque Bzovius ad an. 1294. §. 8, & Oldoinus in addit. ad Ciacconium pag. 311. Hinc, ſiquidem mos hic ſacer in deſuetudinem abjiſſet, Patres Concilii Conſtantienſis Seſs 39, ac poſtmodum Baſileenſis Seſs. 23. apud Harduinum tom. 8. pag. 859. & 1202. profeſſionem fidei a Pontifice, antequam publicaretur ipſius electio, emittendam inſtaurarunt, atque ſtatuerunt.

Ad hæc urgent adverſarii, Pontificibus ipſis plerumque ſatius viſum eſt ſe ſe ab impactis perſæpe erroribus profeſſione edita, ſive proteſtatione expurgare, fidemque liberare ſuam, ac in tuto ponere, quam quodpiam privilegium infallibitatis obtrudere, emendicatoque prætextu ejuſmodi, cum alienæ fidei abuſu, ſe obtegere: quin imo, & quidem non infrequenter, ſe prolabi in errores poſſe ultro citroque, veritate cogente videlicet, confiteri non erubuere. Enim vero exemplo eſt liquido Leo III, qui in Concilio Romano Carolo M. coram, Optimatibus etiam Laicis, & Eccleſiaſticis, ambonem conſcendens, ac ſacri Evangelii

Co-

Codicem complectens, ab objectis criminibus se expurgavit, testibus Anastasio in vita Leonis, & Ademaro in vita Caroli: cujusce purgationis formulam ex libro Sacr. Rituum S. Rom. Ecclesiæ, sive ex Ordine Romano descriptam legere præstat apud Harduinum tom. 4 pag. 938. Johannes XXII. a Ludovico Bavaro hæresis nomine impetitus, ac nefando, inauditoque ausu Orbi universo eodem nomine denuntiatus, Constitutione *Quia quorumdam* edita, objectam hæresim diluere, ac propulsare curavit. Præterea prope diem moriturus, accitis ad se Cardinalibus, Prælatis, ac Tabellionibus publicis, fidei suæ confessionem emisit, contestatus cuncta ab se dicta, vel scripta Ecclesiæ determinationi submissa velle, revocans quæcumque de statu animarum separatarum rectæ fidei minus forte conformia dixisset, aut scripsisset, apud Baluzium in sexta ipsius vita, & Jo: Villanium lib. 11. hist. Flor. cap. 19. Clemens VI. antequam fini concederet suo, humani ab se nihil alienum habens, Diplomate solemni an. 1351. declaravit ab se sincere revocari, atque Sedi Apostolicæ corrigenda. supponi quæcumque ante Pontificatum, vel in ipso Pontificatu disputando, legendo, & prædicando contra fidem Catholicam, vel bonos mores, ex lapsu linguæ, præcipitanter forzitan protulisset. Urbanus V. morte item instante Confessario suo coram, aliisque pluribus auctoritate dignis personis, in hæc verba professus est: *Se tenere, & credere firmiter quidquid S. Catholica, & Apostolica tenet, docet, & prædicat Ecclesia*: Siquid vero prius docendo, prædicando, disputando, legendo minus fidei conforme forte dixisset, se revocare, ac pro non dicto haberi velle; submittens se, dictaque sua omnia correctioni, ac determinationi S. Matris Ecclesiæ; asserens se ab ea scienter nunquam deviasse: ita testatur ipsius vitæ auctor coævus a D. Bosqueto editus. Gregorius XI. annis quatuor, antequam e vita migraret, expleretque mortalitatem, testamento an 1374. condito, in eo contestatus est, quod si quæ in Synodis, vel Consistorio, in Sermonibus, vel Collationibus publicis, vel privatis ex lapsu linguæ contra Catholicam fidem sibi excidisset, vel contra viciſſim dicentibus audivisset, ea omnia explicite se revocare, ac retractare. Habetur hoc Gregorii testamentum apud Dacherium tom. 6. Spicileg. pag. 675. edit. nov.

nov. tom. 3. pag. 738. Hadrianus VI, dum adhuc Lovanienſis doctor audiret, in 4. Sentent. q. de Confirm. 9. poſſe Pontificem hæreſim per ſuam determinationem, aut Decretalem aſſerere docuerat: neque ab hac eum ſententia diſceſſiſſe, poſtquam fuiſſet Pontificatum adeptus, exinde liquet, quod eam expungi non curaverit, aut explicandam non duxerit, quum Commentaria ſua publicam in lucem produci voluit. Paulus IV. pariter indeficientis judicii prærogativam ſibi, ſuiſque Deceſſoribus abjudicaſſe, unique Eccleſiæ a Spiritu S. edoctæ adtribuiſſe exinde patet, quod a Memorantio Duce efflagitatus, ut connubium inter Franciſcum ejus filium, & Johannam Halluynam Piennæam per verba de præſenti contractum diſſolveret, viris doctiſs. ad conſilium adhibitis, juſſiſque de Pontificis poteſtate hiſce de rebus proferre ſententiam, adjecit: *Ne, quæſo, vos teneant Deceſſorum meorum facta, & exempla, quæ eatenus ſequi volo, quatenus Scripturæ auctoris, & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducant... Non dubito, quin ego, & Deceſſores mei errare aliquando potuerimus, non ſolum in hoc, ſed etiam in pluribus aliis rerum generibus; & tamen plane condemnandi non ſumus. Nam Deus ſuam ita regit Eccleſiam, ut illi certum ad tempus abſcondat multa, quæ tum inde patefacit. Quod Chriſtus ipſe ſatis innuit, quum B. Petro dicebat*: Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea: *& in alio loco ajebat*: Adhuc multa habeo vobis dicere &c. Referuntur iſta a Johanne Haja doctore Pariſ. rerum tum geſtarum oculato teſte, habenturque tom. 2. Comment., & lib. 6. additionum ad eoſdem Commentarios editos a Michaele Caſtelnavo Malviſerio.

At enim his abſque delectu, indigeſteque ab Adverſariis conglomeratis ego ita offendo, inquiendo me principio minime inficias ire priſcum illum Pontificibus Summis frequentem, ſolemnemque morem, quo recens inaugurati fidei, quæ Romana in Eccleſia integra eſſet ideoque probe ipſis explorata, & quammaxime accepta, quam a primo ingreſſu propterea ſcriptis publice exponere ſatagebant, ne ullum per oblivionem, aut ignorantiam lateret, formulam præcipuarum Eccleſiarum Præſulibus nuncupare conſueverant: quo de more adeundus Emin. Annal Eccleſ. Parens ad an. 337. n. 68, ubi de S. Julio I. loquitur. Cæterum

contendo id non eo consilio præstitum a Pontificibus, quod putarent cuippiam sibi aut fidei, aut factorum reddendam esse rationem: quis enim hanc unquam ab ipsis exquirere præsumpsit, quemadmodum ipsis a cæteris expetere fas semper, potestasque fuit, ac persæpe frequens, aut ad hanc reddendam adigere aliquando potuit? Bene vero eo dumtaxat, ut mox dicebam, quod sua interesse summopere intelligerent, in una eademque confessione doctrinæ, Divinorum consortio, ac disciplinæ communione omnes per Orbem Christifideles continere, sibique tanquam Capiti, & centro copulare. Qui si postmodum antiquatus mos est, non id propterea incuriæ Pontificum vertendum erit, sed magis Schismatum iniquitati, quibus sæpissime turbatæ Ecclesiæ complures a Romana abstractæ sunt; maxime vero sapientissimæ agendi rationi, quam sequioribus ævis, secundum temporum, adjunctorumque diversitatem, ineundam, tenendamque duxere Pontifices, quibus persuasum ibat perspectam adeo cunctis per Orbem Ecclesiis Romani Pontificis indefectibilem fidem evasisse, totiesque a Decessoribus suis explanatam, bonoque in lumine positam fuisse, ut iterata expositione non indigeret, sed magis Christifideles universos ad ejus amussim fidem exigere suam oporteret, quin ulli in ejusdem fidem inquirere fas foret. Quocirca S. Nicolaus I. in epist. 70. edit. Hard. ad Hincmarum Remen., ceterosque Galliar. Episcopos, a cunctis oppido, ut par erat, æqui bonique plurimum facta, adversus nefariam Græcorum, qui partibus Photii studebant, easque pro viribus adjuvabant, graviissime in querelas effusus audaciam, qua ab Apostolicæ Sedis Apocrisariis fidei professionem temere repetere non fuerant veriti, quod jure, exemploque carere ipse asseverabat: *Quod est gravius*, inquiebat, *& insanius, a Missis nostris, contra omnem regulam, & præter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur*. Cæterum contra Garnerium in append. ad Not. cap. 2. libri Diur. §§. 33, & 35. pag. 170. morem illum emittendi Pontifices fidei professionem desiisse putantem eo temporis intervallo, quod ab ordinatione Bonifacii VIII. ad Constantiense Concilium effluxit, longe ante in desuetudinem abjisse, idest sub Sæculum XI, sive sub tempus Urbani II. ostendit Pagius.

Obser-

Obſervat enim Urbanum II, poſtquam fuiſſet electus, profeſſionem fidei neqnaquam, juxta veterem morem, emiſiſſe, ſed Encyclica dumtaxat de ſua electione miſsa apud Mabillonium tom. 1. Muſæi Ital. par. 2. pag. 42, Martenium Veter. Monum. tom. 1. pag. 520, ac Manſium tom. 2. Suppl. pag. 73. declaraſſe, ſe S. Gregorii VII. deceſſoris ſui veſtigiis preſſe, indivulſeque inhæſurum, neque ab eo decretis vel latum unguem diſceſsurum, verbis hiſce: *De me porro ita in omnibus confidite, & credite, ſicut de Beatiſſimo Patre noſtro Papa Gregorio, cujus ex toto ſequi veſtigia cupiens, omnia, quæ reſpuit, reſpuo, quæ damnaverit, damno, quæ dilexit, prorſus amplector, quæ vero rata, & Catholica duxerit, confirmo, & approbo, & ad poſtremum in utramque partem, qualiter ipſe ſenſit, in omnibus omnino ſentio, atque conſentio*. Unde conjicit vir eruditus ex tunc litteras ejuſmodi haberi cœpiſse loco profeſſionis fidei, quam pridem edere Pontificibus ſolemne erat. Ex iis quin imo Encyclicis arguit Mabillonius intermiſsum pariter fuiſse morem mittendi litteras Electionis Pontificis ad Imperatorem: quod tamen non ita rite inferri exiſtimat ibidem Pagius, eo præſertim, quod ſequioris ætatis non deſint exempla, quibus rogatos de confirmanda novi Pontificis electione Imperatores fuiſse conſtet.

Quibus præhabitis, in hujuſmodi cenſu habendas epiſtolas, dictas etiam Synodicas, quod a ſupremo Eccleſiæ Præſide in Romani Cleri cœtu edi conſueſcerent, non vero Symbolicas, quæ a privatis dumtaxat perſonis emitti ſolebant, tum a S. Gelaſio, tum a S. Gregorio M., tum a S. Leone II, tum a Conone, tum a S. Gregorio II. ſive miſsas, ſive e ſuggeſtu ore expreſſas pronuntio, quibus fidei ſuæ formulam inſertam voluere, aut quam animo præconceptam gererent, fidem prodere ſategerunt, videlicet, ut cuncti per Orbem, ſive præſentes coram, ſive in Orientem diſperſi ex ipſis vera, ac vetera Romanæ Eccleſiæ dogmata ediſcerent. Quod ſi quando a Laicis Poteſtatibus electionis Pontificis confirmationem expetere, & expectare ob temporum iniquitatem, cui in cauſſa imo aliquando fuere Schiſmata Romana ipſa in Eccleſia ſuborta, oportuit, nunquam tamen de fide experiri Laicos apud Principes Rom. Pontificum quiſpiam eſt paſsus,

aut rebus fidei ſolummodo ad ſe ſpectantibus implicari illos aliquando permiſit. Quocirca quæ Pelagio I. œconomiæ plena inſedit, agendi rationem ſic rite, aut fallor, explico. Dum adhuc Diaconum ageret, Conſtantinopolim a Vigilio evocatus, ut ſibi in difficili, turbataque cauſsa trium Capitulorum auxilio eſſet, eò profectus conſtanter pro trium Capitulorum defenſione decertavit, adeo ut cum Vigilio in exilium pulſus ſocius perſequutionum fuerit Pontificis. Verum poſt Vigilii obitum a Juſtiniano Imp. ab exilio revocatus, morem eidem gerens, tria Capitula condemnavit, cujus rei gratia Imperatoris coadjuvante opera ad Pontificatum evectus eſt, teſte Victore Tunon. in Chron. Vix autem in Occidente innotuit a Pelagio tria Capitula fuiſſe condemnata, ut continuo apud Italos, Gallos, Illyricos, Afros, Iſtrios, alioſque laborare fama, fideque cœperit, locoque quaſi haberi proditoris, qui ſuis ut ſerviret compendiis, atque Pontificatum adipiſceretur, Concilii Chalcedonenſis integra jura violare, parvique pendere non fuerit veritus, adeoque ut certatim ab ejus ſe communione hinc illinc complures ſeparare Eccleſiæ non dubitarint. Partium itaque ſuarum Pelagius exiſtimavit Occidentales omnes immani ab errore avocare, atque recta, & vera de tribus Capitulis, deque Chalcedonenſi Concilio eos omnes edocere; perſpectumque cunctis facere, nihil ſibi fuiſſe, foreque antiquius, quam fidem Romanæ Eccleſiæ ſartam, tectamque ſervare, atque nihil quidem ab ſe factum adverſus fidem Chalcedonenſis Concilii in trium Capitulorum condemnatione demonſtrare: quod totum præſtitit ſive Evangeliis arreptis, amboneque conſcenſo, Populo, Cleroque faciens ſatis, velut auctor eſt Anaſtaſius, ea in re tamen erroris redargutus jure a Noriſio, Pagio, & Blanchinio, quod ſcripſerit id præſtitum a Pelagio, ideo quod auctor publicaretur malorum, quæ Vigilius Conſtantinopoli perpeſſus fuerat: quandoquidem Pelagium Vigilio perſequutionum ſocium acceſſiſſe potius, quam eorumdem fuiſſe incentorem oſtendunt; ſive Epiſtolis conſcriptis, uti 6. ad Epiſcopos Tuſciæ, qui ejus nomen eam ob cauſſam inter ſacra recitare Myſteria, receptiſſimum juxta morem, renuebant; uti 7. Encyclica ad Orthodoxos omnes, qua ſe rectæ fidei a Chalcedonenſi Concilio definitæ vindicem acer-

acerrimum, ac defensorem prodit; uti 10, & 16. ad Childebertum Franc. Regem, quibus impactam calumniam omnino propellit, fidemque suam prorsus a suspicione liberat; aliisque ad Istrios, Afros, Illyricos &c., quibus illos ad frugem, Ecclesiæque unitatem perducere fategit, quorumque oppido plures ut in trium Capitulorum damnationem concederent, demum impetravit. Quæ quidem prudentiæ, pietatisque plenæ Pontificis litteræ, mirum valde, quod quibusdam, prava prurigine affectis in partem pessimam optima quæque intorquendi, occasionem præbuerint obtrectandi Pelagio, objiciendique partem officii fuisse de fide sua Christifideles omnes certiores facere, putatumque apud omnes Pontificem fidei orthodoxæ proditorem evadere posse. Quandoquidem plane Pelagii fides dumtaxat ante Pontificatum in dubitationem fuerat adducta, eamdemque dumtaxat a suspicione absolvendam duxerat: alioquin enim Pontificatum adeptus aliam profecto agendi rationem adhibuit: nam tum in cit. epist. 6. Tuscos Episcopos de temeritate redarguens *Quomodo*, inquit, *vos ab Universi Orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra Mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apostolicæ Sedis per successionem Episcopatus præsenti tempore videtis consistere firmitatem?* Quibus, ut audis, Pontificis, queis de agimus, privilegia distincte adstruit, strenueque defendit: tum in epistola 2, & seqq. ad Narsetem Patricium Exercitus Justiniani in Italia Ducem, quibus eumdem hortatus, ut Istrios refractarios ad recipiendam Synodum V. vi cogeret, inter eos vero Aquilejensem, & Mediolanensem Antistites Schismatis incentores, ac tutores diligenti sub custodia dirigeret ad Imperatorem, subdit, quod si illi schismatici de Synodo V. subdubitassent, Apostolicam Sedem adire debuerant, ejusque sententiæ adquiescere: *Siquid*, inquiens in epist. 3. *eos de judicio Universalis Synodi . . . forte movebat* (idque de generali quacumque Synodo pariter intelligendum subjungens, *Quoties*, repetit in epist. 5. *aliqua de Universali Synodo dubitatio nascitur*) *ad Sedem Apostolicam dirigere debuerunt.* Quibus profecto haud obscure affirmabat Pontificis esse de Concilii etiam generalis judicio judicare. Confer Illust. Sommier in Not. ad hunc Anastasii locum tom. 3. Sect. 109. pag. 296, & seq.

Quo

Quo consilio a S. Zacharia, Pontificatu inito, cum Synodica ad Ecclesiam Constantinopolit., tum Suggestio ad Constantinum Imp. missa fuerit, paullo superius expositum est, ideoque eò ipso pertinent, quæ de illo refert Anastasius, quò fidei professiones a S. Gelasio, S. Gregorio M., S. Leone II, Conone, & S. Gregorio II. missas, & emissas collineasse dicebam. Gravius est, quod de Bonifacio VIII. fertur, ut in eo proinde juvet paullo amplius immorari. Itaque prætensam illius fidei professionem, quæ ad Philippum Francorum Regem missa refertur, pura inter, putaque figmenta a maleferiato quopiam procusa reputandam fore ostendit Pagius in vita Bonifacii n. 10, cui adhærere ne leviter dubitat Mansius in Not. ad Raynaldum mox recitandum n. 4, quibus ideo non audiendi videntur Ciacconius hac in re fœde deceptus, ac Natalis ei fidem imprudenter adhibens hist. Eccl. ad Sæcul. XIII, & XIV. art. 14. Enim vero eam fidei formulam ex Codice Ms. Vaticano descripsisse se dicit Bzovius ad annum 1294. §. 8, eamdemque se exaraſſe ex Cod. Ms. Vaticani Archivi Cardin. Aragonii affirmat Raynaldus in append. olim tom. 3, in nov. edit. Lucen. nunc tom. 4. ad an. 1295. n. 2. At enim una alteri non constat, sed utraque invicem est contraria cum in nominibus, tum in notis. In nominibus quidem, nam apud Bzovium *Filiorum* vocabulo Cardinales nuncupantur, qui apud Raynaldum eo *Fratrum* cohonestantur. In notis quoque, nam apud Bzovium annus consignatur 1294. indict. 8; apud Raynaldum vero notatur 1295. indict. 7. Et certe Wadingus ad an. 1294. recte observavit Bonifacium Romam non accessisse ante annum 1295, ac Indictionem 8. non incidisse in an. 1294, unde de formulæ apud Bzovium extantis sinceritate dubitavit vir doctiss. Deinde, ut advertit Pagius, in utroque exemplari apud Raynaldum, & Bzovium Bonifacius dicitur *S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, & Electus*; quum indubium tamen sit eum, quando electus est Pontifex, fuisse Cardinalem Presbyterum SS. Silvestri, & Martini, ut ipsemet perhibuit in suis Encyclicis post suam Consecrationem exaratis. Dicitur etiam in fine exemplaris confecta professio anno, mense, indictione ut supra; & tamen Mensis supra in exemplari non est memoratus: quod aliud

sup-

ſuppoſitionis haud leve indicium eſt. Ad hæc Mabillonius loco laudato obſervat Gloſsographum affirmare præfatam fidei profeſſionem miſſam a Pontifice fuiſse ad Philippum Franc. Regem ſcire volentem, utrum legitime fuiſſet electus, Pelagii exemplo producto, a quo ſimilem ob cauſsam olim ad Childebertum Franc. pariter Regem fidei profeſſio fuerat directa. At enim ex fidei profeſſione dignoſci plane nequiverat, legitima ne, an non ejuſdem fuerit electio: ſiquidem ea in formula ne vola quidem abdicationis antea factæ a S. Cæleſtino V; cujus alioquin expreſſe meminit Bonifacius in Encyclicis datis ad Epiſcopos, & Reges die 24. Jan. an. 1295. ſtatim poſt ſuam conſecrationem, in quibus ne veſtigium quidem adparet cæteroqui profeſſionis fidei ab ipſo præſtitæ: quod iterum indicium eſt certum non fuiſſe, cur fidei ſuæ rationem uni Francorum Regi redderet. Accedit illud demum, quod Jacobus Cardinalis Cajetanus, ſive Stephaneſcus in duobus libris, quibus diligenter de Bonifacii VIII. electione, & coronatione egit, agens minutatim de geſtis, quæ idem Neapoli, & Romæ edidit, ne verbum quidem habet prætenſæ fidei profeſſionis: quod argumento pariter eſt ad apocryphorum album eam eſſe proculdubio amandandam.

Quod nunc pertinet ad errores perſæpe impactos Pontificibus, eoſque præſertim, in quos prolapſi quandoque feruntur, quoſque plus æquo, & juſto exaggerare adverſarii, amplificareque præ invidia non erubeſcunt, reſpondeo in duplici eos differentia eſſe, quemadmodum duplicem in Pontifice diſtinguendam eſſe perſonam non ſemel admonui: nempe errores qua circa doctrinam fidei, qua circa rationem vitæ verſantur; perſona vero alia privata, alia publica Chriſti fidelibus ſive de morum diſciplina, ſive de Religionis dogmatibus dicens, & edicens, conſideranda eſt. Sub hac duplici acceptione corruat omnino, concidatque vis argumenti ſecundo loco ab adverſariis conglomerati neceſſe eſt. Enim vero, ſi de genere vitæ loquamur, crimina objecta Pontificibus quandoque vera fuere, quandoque falſa. Quæ vera, quamvis iis conſpurcati ſcandalo bonis cunctis in Eccleſia, ac imo Ethnicis ipſis extiterint, famaque proinde graviter laborarint, non effecerunt tamen, ut pro legitimis non fuerint habiti, aut fidei labefa-

befactatæ infami inusti nota iverint. Quum vero falsa, quis probe non videat modo omni, meliorique debuisse illos non tam famæ propriæ, quam charitati publicæ consulere, amputare ab Ecclesia, proculque abigere offendiculum omne, quod lapsui, ruinæque spirituali Christifidelibus esse posset, scandalo vero, & blasphemiæ Idololatris, Hæreticis, ac Judæis? Si vero de genere doctrinæ sermo instituatur, non inficias profecto iverim, pugnaciterque pernegaverim, fotas, ac favore alitas, si velis, aliquando fuisse privatas ab aliquibus Pontificibus opiniones, quæ cum rectis dogmatibus minus congruerent, quæque, si malis, recta cum fide pugnarent. At id constantissime pernego de doctrina publica a Pontifice ullo Ecclesiæ enuntiata: utque pernegem, id plane efficit, tum quod, ut postremo in Appendice palam fiet, nullus evincet unquam Pontificem fuisse ullum, qui publica hæresis infamia vere possit aspergi; tum quod superioribus Articulis, si meus non me fallit amor, invictissime evici Romanum Pontificem ex Divina pollicitatione infallibilitatis privilegio in dicendo palam, sive ex Cathedra, veluti loquuntur, prorsus gaudere.

Eja ergo, hisce generatim ita constitutis, objecta exempla examinemus, & ad trutinam revocemus, ut constet lima ne, an spongia magis indigeant. Atque Leoni III. quidem vitio nequaquam est data doctrina, sed mores nigro fuerant carbone notati; nec ipse ob fidem, quasi subleста foret, traductus fuit ad plebem, sed pro vitæ instituto perperam contemptui habitus. Quamobrem eo, quo dictum est modo, calumniam, contumeliamque dispulit, & dispunxit. Cæteroquin enim observatione dignum quammaxime est illud, quod etsi alibi adnotatum jam fuerit, recolere tamen etiam, atque etiam juvabit: nempe quod in Concilii medio constitutus tam Pontifex ipse cujuspiam vel Concilii judicio se haud subjacere, sed imo superstare affirmavit, quam Concilii Patres se in ipsum nihil omnino posse ultrocitroque fassi, ac professi sunt, en horum verba: *Nos Apostolicam Sedem, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, sed sicut ipse Summus Pontifex consuevit, jubeat, Canonice obediemus.* Quibus quid audiri demissius possit?

teſt? En vero illius verba, quæ poteſtatem præferunt pleniſſimam, roboriſque refertiſſimam: *Ego Leo Pontifex S. R. E. a nemine judicatus, neque coactus, ſed mea volontate impulſus, purgo me, præſentibus vobis, coram Deo, & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & B. Petro Principe Apoſtolorum, in cujus conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi obiiciunt, perpetraſſe, neque perpetrari juſſiſſe, Deum teſtans, in cujus judicium venturi ſumus, & in cujus conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in S. Eccleſia Succeſſoribus meis, & Fratribus Coepiſcopis imponere cupiens, ſed ut certius vos iniquis ſuſpicionibus liberem*: apud Baronium ad an. 800. n. 3, & ſeq. Confer & Petrum de Marca lib. 1. Concor. cap. 11. §. 6, ubi ex hoc loco magnam laudis partem Gallicanæ Eccleſiæ ob pietatem, demiſſionemque erga Pontificem exhibitam jure, optimeque adſciſcit. De Johanne XXII. nunc dicendo, is ſane ad hæreſis dicam ſibi conſcriptam infremens, atque improbe laceſſitam utramque Conſtitutionem ſuam *Ad Conditorem Canonum*, & *Cum inter nonnullos* vindicandam adgreſſus, Conſtitutione altera *Quia quorumdam* elucubrata ab errore immunes duas illas Conſtitutiones declaravit non modo, ſed imo hæreſis nomine deinceps habendos decrevit, qui dogmata ibidem damnata verbo, vel ſcripto defendere auſi fuiſſent. Quibus ſatis diſerte ſignificavit eam de Pontifice infallibili, dum ex Cathedra loquitur, ſententiam arcte ſibi animo inſediſſe: ſiquidem ſuis Conſtitutionibus dogmaticis repugnantes, aut illas impugnantes hæreſis notare non dubitavit abſque diſcrimine, habendoſque in hæreticorum cenſu, atque inter Romanæ Eccleſiæ rebelles computandos declaravit, & decrevit. Tantum igitur abeſt, ut vilificata, aut violata Pontificiæ infallibilitatis prærogativa a Johanne XXII. dici poſſit, ut imo loco firmiter ſuo fuerit ſtabilita, honoreque habita, quo par erat, quammaximo. Qui ſi poſtmodum morti proximus dicta ſua, vel ſcripta Eccleſiæ, Succeſſorumque ſuorum judicio, ac ſententiæ permiſit, ita plane intellexit de privatis dictis ſuis, vel ſcriptis, puta circa ſtatum Animarum ſeparatarum, circa quem nihil profecto ex Cathedra, ſive ut publicus Eccleſiæ Doctor pronuntiaverat: ſub hac enim ratione publici Eccleſiæ

Doctoris, ſive Perſonæ Eccleſiæ dicentis, qua ſuos accipiebat Succeſſores, eiſdem dicta ſua, vel ſcripta, quæ edidiſſet ipſe tanquam privata, ac ſingulari opinione, perſona, ſubjecit: quam quidem publici Doctoris perſonam dum ipſe geſſit, ut ſupra dicebam, ab ſe dictis, ſive definitis refragantes abſque diſcrimine, ac dubitatione ceu hæreticos habendos dixit, & denuntiavit. Nemo quidem ignorat eidem Johanni XXII. geminam erroris infamiam appingi, tum circa paupertatem Evangelicam, tum circa ſtatum Animarum ſeparatarum: ſed agere de iis ſpectat ad appendicem ſequentem. Confer interea ſi placet, Emin. Cardin. Petram in Comment. ad ejus Conſtit. 3. *Glorioſam* tom. 4. pag. 15, & ad Conſt. 4. Benedicti XII. *Benedictus Deus* pag. 75; nec non Cl. Muratorium lib. de Paradiſo adverſus Burnetum capp. 2, & 23.

Ad Clementem VI. accedendo, eidem ante obitum dicta inconſiderate objiciuntur. Quis enim, quæſo, ipſo luculentius, liquidiuſque in Armenorum Articulis Pontificis Romani indefectibile judicium expreſſit, expoſuitque? Quæ igitur fini prope jam conceſſurus revocavit, ac pro revocatis haberi voluit, quæ forte diſputando, legendo, prædicando ex lapſu linguæ falſa, vel erronea protuliſſet, ea erant, quæ tanquam doctor privatus pronuntiaſſet, non ea, quæ pronuntiaſſet, prout Doctoris Eccleſiæ perſonam gerens: quomodo Armenis ſe falli, & fallere omnino neſcium aſſeruit, credique imo juſſit. Eodem ſenſu exponenda eſt Urbani V. morti proximi proteſtatio, videlicet intelligi debet de perſona ſingulari, periculoque errandi obnoxia: & quidem eo vel maxime, quod nulla definitio dogmatica ab Urbano V. Eccleſiæ edicta alicubi, ut ſciam, habeatur, de qua conſequens eſt accipi eam profeſſionem non poſſe. Gregorii XI. declarationi aptanda eadem reſponſio, quæ neque gratis conficta abſque graviſſimo rationis pondere reputanda eſt: quandoquidem alioqui Pontifices aut inter ſe invicem, aut ſecummet ipſi pugnarent, atque ita quidem, ut nullo conciliari poſſent modo: illiberalis vero, & inhoneſtus is eſſet quammaxime, qui Pontificibus hujuſmodi peccatum appingi mallet, quam ipſemet ſiniſtra, intortaque ſua a ſententia ſecedere; imprudens vero, impudenſque, qui magis privatas in opiniones ſuas, pravaſque concedere, ſibique

que ſuis in figmentis complacere, aut oblatrantibus, & obloquentibus aurem utramque accommodare diligeret, quam tot Pontificibus, Patribuſque gemina ſapientiæ, & Sanctitatis laude florentiſſimis facile auſcultare, quibus nihil familarius, ac frequentius, quam Pontifices neſcios prorſus falli, & fallere. Hacce de re igitur Hadriano VI. doctiſſimo alioqui, ſi quis alter, Pontifici, moribuſque probatiſſimo, in his, quæ de hoc argumento, dum adhuc doctor Lovanienſis audiret, perperam ſcripſit, quæque, neſcio quo fato, in ſcriptis poſt editis intacta etiamnum extant, auſcultandum haud fore confidentiſſime affirmo, utque affirmem id efficit, tum quod alteram ab ea, quam Pontifex M. poſtmodum, antea perſonam geſſerit; tum quod etſi ſimiliter ibidem ſcripſerit S. Gregorio M. fas non fuiſſe ſimplicibus Sacerdotibus Siculis concedere, ut Confirmationis Sacramentum conferrent, ipſemet tamen poſtea illius exemplo Miſſionariis prædicatum Evangelium proficiſcentibus eamdem pariter facultatem fecerit: quod indicium eſt plane ipſum a priori opinione deceſſiſſe, atque inſuper diligentiori examine ab ſe ſcripta, dum Lovanienſis doctor ageret, non introſpexiſſe: putandumque propterea eſt de eo, quod de Innocentio IV. cenſeri juſſit doctiſſ. Canus lib. 6. de Loc. Theolog. cap. 8; videlicet, quod ſiquid erraſi extet in Commentariis ab eo elucubratis in lib. 1. Decretal., id non Pontifici ut definienti, ſed ut privatæ perſonæ ſcrutanti, interpretanti, & ſcribenti eſſe adſcribendum. Vide ſis interea eumdem Canum lib. 6. cap. 1, Bellarminum de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 2, ac Ludovicum Vincentium Gotti de vera Eccl. tom. 1. cap. 11, §. 1. n. 6.

Pauli IV. poſtremo nemini moram profecto injiciat, faceſſatque negotium proteſtatio: quippe quæ generis eſt earum quoque, quæ pure, puteque aut perſonas ſingulares, aut ſingularia perſonarum facta ſpectant, verbo, ad forum contentioſum, & ad facta criminalia, in quibus quandoquidem falli, ac fallere Pontificem poſſe Paulum haud lateret, proinde ſibi de privilegio indeficientis judicii in re haud abſimili adblandiri nolens, in jus ipſum ſerio, ac ſolerter juſſit inquiri. Neque præterea Malviſerii tanti pendi teſtimonium meretur, ut nefas foret illius veritatem,

tem, fidemque in dubitationem adducere, eo vel etiam quod à Boſſuetio id dictum Pio IV. tribuitur, quod de Paulo IV. Natalis adſtruit: Caſtelnavus enim Calviniſtam egit, ac Bruno Jordano amicitia conjunctiſſimus erat, cui viciſſim Brunus ſe totum devoverat: quis vero fuerit Brunus Jordanus, ſi ſcire aveas, te docebunt peſtilentiſſima ipſius opera præfato Caſtelnavo dicata, inſcriptaque *De Minimo*; *de Menſura*, *& figura*; *de Innumerabili*, *& immenſo*; *de Monadei figura*, *& numero*; *de Cauſſa principio*, *& uno*; *de Cæna Cererum* &c., opera, inquam, figmentis iiſdem, impiiſque erroribus refertiſſima, quibus undique ſcatet alterum ipſius opuſculum, hoc inſignitum titulo: *Spaccio della Beſtia trionfante*, fuiſſe nempe Deiſtam, atque Atheum: cujuſmodi furfuris hominibus quis probus, ſciens, ac prudens fidem adhibere ſuam non dubitet? Præter rem itaque, ac perperam horum Pontificum dicta, ſcriptaque de ſingulari Pontificum perſona, ſive de perſonalibus factis ad elevandam, minuendam, labefactandamque, quoquo poſſit modo, Pontificis infallibilitatem inflectuntur. Propterea juvat, placetque hiſce finem imponere præclaris verbis illis, quibus olim Dardaniæ Epiſcopi S. Gelaſii epiſtolæ 3, qua jubebantur ad Romanorum Pontificum dogmata, & præcepta ſuam conformare fidem, moreſque componere, reſcribentes, planum fecerunt ſibi nihil accidere antiquius, quam quæ Apoſtolicæ Sedi foret accepta, quæque Pontifici fuiſſet probata, credendi, agendique regulam præ oculis habere proſequendam: *Deſiderii*, *& voti eſt*, inquientes, *juſſionibus veſtris in omnibus obedire*, *& quemadmodum a Patribus noſtris accepimus*, *Sedis Apoſtolicæ præcepta intemerate ſervare*, *atque Religionem orthodoxam*, *cujus eſtis prædicatores*, *fideli*, *& inculpata devotione cuſtodire*. Quæ eadem mea, quoad vixero, ſimiliter verba ſunto, & in ævum ſolemnia vota.

Ex

Ex Jure definiendi Facta Dogmatica, Libroſque prohibendi Regulis morum, aut Religioni infeſtos.

ARTICULUS XII.

ANtequam in argumentum quam neceſſarium, tam negotioſum ingrediar, præmonere operæ pretium duco in Libris duplicem oportere diſtingui ſenſum, Auctoris, & Verborum, quem videlicet Auctor mente, animoque præconceptum geſſerit, & quem Verborum contextus expreſſum præſeferat, quique legenti primum occurrit. Prætetea obſervare præſtat duplicis generis inſtitui a Theologis poſſe quæſtiones, Juris, & Facti, ſcilicet de dogmate, ſive de doctrina, utrum Catholica ſit, an Hæretica, deque facto quopiam, utrum nempe doctrina hujuſmodi certi Auctoris ſit, an non. Quæ quidem quæſtiones aliquando disjunctæ invicem ſunt, aliquando vero complexæ: videlicet quandoque ſola inſtituitur quæſtio juris, quandoque ſola facti quæſtio, quandoque demum utraque ſimul quæſtio juris, & facti. Factum quoque geminum diſtinguendum eſſe diligenter, ſimplex, ac mixtum admonent: nimirum aliud eſſe mere hiſtoricum, ac perſonale, puta, an hic Liber ab hoc Auctore elucubratus ſit; an hic Auctor in animo ſuo ita ſenſerit: aliud vero cum jure, ſive cum dogmate conjunctum, puta, an liber hujus Auctoris ſit hæreticus; an doctrina hujuſce libri in ſenſu obvio ſit hæretica: an hæc doctrina in ſenſu ab Auctore verbis, aut ſcriptis expreſſa Verbo Dei ſcripto, aut tradito adverſetur. In præſenti agere propoſitum non eſt de Auctoris interno ſenſu, & occulto, ſed de Librorum ſenſu externo, verbis expreſſo illis, ad quem exprimendum verba illa ſunt inſtituta, uſurparique ſolent, quique legenti obvius ſtatim occurrit: neque abs me agi modo de factis mere perſonalibus, aut hiſtoricis, ſed dumtaxat de mixtis cum jure, ſive dogmaticis: ſcilicet an Romanus Pontifex judicio prorſus infallibili decernere poſſit, quis, & qualis doctrina, Catholica ne, an hæretica hoc in ſcripto, aut libro legenti exhibeatur! Adeo ut Pontifici ita definienti Chriſtifideles adquieſcere mentis, animique

mique ſincera, intimaque adhæſione debeant; neque ſufficiat, ſi religioſo dumtaxat ſilentio obſequantur.

Olim porro (quod par Hæreticis tam veteribus, quam nuperis inſediſſe prodit ingenium) in gratiam Arii diſtinctione juris, & facti excogitata, doctrinæ quidem fidei conſenſiſſe, damnationi vero Arii ſubſcribere ſe detrectaſſe affirmare non dubitarunt Euſebius Nicomed., ac Theognis Nicænus in libello Epiſcopis oblato apud Socratem lib. 1. cap. 14: *Significamus vobis*, inquientes, *nos fidei quidem ſubſcripſiſſe, anathematiſmo vero noluiſſe ſubſcribere, non quod fidem reprehenderemus, ſed quia minime credebamus illum, qui accuſatus fuerat, ejuſmodi eſſe*. In Origenis quoque gratiam ejuſdem defenſores olim factum a jure diſtinguentes, Origenem nihil erraſſe, ſed ab hæreticis illius libros depravatos dicebant, ut propterea ejuſdem damnationi aut ſubſcribere renuerent, aut ad ſubſcribendum compulſi doloſe, omnino id agerent; veluti refert S. Hieronymus in epiſt. 65. nunc 41. ad Pammachium: *Ad ſubſcriptionem tergiverſantur, quæruntque effugia... Si quando urgeri cæperint, & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſia, miras ſtrophas videas.* Utrorumque exempla imitati recens Janſeniſtæ, principio quum Urbanus VIII. Conſt. *In eminenti* edita S. Pii V, & Gregorii XIII. Conſtitutiones adverſus Baji errores confirmaſſet, prohibuiſſetque Cornelii Janſenii librum inſcriptum *Auguſtinus*, eam Conſtitutionem ſubreptitiam dixere, hoc eſt dolo, falſique expoſitione extortam; abs vero quippe ajebant omnino aberrare, quod in Janſenii libro proſcriptæ Baji propoſitiones continerentur. Poſtea quum Innocentius X. Conſtit. *Cum occaſione* quinque Janſenii propoſitiones damnaſſet, repoſuere illico Janſeniſtæ quinque illas propoſitiones vel in Janſenii libro haud reperiri, ſed pro arbitrio fuiſſe confictas, vel haud in ſenſu ab eodem intento fuiſſe damnatas. Quare Alexander VII. Conſt. *Ad Sanctam* Innocentii Conſtitutionem confirmans, illas propoſitiones ex Janſenii libro excerptas, atque in ſenſu a Janſenio ipſo intento damnatas fuiſſe declaravit. Cui declarationi obnitentes Janſeniſtæ, factumque a jure diſtinguentes, atque in facto Eccleſiam errare poſſe aſſerentes, ſe proinde minime aſſentiri debere, poſſeque dixe-

dixerunt, eas propoſitiones in ſenſu a Janſenio intento hæreticas eſſe. Quamobrem idem Alexander Conſtit. altera *Regiminis* formulam fidei ſincero animo ſubſcribendam, cumque juramento de rejiciendis, damnandiſque quinque illis propoſitionibus ex Janſenii libro decerptis, & in ſenſu ab eodem Janſenio intento, præſcripſit. Quin & Innocentius XII, ut Janſeniſtis effugia omnia præcluderet, litteris in forma Brevis ad Epiſcopos Belgii anno 1694. inſcriptis juſſit, ut juramentum hujuſmodi ab iis, quos oportebat, *Sincere, abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione* præſtaretur, damnando illas propoſitiones, ex libro Janſenii deſloratas, in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præſeferunt. Quia vero pravi homines pervicaciſſimi non aliud laborantes, quam ut funem contentionis, velut ait Tertullianus, in diverſa diſtenderent, Pontificias haſce litteras pravum in ſenſum intorquentes, ad fucum, dolumque faciendum, Pontificia vero decreta eludenda, & illudenda, reponebant eum non fuiſſe profecto loquutum de ipſo ſenſu obvio ab eodem Janſenio intento, bene vero de aliquo quopiam alio, neſcio quo; idem Innocentius aliis litteris ad laudatos Belgii Epiſcopos an. 1696. exaratis mendacem illam, & mendoſam interpretationem explosit, expunxitque. Quamobrem diverſa declinandi decretorum vim arrepta via, Janſeniſtarum alii ſubtexuere: non requiri ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam, ut Janſenii propoſitiones interius tanquam hæreticæ habeantur, ſed ſufficere, ſi ea de re obſequioſum teneatur ſilentium; inferentes formulari Alexandrino ſine exceptione, ſeu explicatione ſubſcribendum non eſſe, ideo quod ſubſcriptio externa ſignum interioris aſſenſus ſit, quem profecto in facto illo, in quo de Janſenii ſenſu perperam judicatum fuiſſe effutiunt, a Pontificibus imperari poſſe negant. Alii viciſſim formulæ illi ſubſcribi licite poſſe affirmare non dubitarunt etiam ab iis, qui interius judicarent propoſitiones illas vel in Janſenii libro minime contineri, vel ab ipſo Janſenio minime fuiſſe intentas, ideo quod ſubſcriptio illa reſpectu dogmatis ſignum quidem ſit aſſenſus interni; at reſpectu facti ſignum dumtaxat ſit religioſi ſilentii, ſive exterioris reverentiæ Apoſtolicis decretis exhibitæ. Qua de re Clemens XI. Con-

Conſtit. *Vineam Domini* an. 1705. edita hujuſmodi obſequioſum ſilentium proſcripſit, iterumque litteris Innocentii, & Alexandri confirmatis, evadendi deinceps Janſeniſtis aditum omnem intercluſit, & ademit.

Id ergo juris, ex quo illud quoque exſurgere, neceſsarioque conſequi privilegio inerrantiæ potiri Pontificem nemo non percipit, cui proinde Chriſtifideles ex conſcientia adquieſcere, nec ſolo religioſo obſequi ſilentio, teneantur, id juris, inquam, ultimo, infallibilique judicio de factis dogmaticis decernendi Romano ineſſe Pontifici non uno probatur modo. Quod ad probandum antequam deſcendo, atque ut ab ovo quidem, velut loquuntur, rem incipiam, Novatorumque jugulum petam, qui libros cujuſque genus eo, quo Religionem, morumque regulam omnibus liberam volunt modo, a cenſura omni, criminationeque liberare contendunt, obſervatu dignum judico libros, qui de Religione male ſentiant, aut morum honeſtati præjudicent, aut veritati impune detrahant, aut de honore Principum dire loquantur, uſui publico fore ſubtrahendos perſuaſum arcte fuiſſe, veterique in more poſitum nefarios quoſcumque genus hujuſce libros flammis abolere, Gentibus quibuſcumque Religionem quamcumque pro libitu colerent. Itaque apud Judæos Joachimi Regis juſſu librum a Hieremia miſſum, quem ſibi ad propoſitum, ingeniumque parum conformem augurabatur, flammis aduſtum advertit Bodinus lib. 2. Dæmonomaniæ cap. 2: ab Ezechia vero librum Salomonis de remediis morborum, ſive βιβλος ιαματων inſcriptum, ne exinde Divini Numinis invocationem negligendi anſam Judæi arriperent, e medio fuiſſe ſublatum referunt Joſephus Antiq. Judaic. lib. 10. cap. 8, & Suidas V. Εζεκιας, de quo vide Fabricium in Cod. Apocrypho vet. Teſt. cap. 197. pag. 1043. Ab Herode quoque libros Hebræorum genealogiacos, qui in Archivis Templi deſcripti habebantur, in quibus etiam notabantur Alienigenarum origines, ne generis ſui obſcuritas, Aſcalonitæ gentilis nempe, teſtata maneret, obſcuroque ſuo cum natali, tam nomini probrum, præjudiciumque ingeneraretur, conflagrandos igni fuiſſe devotos tradit Euſebius hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 6. verſ. Ruff. Apud Syros Antiochus Epiphanes altero ex capite in He-

Hebræos pluſquam vatiniano percitus odio, ſacros ipſorum Codices, gentilium ſuorum diſciplinis parum accommodos, flammis delere ſtuduiſſe legitur Machab. lib. 1. cap. 1. verſ. 59, & ſeq. Ariſtobuli Caſſandrei ſcriptum de ſingulari Alexandri M. certamine cum Poro ob incredibilem adulationem, & vaniloquentiam in Hydaſpen fluvium a Rege projectum refert Lucianus de ſcribenda hiſtor. tom. 1. pag. 610, & poſt ipſum Giraldus in dialogo 3. de hiſt. poetic. Apud Lacedæmones Archilochi Poetæ ſcripta, quod eorum parum vereconda eſſet, ac pudica lectio, publico Magiſtratus decreto Provincia exportari juſſa fuiſſe, Civibuſque prorſus interdicta, tradit Valerius Max. lib. 6. cap. 3. Sed & Archilochi, & Hipponactis, de quo poſteriore pro carmine probroſo Hipponacteum præconium dicere ſolebat Cicero lib. 7. epiſt. 24. famil., libros a Sacerdotibus legi vetuiſſe Julianus Imp. refertur in fragm. pag 300. edit. Lipſ. apud Fabricium Bibl. Græcæ tom 1. lib. 2. cap. 15. pag. 573, & 581. Apud Athenienſes libros Poetarum de Diis parum religioſe loquentes abolendos curavit Plato lib. 7. de Legibus: atque in his quidem Protagoræ librum de Diis in medio foro peruſtum, ipſumque actum in exilium, ideo quod dubitaret, an de Diis vera eſſent, quæ vulgo dicebantur, tradunt Cicero de nat. Deor. lib. 1, Lactantius lib. de ira Dei cap. 9, & Johannes Sarisberienſis Policratici, ſive de Nugis Curial. lib. 5. cap. 4. pag. 222.

Apud Romanos Numæ libris repertis de jure Pontificio, deque diſciplina ſapientiæ agentes, ut qui Romanæ Religioni tum receptæ parum videbantur accommodi, a Quinto Petilio Prætore Urbano ex Senatuſconſulto Victimariis conſignatos fuiſſe publice igne comburendos ſcribunt Valerius Max. lib. 1. cap. 1, & Livius decad. 3. lib. 5. Ideo T. Labieni maledica ſcripta, & mordacia, quibus Cives indiſcriminatim lacerabantur, prunis aduſta perhibet Livius decad. 4. lib. 10. Cremutii quoque Cordi libellos, quibus Senatum, Populumque Romanum ſcommatibus laceſſebat, igni devotos ſcribit Dio Caſſius lib. 57. Marcus Æmilius ingenti audita varietate librorum, cum quibus in Urbem ingens Rituum varietas Romanis adverſa introducta fuerat, ex Senatuſconſulto intra diem ad ſe deferri omnes juſſit, ac ne quis eos Ri-

tus illis a libris invectos usurpare auderet, severe interdixit, teste Livio decad. 3. lib. 5: qui lib. 29. testatur pariter vice plus simplici Magistratibus demandatam fuisse provinciam diligenter inquirendi in libros cum Religioni, tum Reipublicæ noxios, districteque in eorum retentores pœnis animadvertendi. Ac certe Cajo Fannio Strabone, & Marco Valerio Messala Coss. contra Philosophos, & Rhetores Senatusconsulto cautum, Romæ ne essent; iterumque Censoris edicto Cn. Domitii, Cn. Ænobarbi, & L. Licinii sublatas fuisse id generis scholas, ideo quod, ut adnotatum est abs Josepho Saxio de studiis Mediolan. pag. 11, disciplinæ illæ in abusum, turpemque depravationem proruissent, ac Reipublicæ plurimum officerent, narrat Svetonius. Anno etiam Urbis conditæ 614. Cornelii Hispani Prætoris, N. Popilio Lennate, & Cn. Calpurnio Coss., edicto Magicos libros, ac Maleficos interdictos refert Valerius Max. lib. 1. cap. 3. Vide & Tacitum lib. 2. Annal., & Lipsium in adnot. ad hunc librum. A Ciceronis libris Deos negantibus Ethnicos valdequam abhorruisse, nec illorum ullo in aurem modo lectionem admittere voluisse, testis oculatus accedit Arnobius lib. 3. adverss. gent. Sybillinos libros a Stillicone igne exustos auctor est Claudianus apud Vives in S. August. de Civit. lib. 18. cap. 23. Ab Attila Hunnorum Rege Marulli Calabri poemata mendaciis, adulationibus, ac dicteriis incongruis refertissima publice fuisse igne cremata memorat Nicolaus Olaus in vita Attilæ cap. 15. Apud Persas Magicos, & Judiciarios libros flammis consignavit Cabades Rex, de quibus, aliisque sexcentis agunt Card. Petra in Comment. ad Constit. 2. Innocentii IV. *Impia* sect. 2. tom. 3. pag. 10, & seqq., ac Schelornius in dissert. de libris consumptis.

Atqui Imperatoribus potissimum, apud quos Rerum publicarum summa manebat, suo pro officio, quo publicæ utilitati, tranquilitati, & incolumitati prospicere, consulereque modo, quo fieri posset, omni tenebantur, istiusmodi particula juris usu frequentissimo venit. Ab Augusto itaque libros Fatidicos igni delendos fuisse traditos, & a Caligula Scriptores quosdam adactos spongia, & lingua abolere, quæ perperam, ac, velut videbatur, in perniciem Reipublicæ scripserant, enarrat Svetonius. Scitum est,

eſt, vulgarique tritum ſermone a Diocletiano Chriſtiani nominis infenſiſſimo hoſte ſacros undique Codices diligenter conquiſitos ad incendium, qua de re Arnobius adverſ. gent. lib. 4. in fin., Euſebius lib. 8. cap. 1, & ſeqq., S. Optatus lib. 1, S. Auguſtinus de baptiſ. lib. 7. cap. 2, Nicephorus lib. 7. cap. 3, Martyrologium Rom. ad diem 2. Jan., & Acta ſincera SS. Martyrum Felicis Tubzocenſis apud Ruinartium pag. 313, Vincentii Archid. apud Prudentium periſteph. hym. 2. verſ. 177, & Saturnini apud Baluzium Miſcell. tom. 2. pag. 57. A Conſtantino M. Arii, & Porphyrii libros igne abſumi juſsos obſervat Socrates lib. 1. cap. 6. De Georgii pſeudo-Epiſcopi Alexand. libris magna diligentia perquirendis, & ad ſe deferendis, in quibus multa de Chriſtianis Dogmatibus extincta penitus, exterminataque volebat, Juliani epiſtolas 9. ad Ecdicium Ægypti Præfectum, ac 30. ad Porphyrium legas apud Baronium ad an. 362. n. 170. Magicæ artis libros perquam diligenter conquiſitos Valentis Imp. juſsu publice combuſtos refert Ammianus lib. 29. Severiſſima lege, cujus auctor extitiſse S. Johannes Chryſoſtomus exiſtimatur, Codices omnes Cataphygum, & Eunomianæ ſuperſtionis, errorumque imbutos ſedulo conquiſitos ſub Judicum conſpectu incendio cremandos edixiſse Arcadium Imp. liquet ex L. 34. *de Hæreticis* Cod. Theod. A Theodoſio Imp. impia Neſtorii ſcripta, ne cui habere, aut legere, aut deſcribere liceret, ſed a cunctis deferri igne comburenda diſtricte ſancitum, eloquitur ejus Lex ult. *Damnato de Hæret.* eod. Cod., de qua Liberatus Brev. cap. 10, quæque proſtat in Synodico cap. 191, & in Act. Synodi Epheſinæ, cujus hortatu edita fuerat, par. 4. apud Harduinum tom. 1. pag. 1715, alterius tamen verſionis ab ea, quæ habetur in Codice Theod., in Synodo V. Collat. 5, & in epiſt. 3. Pelagii II. Lege altera, eidem Concilio Epheſino inſerta pag. 1719, libros Porphyrii, & contra S Cyrilli ſcripta editos Commentarios idem Theodoſius Imp. diſtricte vetuit. Ex S Leonis M. ſententia cum Apollinariſtarum libris una damnationis ſententia Eutychetis ſcripta omnia comprehenſa incendio deſtinaſse Valentinianus, & Marcianus Imperat. leguntur L. 8. *Quicumque* in Cod. Juſtin., & apud Evagrium lib. 1. cap. 2. A Juſtiniano Severi Acephalorum

rum anteſignani ſcripta publico edicto e fidelium manibus erepta, pruniſque conflagranda fuiſse deſtinata fidem indubiam facit Novella 42 : cujus lectu etiam digna epiſtola ad Mennam, qua omnes a Capitulis Origenis damnatis a S. Anaſtaſio P. M. ſibi cavere præcipit. Imperatoris Tiberii juſsu librum Eutychii Conſtantinopolit. abs ſe diſputatione ſuperati igni traditum aſserit S. Gregorius M. lib. 14. Moral. cap. 32. A Carolo M. Adelberti epiſtolam flammis abolendam fuiſse conſignatam diſcimus ex Capitul lib. 1. cap. 78.

Ad hæreſeos in dies graſsantium progreſsus abrumpendos, Carolus V. ſevera primum ſanctione Bruxellis edita, in ſcripta Lutheri, Zuvinglii, Oecolampadii, Buceri, & Calvini diligenter inquiri, flammiſque cuncta deleri mandavit : ſolemni poſtea Wormatienſi edicto hæreticorum libros aboleri præcipiens, ſe hac in proſcriptione inhærere tum priſcæ in Eccleſia diſciplinæ, tum præſertim Apoſtolicæ Sedis executioni demandanda ſibi propoſuiſse decreta profitetur : atque hacce perinde de re Academiæ Lovanienſi ſemel & iterum auctorem ſe dedit indicem texendi librorum, qui hæretici, aut hæreſis ſuſpecti eſsent, quem publici juris factum edicto ſpeciali an. 1546, noviſque adjectionibus adauctum an. 1556. obſervari præcepit. Quæ omnia a præfatis Imperatoribus præſtita fuere non poteſtate quidem propria, uti falſo ſcripſit Petrus Jannonus, ſed Pontificum, ac Synodorum exemplo, ſuaſu, juſsu, ac ſententia inducti, rogati, inflexi, veluti diſerte habent locis indic. Theodoſius, Honorius, Valentinianus, Marcianus, Juſtinianus &c., ac obſervant Baronius ad an. 419. n. 57, & Albitius de Inconſt. in fide cap. 30, & in reſponſ. ad hiſtor. Inquiſit. F. Pauli pag. 22. Quamquam libros in Reipublicæ perniciem vergentes, & ipſorum perſonis injurioſos laicis Principibus fas ſit e Ditione repellere, prout honeſtæ politiæ ratio depoſcit, atque diſerte hacce de re in Jure Civili diſpoſitum legitur L. *Cæteræ* ff. *Familiæ Herciſcundæ*; L. *Unic.* Cod. de *Famoſis libellis*; L. *Lex Cornelia* §. *Siquis librum* ff. de *Injuriis*; L. *Ob Carmen* ff. *de Teſtibus*. Confer & L. *Damnamus*, L. 6. *de Hæreticis*; L. 10. *Mathematicos de Epiſcopali audientia*; L. 34, & ult. *de Maleficis* Cod. Theodoſ.; L. 3. *de Summa Trinitate*; ac

LL. 6,

LL. 6, & 8. *de Hæreticis* Cod. Juſtin. Quam pariter in ſententiam de libris perniciosis abolendis, exterminandiſque pedibus, manibuſque conſluebant ex Ethnicis ipſis præſtantiores Philoſophi, Juriſque periti, Plato lib. 7. de Legib., a cujus proinde Republica Epigrammatum genus omne, in quibus fœditas ineſſet, procul exulare ipſius ſententia jubet Scaliger lib. 3. poet. cap. 126; Ariſtoteles Politic. lib. 7. cap. ult., a quo ideo Hermogenis, & Nicanoris libri bonis moribus adverſi odio habiti ſunt: quo viciſſim odio in Ariſtotelem percitus Antoninus Caracalla ipſius ſcripta comburi juſſit apud Xiphilinum pag. 329; Cicero lib. 1. de natur. Deor., quo loci Prothagoram ab Athenienſibus Urbe, & agro juſte exterminatum, ejuſque libros in concione combuſtos commemorat; Ulpianus in L. *Cæteræ* ff. *Familiæ Herciſcundæ* §. *Fantumdem*; & Paulus Lib. 5. *de Receptis ſententiis* tit. 23. ad Leg. *Corneliam de Sicar.*; quibus junge Jacobum Cujacium oper. tom. 1. pag. 503. edit. Neap. 1722, & tom. 9. ad lib. 9. Cod. L. *Maleficos* pag. 1437; Baronium ad an. 302. n. 16, & ſeqq.; Gonzaleſium in Cap. *Præterea* 4. n. 6. *de Hæreticis*; Beyerlinghium in Theat. V. *Libri* tom. 4; Decianum lib. 5. tract. Crimin. cap. 46; Raynaldum obſerv. Crimin. cap. 11; Eymericum in direct. q. 28, Pegnam par. 1. Comment. 19, & par. 2. Comm. 43; Carenam de offic. S. Inquiſ. par. 2. tit. IV; Vericellum de Apoſt. Miſſion. q. 195, alioſque infra allegandos. Quid plura? Lutherus ipſe apud Sleidanum lib. 1. libello elucubrato juxta veterem Reipublicæ, ac Religioni coævum morem omni ætate obſervatum libros malos, quo in cenſu Jus Pontificium habebat, ideo flammis abſumptum, eſse abolendos demonſtrandum ſuſcepit: qua in ſententia ſectatorem habuit Melanchtonem, qui apud Gretzerum de libror. prohib. iterato in aures ingerere ſermone non deſiſtebat, multum intereſse, ne libri cum impiis dogmatibus divulgentur, curare diligenter, & cavere. Quo etiam ſpiritu non tam inflammatus, quam inflatus Calvinus apud Albitium in reſp. ad Pauli Suavis hiſt. inquiſ. improbos imprimi libros ferre, & concoquere nequibat, neſciebatque. Sed horum, ac ſimilibus deſpectis teſtimoniis, Hugo Grotius in cap. 19. Act. Apoſt. verſ. 19. tom. 8. Critic. Sacror. pag. 358. edit. Amſtel. 1698.

1698. libros omnes tam Reipublicæ bene moratæ, quam Religioni optime institutæ noxios, & infestos a Christianis primitivæ Ecclesiæ odio habitos observat, probatque.

Quò demum quum sermo meus evaserit, quis adeo impudens ambigat, quin facultatis hujusce libros in perniciem Religionis vergentes proscribendi, quam laici Principes ultrocitroque usurparunt, neque contradicentibus, negotiumque facientibus ullum Ethnicis ipsis, aut Hetetodoxis qua Philosophis, qua Jurisperitis, potiori jure, particula Ecclesia potiatur? At enim istius in possessione Juris Ecclesiam ab initio stetisse, & permansisse semper postrema ad hæc usque tempora, nemo, nisi in Ecclesiastica historia sit valde hospes, ignorabit, ac impudens inficiabitur; argumento siquidem, documentoque sint evidenti 1. Sapientum, Sanctorumque dicta, & facta. Enim vero ab Apostolis, quos Evangelio imbuendos suscepissent, Christianæque Religioni lucrifeciissent, iis districte prohibitum, ne Gentilium librorum lectione polluerentur, habetur Act. Apostol. cap. 19. vers. 19, ubi post S.Pauli prædicationem, Judæorum, ac Gentilium plurimi librorum ingentem copiam publice flammis addixisse leguntur: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt Libros, & combusserunt coram omnibus; & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*: quam summam Budeus quinque millia aureorum confeciisse existimat. Quos quidem libros fuisse de arte Magica, & Astrologia judiciaria testantur Eusebius lib. 3. demonst. Evang. cap. 8; S. Hieronymus in præf. epist. ad Ephesios, confirmatque Grotius in hunc locum; factum illud vero fuisse ex Apostoli mandato arguit Tirinus, affirmavitque ante ipsum Auctor Const.Apost. lib.1. cap.7, ajens Apostolos ab initio Ecclesiæ fidelibus prohibuisse Gentilium, falsorumque Prophetarum libros. Conferendus etiam Canon 59. ex iis, qui Apostolis referuntur accepti, ex interp. Gentiani Herveti. Tertullianus lib de pudic. cap. 10. ad Ecclesiam pertinere declarat, definire de libris, qui Hagiographi, & qui nam Apocryphi sint; & lib. de Idolol. libros omnes sive Ethnicæ, sive Magicæ, sive Maleficæ superstitionis imbutos, suspectosque igne damnandos Ecclesiæ sententia potius, quam sua de-

denuntiat . Magicos libros a S Cypriano ante converſionem elucubratos ab eodem , Baptiſmo accepto , flammis confeſtim fuiſſe combuſtos diſcimus ex S. Gregorio Nazian. in orat. 18. S.Pachomius apud Lippomanum tom.6 ad diem 14. Maji in mandatis dederat Monachis ſuis , ut Origenis libros omnes in flumen projicerent . S. Dionyſio Alex. vitio datum , ob idque reprehenſum a Chriſtifidelibus , quod libros hæreticorum legeret , auctor eſt Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 6. Morem viguiſſe , ut hæreticorum nullus ad fidem admitteretur , niſi libros hæretica labe infectos Eccleſiæ conſignaret, igni tradendos , teſtatur Socrates lib.1. cap. 24. S. Ephræmum digno ob id mactat elogio S. Gregorius Nyſſen. in ſerm. de ipſo , quod Apollinarii volumen , paginis ſingulis ex utraque parte glutine compactis , lectu impoſſibile reddidiſſet .

Memoriæ proditum eſt a S. Athanaſio de Incarn. Verb. more receptiſſimo noviter ad fidem converſos impietate , ac ſuperſtitione aſperſos Codices incendio conſumere conſueviſſe . Atque quidem Codices omnes pravis infectos dogmatibus , ne fidelium lectioni paterent , diſperdendos fore dicere familiare erat S. Gregorio Nazian. orat. 2. de fide : de quo dicta factis compenſante libros omnes Comicos , Lyricoſque gentis ſuæ , qui ei ad manum venire potuiſſent , igni conflangrandos traditos fuiſſe , fide affirmat ſua Cardanus lib. 2. ſapient. , confirmatque Petrus Alcyon in tract. de exilio , de quo Colomeſius Bibl.Selec. pag.409. oper. Montaniſtarum Codices , Theodoſio Imp. ſuffragante , S. Johannes Chryſoſtomus juſſit comburi , teſte Nicephoro lib. 8. cap.18. Sed & de ſe juniore ſcribit idem S. Doctor hom. 38. in Act. Apoſt. Magicæ artis librum , vigente edicto Valentis adverſus libros hujuſmodi , repertum in flumen abjeciſſe , ac ita ab ingruenti ſe diſcrimine eripuiſſe . Marcellum Ancyranum ideo damnatum, quod folia quædam igni delenda tradere obſtinate detrectaſſet , auctor eſt Socrates lib.1. cap. 6. S.Auguſtinus lib. de ver. Relig. cap.25. partium ſuarum reputabat videre , & providere , qui libri pro Religione colenda fidelibus permittendi forent ; quive ad periculum omne præcavendum eorum e manibus eripiendi eſſent . Idem lib.15. de Civit. cap.23. jure , optimeque libros complures apocry-

cryphos ab Eccleſia proſcriptos affirmare non dubitat: atque in Pſal. 61. a Mago quodam a ſe bonam ad frugem pertracto refert Codices impios, quorum antea lectione delectabatur, in ignem fuiſſe injectos. Eos libros prorſus omnes, quorum lectione incauti decipi, ac inſipientes infici poſſent, inhiberi volebat Severus Sulpitius in dialogo 1. cap. 1. Ab Euſebio Dorylæenſi impia Pauli Samoſateni, & Neſtorii dogmata nefariis ipſorum e ſcriptis decerpta, chartæque inſcripta publice damnanda fuiſſe denuntiata obſervat Jo. Fileſachus de Epiſcop. auctor. lib. 1. §. 7. Duos etiam Neſtorii libros ab Heſychio Hieroſol. flammis traditos memorat Jo. Moſchus prat. ſpir. cap. 46. S. Iſidorus in Regul. cap. 8. ab hujuſmodi librorum lectione, neu in erroris laqueos incurrere cuipiam contingat, cavere omnes jubet: & lib. 3. ſent. de Sum. Bono cap. 13. ideo prohiberi inquit Chriſtifideles figmenta Poetarum legere, ne oblectamento inanium fabularum eorum mens ad incentiva libidinum excitetur. Jo. Wicleſi libros a Sbincone Pragenſi Epiſcopo ad ducentos amplius collectos igni traditos concremandos teſtatur Æneas Silvius hiſt. Bohem. lib. 33. Mitto ſexcenta horum ſimilia, quæ congerere nec otium eſt, nec opus.

Age modo, tantam accipe Conciliis jugiter curam inſedisſe Chriſtifidelium e manibus pravos extorquendi quoſcumque libros, quanta profecto, quammaxime Religionis puritati, integritatique proſpiciendi eiſdem inerat. Libros itaque ſive hæreticos, ſive inhoneſtos lege a Conciliis lata abolitos, ac publice igni adjudicatos paſſim legere eſt: ut Arii a Nicæno I. in Synodica ad Eccleſ. Alex., & in Divali Conſtantini Imp. ad Epiſcopos apud Socratem lib. 1. capp. 9, & 19, Sozomenum lib. 2. cap. 19, Theodoretum lib. 1. cap. 9, Epiphanium Schol. lib. 2. cap. 12, & Nicephorum lib. 8. cap. 18: ut Ethnicorum, & Hæreticorum a Carthaginenſi IV. an. 398. Can. 16, de quo Gratianus Can. 1. *Epiſcopus* diſt. 57, & Cotelerius tom. 2. Patrum Sæculi I. pag. 127: ut Origenis a Theophilo in Alexandrino an. 399, a S. Epiphanio in Cyprio eodem anno apud Socratem lib. 6. capp. 7, 9, & 10, Sozomenum lib. 8. cap. 14, S. Hieronymum in epiſt. 78. ad Pammach., & Sulpitium Dialogo 1. cap. 2, ab Eulogio in Hieroſolymitano eodem an. 399. in Synodica ad Theophilum apud S. Hieronymum.

ronymum epiſt. 93. tom. 1. edit. Vallarſii, ab Euphræmio in Antiocheno an. 542, & a Menna in Conſtantinopolitano an. 543, de quibus Cyrillus Scythopolit. in vita S. Sabæ; ac Manſius Suppl. tom. 1. pag. 425, & ſeqq.: ut Neſtorii ab Epheſino act. 1. in Synodica ad Theodoſium, & Valentinianum Imp. apud Harduinum tom. 1. pag. 1443, & apud Liberatum Brev. cap. 10: ut Eutychetis a Chalcedonenſi, de quo in Divali Valentiniani, & Marciani Imper. ad Palladium Prætorio Præf. Actor. par. 3 cap. 9. edit. Hard. pag. 678: ut Severi, Petri, & Zoaræ a Johanne in Hieroſolymitano, ab Epiphanio in Tyrio, ab Epiſcopis Syriæ ſecundæ, & a Menna in Conſtantinopolitano an. 536. apud Baronium ad hunc an. n. 106, & Harduinum tom. 2. pag. 1342, & 1395: ut Theodori, Theodoreti, & Ibæ tria dicta Capitula a Conſtantinopolitano II, Generali V. collat. 8, & ab Euſtochio in Hieroſolymitano eodem anno 553, de quo in Nicæno II. act. 1, & Cyrillus Scythop. in vita S. Sabæ apud Cotelerium tom 3. Monum. Eccl. Græc. pag. 375: ut Priſcilliani, & Dictinii, libroſque ab Hæreticis indiſtinctim ſub Patriarcharum, aut Prophetarum, aut Apoſtolorum nomine confictos a Bracarenſi II. an. 561. cap. 17. Illuſtrius eſt, quod ex Concilio Turonenſi II. an. 567. celebrato ſuppetit argumentum, multumque confert non tam ad proprium in hac parte, quam Romani Pontificis jus proſcribendi libros confirmandum, inque tuto ponendum, dum Can. 20. eos dumtaxat vel admittendos, vel rejiciendos Auctores decernit, quos admiſit, vel rejecit Sedes Apoſtolica: *Quis Sacerdotum*, de S. Innocentii I. decretis loquens, *contra decreta talia, quæ a Sede Apoſtolica proceſſerunt agere præſumat? .. Quorum Auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut apocryphos fecit, & Patres noſtri* (quod haud modicam in Gallicanæ Eccleſiæ laudem vergit) *hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas?* In Toletano III. an. 589, qua de epocha Pagius ibid. n. 5, & ſeqq., Can. 16. Libellus quidam ab Arianis confictus anathemate confixus habetur. Quo etiam in Concilio Reccaredi Regis edicto ſancitum, ut hæreticorum libri ad unum omnes igne abſumerentur, refert Aimoinus de reb. Franc. lib. 3. cap. 77. Quod vero ſummo honoris, jurisque

loco Romanam Eccleſiam habitam ab Hiſpana oſtendit, Caput 17. eſt Concilii Toletani IV. an. 633, quo S. Johannis Apocalypſim aliquibus dubiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate vindicat, interque Divinos libros admittendam ullo abſque dubio decernit. Viciſſim in Toletano XII. an. 681. Can. 9. vel Judæi libros illos legere interdicuntur, a quibus Chriſtiana abhorret Reſpublica.

A Synodo Quiniſexta, ſive Trullana an. 706. Can. 63. pſeudo-epigraphæ SS. Martyrum hiſtoriæ, ad eos potius ignominia afficiendos falſo confictæ, tanquam fide prorſus indignæ conflangrandæ igni tradi jubentur. In Nicæna II. Synodo, ſive Generali VII. Can. 9, ſcripta omnia contra SS. Imagines ut conſignarentur, in Epiſcopio cum ceteris hæreticorum recondenda libris, cautum ſummopere, curatumque legitur. Cui decreto conformis editus a Maronitis in Concilio in Monte Libano celebrato an. 1596. ſub Patriarcha Sergio Petro Canon 20. legendus proſtat apud Manſium Suppl. tom. 5. pag. 1218. Quid quod in Seleucienſi an. 820. apud Aſſemanum Bibl. Orient. tom. 3. par. 2. pag. 188. a Neſtorianis Can. 110. ex eis, qui in Nomocanone Arabico extant, libros abſque Doctorum approbatione publicari diſerte prohibitum eſt? Quatuor Photii libros in Synodo VIII. igne combuſtos refert Nicetas in vita S. Ignatii. Johannis Erigenæ, & Berengarii libros a Vercellenſi an. 1050, S. Leone IX. Præſide, damnatos intueri licet apud S. Lantfrancum in Comment. adverſ. Bereng., ac Durandum Troarn. in opere de Corp., & Sang. Chriſti. Quorſum vero Laicis S. Scripturæ libros, ac in vulgarem præſertim ſermonem translatos, diſtricte prohibuiſſet Concilium Toloſanum an. 1129. cap. 12, niſi quia, experientia docente, ex horum lectione utilitatis quidem parum, detrimenti autem plurimum a Laicis capi didicerat? Caput hoc vero 12. eamdem ob cauſſam inſtauratum a Conciliis Toloſano altero anno 1229. videre licet cap. 14; ab Oxonienſi an. 1408. cap. 7; a Bituricenſi an. 1584. tit. 14. Can. 1, & ſeqq., & tit. 4. Can. 1, & ſeqq., a Cameracenſi an. 1586. tit. 1. cap. 4, a Narbonenſi an. 1609. cap. 3, a Jaſienſi quin etiam an. 1672. cap. 18. quæſt. 1, a Brugenſi, Yprenſi, Gandavenſi, Namurcenſi, ac Leodienſi, de quibus P. Fontana tom. 3. adverſ. Queſnelli prop. pag. 593, ac

ac Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 6. cap. 10. n. 3. Ariſtotelis libros adverſam expertos fortunam in Pariſienſi an. 1209, cumque Almarici, Magiſtri David, aliiſque de Theologia libris perperam elucubratis, igne damnatos referunt Rigordus in hiſt. Philippi Aug. ad hunc an., Robertus Antiſiod. in Chron. ad an. ſeq., & Cæſarius Heiſterb. lib. 5. Dialog. cap 22. Confer, qui ſimiles caſus refert, Spondanum ad an. 1204. n. 18. A Conſtantienſi Jo. Wicleffi, Jo. Hus, & Hieronymi Pragenſis impia ſcripta ſeſſ. 8, 15, 19, & 21. infamiæ nota inuſta, igni comburenda fuiſſe tradita compertum eſt. Johannis Reuclini volumen, quo infeſtos Hebræorum libros abolendos fore inficiabatur, Coloniæ publico in foro igne combuſtum affirmat etiam Sleidanus lib. 2. Johannis Ruchardi libros Moguntiæ eamdem ignis pœnam, ipſomet, Populoque inſpectante ſubjiſſe refert Trithemius in Chron. Spanhemenſi pag. 391. Libros de fide Catholica, deque rebus Eccleſ. tractantes abſque Epiſcoporum licentia imprimi Synodali Conſtit. edita an. 1491. apud Manſium Suppl. tom. 6. pag. 681, & ſeq. prohibuit Nicolaus Francus Tarviſinus Epiſcopus, ac Sedis Apoſt. Legatus: librum vero de Monarchia Antonii Roſelli; atque Tractatus, & Concluſiones D. Mirandulani infra dies 15. flammis tradi conflagrandos præcepit. In Cantuarienſi an. 1530. apud Manſium tom. 5. pag. 526, & ſeqq. Indicem textum intueri licet librorum, qui data compoſiti fuerant opera a Willelmo Tindal, Simone Fishe, Willelmo Roy, Richardo Brightvvel, Luthero, Pomerano, Franciſco Lamberto, Uldarico Zuvinglio, Jo. Brentio, Philippo Melanchtone, Chriſtoforo Hegendorphino, Andrea Altemaro, aliiſque, quorum a lectione Chriſtifideles abſtinere docentur, jubenturque. Pari ſtudio venenatis a paſcuis fideles arcendi Concilii Colonienſis II. an. 1549. Epiſcopi affecti cap. 4. eoſdem abhorrere valdequam admonent, pœniſque ſub gravibus præcipiunt, a libris quotquot ex officina prodiere Lutheri, Buceri, Calvini, Oecolampadii, Bullingeri, Lamperti, Melanchtonis, Corvini, Capitonis, Brentii, Pomerani, Pellicani, Muſculi, Sarceri, Hegendorphini, Hermanni Bonni, Oſiandri, Spagenbergii, Olendorpii, Hedionis, & Sebaſtiani Frank, donec pleniori Indice de perniciosis aliis abjiciendis inſtruerentur.

Tandem a Tridentino hac optima ratione Chriſtianæ Reipublicæ bono proſpectum eſt, omniquc conſultum periculo, quod ex malorum lectione librorum ingruere poſſet. Poſtquam enim Seſſ. 4. Decreto edito S. Scripturæ libris ſua & auctoritas, & reverentia aſſerta fuiſſet, & conciliata, atque pro authentica vetus, ac vulgata Editio habenda fore declarata fuiſſet, atque, Seſſ. 18. decreto altero de librorum delectu viris doctiſſimis impediriſſima provincia iſta Indicem conficiendi librorum, qui pernicioſi forent, vel ſuſpecti, quidque facto opus eſſet, perpendendi fuiſset impoſita, Seſs. 25. in contin. Seſs. cap. 3. Indici librorum actutum Pii IV. P. M. judicio, auctoritateque promulgando ſtandum fore ſancivit. Qui plane Index librorum interdictæ lectionis ab eodem Pontifice Conſt. *Dominici Gregis* die 24. Martii 1564. decem inſtructus Regulis in lucem productus, tanto confeſtim in pretio habitus eſt, ut certatim ubique gentium Concilia ſuis in Provinciis admittere, ejuſque obſervantiam urgere religioni, officioque duxerint, quorum brevem ecce tibi Elenchum. Ita Cameracenſe an. 1565. art. 1. cap. 1, & ſeqq. Mediolanenſe I. eodem anno par. 1. Conſt. 1. Trajectenſe an. 1565. apud Manſium Suppl. tom. 5. pag. 768, a quo peregrinos importari libros prohibitum legitur, aut diſtrahi, antequam ab iis, ad quos pertinet, approbati fuerint. Sipontinum an. 1567. Conſt. 1. Ravennatenſe an. 1568. apud Laderchium in append. tom. 2. pag. 348, & ſeqq. cap. 1. de libr. prohib. Urbinatenſe an. 1569. cap. 1. de lib. prohib. Mediolanenſe II. eodem an. tit. 1. decr. 1. Florentinum an. 1573. Rubr. 2. de lib. prohib. capp. 1, & 3, ubi libros prohibitos retinentibus pœnæ in Bulla Cœnæ commemoratæ interminantur. Mediolanenſe III. eodem anno decr. 4. Neapolitanum an. 1576. cap. 2. Conſentinum an. 1579. Seſs. 1. cap. de libris exhibend. Mediolanenſe V. eodem an. par. 1. Conſt. 1. Rotomagenſe an. 1581. cap. 3. n. 3. Burdigalenſe anno 1583. de inſtitut. Seminar. cap. 7. Turonenſe eodem an. tit. 4. Bituricenſe an. 1584. tit. 4. Can. 4. Aquenſe an. 1585. tit. 4. Mexicanum eodem an. lib. 1. tit. 1. de impreſ., & lect. lib. §. 1, 2, & 3. Cameracenſe an. 1586. tit. 1. capp. 3, & 4, ac tit. 21. cap. 1. Toloſanum an. 1590. par. 4. cap. 11. Avenionenſe an. 1594. tit. 7.

tit. 7. Salernitanum an. 1596. cap. 2. Aquilejenſe eodem an. Rubr. 2. S. Severinæ duo an. 1597. tit. de lib. exhib. Amalphitanum eodem an. cap. 1, & ſeqq. de lib. prohib., ubi Epiſcopis valdequam commendatur obſervantia Regularum, quas circa libros edidit Clemens VIII, atque Decretorum, quæ circa libros adornata ſunt in Conciliis Lateranenſi V. ſub Leone X. ſeſſ. 10, & in Tridentino ſub Paulo III. Seſs. 4. Diamperitanum an. 1599. edit. Facundi Raulin, in quo act. 3. cap. 14. Sacr. librorum Catalogus a Tridentino concinnatus exhibetur, atque decreto 14, & ſeq. alter librorum attexitur Index ampliſſimus, a quorum lectione abſtinere Malabari jubentur. Mechlinenſe an. 1607. tit. 1. cap. 5. & ſeqq. Narbonenſe an. 1609. cap. 3. Burdigalenſe an. 1624. cap. 1. de prof. fid. §. 9. Zamoſcienſe Ruthenorum an. 1720. apud Manſium tom. 6. pag. 325. tit. 1. de fide Cathol. Quæ quum ita ſe habeant, viden quam temere, & inique adverſus Indicem a Tridentino indictum calamum ſtrinxerit Kemnitius! Quam inſcite, & inſolenter Daniel Francus in diſquiſit. Theolog. de Indice libror. prohib. ſcripturierit novum id eſse in Eccleſia, correctiones eſse abuſus, nec hæreticorum expungenda elogia!

Atqui per hæc longe, lateque pervagatus, hæſiſſe tamen hactenus in limine tarde mihi videor, nec ad intimum me pervaſiſſe uſque adhuc adytum, nec ad id, quod rei caput eſt, ac ſumma, pertigiſſe. Quamquam poſt hæc tam clara, tamque teſtata, quis æqui probus, juſtique æſtimator hanc, quæ pro cujuſque Provincia Synodis permiſſa ſemper fuit, juris particulam Romano Pontifici toto pro Orbe, qua late patet, cujus regimen gerit, aut integram adimendam, aut dimidiatam adjudicandam arbitretur, & ambigat? Atque omnium quidem olim librorum in Eccleſia tam Orientali, quam Occidentali examen Pontificis unius auctoritate fieri, ac finiri conſueviſse appoſite obſervant Baronius ad an. 490. n. 43, Spondanus in Epit., ac Bail. tom. 1. in Concil. Later. III. circa fin. Ideo S. Baſilius ſuo, Orientaliumque nomine repetitis ad S. Damaſum litteris, ac Legationibus hæreticorum libros ad ejus Tribunal damnandos ſiſtere officio, religioneque duxit, ingenti ei laudi vertens, quod eidem uni datum a Deo eſſet de Auctorum doctrina, veluti de paſcuis tam noxiis, quam

ſalu-

ſalutiferis, diſcernere, ut Chriſtifideles inde diſcerent, a quibus abſtinendum ipſis ſit, quibuſque danda opera: *Abſque dubitatione*, in epiſt. 69. inquiens, *ſumma laude dignum judico, quod Vobis a Domino conceſsum eſt, ut fucatum a probato, puroque diſcernatis, Patrum autem fidem ſine ulla prævaricatione prædicetis* &c.; quorum ſimillima regerit in epiſt. 74. S. Gregorius Nazian. quoque de Vitali Apollinariſta, a quo cum S. Damaſo, tum ſibi fucus, fide ſimulata, factus aliquando fuerat, loquens in Orat. 52, quæ eſt epiſt. 2. ad Cledonium, ipſius dolos tandem a Pontifice detectos fuiſse, unaque cum libello ipſum damnatum affirmat. Ideo S. Ambroſius ſupernum illud in S. Siricio lumen ſuſpiciens, quo Joviniani, ſociorumque Virginitati derogantium impia detexerat, ac improbaverat dogmata, quaſique in admirationem raptus in epiſt. 81. Synodica præclaris hiſce Pontificem alloquebatur verbis, quibus profecto liquidum Pontificio in hac parte juri teſtimonium perhibet: *Recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui fideliter commiſſam Tibi januam ſerves, & pia ſollicitudine Chriſti Ovile cuſtodias; dignus, quem Oves Domini audiant, & ſequantur: & ideo quia noſti Oviculas Chriſti, Lupos facile deprehendis, & occurris quaſi providus Paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, feralique ululatu Dominicum Ovile diſpergant*. Notavit hoc ipſum in S. Anaſtaſio I. P. M. S. Hieronymus, a quo geminam ob cauſsam jure optimeque vapulat Ruffinus lib. 3. adverſ. ipſum, quod ad dicendam cauſſam Romam evocatus, ſcriptis potius abſens, quam verbis coram patrocinium fidei ſuæ accommodare quæſiviſſet; id propterea, quod perſpicaciſſimo Pontifici ſuſpectam ipſius fecit Apologiam: quodque probatam hancce ceteris Italiæ Epiſcopis jactare Ruffinus non erubeſceret, quaſi nempe horum illi æquipar eſſet auctoritas; id perinde, quod acerbioribus hiſce caſtigat verbis: *Miror, quomodo probaverit Italia, quod Roma contempſit; ſuſceperint Epiſcopi, quod Sedes Apoſtolica condemnavit?* Ideo S. Auguſtinus ad S. Bonifacium I. ſcribens, quæ libris quatuor duabus Epiſtolis Pelagianorum reſpondebat, ad eum potiſſimum dirigere ſe conſtituiſſe ſignificabat lib. 1. cap. 1., ut ea ab ipſo non tam diſcerentur pro informatione, quam pro auctoritate examinarentur, ac ſicubi for-

forſitan aliquid diſplicuiſſet, minuſque recte poſitum animadverſſet, emendaretur.

Ampliſſimæ poteſtatis hujus, qua potis eſt Romanus Pontifex, approbe conſcius Theodoretus, de fide in judicium ab Epiſcopis poſtulatus, quod Neſtorium ab errore immunem exiſtimaſſet, S. Cyrillo viciſſim in Neſtorium minus æquo ſuccenſuiſſet in epiſt. ad ipſum Neſtorium, ac in altera epiſt. ad Andream Samoſatenum, ſe, ſuaque ſcripta apud S. Leonem M. per epiſtolam purgaturus appellens, ipſius in conſpectu, cujus maximi faciebat judicium, minoris aliorum ab ſe fieri libere profeſsus eſt: *Ego*, inquiens in epiſt. 52. edit. Baller. in edit. Queſnel. poſt epiſt. 47, *Apoſtolicæ Sedis expecto ſententiam, & oro, atque obteſtor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum, ac juſtum Tribunal veſtrum invocanti* (Græce Ἐπικαλουμένῳ, quod *appellanti* æquiparatur) *opem ferat, jubeatque ad Vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere*. Pergens deinde libros amplius triginta percenſere, quos diverſis temporibus adverſus Arianos, & Eunomianos, Judæos, & Gentiles, ac Magos Perſas, quoſque de univerſali Providentia, de Theologia, deque Divina Incarnatione, cum in Apoſtolica Scripta, tum in Prophetica Oracula elucubraverat, ex hiſce libris Pontificem vult dignoſcere: *An ſtabilem fidei regulam ſervaverim, an ab ejus rectitudine deflexerim*. Pari conſilio Poſſeſsor Africanus Epiſcopus ſuarum Explanationum in S. Pauli Epiſtolas codicem ad S. Hormiſdam recognoſcendum tranſmiſit, deque Fauſti Regienſis libris, quorum occaſione ingentes Conſtantinopoli turbæ commotæ, agitatæque fuerant, Pontificis ſententiam quæſivit: qua de re ipſius ad S. Hormiſdam legenda relatio apud Harduinum tom. 2. pag. 1037, & ſeq. Controverſia trium Capitulorum vigente, Eutychio Patriarchæ Conſtantinopolit. id erat perſuaſum, Romani abſque Pontificis auctoritate circa ea confici nihil rite poſſe: quare per epiſtolam Vigilium obnixe rogavit, & obteſtatus eſt, ut ad Epiſcoporum conſeſſum venire non gravaretur, primo loco de tribus Capitulis dicturus: *Petimus*, inquiens, *præſidente nobis veſtra Beatitudine . . . communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri, & conferri, & finem quæſtioni imponi*. Vigilii pariter

ſen-

ſententiam circa tria Capitula prius expectandam conteſtatus fuerat Ephræmius Patriarcha Antiochenus: quia tamen poſtea ipſe Edicto Juſtiniani de tribus hiſce Capitulis invitus ſubſcripſerat, ad Pontificem in Siciliam Legatum miſit, per quem ſe purgaret, non ignorans ſcilicet de factis dogmaticis judicium ferre primas, eaſque præcipuas Romani Pontificis eſſe partes. Verſa Facundus vice, ſed eòdem recidente, errore deceptus Ibæ epiſtolam a Concilio Chalcedonenſi approbatam exiſtimans, judicium iſtud a Sede Apoſtolica confirmatum amplius retractari nequire generali hacce pugnat, & propugnat regula in epiſt. ad Pelagium, & Anatolium Rom. Eccl. Diaconos: *Quæ finiuntur judicantibus Epiſcopis Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur* (En Synodalem poſt ſententiam adhuc patentem ad Apoſtolicam Sedem aditum, novoque locum examini? En Synodicis Epiſcoporum ſententiis ab Apoſtolica Sede amplius robur adquiſitum!) *ſequenda ſunt, amplectenda ſunt, in retractatione, ſub qualibet pietatis occaſione, teneri non debent.* Juxta hæc igitur, quæ S. Eulogio Patriarchæ Alexandrino inſita pariter erant, penitiuſque inſerta, Scripta ſua adverſus Agnoetas examini, atque judicio S. Gregorii M. ſubjicere ipſum non piguit, veluti fidem indubiam facit Gregoriani Regeſti lib. 8. Epiſtola 42, nunc lib. 10. epiſt. 39.

Nec aliter cogitare, agereque contingebat ſive S. Bonifacio Moguntino, ſive S. Anſelmo Cantuarienſi: illi quidem, ut qui in epiſt. ad Stephanum II, aliis III. apud Baronium ad an. 752. n. 16. dictorum, factorumque rationem eidem reddens: *Si minus*, inquit, *perite aliquid, aut injuſte a me factum, vel dictum reperitur, judicio Romanæ Eccleſiæ prompta voluntate, & humilitate emendaturum me ſpondeo*: iſti vero, utpote, qui lib. de Incar. Verbi cap. 1. Urbanum II, cui opus inſcripſit, emendandumque ſubmiſit, hiſce religionis affari refertiſmis verbis e re duxit ſua: *Quoniam Divina providentia veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, ſiquid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, ut ejus auctoritate corrigatur; nec ulli alii tutius, ſiquid contra errorem reſpondetur, oſtenditur,*

ditur ; ut ejus prudentia examinetur. Veteri, receptiſſimoque uſui huic, quo venerat, ut Romano Pontifici, quæ ſcripta eſſent Catholica, cognoſcenda, cognitaque comprobanda ſubjicerentur, preſſe inhærentes Hugo Etherianus, & Joachimus Abbas, optima uterque ratione hacce famæ ſuæ, fideique conſuluere, Apoſtolicæ Sedi ſe, ſcriptaque ſua ſubmittendo, prior tres de hæreſibus libros ſuos Alexandro III, a quo approbe acceptos fuiſſe, argumento eſt epiſtola 49. apud Binium tom. 7. par. 2. Concil. pag. 637, & Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 417; poſterior tam in prologo ad Apocalypſim, quam privata in epiſtola ſcripta ſua omnia Sedis Apoſtolicæ judicio approbanda, ſeu emendanda ſupponens, cujus ideo perſona in Concilio Lateranenſi IV. cap. 2. Decret. lib. 1. tit. 1. §. 2. *Siquis* integra permanere ab Innocentio III. promeruit. Veſtigiis hiſce proxime inſiſtentes, Gotfridus Viterbienſis opus ſuum, Chronicon ſcilicet univerſale, Urbano III. inſcripſit, & in epiſt. nuncupatoria ipſius ſubmiſit judicio, & Stephanus Tornacenſis Cæleſtinum III. per epiſtolam obnixe deprecatus eſt, ut auctoritate ſua Academias ad uniformem docendi rationem dirigeret, & ad veritatis ſectandum ex animo ſtudium adigeret: *Hæc omnia*, de abuſibus loquens, qui in Academias irrepſerant, *Pater correctionis Apoſtolicæ manum deſiderant, ut uniformitas docendi, diſcendi, diſputandi auctoritate veſtra ad certam redigatur formam, ne ſermo Divinus attritione vulgari vileſcat*. Præ quibus porrigere aures præſtat Angelico Doctori S. Thomæ, qui documento, exemploque hac in re omnibus eſſe debet. In epiſtola enim dedicatoria Catenæ aureæ præfixæ Evangelio S. Matthæi, de qua adeundus, ſi placet, vir doctiſs. Jo: Franc. Bernardus Maria de Rubeis Ord. Præd. de geſtis, & ſcriptis S. Thomæ diſſert. 5. cap. 1, & ſeqq., ad Urbanum IV, cui & opuſculum contra errores Graecor. dicavit, dequo præf. ipſius vindex in diſſert. 17. cap. 2, religionis ſuæ eſſe duxit opus illud, ejuſdem Urbani juſſu inceptum, Apoſtolicæ Sedis judicio corrigendum, emendandumque ſubjicere: *Suſcipiat*, inquiens, *veſtra Sanctitas præſens opus veſtro diſcutiendum, corrigendumque judicio, veſtræ ſollicitudinis, & obedientiæ meæ fructum, ut dum a Vobis emanavit præceptum, & Vobis reſervetur finale judicium*.

Quam in sententiam perinde faciunt, quæ prope moriturus, postquam sacro fuisset Viatico refectus, veluti colophonem tam vitæ suæ, quam scriptis impositum, præclara, in quæ sic effatus est, verba: *Ego de isto Sanctissimo Corpore D.N. J. Christi, & aliis Sacramentis multa docui, multa scripsi in fide Jesu Christi, & S. Romanæ Ecclesiæ, cujus correctioni cuncta subjicio, cuncta suppono.* Tanti Doctoris, tamque præclaro edocti exemplo Pontificis judicio pariter opera suppositere sua Johannes Parisiensis in præf. libri de potest. Regia, & Papali, Durandus a S. Portiano in præf. ad quatuor libros Sentent., ac Thomas Bradwardinus in præf. opusculi de caussa Dei contra Pelagium.

Ut esset vero animo contentiosissimus, irreverentissimoque honestos erga viros affectus Johannes Reuchlinus, Græce Capnio, non adeo tamen aut mentis impos, aut religionis evaserat immemor, quin officio reputaret elucubrationes suas, si eas vellet in tuto consistere, Sedis Apostolicæ tribunali sistere; ideoque de arte Cabalistica ad Leonem X. ad finem libri: *Totum hunc librum*, ita loqui instituit, *Tuæ subjicio auctoritati, cujus in arbitrium collata est totius Mundi censura, ut quæ displiceant, rejicias, & tunc lætabor cetera placuisse.* Religiosum quoque, e reque Theologica quammaxime esse animo reputans P. Christophorus a Capitefontium Ordin. Minor. Generalis Minister, ut tot, tantæque jamdiu in Scholas invectæ, quæ veritatis minus similes, christianæque Reipublicæ minus utiles quæstiones, qua studiosorum fovendæ concordiæ ineptæ, neque nisi tricarum, nugarumque plenæ disputationes amputarentur, proculque abigerentur, in sui Operis præfatione de necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ Sixto V. P. M. inscripti Apostolicæ Sedis censoriam adhiberi virgulam, correctricemque manum, quibus potuit, obnixioribus deprecatus est votis. Bene quoque, optimeque huc cadit, quod Emin. Baronius ad an. 256. n. 40. in eorum animadvertit temeritatem, qui pro Origene, post latam in ipsius personam, librosque Romano a Pontifice damnationis sententiam, Apologias adhuc adornare non ambigunt. Quod Cardinalis Norisius in Apolog. Monachorum Scythiæ de judicio Synodi V. loquens a Vigilio P.M. confirmato de tribus Capitulis, in hujus genus judiciis neque errori

rori obnoxiam Eccleſiam eſse, neque poſt latum ab Eccleſia judicium, novo locum examini, iterandæque relinqui ſententiæ affirmat, & confirmat: *Quo judicio*, inquiens, *demonſtratur in damnandis propoſitionibus in ſenſu ab Auctoribus intento non errare Eccleſiam, neque latum ab eadem ſemel judicium poſſe retractari*. Quod Emin. Aguirrius in defenſ. Cathedræ S. Petri diſput. 20. ſect. 3. indubitanter tenendum docet, invicteque demonſtrat Romanum Pontificem e Cathedra de facto dogmatico loquentem falli, aut fallere nullo poſse modo. Quod Cardinalis Lauræa tom. 3. Theolog. diſput. 6. art. 6. quærens 1. an propoſitiones de facto dogmatico, ſive de facto cum dogmate permixto objectum fidei eſse poſſint, ſuo ita rem definit judicio: *Dico* 1. *Dum Eccleſia in Concilio, aut Rom. Pontifex extra Concilium damnat aliquam doctrinam cum expreſſione Auctoris, v. g. Sabellii, Cerinthi, aut Eunomii, vel Arii &c., licet totum complexum includat aliquid facti, damnatio illa eſt objectum fidei; ideo abſolute, & ſine diſtinctione facti a jure, eſt recipienda, ut fidei objectum*. Quærens 2. an de quæſtionibus hujuſce genus de ſenſu ab Auctoribus intento loquenti Eccleſiæ, aut Pontifici, tanquam de rebus ad fidem pertinentibus loquenti, adquieſcere Chriſtifideles oporteat, hanc conſequenter reſponſionem aptat: *Dico* 2. *Dum Eccleſia ſeu in Concilio generali, ſive Rom. Pontifex ſolus damnat doctrinas cum hac formula loquendi*: In ſenſu Arii, in ſenſu Neſtorii &c., *eſto tota illa complexio conſtet ex facto, & jure, & ratione unius non ſit expreſſe revelata, non propterea definitio illa ceſſat eſſe objectum fidei; ideo ut talis recipienda ab Eccleſia*. Confluunt in hanc pedibus, manibuſque ſententiam Cardin. Albitius de inconſt. in fide cap. 30. & in refut. hiſt. Inquiſ. F. Pauli Suavis, atque is eſt, qui Bullam adverſus Janſenii librum ſub Urbano VIII. conſcripſit; de Lugo de fide diſput. 21. ſect. 2; & Petra in comment. ad Conſt. unic. *Valde* S. Gelaſii I. tom. 1. ſect. unic. pag. 77, & ſeq., & ad Conſt. 2. *Impia* Innocentii IV. tom. 3. pag. 8, & ſeqq.; Gerſonius de exam. doctrin. tract. 1. par. 1. conſid. 1, & ſeqq.; Riciulius de jure perſon. lib. 5. cap. 22, & ſeq.; Suarez de Cenſur. diſp. 21. ſect. 2, & de tripl. virtut. diſp. 20. ſect. 2.; Theophilus Raynaudus de bonis, & malis lib. partit. 3; Azorius Inſtit. moral. par. 1.

lib. 8; Leonardus Pennafiel de virt. fidei disp. 16. sect. 2; Jo: Filesachus de Episcop. auctor. lib. 1; Puteanus Herbaultius in Teotino, sive tribus libris de condemnandis libris malis; Gretzerus de jure, & modo prohibendi libros oper. tom. 13. pag. 17, & seqq.; Vericelli de Apostol. Missionibus q. 195; Bordonus in Tribun. cap. 14; Braschius de libert. Eccl. circa beneficia tom. 3. cap. 26; Maffejus hist. Theolog. lib. 3. §. 7. n. 5, lib. 6. §. 11. n. 7, & lib. 7. §. 15. n. 3, ac §. 17. n. 4; sexcentique alii, quibus ne longius abeam, supersedeo.

Atque cedo mihi denique egregiam Gallicanæ Ecclesiæ, germaneque orthodoxam, atque constantissimam in caussa Jansenii doctrinam. Enim vero principio sacra Parisiensis Facultas an. 1656. propositionem ab Antonio Arnaldo ad defensionem damnati Jansenii libri excogitatam, qua factum a jure distinguens ajebat ad obedientiam sive Synodicis decretis, & sanctionibus debitam satis esse, si erga facta ab ipsis definita obsequiosum, religiosumque observaretur silentium, gravissima infamiæ nota afficere non dubitavit. At enim Episcoporum potius, quam Theologorum, quos eadem e gente plures, nobilissimosque congerere alioqui præsto esset, sententia profligandam, conficiendamque rem istam aggredior. Quamobrem octoginta, & quinque Galliarum Episcopi, postquam an. 1650. ad supremum Innocentii X. Tribunal quinque Jansenii propositiones detulissent, easdemque propositiones a Pontifice data Constit. *Cum occasione* an. 1653. damnatas accepissent, in suis ad eumdem gratulatoriis litteris ejusdem anni declarare religioni duxerunt: *Christianos omnes ex officio teneri huic Constitutioni mentis obsequium præstare.* Ad hæc in epist. anno seq. ad eumdem Pontificem exarata fide affirmare sua non dubitarunt *Discipulos Jansenii a veteri fidei deposito, cujus custodia Cathedræ Petri a Christo concredita est, partem adimere tentare.* Quia nempe factum Jansenii definienti fidem, ac mentis obsequium denegant, quasi eo in facto ab æquo, & recto aberrasset: quod nemo absque intolerabili superbia, & pertinacia contendere potest, velut ait loco paullo superius laudato doctiss. Aguirrius. Ad hanc iterum perdomandam Jansenistarum pertinaciam, qua distincto facto a jure, factum silentio dumtaxat obsequioso decorare non tam,

tam, quam obſcurare pergebant, & obtegere, inſtauratis anno 1663. a Alexandrum VII. litteris, quid pro munere paſtorali ab ſe publicis in Comitiis ſuffragio communi præſtitum fuiſſet, quid pro ſuprema auctoritate ab ipſo Pontifice foret præſtandum, avide præſtolantes, exponebant: *Mirifica*, inquientes, *noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis* (Janſeniſtarum) *reprehendendis extitit conſenſio: viſa ſunt enim ſubdola, ſimulatum dumtaxat obſequium præſeferentia, mente verſipelli, & callida concinnata.* Nec heic quidem ampliſſimi Cleri pro fidei integritate flagrantiſſimus hæſit zelus, ac ſe cohibuit, ſed in ſuarum quoque deliberationum relatione, quam adornavit Petrus de Marca, & calculo ſuo probarunt Epiſcopi, circa facti quæſtiones probe diſtincto facto perſonali, ac puro a facto mixto dogmatico, ſive cum jure conjuncto, provide apud omnes id certum, teſtatum, conſtanſque juſſit, Eccleſiam quidem in facto privato, peculiari, perſonali, ac puro errare poſſe, non etiam in facto dogmatico, ſive cum jure conjuncto, quod ſcilicet Dei Verbo ſcripto, vel tradito innixum ſit. Præterea in Comitiis an. 1700. celebratis, ut habetur tom. 1. Monum. Cleri Gallic., in præfat. Cenſuræ, qua multas propoſitiones inuſſit, hæc prudenter appoſita nota eſt ad ſecernendos a germane orthodoxis Janſenii labe infectos homines: *Neminem pro ſuſpecto* (Janſeniſmi) *habendum, niſi eum, qui aut Conſtitutionibus Apoſtolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis propoſitionibus tueatur*: in Cenſura vero priorum quatuor propoſitionum tanquam inquieti homines ſignatim infamia notati ſunt, qui Conſtitutiones Innocenti X, & Alexandri VII, ac Innocentii XII. Brevia aperte contemnunt, & cauſſam Janſenii, quaſi finita necdum eſſet, de integro retractari volunt, & inſtant. Quum autem iterum an. 1701. occaſione celebris *Conſcientiæ Caſus* indeflexi ad frugem homines, quietiſque impotes obtrudere inſtituiſſent, religioſum, obſequioſumque ſilentium ſat eſſe, ſuperque æſtimandum ad faciendum Alexandrino formulario ſatis, obedientiamque Apoſtolicis Conſtitutionibus exhibendam, tum Cardinalis Noallius in Cenſura an. 1703. in dictum Caſum lata, & Galliarum Epiſcopi alii, nominatimque Meldenſis, & Carnotenſis in ſuis Inſtructionibus doctrinam in eo Caſu traditam Conſtitutionibus

bus Innocentii X, & Alexandri VII, ac Innocentii XII. Brevibus ad Epiſcopos Belgii directe, palamque adverſari, ac viciſſim mentales reſtrictiones fovere, quin etiam favere perjuriis declarare explicite non dubitarunt; tum ſacra quoque Pariſienſis Facultas in Cenſura an. 1704. in eumdem Caſum elucubrata diſerte edicere non ambegit, eam doctrinam eiſdem dignam inuri notis, quibus jampridem eadem in Antonio Arnaldo inuſta fuerat: quin inſuper quadraginta Pariſienſes Doctores, qui inconſultiſſimam ei Caſui ſyngraphan appoſuerant, ad eam revocandam compulit, duoſque e Magiſtris in ſententia permanentes ex albo Doctorum expungendos decrevit. Clementinæ denique Conſtitutioni *Vineam Domini* an. 1705. editæ, qua Innocentii X, & Alexandri VII. Conſtitutionibus optime cohærere Clementis IX, & Innocentii XII. Brevia tam oſtendebatur, quam Janſeniſtis effugium omne ejuſmodi Apoſtolica eludendi decreta intercludebatur, eiſque internum etiam mentis obſequium deberi explicite edicebatur, Gallicanus idem Clerus in Comitiis eodem anno Pariſiis celebratis, datis inde cum ad Pontificem gratulatoriis litteris, tum ad ceteros Galliarum Epiſcopos Encyclicis ſe penitus adquieſcere, ab eaque proſcriptum obſequioſum ſilentium non ſufficere, ſed Apoſtolicis Decretis interius obſequendum quoque eſſe, fateri, & profiteri officio habuit. Sed & ſacra Pariſienſis Facultas eamdem Conſtitutionem ea, qua par erat, animi demiſſione, & obſequio recipere, ac in publicas Scholæ tabulas referre religionis loco duxit. Quibus nihil illuſtrius, ac luculentius deſiderari poteſt ad oſtendendum, quam lato oſtio a veritate aberrent Janſeniſtæ non modo id juris de libris, de Auctorum ſenſu, deque factis dogmaticis definiendi Eccleſiæ denegantes, ſed & ii quoque id ipſum jus Romano Pontifici abjudicantes. Quod magis magiſque ex ſequentibus, quæ aggredior ſtatim, planum fiet.

Tot igitur tandem e diverticulis, ut ita dicam, rediens, propius in cauſſam, quam mihi propoſui, tempus, ut invadam, me urget, hoc eſt ad argumenta, & documenta procedam, quibus proxime demonſtretur Romano Pontifici libros proſcribendi, damnandi propoſitiones, deque factis dogmaticis definiendi jus iſtud tam juge, ſacrumque, quam integrum, ſolemneque ſtetiſſe ſem-

ſemper. Ordine igitur Chronologico progrediendo, atque iis prætermiſſis, tanquam veritate parum ſuffulti, quæ de Cataphrygum libris a S. Sotere proſcriptis feruntur apud Prædeſtinatum, lib. 1. hær. 26, ad eos Pontifices accedo, a quibus Ariana doctrina aut præfocata eſt, aut proſcripta. Arium, ejuſque aſſeclas errores ſuos variis verborum ambagibus involvere, Veteratorum omnium more, conſueviſſe, nihilque magis obtendiſſe, quam a ſe vocem ὁμόϑεον negari, in ſenſu tamen aut Valentini Dei Filium prolatione tantum dici affirmantis; aut Manichæi partem ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ Dei Filium exponentis; aut Sabellii Filium Dei nomine tenus, non perſona reapſe a Patre diſtinguentis; aut Pauli Samoſateni Verbum Dei non utique ſubſtantivum, ſed prolativum ſolummodo, ſeu imperativum effutientis, quod tum primum hypoſtaſim habere cœperit, quum in utero Virginis Homo factus eſt; aut Hieracis Dei ſubſtantiam dividentis, adeo ut ſicut lucerna duobus oleum inter ſe communicantibus inſtructa lychnis duplex profundit lumen, ita Divinitas in Patrem, ac Filium, duas veluti in partes diviſa ſit, teſtes ſunt S. Athanaſius lib. de Synodis Arim., & Seleuc., S. Hilarius lib. 6. de Trinit., S. Epiphanius hær. 69, Theodoretus lib. 1. cap. 6, Socrates lib. 1. cap. 6, Arius ipſe in epiſt. ad Alexandrum Epiſcop. Alex., & ad Euſebium Nicomed., ac Euſebius ipſe Nicomed. in epiſt. ad Paulinum Tyrium apud Theodoretum loc. cit. Ab Ario rurſus, præter epiſtolas ad Euſebium Nicomed. apud S. Epiphanium hær. 69, Theodoretum lib. 1. cap. 5, & Epiphanium Schol. lib. 1. cap. 15; ad S. Alexandrum Alex. apud SS. Athanaſium lib. de Synod. pag. 885, S. Hilarium de Trin. lib. 4. pag. 83, & Marium Victorinum tom. 4. Bibl. PP. edit. Lugd.; ad Conſtantinum Imp. apud Socratem lib. 1. cap. 26, Sozomenum lib. 2. cap. 27, & Epiphanium Schol. lib. 3. cap. 6, ex quibus a Pagio, ad an. 340. n. 16, & ſeq. refellitur Valeſius Ario Juniori alteri hanc adſcribens epiſtolam, adornata fuiſſe Ἄσματα Cantica varia de quibus S. Athanaſius de Synodi Nicænæ decret. tom. 1. pag. 264, & Photius in excerptis a Philoſtorgio lib. 2. cap. 2, atque inter hæc præſertim Θαλιαν Thaliam propagandæ hæreſi procuſam referunt S. Athanaſius de Synod. Arim., & Seleuc. pag. 883, de

S Dio-

S. Dionyſii Alex. Sent. pag. 552, & Orat. 1. contra Arianos; Socrates lib. 1. cap. 9, ac Sozomenus lib. 1. cap. 21: qui duo poſtremi blaſphemiis plenam Arii Thaliam a Patribus Nicænis reprobatam tradunt, quod magis confirmat eorum Synodica ad Eccleſiam Alex. At enim ante Nicænam Synodum, Ariumque ipſum, a S. Dionyſio Papa adverſus Sabellium tres Divinas in unam confundentem Perſonas, ac Dei Filium διονυσιακα, hoc eſt ut explicat S. Hilarius lib. 4. de Trin. n. 12. dicentem *ipſum Dei Filium, quem Patrem*, trium Perſonarum diſtinctione ſtabilita, ac viciſſim adverſus Marcionem duos, aut tres Deos, prout tres Perſonas, inducentem, apud S. Cyrillum Hieroſolym. Catech. 6. n. 16, & Catech. 16. n. 7, S. Epiphanium hær. 42. n. 3, Euſebium lib. 7. cap. 13, & S. Auguſtinum de hæreſ. cap. 22. in tribus Perſonis una Divina natura ſancita, vocis ὁμόσιον uſum ad ſignificandum Dei Filium Conſubſtantialem Patri conſecraſſe, eumdemque Dei Filium *genitum, non* ποίημα *factum* definiviſſe adparet ex ipſius S. Dionyſii fragmento apud S. Athanaſium de Synod. Arimin., & Seleuc. tom. 1. pag. 918, ac de Synodi Nicænæ decretis n. 26. pag. 274, & ſeq., & apud Coutantium pag. 274. Qua ratione Arii Thaliam prædamnaſſe, Arianorum fraudes prævertiſſe, Nicæniſque Patribus in conficiendo Symbolo præluſiſſe, adeoque ut S. Athanaſius de Sentent. S. Dionyſii n. 13. formulæ illius auctorem, Nicænos ante Patres, S. Dionyſium P. M. agere, a quo primum Ariani damnati fuerint, non dubitarit. A S. Silveſtro perinde Arii ſcripta cum perſona fuiſſe damnata, haud levi ducas ex Liberio in epiſt. ad Conſtantium Imp. conjectura opinari fas eſſe, quia adverti alibi, non eſt, cur denuo fruſtra Lectorem ſobtundam.

Neque vero eſt, cur ſollicitare S. Auguſtinum, Vigiliumque Tapſenſem quiſquam audeat, atque turpis ignorantiæ utrumque accuſet, ideo quod tam ille lib. 3. adv. Maxim. cap. 14, & tract. 97. in Johan., quam iſte in Dialogo S. Athanaſium inter, & Arium tom. 3. oper. S. Athan. pag. 632. primam vocis ὁμόσιον inſtitutionem Patribus Nicænis acceptam referant: ſermo enim illis de Ario ibidem inciderat; unde nihil vetat, quominus eadem vox jampridem adverſus Marcionem inducta exputetur. Sicut enim, velut

velut ex SS. Baſilio in epiſt. 300. n. 62, & Ambroſio lib. de fide cap. 7. colligere licet, obſervavitque apte Bellarminus lib. 2. De Chriſto cap. 3, dictio illa veluti Divinitus inſpirata videri poteſt ad oppoſitos Arii, & Sabellii errores ſimul obtruncandos: nam Arianis, ac Semiarianis certe tale faceſſivit negotium, tantamque creavit moleſtiam, ut collatis invicem conſiliis ad ejus vocis eludendam, aut elevandam vim, undeviginti annorum intervallo novis undecim, ſi S. Athanaſio credas, aut etiam treſdecim, ut contendit Petavius de Trin. lib. 1. cap. 9, aut imo ſexdecim, ut breviter indicat Boucatius in Theolog. PP. diſſert. 4. art. 1. ſect. 1, cudendis, elaborandiſque vocibus inſudarint; ita eadem jampridem vox, ſupremo adſpirante Numine, ad contrarios Sabellii, & Marcionis errores penitus excindendos, proſternendoſque a S. Dionyſio Papa excogitata æſtimari tam pie debet, quam recte poteſt. Potius eſt, cur graviſſime ingenti de temeritate expoſtuletur cum Valentino Gentili in Protheſi 10, 21, & 23, cum Daniele Zwichero in Irenico Irenicorum, & in Irenicomaſtige, cum Chriſtophoro Sandio in Nucleo hiſt. Eccl., ejuſque append., cum Gilberto Clercke in Antenicæniſmo, & in reſponſ. ad Bullum, cum Samuele Crellio de fide primorum Chriſt., & de fide Divinit. Chriſti, cum Superantio in Platoniſmo detecto, cum Guillelmo Wiſthono in primitivo Chriſtianiſmo, cum Jurio in ſpeculo epiſt. 6, 7, & 8, cum Zanchio, Wolzogenio, Limborchio, cum Socino in 2. ad Radecium epiſt., Socinianiſque aliis, quibus inviſa accidit, & inaudita vox Homouſion, ab eaque cum Ario Patres Antenicænos valdequam abhorruiſſe mentiri non exhorreſcunt. Inter ea namque quamplurima, quæ ad immanem calumniam iſtam profligandam congeſta paſſim ſunt cum a noſtræ Communionis doctiſſimis viris Huetio lib. 2. Origen. cap. 2. q. 2, Jodoco Coccio Theſ. Cath. tom. 1. lib. 1. pag. 38, & ſeqq., ac 64, & ſeqq., Bellarmino lib. 1. de Chriſto cap. 10, Petavio lib. 4. de Trinit., ac lib. 16. de Incarn. cap. 2, Aguirrio in proleg. ad tom. 2. oper. S. Anſelmi Cantuar., Thomaſſino in dogmat. Theolog. tom. 3. tract. 2, Natali hiſt. Eccl. ad Sæcul. IV. diſſert. 42. quæſt. unic., Lupo in append. ad Synod. Chalced., Boſſuetio in Antiquitate dilucidata circa entis Divini immutabilitatem,

& trium Personarum æqualitatem adverſ. Jurium; Tournellio de Trinit. q. 4. art. 2. ſect. 4, Boucatio in Theolog. Patr. diſſert. 4. de Perſona Filii art. 1, Berti de Theolog. diſcipl. lib. 7. cap. 13, & lib. 8. cap. 1, & ſeqq., aliiſque multis, tum ab Heterodoxis Samuele Gardinero in hypotypoſi, & in reſponſ. adverſ. Sandium, Georgio Bullo in defenſ. fidei Nicænæ, & in Apoſtolica traditione de Chriſti Divinit. contra ZWicherum, Daniele Witbi de vera Chriſti Deitate adverſ. Socinum, Hermanno Conringio in program. ſacris pag. 102, & ſeqq., Abrahamo Calovio in confeſſ. Martyr., & Doctor. de SS. Trinit., Stephano Moynio in Not. ad var. Sacra pag. 137, & 292, Friderico Spanhemio tom. 3. oper. pag. 1216, Jo: Hornbechio in Sociniſmi confut. tom. 1. pag. 394, Benedicto Picteto Theolog. Chriſt. tom. 1. lib. 3. cap. 10, aliiſque, a quibus cum Nicæni Patres a novitatis quacumque nota abunde abſterſi ſunt, tum eiſdem in vocis Homouſion conſecratione præiviſe oſtenſi ſunt Origenes apud Pamphylum in Apologia, Tertullianus cap. 2. libri adv. Praxeam, & Apologet. cap. 21, Auctor libri inſcripti Πωιμανδρης, ſub nomine Triſmegiſti prope tempora Apoſtolica conſcripti, & Auctor QQ. ad Orthod. inter opera S. Juſtini, ſententia vero proculdubio antevertiſſe reliqui Eccleſiæ Patres, inter hæc, inquam, plurima, quæ omnium primus Marius Victorinus ſub Conſtantino Imp. vir Conſularis lib. 2. adverſus Arium præoccupavit, divinumque Homouſion defendit, præſenti mihi pro inſtituto ſatis eſt, ac ſuper S. Dionyſii Papæ auctoritas, qua, vel uti dicebam, adverſus Marcionem, ac Sabellium inſtituta vox Ὁμοούσιον fuit, cuique e veſtigio ſuffragatus legitur S. Dionyſius Alex. in fragm. Apolog. apud S. Athanaſium de Sentent. S. Dionyſii n. 18. apud Coutantium pag. 283.

Neque cuipiam moram injiciant Curcellæus quatern. diſſert. 1. pag. 132, & Clericus in proleg. ad hiſt. Eccl. ſect. 3, ac Bibl. tom. 10. pag. 408, quibus vox Homouſion Nicæno Symbolo inſerta non probatur, ideo potiſſime, quod eadem adverſus Paulum Samoſatenum a Patribus Antiochenis reprobata fuerit. Nam hoc breve, ne longiori aut ego diſputatione extra præſtitutos fines abripiar, aut lectorem alioqui liberalem defatigem, reſponſum apto, dicendo vel cum doctiſs. Prudentio Marano de

Chriſti

Chriſti Divin. lib. 4. cap. 29, & in diſsert. de Semiarian. cap. 7, cui nuper adſtipulatus Faſsonius eſt in diſsert. de voce Homouſion, fabuloſæ, falſæque, non niſi poſt annos 90. a Semiarianis in Ancyrana Synodo an. 358. aut excogitatæ, aut adoptatæ, quibus hac in re a faceſsundo negotio abſtinere SS. Athanaſius, Hilarius, & Baſilius ſatius habuere, inniti narrationi hanc, quæ apud hoſce Patres de abrogata a Patribus Antiochenis contra Paulum Samoſatenum voce ὁμοούσιον fertur periocha. Vel quimimo cum Peltano, Baronio ad an. 272. n. 16, Binio, Labbeo in act. Concilii Epheſini, & Moynio pag. 257, quibus arcte perſuaſum erat fidei formulam, quæ in quibuſdam Græcis Codicibus, ut in Commeliniana verſione Græca pag. 138. Nicænæ Synodo tribuitur, in Latinis tamen Concilii Epheſini exemplaribus Synodo Antiochenæ legitur tributa, ut in Commeliniana Latina verſione pag. 387, Patribus reapſe Antiochenis tribuendam fore apud Harduinum tom. 1. par. 4. pag. 1639, quam illorum perſuaſionem confirmat, quæ ab Euſebio laico homine Cleri Conſtantinopolitani nomine in eadem Synodo Epheſina propoſita legitur, Conteſtatio ad patefaciendum Neſtorium a Paulo Samoſateno hæreſim ſuam hauſiſſe apud Harduinum tom. 1. par. 1. pag. 1271, quæ plane Conteſtatio præfatæ formulæ valde conformis agnoſcitur, cum his, inquam, repono adverſus Paulum Samoſatenum a Patribus Antiochenis diſertiſſime Chriſtum D. prædicatum fuiſſe *Deum ex Deo Patre*, *Conſubſtantialem Patri*, ut in Conteſtatione, ſive *Deo Conſubſtantialem etiam cum Corpore*, *ſed non ſecundum Corpus conſubſtantialem Deo*, ut in Formula fidei. Vel cum Lupo in diſſert. de vocibus ſubſtantia, eſſentia, & perſona cap. 5. prolatam ab Antiochenis Patribus adverſus Homouſion ſententiam in Eccleſia probatam non fuiſse. Vel cum reliquis de Schola Theologis univerſim, ſi revera a Patribus Antiochenis proſcripta fuit dictio Homouſion, velut ex Semiarianorum in Ancyrana Synodo fide referunt S. Athanaſius lib. de Synod. Arim., & Seleuc. n. 46, S. Hilarius lib. de Synod. n. 81, & S. Baſilius in epiſt. 52. alias 300, non tamen in ſenſu proprio accepta, ſed in præpoſtero ſenſu Pauli Samoſateni proſcripta eſt, quo hic ſcilicet ſub Homouſion uſurpatione Dei Filium intelligebat, ajebatque a Patre

doreto lib.2.cap.2. liquet, Spiritum S. vero κτίσμα dicere, & ποίημα non erubuit, uti tradunt inter alios Photius in epiſt. 1,& Zonaras apud Cotelerium tom. 3. Monum. Eccl. Græc. pag.465. Ad hanc poſtea inſtaurandam, confirmandamque hæreſim pleraque congeſſere præſertim Socinus in lib. adverſ. Vickum, Crellius in tract. de Trinit., Wolkelius in lib. 4. de vera Relig., Wolzogenius in lib. de tribus in una Deitate perſonis, Socinianique alii, quæ viden, ut luculenter refutata ſint a Natali hiſt.Eccl. ad Sæcul. IV. diſſert.43, a Tournellio de Trin. q.4. art. 3, a Boucatio in Theolog. PP. diſſert. 5. de Spir. S., a Jo: Laurentio Berti de Theolog. diſcipl. lib. 7. cap. 14, & ſeqq., quos præ aliis honoris cauſſa heic nomine appellatos volui. Apollinaris vero, a quo in unum Arii, & Macedonii errores copulati ſunt, ad generis tertii conflandam hæreſim, palmaris error in eo poſitus erat, quod Chriſtum D. anima carentem aſſereret, cujus vicem ſupplere in corpore Verbum ipſum Caro factum effutiebat, uti habent Socrates lib. 2. cap. 36, S. Epiphanius hær. 77, S. Auguſtinus de hæreſ. cap. 55, S. Leo M. ſerm. 4. in Nat. Dom. Quem errorem poſtea emolliens, invidiæ declinandæ gratia, Animam quidem, qua vivitur, & ſentitur, ideſt ſenſitivam Chriſto D. tribuit, Animam vero, qua intelligitur, ideſt rationalem, abjudicavit, Verbum ipſum affirmans intellectus vicem in Chriſto egiſſe: ita referunt S. Athanaſius lib. de Incarn., S. Gregorius Nazian. in epiſt. ad Nectarium, & in epiſt. 1. ad Cledonium, S. Auguſtinus loc. cit., & tract. 47. in Johan., Marius Mercator de duodecim Anathem. Neſt., S. Cyrillus Alex. lib. de fide ad Theodoſium cap. 17, S. Leo M. epiſt. 23, Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. cap. 8, Vincentius Lirin. Common. cap. 17, aliique; Nemeſius vero initio libri de natura homin. hæreſim hanc ex Platonica Philoſophia ab Apollinari hauſtam, juxta cujus principia hominem a Plotino conflatum ex anima, mente, & corpore obſervat. Apollinaris porro hæreſim primum, tacito auctoris nomine, in Alexandrina Synodo an. 362. a S. Athanaſio fuiſſe proſcriptam, non incongrue quidem ex Synodica ejuſdem Concilii apud Harduinum tom. 1. pag. 730, in qua confeſſio fidei expreſſa legitur: *Quod non corpus inanimatum, aut ſenſus, vel mentis expers Salvator habuerit*, arguunt

guunt Natalis Alex. in Synopſi hiſt. Eccl. ad Sæcul. IV. cap. 3. art. 14. §. 1, & Coutantius in Not. ad epiſt. 4. S. Damaſi n. 1. pag. 497, & ſeq. Quam tamen conjecturam concordare oportet tam cum explicitis teſtimoniis Sozomeni lib. 6. cap. 25, Ruffini lib. 11. hiſt. Eccl. cap. 20, Auctoris Synodici cap. 70. apud Fabricium Bibl. Græcæ tom. 11. pag. 218, & Alexandri Hierapol. in epiſt. 57. ad Acacium Beroeenſ. apud Lupum, & Baluzium nov. Collect. pag. 763, a quibus prima diſerte profligati Apollinaris laus S. Damaſo tributa legitur, quam cum ratione temporis, ſiquidem non ante an. 372. Apollinaris hæreſis in lucem prodiit, quo nempe tempore Apollinaris ad S. Damaſum tanquam novæ hæreſis auctor delatus eſt a S. Baſilio epiſt. 74, cui alioquin antea amicitia conjunctiſſimus Apollinaris erat, ipſo S. Baſilio teſte in epiſt. 82. ad Patrophilum, apud Cotelerium tom. 2. Monum. Eccl. Græc. pag. 84, & ſeq., non ſecus atque SS. Epiphanio, & Athanaſio, teſte ipſo S. Epiphanio hær. 77, S. Gregorio Nazian. apud Suidam in Ἀπολινάριος, & S. Hieronymo, ipſo teſte in epiſt. 65. ad Pammachium. Dicendum igitur aut a Synodo Alexandrina nihil invidioſi, moleſtique actum contra Apollinarem, aut ſi quid actum, decretumque, robore caruiſſe, donec auctoritas S. Damaſi acceſſiſſet.

A S. Damaſo itaque adverſus Pneumatomachos Divinitatem Spiritui Sancto fuiſſe aſſertam, eumque Patri, Filioque Homouſion explicite definitum, nullo dubitare ſinit modo principio ab eodem Pontifice e Synodo Romana II. an. 371, aut ſeq. exarata Synodica ad Epiſcopos Illyrici apud Theodoretum lib. 2. cap. 17. edit. Sirmondi, Valeſii cap. 22, Sozomenum lib. 6. cap. 23., Epiphanium Scholaſ. lib. 5. cap. 29, & Coutantium pag. 482, qua jubet: *Ut Pater, & Filius unius Divinitatis, unius virtutis, unius magnitudinis debeat credi, uniuſque eſſentiæ, ſive ſubſtantiæ ſimul & Spiritus S.* Cui perinde Synodicæ Illyrici Epiſcopi in Synodo an. 372. congregati utroque ſubſcribentes pollice, ab hac Romani Pontificis de Spiritus S. Divinitate ſententia, in quam pariter conſpiraſſe Galliarum Epiſcopos acceperant, vel latum deflectere unguem grandi ſe deputare piaculo declararunt in Edicto Valentiniani, ac Valentis Imperat. ad Eccleſias Diœceſeos Aſianæ, Phry-

Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacatianæ apud Theodoretum Græce lib. 4. cap. 8, & apud Epiphanium Schol. Latine in hiſt. tripart. lib. 7. cap. 9. *Nos*, inquientes, *non aliter ſentimus, atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia; nimirum unam, eamdemque eſſentiam eſſe Patris, & Filii, & Spiritus S. in tribus Perſonis, hoc eſt in tribus perfectis Hypoſtaſibus*: Admonentes ideo ab ſe condemnatis velut Arianis, Spiritui S. Divinitatem abjudicantibus, cavendum a Polychronio, a Telemacho, a Fauſto, ab Aſclepiade, ab Amantio, a Cleopatro, apud Harduinum tom. 1. pag. 794, & ſeq. Neque dubium moveri ſinunt ab eodem S. Damaſo adverſus Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Photinum, & Apollinarem editi Anathematiſmi apud Theodoretum lib. 5. cap. 11, & Epiphanium lib. 9. cap. 16, qui Synodo Romanæ II. an. circiter 375. tribui ſolent, ac pars Synodicæ ad Paulinum miſſæ ſunt, atque ſequuntur poſt fidei expoſitionem eidem Synodicæ adjunctam apud Holſtenium Collect. Rom. pag. 180, & Coutantium pag. 510, & ſeqq. In quibus illud obſervatu dignum, quod primo loco habet S. Damaſus: *Poſt Concilium Nicænum, quod in Urbe Roma Concilium* (quod ſub S. Silveſtro habitum arguit Valeſius in Theodoreti lib. 5. cap. 11, ſed verius ſub S. Damaſo auguratur Coutantius in Not. pag. 512.) *congregatum eſt a Catholicis Epiſcopis, addiderunt de Spiritu S.* Quibus haud obſcure indicat in Synodo Romana Symbolum Nicænum verbis adauctum hiſce fuiſſe, quibus Spiritus S. Divinitas adſtruitur. Atque ideo Nicænum Symbolum additamentis nonnullis in Arianos, & Semiarianos adauctum ex Mſ. Codice Lucenſi exhibet Manſius in Suppl. tom. 1. pag. 240, & ſeqq. Quò perinde, aut ego fallor, reſpexiſſe mihi videtur Synodus Iconienſis ſub S. Amphilochio an. 377, aut inſeq. habita apud Cotelerium tom. 2. Monum. Eccl. Græc. pag. 99, Baluzium pag. 82, & Harduinum tom. 1. pag. 798. verbis illis, quæ habet in Synodica: *Oportet in Doxologiis Spiritum una cum Patre, & Filio glorificare*. Neque demum ſuſpicioni vel levi locum linquit fidei Expoſitio ab eodem S. Damaſo ſignatim adverſus Apollinariſtas, quorum etiam libros damnandos a S. Baſilio delatos ad Apoſtolicæ Sedis Tribunal paullo ſuperius indicavi, adoc-

tii III. ætatem receptum nos docent S. Leo M. in epiſt. 53. ad Anatolium, S. Hilarius apud Anaſtaſium Bibl., S. Simplicius in epiſt. 5. ad Acacium, S. Felix III. in epiſt. 2. ad Leonem Auguſt., S. Gelaſius in epiſt. 13. ad Dardan. Epiſcopos, & S. Gregorius M. in cit. epiſt. ad Eulogium. Quocirca Durandus Mimatenſis Ration. Divin. Offic. lib. 4. cap. 25. S. Damaſo accepta referenda additamenta Nicæno Symbolo facta a Synodo Conſtantinopolit. non dubitavit, ubi poſtquam de Symbolo Apoſtolico, & Athanaſiano verba feciſſet, de altero Nicæno loquens: *Tertium*, inquit, *eſt Nicænum*, (ideſt Conſtantinopoli adauctum) *quod Damaſus Papa, ex Conſtitutione Univerſalis Synodi apud Conſtantinopolim celebratæ, inſtituit*. Fuere quidem nonnulli, inter quos Alexius etiam Ariſtenus in Collect. Canon., qui Symbolo Conſtantinopolitano particulam *Filioque* adjectam fuiſſe Articulo de Spiritu S. a S. Damaſo in Synodo Romana affirmarunt: quin hæc ipſa particula *Filioque* Symbolo S. Damaſi apud S. Hieronymum adjuncta pleroſque decepit. Verumtamen id a vero prorſus abhorret: quandoquidem Leo III, de quo mox, quamvis a Synodo Aquiſgranenſi rogatus, additionem iſtam conſtanter improbavit: falſo vero fuiſſe Symbolo illi apud S. Hieronymum S. Damaſi nomen adſcriptum jam convenit inter Eruditos, ac videre eſt apud Coutantium in mon. præv. ad epiſt. 5. S. Damaſi n. 5, & ſeqq. pag. 503, & ſeqq. Quamvis autem Conſtantinopolitanum Symbolum Romanæ Eccleſiæ acceptum evaſiſſet, ac ſtatim atque evulgatum eſt, ab omnibus Orientis Eccleſiis in Nicæni locum, nomine tamen non mutato, ſuffectum fuerit, inque Baptiſmatis collatione adhiberi cœptum, in Eccleſiis attamen Urbis Romanæ antiquus recitandi Symbolum Apoſtolicum mos ſervatus eſt, & retentus, idcirco, quod Romana Eccleſia nulla unquam fuerit hæreſi coinquinata, ut obſervat Ruffinus de expoſit. Symb. in præf., ac refert Berno Aug. de rebus ad Miſs. ſpect. cap. 3. Eidem mori Romana in Eccleſia integro proxime inhærentes, eodemque jure pariter, quod Ariana, & Macedoniana hæreſi infectæ non fuerint, a Symboli Apoſtolici recitatione ſine additamentis non recedendum Eccleſiæ Africana, Italica, & Gallicana religioſe duxerunt. Quocirca ex SS. Auguſtino, & Petro Chryſologo, aliiſque Latinis Epiſcopis liquet,

non niſi Catechumenis Symbolum Conſtantinopolitanum in Eccleſia Latina tradi conſueviſſe. In Eccleſia tamen Hiſpanica, rerum potientibus Gothis, & Wandalis, Arianæ hæreſi addictis hominibus, ſicuti trinam in Baptiſmo immerſionem in unicam, ita Apoſtolicum Symbolum in Conſtantinopolitanum mutare operæ pretium eſſe duxerunt Epiſcopi, atque ita quinimo deinceps inter Miſsarum ſolemnia decantandum iſtud primum indixere in Concilio Toletano III. an. 589. ſub Reccaredo Rege cap. 11.

Dixi ſuperius in Baptiſmatis collatione: nam quoad morem attinet generatim legendi, aut recitandi Symbolum inter Miſsarum celebrationem, primam iſtius conſuetudinis fieri mentionem ab Auctore Conſtit. Apoſtol., Sæculi IV. nempe Scriptore, de quo Uſserius in proleg. ad S. Ignat. cap. 7, Pearſonius in vind. Ignat. cap. 4., Moynius in Not. ad Var. Sacr. pag. 1072, Grabbius in Spicileg. PP. tom. 1. pag. 40, & ſeqq., Natalis Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. I. diſsert. 18, aliique, ante quod tempus mos iſte non obtinuerit, ut etiam productis ex S. Cypriano in epiſt. 113. edit. Oxon., & ex S. Jo: Chryſoſtomo hom. 24. in epiſt. 1. ad Corinth. locis confirmat, animavertit Binghamus Orig. Eccleſ. lib. 15. cap. 3. Morem deinde Nicænum decantandi Symbolum, Conſtantinopolitano rejecto (quod poſterius Eutycheti plane inviſum evaſiſſe liquet ex Concilio Chalcedonenſi act. 1., ubi ejus in Conſtantinopolitanum Symbolum odio larvam detraxiſſe legitur Diogenes Cyzicenus Epiſcopus apud Harduinum tom. 2. pag. 98, & ſeq.) poſt Evangelium, Catechumenis, & Energumenis dimiſſis, in ſacra Liturgia a Petro Fullone Eutychetis Synagogiſta primitus in Eccleſiam Antiochenam inductum fuiſse, poſt ſecundam hujuſce Sedis invaſionem, anno hoc eſt 476 (ut oſtendunt Valeſius in obſerv. ad Evagrium lib. 1. cap. 2, Pagius ad an. 474. n. 5, & 476. n. 7, Tillemontius tom. 16. Monum. in Acacio art. 10, & Boſchius in hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. §§. 45, & ſeq.) ac paullo deinde poſt, anno ideſt 511. in Eccleſiam Conſtantinopolitanam a Timotheo cognomento Litrobulo, ſeu Colone, Eutychiano pſeudo-Epiſcopo altero, ex Theodoro Lectore lib. 2. pag. 563, & 566, ac Nicephoro lib. 15. cap. 28, & lib. 16. cap. 35. obſervant Lequiennius in diſſert. 11. Damaſc.

maſc. n. 14, & Lupus in diſſert. de Symb. cap. 6. Contra Eutychianos ergo dedicandi conſilio ductus inter Miſsarum ſolemnia Incarnationis Dominicæ Myſteria, & dogmata, Conſtantinopolitanum Symbolum loco Nicæni in Liturgiam induxit Johannes II. cognomento Cappadox an. 518: cujus rei liquidum proſtat documentum in libello Act. 5. Synodi Conſtantinopolit. an. 538. ſub Menna inſertus apud Harduinum tom. 2. pag. 1334, in quo ſub finem in Miſsa poſt Evangelium decantatum Symbolum, juxta Valeſii verſionem in Not. ad Evagrium lib. 4. cap. 11, liquet, atque Conſtantinopolitanum quidem, veluti conjicere licet ex relatione Synodi Conſtantinopolit., ex libello Monachorum, & ex Synodica Johannis Hieroſolym. ad eumdem Johannem Conſtantinopolit. ibid. pag. 1322, & ſeq. Confirmat id totum Chronographus Biclarenſis, a Monaſterio Biclaro, ideſt Vallis claræ, ad radices Pyrenæorum dictus, qui Sæculo VI. per ſeptem annos Conſtantinopoli Græcis, Latiniſque litteris operam dedit, Labbeo teſte de Script. Eccl. tom. 1. pag. 517: nam in appendice ad Chronicon Victoris Tunon., ſive in Chronico ab anno 1. Juſtini Junior., ſive Chriſti 566. uſque ad an. 8. Mauritii Imp., 4. Reccaredi Reg., Chriſti vero 590. edito ſeparatim a Caniſio, ac deinde a Franciſco Schotto tom. 4. Hiſp. illuſt. pag. 153; a Joſepho Scaligero in Theſau. tempor., ab Aguirrio tom. 2. Concil. Hiſp. pag. 421, & a Baſnagio tom. 1. nov. edit. antiq. Lect. Caniſii, ibi, inquam, refert a Juſtino Juniore an. 566. (in quo ipſum falli, atque Juſtino Seniori an. 518. tribuendum, oſtendit Valeſius in Not. ad Evagrium lib. 5. cap. 4.) edicto ſ. lato injunctum fuiſſe, ut Symbolum Conſtantinopolitanum in Eccleſiis deinceps omnibus Dominicam ante Orationem decantaretur.

Ad Latinas gradum referendo Eccleſias, Hiſpanicæ poſtmodum exemplum imitata Eccleſia Gallicana in Concilio Gentiliacenſi an. 727. ſub Pippino, & in Aquiſgranenſi an. 809. ſub Carolo M. Symbolum Conſtantinopolitanum in Miſsarum celebratione uſu conſecrare cœpit, facultate ad id ipſis facta a Leone III, qui tamen additionem particulæ *Filioque* non probavit: quem uſum poſt Synodos Ratiſponenſem an. 792, & Francofordienſem an. 794, Felicianæ hæreſis occaſione, latius increbuiſ-

ſe refert Valafridus Strabo de rebus Eccleſ. cap. 22, obſervatque Martenius de antiq. Eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 4. art. 5. Quo tempore ab Eccleſia Romana Symbolum legendi in Miſsa poſt Evangelium ritus fuerit uſurpatus, in obſcuro latet: pro incerto, ac valdequam dubiæ fidei habendum fore ex dictis liquet, quod Radulphus Tungrenſis de Canon. obſerv. prop. 23. ſcribit a S. Marco inter Miſsarum ſolemnia Nicæni Symboli cantum fuiſse introductum. Quod vero Innocentius III. lib. 2. de Myſter. Miſs. cap. 49 habet a S. Damaſo ſancitum, ut Symbolum ex Decreto Synodi Conſtantinopolit. decantaretur ad Miſsam, ad veritatem mihi quidem valdequam appropinquare videtur, ſed eo tamen, quo ſuperius expoſui, accipi ſenſu oportere, ut nempe additionum, quibus a Synodo Conſtantinopolitana adauctum eſt Symbolum, auctor extiterit S. Damaſus. A Benedicto VIII. decantandi Symbolum Conſtantinopolitanum ad Evangelium, a S. Henrico Imp. exſtimulato, Romanam demum in Eccleſiam inductum Ritum huncce opinatur Petrus le Brun in explicat. litt. hiſt. & dogm. precum, & Cærem. Miſs. tom. 1. par. 2. art. 8. Bernonis Augienſis de rebus ad Miſsam ſpectant. cap. 2. tom. 18. bibl. PP. pag. 57. auctoritate ductus: a quo tamen ſero nimis iſtam iniri epocham, quam imo ex iis ipſis, quæ tom. 2. affert, documentis eam a Sæculo IX. ineundam oſtendit Benedictus XIV. de Sacrif. Miſsæ ſect. 1. §. 154. Atque quidem ex colloquio cum Legatis Concilii Aquiſgranenſis a Leone III. habito apud Baronium ad an. 809. n. 6, Labbæum tom. 7. pag. 1197, & Harduinum tom. 4. pag. 970. licet inferre jam tum in Eccleſia Romana Symbolum, abſque particula tamen *Filioque*, & abſque cantu, legendi ad Miſsas ritum viguiſse. Quem denique Ritum, facile occaſione Photiani ſchiſmatis, Romæ dumtaxat obtinuiſse ſub S. Nicolao I, aut Johanne VIII. doctis aliis viſum eſt: qua de re adeundi, ſi libet, Baronius ad an. 883. n. 33, & ſeqq., & ibid. Spondanus n. 3, & 4, Caſalius de veter. ſacr. Chriſt. ritib. cap. 10. de Symb., Bona rer. Liturg. lib. 2 cap. 8, Lupus in diſſert. de Symb. Apoſt. & Nicæno, Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. IV. diſſert. 37. art. 3., Pagius Jun. in S. Damaſo, Honoratus a S. Mā Animad. Crit. lib. 5. diſſert. 3. art. 3. §. 9, Tournellius de Trinit. q. 6. art. 3,

Berti

Berti de Theolog.diſcipl.lib.7.cap.19,aliique ſuperius memorati.

Quæ de vocibus ſacro uſu in Eccleſia veniendis, ſingillatimque de Symbolis decernenda Romani ſibi Pontifices jure ſæpe ſumpſerunt, eodem pariter ad libros damnandos, eorumque noxiam prohibendam lectionem deſcendiſſe breviori, ut potero, demonſtrandum oratione adgredior. Atque, ut rei Chronologicæ ordo poſtulat, a S. Anaſtaſio I. exordium capiendo, quamquam ab illo Origenem, ipſiuſque libros hæreſeos ignominia notatos, inuſtoſque indubitanter affirmarit S. Hieronymus, nec uno in loco, ac maxime in utraque Apologia, nec non in epiſt. 8. ad Demetriadem, 16. ad Principiam, 76. ad Tranquillinum, & 78. ad Pammachium, non defuere tamen, qui ſive pridem, ſive pronuper adhuc Origenem, ejuſque libros a S. Anaſtaſio ſolemni decreto, ceu hæreticos Eccleſiæ denuntiatos non fuiſſe pugnarent, paratragoediare vero S. Hieronymum, dum rem velut indubiam adſtruxit a S. Anaſtaſio P. M., a Theophilo Alex., a Venerio Mediol., a Chromatio Aquil., quorum in ſententententiam pedetutroque poſtea conceſſerint Synodi cum Orientis, tum Occidentis, Orbi univerſo Origenis libros velut hæreſi aſperſos fuiſſe delatos. Conjecturam vero ſuam ex eo confirmare, ſuadereque nituntur, quod in Synodo Conſtantinopoli adverſus S. Jo: Chryſtomum habita, quum S. Epiphanius ab ſe decreta in Synodo Cypria adverſus Origenem in medium protuliſſet, rogaſſetque Epiſcopos, ut decretis ejuſmodi ſyngraphum adjicerent ſuam, obſtitere complures, inter quos S. Theotimus Epiſcopus Tomenſis in Scythia, reponens id ab ſe quidem ingenti abſque piaculo præſtari nequaquam poſſe, hoc enim ſi fiat, invidioſiſſime, ac indigniſſime in hominem agi Origenem ſcilicet, in Eccleſiæ communione defunctum, cujuſce libri a veterum nullo improbati fuiſſent, maleque habiti. Verumtamen de hujus rei veritate dubitare nemo animum induxerit, quem perluſtrare S. Anaſtaſii non pigeat epiſtolas ad Johannem Hieroſol., & ad Venerium Mediol., quæ poſtrema juris publici facta a Vallarſio in nova oper. S. Hieronymi editione, S. Simpliciani nomen in fronte præferens claſ. 3. eſt epiſt. 95, atque rem iſtam teſtatiſſimam facit, ac pomeridiana in luce ponit: ſiquidem ab ſe damnatos ibid. ait Origenis libros,

coſ-

eoſdemque legi vetat apertiſſimis verbis hiſce: *Quidquid eſt fidei noſtræ contrarium, ab Origene quondam ſcriptum, indicavimus a nobis eſſe alienum, atque punitum.* Atque de Origene heic non plura, de quo in objectionibus recurret ſermo.

Neque diffuſiorem, quoad ejus fieri poterit, de Pelagio diſputationem inſtituam, ac in longum, præter opus, præſtitutoſque operi fines, verba faciam, complecti paucis contentus, quæ pluribus copioſius ſparſim in locis explicuiſſe me memini. Pelagium itaque mira ad fallendum arte præditum fuiſſe, qua proinde Synodo Palæſtinæ illudere potuit, ab ejuſque ſe cenſura ſubducere, nemo jam ignorat, vel ab uno edoctus S. Auguſtino lib. de grat. Chriſti cap. 37, & lib. de geſt. Pelagii capp. 1., 13, 14, & 19. Imponere tamen S. Innocentio I., fucumque facere nequivit, quin ipſius errores deprehenderet, & damnaret. Itaque prætermiſſis iis officii plenis litteris, quibus Concilii tam Carthaginenſis, quam Milevitani Patres ad Apoſtolicæ Sedis tribunal integram Pelagii cauſſam deferre, a ferenda ipſi ſententia abſtinentes, ut ferretur tandem a Pontifice, tantummodo ſolliciti, ſatius habuere, iiſque, quibus pro officii parte facere viciſſim ſatis præſto fuit Pontifex (quas Synodicas quidem fuiſſe e Synodo Romana datas Petrus de Marca lib. 7. Concord. cap. 12., & Johannes Garnerius in diſſert. de Synodis in cauſſa Pelag. habitis putant, contra quos tamen pugnat Antonius Pagius ad an. 416. n. 19. Decretales dumtaxat fuiſſe, non Synodicas propugnans, quam tandem pugnam conciliare ſtudet Coutantius in Mon. præv. ad epiſtol. 26. S. Innocentii num. 5. pag. 866,, & ſeq.) illud proxime in rem confert meam, obſervatuque valdequam dignum eſt, quod de Pelagii libro hæreſis nomine ad Pontificem delato, deque reſponſo ab ipſis peſtilentiſſimo libro illi facto, quod non eſt aliud, quam S. Auguſtini liber de nat., & grat., quinque Africæ Epiſcopi, iique Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, & Poſſidius, in epiſtola edit. Cout. 28. habent: *Utrumque miſimus, & cui reſponſum eſt, & quod reſponſum eſt; & ne nimium eſſemus oneroſi, ſigna fecimus his locis, ubi petimus, inſpicere ne graveris* &c. Ita nempe S. Innocentii examini, & judicio librum cum Pelagii, tum proprium demiſſo animi obſequio ſupponentes.

Qui-

Quibus perinde reſcribens Pontifex epiſt. 31. in eadem Cout. edit., laudatiſque a ſtudio Pelagianæ hæreſis profligandæ, a religione puritati fidei proſpiciendi, & ab officio libros tam pro Religione confectos, quam peſtifera hæreſi infectos ad Apoſtolicam Sedem deferendi, de Pelagii libro deinde loquens, hanc profert ſententiam: *Librum nobis tranſmiſſum evolvimus, in quo multa contra Dei gratiam legimus eſſe conſcripta, multa blaſphema, nihil, quod placeret, nihil pene, quod non penitus diſpliceret, a quovis damnandum, atque calcandum... Anathemet ergo iſte, quæ ſenſit* &c. Quid ad hæc, obſecro, hiſcere amplius Janſeniſtæ audeant? Ecce enim tibi librum damnandum ad Apoſtolicam Sedem delatum! & librum ecce ab eadem Sede in ſenſu ab Auctore intento damnatum! Damnationis profecto iſta a S. Innocentio prolata ſententia, Pelagianam cauſſam finitam confeſtim faſſos Africanos nedum, ſed omnes pariter per Orbem profeſſos Epiſcopos, affirmare non dubitavit S. Auguſtinus ſerm. 131. n. 10, epiſt. 106, nun 186. ad Paulinum, lib. 1. contra Julian. cap. 4, & lib. 2. ad Bonifacium capp. 3, & 4, adeo ut vel id diffiteri veritus fuerit Petrus ipſe de Marca in diſſert. de veter. Collect. Canon. cap. 14. Ex quibus perinde S. Auguſtini locis facile quis perſtringere, quod ipſum pro virili præſtitit Noriſius hiſt. Pelag. pag. 74, inſignem Eraſmi, & Voſſii temeritatem poſſit, qua cenſorio calamo S. Innocentii litteras carpere, aut in dubium revocare non extimuerunt.

Tantum autem abeſt, ut ab hac alteram, ſibique propitiam a S. Zoſimo extorquere dolo, fraudeque ſententiam Pelagio, Cæleſtioque fas fuerit, velut advertit S. Auguſtinus lib. 6. contra Julian. cap. 12, ut ipſius potius juſtiſſimas in ſe experti ſint iras. Queſnellus equidem pro ingenii pravi intemperie inficiandi quidquid ad Romani Pontificis jus definiendi de factis dogmaticis bono in lumine collocandum pertinet, in diſſert. 13. de Conciliis Afric. in Pelag. cauſsa celebratis §. 23, & ſeqq., auctoritate potiſſimum S. Auguſtini, ut ab hujus Sectæ partiariis fieri ſolet, abuſus, affirmare non dubitavit Africanos jure extimuiſſe, ne a Zoſimo aliquid decerneretur, quod Apoſtolicæ Sedi labem inferret, a qua ad liberandum Cæleſtium pronus videbatur, ideoque

ad

ad præcavendum ingens, quod Africanam inter, ac Romanam Schiſmatis incendium excitari potuiſset, feſtinato procuratam ab Honorio Imp. legem contra Cæleſtium, & Pelagium, qua Pontificis judicium præveniretur, frenumque, ne Pelagianis favorem amplius præſtarent, Romanis imponeretur, atque ita ab Africanis Synodis lata contra ipſos ſententia in tuto poneretur. Quia vero argumentum iſtud præoccupatum jam video a viris Doctiſs. Pagio ad an. 418. n. 26., & ſeqq., a Balleriniis Fratrib. in Obſerv. ad hanc Queſnelli diſsert. §. 7, & ſeqq., abs me quoque, tom. 3. art. 3. §. 1. pag. 213, & ſeq., ac art. 5. §. 1. pag. 435, & ſeqq., atque contra apertiſſima ſtat S. Auguſtini ſententia plurimis in locis ibidem laudatis, quammaxime vero lib. 2. de pecc. Orig. cap. 8. affirmantis Cæleſtium *Romanam Eccleſiam fallere uſquequaque non potuiſſe*, manum propterea ab hac retrahere tabula ſatius habeo, atque ad id, quod rei caput eſt, me convertere. Ut taceam vero de duabus aliis edit. Cout. 2, & 3. a S. Zoſimo hac ipſa de re ad Aurelium, & Epiſcopos Africanos exaratis litteris, a Baronio ex Cod. Vatic. editis ad an. 417. n. 19, quas pſeudonymis quidem adcenſere non puduit Launojum part. altera opuſc. de duobus Dionyſiis, ac M. Antonium Capellum Ord. Min. Convent., vindicant autem, germanaſque oſtendunt Voſſius hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 28, Garnerius in Not. ad Marium Mercat. tom. 1. pag. 201, Sirmondus ad Facundum lib. 7. cap. 3, Queſnellus cit. diſſert. 13, Coutantius in admon. præv. ad has epiſt. pag. 937, & Ballerinii in obſervat. ad præf. Queſnelli diſsert. §. 4, ego quoque tom. 3. art. 5. §. 1. pag. 437, S. Zoſimus celebri Tractoria emiſsa diſtricte juſſit prolatæ ab Apoſtolica Sede adverſus Pelagianos ſententiæ omnes ubique gentium Epiſcopos ſubſcribere, ſubſcribenteſque de hac ipſa hæreſi ſuſpectos palam edicere (quod ſolemni pernegabant mendacio, ut indicat in epiſt. 2, ad S. Cæleſtinum Neſtorius) Pelagii, Cæleſtiique genuinos fœtus eſse damnatos libros, atque ſcirent amputatam ſibi ſpem omnem Synodi, in qua novo examini, novoque judicio cauſsam ſubjici ſuam votis ſollicitabant omnibus.

Atque utique Tractoriæ utroque ſubſcripſiſse pollice Occidentales Eccleſias nedum, ſed Orientales etiam, inque his ſolem-

niter

niter Epiſcopos in Synodo cum Anazarbi in Cilicia an. 423. ſub Maximiano, tum Conſtantinopoli an. 424. ſub Attico congregatos, ex Mario Mercatore Common. cap. 3, ſive edit. Baluz. pag. 134, S. Auguſtino in epiſt. 157. nunc 190. ad Optatum; S. Proſpero lib. contra Collat. cap. 5, & in Chron. ad an. 418, Poſſidio in vita S. Auguſtini cap. 18, S. Cæleſtino I. in epiſt. 13. edit. Cout. ad Neſtorium, & in epiſt. 21. ad Gall. Epiſcopos capp. 8, & 9, ac Gennadio de Script. Eccl. cap. 43. conficiunt, & confirmant Noriſius hiſt. Pelag. lib. 2. cap 6, & Pagius ad an. 417. n. 13, & ſeqq.; ubi n. 15. obſervat cum Morino exerc. Eccl. lib. 2. cap. 17, & ſeqq. tum quidem temporis ob S. Chryſoſtomi exilium Occidentalibus nullum adhuc fuiſſe cum Orientalibus Formatarum commercium, neque Civilium, Sacrorumque conſortium, atque conſeſsum, auctoritatemque ſuffragii in Conciliis abdicatam: quod tamen impedimento non erat, quin dogmaticæ litteræ ad eos dirigerentur, iique propriis in Diœceſibus cum Plebe ſua conſortium Sacrorum retinerent, propriæque dignitatis officio defungerentur: qua de Excommunicationis ſpecie, ſive civilis, religioſæque communionis ſuſpenſione legendæ S. Auguſtini epiſtola 209. alias 361. ad S. Cæleſtinum P.M., & S. Leonis M. epiſt. olim 40, in edit. Queſnelli 60, Baller. 80. ad Anatolium cap. 2: quem in locum quoque confer Queſnellum in Not. 1, ubi in hanc rem allegat inſuper S. Epiphanium hær. 70., de abrupta a S. Victore cum Aſianis communione agentem, & Concilii Toletani I. Can. 15. Subſcriptionis Tractoriæ legem hancce demum ratam feciſſe leguntur Africana Synodus apud S. Auguſtinum lib. 2. ad Bonifacium cap. 3, Aurelius Carthag. in epiſt. ad Epiſcopos Provinc. Byzacenæ, & Arzugitanæ apud Queſnellum in Cod. Canon. Eccleſ. cap. 17. edit. Baller. tom. 3. pag. 176., ac Synodus Araufiſcana II. an. 529. in præf., & in fin. apud Harduinum tom. 2. pag. 1098., & 1102. Quin etiam Imperialibus confirmare Reſcriptis non dubitarunt Honorius ad Palladium Praet. Præf., ad Aurelium Carthag., & ad S. Zoſimum etiam, ut Poſſidii auctoritate potiſſimum in vita S. Auguſt. cap. 8. demonſtrant contra Uſſerium, Salmaſium, & Queſnellum Pagius ad an. 418. n. 30, & ſeqq., ac Ballerinii in obſervat. ad diſſert. 13. Queſn. §.

10, Conſtantii ad Voluſianum, & Valentiniani III, ac Theodoſii Jun., apud Photium Cod. 13, Baronium ad an. 418, 419, & 420, Baluzium in append. ad Salvianum, Labbæum tom. 2. pag. 1606, Queſnellum in Cod. Canon. Eccl. capp. 14, 15, 16, 19, & 20. edit. Baller. tom. 3. pag. 170, & ſeqq., Garnerium in diſſert. 3. de Conſtit. Imper. in cauſſa Pelag., ubi obſervatum primum ſubſcriptionis legem contra Pelagianos auctoritate Sacerdotali ſancitam, Laica quoque fuiſſe comprobatam, Noriſium hiſt. Pelag. lib. 7. cap. 20, & Harduinum tom. 1. pag. 1229.

Ad Semipelagianos devolvendo ſermonem, quorum in errore aliquando S. Auguſtinus, dum adhuc Presbyter eſſet, ſe incaute verſatum ſcribit lib. de præd. Sanct. cap. 3, quorumque factio in Africa exorta, cujuſce conſectator præ aliis fertur Vitalis Carthag. apud S. Auguſtinum in epiſt. 107. ad eumdem, in Galliis amplificata ſectatores habuit pleroſque in Provinciis Lugdun., Arelat., ac maxime Maſſilienſi, unde & vulgo Maſſilienſes denominati ſunt, inter quos præcipui audierunt Caſſianus, contra quem S. Proſper, ac liquet ex Collat. 13, Fauſtus Regienſis, ut adpatet ex duobus ipſius libris de grat., & lib. arbit., Hilarius Arelat., de quo S. Proſper in epiſt. ad S. Auguſt., & S. Auguſtinus lib. de dono perſev. cap 21, Vincentius Lirin. apud Noriſium lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 11, Gennadius Maſſil., de quo idem Noriſius lib. 2. cap 16, & in diſſert. de Synodo V. pag. 118: e quorum cenſu tamen expungendos omnino Severum Sulpitium contra Baronium, & S. Honoratum Maſſil. contra Noriſium jure propugnat Natalis Alex. in Synop. hiſt. Eccl. ad ſæcul. V. cap. 3. art. 7. §§. 8, & 10: atque de Sulpitio quidem confer etiam Hieronymum de Prato in nov. edit. Veron. 1741, de S. Honorato vero Jo: Salinam in edit Rom. 1732, ac Ballerinios oper. Noriſii tom. 4. pag. 926. A qua labe quin etiam abſtergere ſtudent Gennadium Voſſius hiſt. Pelag. cap. 10, & Bruno Neuſſerus in Prodromo velitari adverſ. Noriſium pag. 125, & ſeqq.; Fauſtum Sirmondus hiſt. Præd. cap. 8 tom. 4. oper. pag. 420, & Ruardus Tapperus apud Bælium in Dict. V. *Tapper* Not. F.; Vincentium Launojus de prædeſt. & grat. cap. 12: tom. 1. oper. pag. 1086, & Neuſſerus in Prodr. in act. SS. Maji tom. 5. pag. 287; Hilarium Queſnellus in ipſius

ipſius vita cap. 20. tom. 2. edit. Baller. pag. 337, Tillemontius tom. 15. pag. 62, & Neuſſerus loc. cit. Atque quidem ex his Sanctorum albo adſcriptos in Eccleſia coli teſtata res eſt, ut S. Hilarium, de quo Martyrolog. Roman. ad diem 5. Maji, Johannes Salinas in ejus vita ex Cod. Vatic. Reginæ Succ. 645, & Henſchenius tom. 2. Maji pag. 34, & ſeqq.; ut Caſſianum, de quo S. Gregorius M. lib. 6. epiſt. 12. ad Reſpectam Maſſilien. Abbatiſſ., & Cuperus ad diem 23. Julii tom. 5. pag. 458; ut Fauſtum, de quo Baronius ad an. 490. n. 42. edit. nov. Luc. an. 1741, San-Marthani Gall. Chriſt. tom. 3. pag. 936, & Tillemontius tom. 16. pag. 434; ut Gennadium, de quo Hadrianus I. in epiſt. Apolog. pro SS. Imag. cap. 59. ad Carolum M. apud Harduinum tom. 4. pag. 798, & Baronius ad an. 490. n. 46; ut Vincentium, de quo Martyrolog. Rom. ad 24. Maji, Tillemontius tom. 15. pag. 143, & ſeqq., ac Papebrochius tom. 5. Maji pag. 284. Quibus non obfuit error, quandoquidem ad ſecundam uſque Synodum Arauſicanam ſub S. Felice IV. an. 529. habitam, & a S. Bonifacio II. confirmatam, ut hæretici non ſunt habiti: qua de re adeundi Natalis cit. art. 7. §. 9, & Noriſius in diſſert. 3. de Anonymi ſcrupulis circa veteres Semipelag. errores. Quorum capitalis error is erat: *Initium aliquod juſtitiæ, atque ſalutis eſſe a nobis, ſcilicet fidem, & voluntatem aliquam ſalutis obtinendæ, quæ tamen juſtitiæ operibus adnumerandæ non eſſent, etſi illis ad Chriſti gratiam aſſequendam hominem diſponi adfirmarent*; veluti ex S. Proſpero, & Hilario in epiſt. ad S. Auguſtinum obſervat Natalis in diſſert. 4. de Semipelag. erroribus, ac laterem proinde laviſſe Janſenium, dum lib. 8. de hær. Pelag. Semipelagianos ab hoc errore abſtergere adnixus eſt.

Jam vero Semipelagianorum erroribus ad ſe a S. Proſpero, & Hilario viro laico delatis omnium primus occurrit S. Cæleſtinus, dataque epiſt. 21. edit. Cout. ad Galliarum Epiſcopos, acriter eoſdem increpuit, quod a Presbyteris indiſciplinatas quæſtiones vocari in medium, ac pertinaciter veritati adverſantia prædicari impune permitterent. S. Auguſtini deinde a Semipelagianis impetitam doctrinam vindicat, digniſque illam, debitiſque exornat laudibus: ex qua epiſtola videas, ut Pontifici datum ſu-

perne sit doctrinas bonas a malis discernere, deque veritati conformibus, aut infensis quæstionibus judicium ferre! Eidem porro epistolæ Capitula n. 11. subjiciuntur hac epigraphe insignita: *Præteritorum Sedis Apostolicæ Episcoporum Auctoritates de Gratia Dei*, quæ S. Cælestino quidem adscripsere Petrus Diacon. lib. de Incarn. cap. ult., Cresconius in Collect. Can., Dionysius Exiguus in sua Can. Collect., Florus lib. contra Jo:Erigenam, Hincmarus de prædest. capp. 22, Lupus Ferrar. in Collectaneis q. 2, Remigius Lugd. lib. de tribus epist. cap. 23, Ivo Carnot. in Panorm., aliique: eidem tamen Cælestino abjudicant Vendelstinus, Crabbius, Surius, Nicolinus, Baronius ad an. 431. n. 185, Franciscus Suarez proleg. 6. de grat. cap. 1, Sirmondus tom. 1. Concil. pag. 60, Vossius hist. Pelag. lib. 1. cap. 30, Quesnellus in dissert. 3, Norisius in vindiciis Augustin. cap. 8, Antelmius in dissert. de oper. S. Leonis, Natalis cit. §. 9, Dupinius in Bibl., Pagius ad an. 431. n. 47, & seqq., Serrius in S. Augustino vindic., & Ballerinii in observat. ad cit. dissert. 3. Quesn. §. 5. Ex quibus Quesnellus ea Capitula S. Leoni adscripsit; sed ejus conjecturas evertunt Antelmius, Pagius, & Ballerinii §. 6. Vossius eadem Capitula partim S. Cælestini, partim Gallorum S. Augustini discipulorum esse conjicit a S. Cælestino approbata, cui adsentitur Natalis. Norisius, cui auscultant Antelmius, Pagius, & Ballerinii §. 7, præiverat vero sententia Baronius, S. Prosperi esse fœtum putat. Ut sit de Auctore, Capitulis istis certe sua auctoritas stat, & constat, eisdem asserta a S. Hormisda in epist. 70. ad Possessorem, a quo interrogatus de Fausti Regiensis libris, postquam ei hoc reddidisset responsum: *Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut Religiosis præjudicium comparare*: (ubi observare illud obiter velim, Possessorem in ferenda de Fausti libris sententia, nec propriæ fidisse scientiæ, & conscientiæ, neque confidisse magis sententiae contra Fausti libros prolatæ, sive a Petro Diacono Romæ exulem agente in libello de Incar., & grat. ad Africanos Episcopos in Sardinia exules in append. tom. 10. oper. S. Augustini suo, Sociorumque nomine scripto, & inscripto, sive a

S. Ful-

S. Fulgentio in libris ſeptem de grat., & libero arbitrio duobus Fauſti oppoſitis, quamvis hoſce una cum tribus aliis de prædeſt. & grat. S. Doctori conſcribendi qui auctores ſe dederant, Africani Epiſcopi exilii ſocii, conſcriptos ſubiude in Synodica ad Scythas Monachos digno mactaſſent elogio, ſed ad unum Pontificem, tanquam ad indefectibilem veritatis regulam, integrum de libris deferendum judicium fore, probe habuiſſe perſuaſum) hæc de Capitulis illis, nullo appellato nomine Auctoris, ſubnectit: *De arbitrio tamen libero, & Gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maxime ad Hilarium, & Proſperum, poſſit cognoſci, tamen in Scriniis Eccleſiaſticis expreſſa Capitula continentur, quæ, ſi ibi* (Conſtantinopoli) *deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus.* Deſtinavit hæc reapſe Capitula, ut ipſi præſentiſſimo uſu ad perdomandam Semipelagianorum, quæ in Galliis quotidie potentia creſcere cernebatur, factionem, venirent, ad S. Cæſarium Arelatenſem S. Felix IV: ex quibus Capitulis in Synodo Arauſicana II. Canonibus 25. conflatis, ac ſubinde in Valentina confirmatis, quin etiam, quod potiſſimum eſt, a S. Bonifacio II. paullo poſt approbatis, S. Auguſtino uſque ad procacitatem obtrectandi licentia Semipelagianis præciſa, & obruta eſt, atque orthodoxa de Divina gratia, liberoque arbitrio dogmata loco firmiter ſuo, bonoque in lumine collocata. Viden hinc vero, ut Romani Pontificis in hac parte ferendi de propoſitionibus ad fidem pertinentibus judicium ſuſpici debeat poteſtas, utque eo loco ſit poſita, unde de ſuperno veluti, ac de ſupremo diſputationibus ſpatia definire, ac præfinire quæſtionibus lineas valeat? Adiſis virum dignitate, ac doctrina Cl. Noriſium hoc de argumento optime meritum lib. 2. hiſt. Pelag. capp. 18, & 23.

Exindæ elabenti mihi, eque ſententiis ad verba ſimplicia, ſive ad dictiones e diſputationibus eluctanti, novum ſponte veluti ſua naſcitur argumentum, quod ſuo pro pondere ſatis exputari, & expendi non poſſit. Neſtorius poſtquam alienam, ideſt Pelagianam, confoviſſet hæreſim, ac protexiſſet, totieſque refictas a Pelagianis de impactis ſibi per calumniam erroribus querelas in S. Cæleſtini animum ingerere fruſtra tentaſſet, peculiarem

rem ſuam adjunxit poſtea hæreſim, capitibus hiſce duobus comprehenſam, ideſt Chriſtum D. Ἄνθρωπον Θεοφόρον, Deum non eſse, ſed Deiferum, ſive Deo utentem, B. Virginem vero non eſse Θεοτόκον, Deiparam, ſed dicendam Χριστοτόκον, aut Ἀνθρωποτόκον, ideſt Chriſtiferam, aut Chriſtiparam, de quibus S. Johannes Damaſcenus lib. 3. de fide orthod. cap. 12, ejuſque Scholiaſtes Faber Stapulenſis, ut de S. Cyrillo in epiſt. ad Neſtorium, aliiſque pluribus apud Baluzium, Lupum, Garnerium, Petavium, Natalem, Noriſium, Dupinium, Tillemontium, Doucinum &c. ſileam. Vocibus igitur hiſce circumveſtitam hæreſim, implicatamque ſimplici perſuadere Plebi ſtuduit non modo, & ſed litteris ad fallendum compoſitis, fucoque plenis Pontificis animum occupare vir nequam inſtituit: *Ego*, inquiens in epiſt. 3, *hanc quidem vocem, quæ eſt* Θεοτόκος, *niſi ſecundum Apollinaris, & Arii furorem ad confuſionem naturarum proferatur, volentibus dicere non reſiſto: nec tamen ambigo, quin hæc vox* Θεοτόκος *illi voci cedat, quæ eſt* Χριστοτόκος, *tanquam prolata ab Angelis, & Evangeliſtis*. At cui nam ex voto, animoque unquam ſententia ſucceſſit, ut a Romani Pontificis obtutibus, iiſque perſpicaciſſimis, doctrinæ ſuæ ſenſum obvium quidem, ac litteralem, velut loquuntur, ſubduceret? Subducere per eos licuit aliquando ſenſum internum, animoque retentum, non etiam verbis expreſsum, verbiſque exprimendis inſtitutum. Quin etiam Johanni Antioch. in epiſt. ad ipſum Neſtor., Acacio Beroœenſi in epiſt. ad S. Cyrillum, Eutherio Tyanenſi, & Helladio Tarſenſi in epiſt. ad S. Sixtum III, Theodoreto in epiſt. ad Andream Samoſat., & in epiſt. ad ipſum Neſtor., Andreæ ipſi Samoſa., Alexandro Hierapol., Himerio Nicomed., Dorotheo, aliisque in Synodico apud Lupum, & Baluzium facere fucum Neſtorio fas fuit, non vero S. Cæleſtino, qui collecta Synodo, examini ſubjectis ejuſdem ſcriptis, vocibuſque *Theotòcos*, Deipara de B. Virgine, ac *Homo-Deus* de Chriſto D. conſecratis, atque ipſius ſcriptis damnatis, damnationis in Neſtorium tulit ſententiam, niſi intra decimum a denuntiatione diem hæreſim aperta, ſcriptaque confeſſione abdicaret. Scriptis ad hæc ſeptem epiſtolis ad Neſtorium ipſum, ut ad frugem revocaret, ad Clerum Conſtantinopolit., ut in fide retineret, ad S. Cyrillum Alex., Johannem Antioch., Juvenalem Hieroſol.,

Ruf-

Ruffum Theſsal., Flavianum Philip., alioſque Orientales, ut de lata in hominem ſententia certiores faceret, ad Synodum Epheſinam, ut eamdem ſententiam executioni demandaret, & ad Theodoſium Imp., ut hac in re opera Eccleſiæ non deeſset, ita factum iſtud dogmaticum numeris definivit, abſolvitque omnibus. Quod ut magis, magiſque in tuto collocaret, nocendique licentia Neſtorianis omnis amputaretur, Theodoſio Imp. auctorem ſe dedit legis ult. Cod. Theod. *de Hæreticis*, qua Neſtorianis quidem infamiæ publica inuſta nota *Simonianos* appellandos impoſterum edixit, quemadmodum Arianos olim *Porphyrianos* appellari juſſerat Conſtantinus M., Neſtorii vero libros legi omnino vetuit, ſed diligenter conquiſitos undequaque, congeſtoſque in cumulum ultricibus flammis devoveri, concremarique voluit.

Nec ab hac altera trita, rectaque cogitandi, agendique ratione cogitare, agereque licuit, & contigit S. Leoni M., cui profecto laudi haud parvæ vertit S. Proſper in Chron. ad an. 443, quod inter Paſtoralis curæ partes, quas ſtatim ab inito Pontificatu induit, numeriſque perficiendas omnibus ſibi propoſuit, ſtatuitque, Manichæis, qui devaſtata a Wandalis Africa, ac magna humanarum, Divinarumque rerum perturbatione conſequuta, ingenti Romam numero ſe tranſtulerant, ibique Catholicis admixti latentes conventus agebant, larvam detraxiſset, pravoſque ipſorum libros detectos, inque acervum congeſtos publico in foro igni comburendos devoviſset. Viden, ut ipſe met rem denarret in ſerm. 15. edit. Queſnelli, Baller. 16. cap. 4, quo Chriſtifideles religionis, officiique admonet, quo tam ab hujuſce genus hominum colloquiis abdicare ſe, tum ab horum erroribus undique ſcatentium librorum ſe abſtinere lectione debeant! Quo perinde ſtudio Italiæ Epiſcopos inflammare ſatagens epiſt. 7. edit. Ball., Queſn. 8. in Manichæorum invigilare latebras, inveſtigareque libros jubet, tumque in illos juris diſtringere pœnas, tumque iſtos ignis delere probro. Neque vero intra Italiæ fines ipſius ita ſe cohibuit zelus, quin ad Hiſpanias exporrigens ſe ſe, epiſt. 15. ad S. Turribium cap. 16. peſtem hancce qua graſſantem, qua latitantem inquiri, ac reprimi, libroſque omnes flammis aduri imperaret. Qua de re dignum ſe præbuit, ut promerito mactaretur elogio

elogio a Theodoreto in epist. 52, nec non a Thedosio, & Valentiniano in Divali ad Albinum ex Cod. Theodos. tom. 6. edit. Lipsi. Jo: Danielis Ritterii descripta a Balleriniis tom. 1. oper. S. Leonis pag. 626. Quo perinde ex capite neque parva laudis pars SS. Gelasio, Symmacho, & Hormisdæ adhæsit, si fides Auctori libri Pontificalis adhibenda sit, quæ cur adhiberi non debeat, certe non adparet, quod repertos improbos Manichæorum Codices ante fores Basilicæ cum Liberianæ, tum Constantinianæ igne comburi fecerint. Confer & Gratianum Can. 12. *Comperimus* dist. 2. *de Consecr.*

Alterum nunc autem, ac illustre accipe latum a S. Leone in Priscillianistarum libros judicium. Emicat istud in epist. 15. ad S. Turribium Asturicensem tum Cap. 15, quo loci hanc prudentiæ refertissimam fert legem, ut adulterati, falsatique a Priscillianistis Codices in nullo lectionis usu ab Hispanis Episcopis haberentur, Apocrypha vero scripta, sacris Apostolorum nominibus supposita, auferrentur penitus, atque flammis conflagranda adjicerentur: quod Caput 15. titulo isto *Sententia Papæ Leonis de Apocryphis Scripturis* insignitum totidem exhibetur verbis ex Mss. Codicibus Vaticano Palatino 277. a Blanchinio tom. 1. Vindiciar. Canon. Scriptur. pag. 405, Herovalliano a Jacobo Petit post Theodori Cantuar. Pœnitent., ac duobus Vallicellanis 18, & 58, de quibus Ballerinii Fratres tom. 1. pag. 1473, & seqq. Tum Cap. 16. Dictinii signatim scripta Priscilliana hæresi aspersa legi expresse prohibet (quod prohibuisse quoque liquet S. Augustinum lib. contra Mendacium ad Consentium capp. 3, & 17, ac Synodus Bracarensis an. 563. Can. 17.) *Nemo*, inquiens, *hoc impune præsumat, nec inter Catholicos censeatur, quisquis utitur scriptis, non ab Ecclesia solum Catholica, sed etiam a suo Auctore damnatis.* Nempe, S. Ambrosio Mediol. sequestre accedente, Symposio, & Dictinio a Synodo Toletana sua fuerat sedes restituta, ea tamen gemina adjecta lege, tum ut hæresi Priscilliana infarsos tractatus ejurarent prorsus, & abjicerent, sensus quoque pravos, quibus Priscilliani dogmata prius obducere solebant, exuerent, ac penitus abdicarent, tum ut prius apud Romanum Pontificem hæresis suspicione omni absterta, hæreticisque libris cum Auctore damna-

damnatis, communione ab eo donatos ſe oſtenderent. Non moror heic autem, quas in Obſervat. ad hanc epiſt. dubitationes movet Queſnellus de fidei profeſſione a Sympoſio, & Dictinio præſtita, deque priſtino Eccleſiaſtico ipſis reſtituto gradu: viro enim Janſenii partibus addictiſſimo, ac Pontificibus de factis dogmaticis frequens definientibus obtemperare detrectanti, fidem haud facile meam obſtrinxerim, haud obligarim. Emendicatas vero ejus conjecturas deſtruunt, evelluntque S. Innocentii I. epiſtola ad Synodum Toletanam, & iſta S. Leonis, qua de loquimur, ad S. Turribium, ex quibus liquet utrumque ad Eccleſiaſticæ communionis gratiam fuiſse receptum, atque priorem ad honoris gradum redintegratum. Quibus cum litteris concordat Codex Hiſpanus S. Æmiliani an. 962. exaratus, a Johanne Bapt. Perezio, & Ambroſio Morales deſcriptus, & ex ipſo confectus ab eodem Perezio Vaticanus 4887. ad Gregorium XIII. miſsus, in quo Hiſpani quatuor alii optimæ notæ Codices laudantur. Confer & Nicolaum Antonium in Bibl. vet. Hiſp. tom. 2. pag. 131, ac viros doctiſſ. Ballerinios Fratres in adnotat. ad hanc epiſt. 15. tom. 2. pag. 1373, & ſeqq.

Haud intra hæc ſtetit, hæſitque indefeſſa S. Leonis ad detegendos hæreticorum dolos vigilantia, liberandamque ab horum fraudibus fidem; nec hoc etſi haud leve ei cum Veteratoribus hiſce unicum fuit negotium, ſed novella cum hæreſi ad fallendæ fidei ambages quærendas facta nata congredi, & confligi opus fuit, larvam illi ad faſcinandum omnem detrahere, omnemque inveſtigandi ad elabendum locum eripere. Ex imprudenti enim vero, imperitoque zelo alienam, Neſtorii nempe, oppugnandi hæreſim in oppoſitam lapſus Eutyches, duas in Chriſto quidem ante Incarnationem naturas diſtinxit, ſed poſt Incarnationem ex duabus unam dumtaxat confinxit: quin tamen hanc unitatem, ſive unionem ſatis, ut capi bene poſſet, explicare, exponereque, in quo poſita eſſet, unquam voluerit, quo nempe ſenſu unam poſt unionem naturam in Chriſto contenderet: an unam per compoſitionem, quomodo una eſt in homine ex anima, & corpore: an unam per confuſionem, quomodo una eſt in mari aqua fluminis marinæ aquæ commixta: an unam per converſionem vel Divinæ

in humanam, vel humanæ in Divinam, quomodo in Euchariſtia contingit panem, vinumque in Chriſti D. Corpus, & Sanguinem converti. Quibus alternatim modis ad faciendum fucum, pro verſipelli ingenio, ac prout a Catholicis urgerentur, Eutychetis dogmata obducere ejus diſcipulos conſueviſſe obſervat Petavius lib. 1. de Incarn. cap. 14. Ut proinde mirari non ſubeat, quod ex hæreſi ancipitibus tot capitibus circuminſtructa, totque verborum ambagibus circumvoluta tot diverſa prodierint nomina, & monſtra, puta Acephali, Eſajaniſtæ, Corrupticolæ, Ἀναμάρτητοι, ſive Hæſitantes, Barſanuphitæ, Monophyſitæ, Schematici, Jacobitæ, Anthropomorphitæ, Julianiſtæ, Cajanitæ, Semidalitæ, Harmaſitæ, Phantaſiaſtæ, Angelitæ, Theopaſchitæ, Condobauditæ, Aphthartodocetæ, Nagranitæ, Tetraditæ, Agnoetæ, Damianiſtæ, Petritæ, Cononitæ, Monothelitæ, Coptitæ &c., de quibus poſt Liberatum in Brev., Leontium de Sectis, Timotheum Conſtantinopolit. Presbyt. de recept. hæretic., & S. Jo: Damaſcenum de hæreſ. Cl. Joſephus Simonius Aſſemanus in diſſert. de Syris Monophyſitis cap. 4. Quin imo Eutyches declinandæ invidiæ cauſſa non raro Catholice ſentire, ac dicere ſimulabat, inſimulatuſque Arii, Valentini, & Apollinaris hæreſis, de impacta calumnia dolere palam, & conqueri ſolemne habebat. At enim demens, & amens e ſulco rationis exceſſerat, qui fraude, doloque fallere, decipereque S. Leonem, perſpicaciſſimæ nempe Pontificem aciei, exputavit, cujus vix in conſpectum venere ipſius dicta a S. Flaviano delata, atque ſcripta erroribus, mendaciiſque refertiſſima, in quibus etiam ex SS. Julio, & Felice, & ex SS. Gregorio Neocæſ., & Athanaſio teſtimonia conficta, ut intimos Veteratoris receſſus invaſit: quos uno ictu ut reſecaret ad vivum, breve rei compendium faciens in epiſt. edit. Queſn. 29, Baller. 33. ad Synodum Epheſinam, ab Epiſcopis quidem Epiſtolam ſuam ad S. Flavianum lydium veluti lapidem haberi voluit, quo germana, adulterinaque fides probaretur (ad quam ſi probaſſent utique expoſitam ab Eutychete fidei profeſſionem, turpes adeo in errores prolapſi non fuiſſent) *Hoc eſt, ut primitus peſtifero errore damnato, etiam de ipſius, qui imprudenter erravit, reſtitutione tractetur*: Eutycheti vero locum veniæ exhibuit, ea lege inviola-

biliter adimplenda: *Si tamen doctrinam veritatis* (in eadem ad S. Flavianum epiſtola fuſe, nitideque expoſitam) *amplectens, ſenſus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita* (attendis duos a S. Leone diſtingui ſenſus, internum, & externum, illum excuſari quadantenus, iſtum exſecrari quantopere!) *plane, aperteque propria voce, & ſubſcriptione damnaverit*. Quo vero male, peſſimeque ceſſit Eutycheti pravos exuere ſenſus abneganti, cujus ideo perſonæ, jubente Pontifice, infamiæ dica conſcripta, ſcriptis vero Imperiali lege ignis pœna decreta eſt, Eutychetiſque partiariis Catholicum ei inſediſſe animum contendentibus, ideoque ad fidem in epiſt. 24. edit. Queſn., Baller. 28. ad Flavianum expoſitam ſuam exigere detrectantibus, digni proinde qui eadem proſcriberentur cum Eutychete pœna, eo viciſſim bene, optimeque audire meruit Chalcedonenſis imprimis Synodus, quæ a Pontifice epiſt. 72. edit. Queſn., Baller. 93. officii admonita, tantum abfuit, ut de dogmatica illa diſceptationem inſtituere attentaverit, ut potius abſque examine, abſque cunctatione, abſque exceptione ambabus ulnis amplecti, ex eaque quin etiam Symbolo Nicæno circa Dei Filium adverſus Eutychianam hæreſim apponendam periocham hancce duxerit: *Conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & Conſubſtantialem nobis ſecundum Humanitatem*: cujuſmodi ſimiles a S. Leonis ſtylo non diſtantes Liturgiæ Romanæ ad Eutychianam hæreſim evertendam, contra vero ſtabiliendum dogma Catholicum de Divina Incarnatione adjectas particulas obſervant Ballerinii in Sacramentarium S. Leoni tributum tom. 2. oper. Nota 15. pag. 152, & Nota 49. pag. 160; eidemque perinde Synodo accepti, probatique evadere promeruere quotquot ab Eutychetis partibus reſilientes, prælaudatæ ad S. Flavianum epiſtolæ animum apponere non diſtulere. Quæ omnia ex Actis Concilii abunde conſtant, quin ego longiori opera Lectori moram inferam.

Documenta ad alia nunc delabendo, in his & mihi ſic temperabo, ut antedicta jam faſtidienti novam non ingeram moleſtiam, neque diutius præter opus pluribus demorer. Atque de S. Gelaſio loquendo, is Romæ anno circiter 496. ex Epiſcopis 70, aut 72. coacta Synodo ad ſecernendos ſinceros, ſacroſque Li-

bros à pseudò-epigraphis, ac perniciosis, ordinem librorum, quos Romana Ecclesia, aut sacrum in Canonem adcenseret (de quo celebre, ac tritum est S. Innocentii I. in epistola ad Exuperium decretum, cum quo conferendum e Lucensi Codice excerptum a Cl. Mansio exhibitum tom. 1. Suppl. pag. 280, quò etiam respexisse videtur Concilium Toletanum IV. an. 633, quum Can. 13. Apocalypsim S. Rom. Ecclesiæ auctoritate Divinos inter libros adnumerandam decrevit; cujusque certe ad amussim Sacrorum librorum Catalogum suum confeciſſe Synodus Carthaginensis III. anno 397. Can. 47, in Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 24. inserto legitur, nec ante evulgare ausam fuisse, quam confirmari a S. Bonifacio I. impetrasset), quosque aut detestaretur tanquam noxiæ lectionis, aut dubiis adnumeraret, velut incertos, vel haud probatos habentes Auctores, digessit, decreto edito de Divinis, Canonicisque scripturis, de SS. Patrum operibus, atque de libris Apocryphis, quod legitur Distinct. 15. C. 3. *S. Romana Ecclesia*. Cujusce Decreti præ aliis ego quidem facio plurimum exemplar triplex editum ex antiquissimo Codice Florentino a Cl. Josepho Blanchinio, & a Luca Holstenio, ac Emanuele Schelestratio quammaxime commendato, Anastasii tom. 4. opusc. 3. pag. 61, & seqq., ex Codice Palatino Bibl. Vaticanæ n. 493. annorum 900. ab Ill. Justo Fontanino in append. ad Antiquit. Hortæ pag. 317, ac in Thesauro Script. Ital. Burmanni tom. 8. par. 3, atque ex vetusto Codice Lucensi annor. etiam 900. a Mansio Suppl. tom. 1. pag. 357, & seqq. Decreti hujus auctoritatem parvi pendunt, sicut de Auctore vituligant Nostrates, Protestantium aliqui, pseudo-nymis illud, hypobolimæisque adscribere non veriti Pearsonius in vindic. Ignat. lib. 1. cap. 4, Beveregius in Cod. Canon. primit. Eccles. illust. cap. 9, Basnagius hist. Eccl. lib. 8. cap. 8, Cavæus hist. litter. Sæculi V. p. 1., ac Pictetus Theolog. Christ. lib. 1. pag. 143, tanquam illud, quod ex Isidori Mercatoris officina prodierit, minusque propterea ut sincerum exsufflandum sit. Quia vero de hujusce Decreti cum auctore, tum auctoritate, quantum operæ ferebat pretium, adversus Protestantes satis, opinor, disputavi tom. 4. Art. 9. §. 1. pag. 432, & seqq., actum proinde agere nolim. Quam tamen in rem præter Scriptores eo loci

loci indicatos, conſer ſi placet, S. Aldhelmum lib. de Virgin. cap. 11. Bibl. PP. Lugd. tom. 13. pag. 37, qui decreti hujus, tacito auctoris nomine, meminit; Burchardum lib. 3. cap. 220, & ſeqq., Ivonem par. 4. cap. 64, & Panormiæ lib. 2. cap. 91, ac Vincentium Bellov. in prologo ad ſpecul. natur. cap. 13, & ſeq., a quibus S. Gelaſio explicite adſcribitur; Covaruviam item tom. 2. var. reſolut. lib. 4. cap. 14, & ſeqq., Baluzium ad Antonium Auguſtinum de emendat. Gratiani pag. 444; Scheleſtratium in Antiq. illuſt. tom. 1. pag. 369; Juſtum Fontaninum de Antiq. Hortæ lib. 2. cap. 3, & Maurinos Monachos ad S. Ambroſium tom. 1. pag. 1266. teſtantes in Codicibus Mſs. ante mille annos exaratis S. Gelaſio tribui. Atque ex hoc perinde Gelaſiano Decreto jure, optimeque Bail in ſumma ad hoc Rom. Concil. an. 496. argumentum deſumpſit carpendi Scaligerum, quod Expurgatorios librorum Indices, tanquam Maranorum opus, irriſerit.

Ab eodem S. Gelaſio naviter adlaboratum non modo, ut a germanis, & innoxiis apocryphi, & pernicioſi diſcernerentur libri, decretoque edito ſacri a profanis, & ſinceri a pſeudo-epigraphis diſtincti ſunt, quod plurimum ad hanc Pontificii juris particulam confirmandam confert, verum etiam libro adornato de duabus in Chriſto naturis Bibl. PP. edit. Pariſ. tom. 4, Lugd. tom. 8. pag. 699, Neſtorii, Eutychetiſque nefanda dogmata penitus ſunt profligata, atque ſana, ſinceraque Romanæ Eccleſiæ doctrina ad ſuorum Deceſſorum normam declarata. Quamvis enim docti viri non defuerint, qui opus illud egregium S. Gelaſio abjudicarint, aliis adſcribentes, uti Gelaſio Cæſareenſi Bellarminus, & Melchior Canus lib. 6. cap. 8. ad 9, uti Gelaſio Cyziceno Suffridus Petri, Baronius, & Perronius, uti Johanni II. (ſed prorſus immerito) Joſephus Pamphilius Signinus Epiſcopus Scriptor Seculi XVI. in Chron. Auguſtini; S. Gelaſio tamen vindicant Spondanus in Epitom. ad an. 496. obſervans opus illud ſub S. Gelaſii Papæ nomine laudatum a S. Fulgentio in lib. de quinque quæſtion. apud Ferrandum cap. 18; Labbæus tom. 1. de Script. Eccleſ. pag. 342. adnotans idem opus, eodem appellato nomine, a Johanne II. memorari in epiſt. ad Avienum, ceteroſque Senatores, qua eos de Chriſti Divinitate, & Incarn. fidem edocet; Sirmon-

mondus in Mſs. Codicibus optimæ notæ opus illud deſcriptum legi inter indubias S. Gelaſii epiſtolas; Petavius Theolog. dogm. lib. 2. de Incar. cap. 3. tom. 4. pag. 122, & 208. animadvertens præfatum librum S. Gelaſio Papæ diſerte adjudicari a Gennadio Maſſil. de Scriptor. Eccleſ. cap. 14, ab Honorio Auguſtod. lib. 2. cap. 93, & ab Anaſtaſio Bibl. in S. Gelaſio tom. 3. ſect. 74. pag. 195, edit. Blanchinii; Coutantius, teſte P. Simone Mopinot in epiſt. ad Carolum Conrade, Chifletius, Pagius n. 3, Dupinius, Moynius ad var. ſacra in proleg. pag. 28, & Fabricius Bibl. Græc. tom. 8. lib. 5. cap. 24. pag. 371, Voſſio, & Cavaeo non aſſentiens opus iſtud Græce verſum opinantibus memorari a Photio Cod. 102, ubi Gelaſii Cæſareenſis μονόβιβλον adverſus Anomœos laudat. Argumentum vero, quod ex opere illo exſculpunt heterodoxi ad evertendam fidem de panis, vinique tranſubſtantiatione in Euchariſtia, ex verbis ideſt iſtis: *Et tamen eſſe non deſinit* (in Euchariſtia) *ſubſtantia, vel natura panis, & vini*, abunde dilutum jam eſt a Baronio ad an. 496. n. 11, & ſeqq., Natali hiſt. Eccl. ad Sæcul. V. cap. 4. art. 3. §. 2, Tournellio, & Berti de Euchar., aliiſque de Schola Theologis, oſtendentibus antiquis Scriptoribus ſolemne fuiſſe ſubſtantiæ, & naturæ nomine intelligere accidentia naturam afficientia, ſive adjuncta ſubſtantiam circumſtantia: quo pacto accepiſſe leguntur Tertullianus lib. de anima cap. 32, S. Jo: Chryſoſtomus hom. 12. in Geneſ., S. Auguſtinus enarrat. in pſal. 68, Theodoretus in Dialogo 2, & S. Petrus Chryſologus ſerm. 82: quo pariter ſenſu idem S. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Picenæ Prov. ſcribit hominis ſubſtantiam Originali peccato fuiſſe depravatam. Sed de his in Append. Denique ad eumdem S. Gelaſium examinandam ex Oriente miſſam fuiſſe Apologiam adverſus Pelagianos adornatam a Johanne Mela, ſive Hemula Alexandrino Patriarcha auctor eſt Photius, apud quem tamen eſto fides: ſiquidem Johannem hunc Eutychianarum partium ſectatorem fuiſſe; ideoque Sacrorum conſortio a Pontifice M. longe ſemotum conſtat. Ex Occidente quoque S. Honorati Maſſilienſis Epiſcopi ſcripta eidem Pontifici accepta, probataque evaſiſſe tradit Gennadius de ſcript. Eccleſ. cap. 99, qui ea ratione permotus & ipſe ſuas pariter de fide lucubrationes eidem

Pon-

Pontifici nuncupandas duxit apud Baronium ad an. 490. n. 46. Verumtamen Caput illud 99 Gennadii ipſius opus non eſſe, ſed poſterioris, tametſi antiquæ, manus additamentum, jam convenit inter Eruditos, de quo conſulere juvabit Petrum Franc. Chifletium, Miræum, Suffridum Petri, Erneſtum Salomonem Cyprianum, & Ballerinios Fratres in admonit. ad vitam S. Hilarii Arelat. tom. 2. oper. S. Leonis pag. 313. Etſi enim non deſideretur in Codic. Martiniano, & Corbejenſi, ſive SanGermanenſi annorum plus mille, deeſt tamen in optimæ notæ, antiquiſſimiſque Codic. Mſs. Guelpherbytano, Norimbergenſi, Vaticano 551, S. Crucis in Hieruſalem 100, ac Veronenſi, in quibus Gennadianus Catalogus explicit in Johanne Antiocheno, aut in S. Gelaſio, ipſoque Gennadio.

De Fauſti Regienſis libris, quorum occaſione ingentes Conſtantinopoli exagitatæ quæſtiones fuerant, a Poſſeſſore Africano delatis prolatum a S. Hormiſda fuiſſe judicium, eique Conſtantinopolitanam Eccleſiam plene adquieviſſe paullo ſuperius indicavi. Non ſecus indico nunc de judicio lato a Johanne II. circa propoſitionem *De uno e Trinitate in Carne paſſo*, quæ magnum Scythas Monachos inter, & Acœmetas incendium excitaverat, pro Scythis nempe affirmantibus prolato contra Acœmetas inficiantes, copioſe me jam diſputaſſe Tom. 3. art. 6. §. 2. pag. 660, & ſeqq. Atque ibidem diſputatis adjungere quidem ſatius habebo Liberatum Brev. cap. 20. de ea propoſitione in hæc loquentem: *Papa Johannes hoc confitendum* (Unum de Trinitate Incarnatum, & Crucifixum) *Epiſtola ſua firmavit, & Imperatori direxit*. Alterum quoque ex Johanne ipſo in epiſtola altera ad Senatores apud Harduinum tom. 2. pag. 1150. attexere juvabit locum, quo huic ſimiles tres alias propoſitas a Juſtiniano quæſtiones: *Utrum Chriſtus unus e Trinitate dici poſſit*: *An Deus Chriſtus carne pertulerit*: *Utrum proprie, & veraciter B. Maria Dei genitrix poſſit appellari*, definivit, eaſque tanquam fidei Catholicæ approbe conſentaneas probavit, ſubjunctis pro confirmatione e S. Scriptura, & SS. Patribus ſelectis teſtimoniis. Facit & huc apte S. Agapeti ad Juſtinianum epiſtola, qua fidei profeſſionem a Johanne Prædeceſſore ſuo Acœmetis præſcriptam approbans,

bans, eaſque propoſitiones de fide tenendas affirmans, *Huic fidei*, inquit, *quiſquis contradicere præſumpſerit, a Catholica communione ſe noverit alienum*. In hæc ipſa quin etiam conſpirans pariter Vigilius in epiſt. 4. ad Juſtinianum, & epiſt. 5. ad Mennam utriuſque libello fidei, quem deceſſori ſuo S. Agapeto præſtiterant, accepto, propoſitione illa, quæ Johanni II. probata fuerat, confirmata, Conſtitutoque, quod adverſus Acephalos S. Agapetus ediderat, approbato, Mennæ dedit in mandatis, ne ab hæreſi reſipiſcentes ante reciperet, quam dicto in Auctores, & hæreſim anathemate, a Synodo Chalcedonenſi, & a S. Leone ſacratiſſime conſtituta ſenſu, verbo, ſcriptoque confiterentur. Siquod autem damnatæ in Auctoribus doctrinæ, pravique librorum ſenſus proſcripti exemplum nobis Eccleſiaſticæ Monumenta hiſtoriæ ſuppeditant, illud eſt ſane, quod exhibet controverſia de tribus Capitulis, ſcilicet de ſenſu librorum Theodori Mopſveſteni, epiſtolæ Ibæ Edeſſeni ad Marim Perſam, & ſcriptorum Theodoreti contra S. Cyrillum. Celeberrima hæc controverſia exordium nacta eſt ab Origenis, ejuſque librorum damnatione, quam apud Juſtinianum Imp. Pelagius Vigilii Apocriſiarius promoverat: a quo adverſus Origenis libros Encyclicæ ad quinque Orbis Patriarchas inſcriptæ poſtquam Vigilius, teſte Liberato Brev. cap. 23, ſubſcriptionem adjeciſſet ſuam, atque ideo Apoſtolicæ Sedis robur acceſſiſſet, idemque Vigilius epiſtolam Juſtiniani, ſive Tractatum ad Mennam comprobaſſet, ubique Origenis doctrinæ conclamata damnatio eſt. Progreſſum habuit in Synodo V, ſive Conſtantinopolitana II, ante quam, in qua, & poſt quam de tribus Capitulis diriſſime in utramque partem digladiatum eſt, pro illis, & contra illa ſtantibus, & pugnantibus, qua Chalcedonenſis Concilii defenſoribus, quibus ejus auctoritas impeti videbatur, ſi ſemel iis Capitulis anathema diceretur, qua ejuſdem Concilii hoſtibus, quibus perſuaſum erat fore, ut Eutychetis hæreſi meliora cederent, ſi Chalcedonenſis Synodi decretis detractum iret. Verum hinc, & illinc magno in errore verſatum eſt: ſiquidem in Chalcedonenſi Synodo de perſonis dumtaxat actum fuerat, non de earum doctrina, de qua agendi Synodo V. locus reliquus erat. Quamquam vero in Synodo V. tria Capitula damnata fuerint, eorum

eorum damnatio ni tamen Eccleſia nondum adquievit, donec Vigilii auctoritas, & conſenſus acceſſiſſet: quo appoſito, uti patet in epiſtola ad Eutychium, qui deinceps in trium Capitulorum defenſionem conceſſiſſent, ſchiſmatis, imo hæreſis infame nomen, ignominioſaque nota adhæſit.

Non plura quidem hanc in rem conferam, de qua multa perſequutum me memini par. 1. art. 2. §. 3, & par. hac 2. art. 6. §. 1; quin tamen committam, ut indictus prætermittatur locus unus, vel alter epiſtolæ Decretalis Vigilii ad Eutychium, in qua poſtquam dixiſſet ſe impedimento primum fuiſſe, quominus tria proſcriberentur Capitula, ſic effatur: *Sed quoniam Chriſtus D. noſter, qui eſt lux vera, quem tenebræ non comprehendunt, omni confuſione a mentibus noſtris remota, univerſum Orbem, & Eccleſiam ad pacem revocavit; ita ut quæ a Nobis definiri debent, revelante Domino, & veritate inveſtigata ſalubriter impleta ſint, idcirco* &c.: quem locum diligenter obſervari volo adverſus eos, qui definienti Pontifici de factis dogmaticis fidem deberi quidem, non Divinam tamen, ſed Eccleſiaſticam dumtaxat exiſtimant, qua de opinione infra; poſt quæ ſic circa finem: *Prædicta itaque*, inquit, *tria impia Capitula anathematizamus, & condemnamus . . . Quin etiam quemcumque, qui crediderit aliquo ullo tempore ea Capitula debere ſuſcipi, aut defendi, vel conatus fuerit hanc præſentem condemnationem ſubvertere, ſimili anathemati ſubjicimus.* Quorum ſimillima repetit in Conſtituto adverſus tria Capitula, quod ex veteri Codice Mſ. Bibl. Colbertinæ deſcriptum exhibet Baluzius in nova Collect. Concil. pag. 1551, & ex ipſo Harduinus tom. 3. pag. 218, verſus finem ſubjungens: *Quæcumque vero ſive meo nomine, ſive quorumlibet pro defenſione memoratorum trium Capitulorum* (atque ex his quidem in ſolius Theodori Mopſveſt. ſcriptis ſexaginta errorum capita a Vigilio fuiſſe cenſura affecta obſervavit etiam Baronius ad 553. n. 28.) *prolata fuerint, vel ubicumque reperta, præſentis noſtri pleniſſimi Conſtituti auctoritate vacuamus*. Decretalem porro ad Eutychium epiſtolam a Petro de Marca erutam e Codice veteri Bibl. Regiæ an. 1276. a Leone Cinnamo exarato, unaque cum diſſertatione evulgatam ad calcem lib. de Concord. cum Baluzii notis, & a Labbæo tom. 5. pag. 601,

ab Harduino quoque, sed absque dissertatione illa tom. 3. pag. 214, in dubium quidem vocavit Garnerius in dissert. de Synodo V. Norisio opposita, sed argumentis non adeo firmis, certisque id fecit, quibus infringeret tum Synodi VI. in Prosphonetico ad Constantinum Pogonatum act. 18, tum Pelagii II. in epist. 3 prolixiori ad Istriæ Episcopos, cui perscribendæ calamum accommodasse S. Gregorium M. tum Diaconum tradit Petrus Diacon. lib. 3. de gest. Langob. cap. 10, cujusque meminit certe idem Pontifex lib. 2. epist. 36, testimonia de Vigiliano adversus tria Capitula decreto. Illud vero observatu dignum, quod hac in epist. n. 10. apud Harduinum tom. 3. pag. 430, postquam ex Theodori Mopsv. scriptis pleraque delibasset, quibus plurimo ex capite damnatione, exsecrationeque dignum illum ostenderet, Johannis Antiocheni (non S. Cyrilli, uti Pagius ad an. 423. n. 17. perperam habet) in epist. ad Proclum Constantinopolit. apud Facundum lib. 2. cap. 2. verba, quibus non absque laude a Theodoro libros decem millia adversus hæreses conscriptos dixerat, perstringens idem Pelagius, *Ecce*, inquit, *quales plusquam decem millia librorum Theodorus scripsisse perhibetur. Pensate, quaeso, si non tanto acriora tormenta promeruit, quanto pluriora conscripsit*. Digna profecto tanto Pontifice sententia, qua perinde confodiantur ætatis nostræ Protestantes in librorum non utique præstantia, sed copia adversus Catholicam fidem confidentes, spemque facientes omnem.

Tam vero ad gravis argumenti, quod verso, genus egregie facit, quam ad laudum cumulum, quæ plurimo ex capite S. Gregorio M. debentur, multum confert scire, quæ de libris, latenteque in libris sensu sapientissimus Pontifex senserit, edixerit, sanxerit, egerit. Principio itaque S. Gregorius complures Ethnicorum libros igne conflagrasse, atque Mathematicos quammaxime, idest Magicos, Judiciarios, & Maleficos (qua in re mali nihil, boni vero multum intercessisset) quin etiam quotquot Palatina in Bibliotheca fuerant ab Augusto repositi, fertur apud Johannem Sarisberiensem de nugis Curialium lib. 2. cap. 26, quod ingenti Pontifici crimini vertere Oudinus non est veritus in dissert. de vita, indole, doctrina, & scriptis S. Gregorii M. tom. 1. Comment. de

ſcript. Eccleſ. pag. 1493. Sed hac de re valde quam dubitant Bayllius in dict. V. *Gregorius* I, ac Baelius in dict. hiſt. Crit. tom. 2. pag. 595. edit. Amſtel. 1730; diſerte vero negant Scipio Ammiratus lib. 21. diſcur. 1. edit. Francof. 1618, & Gradonicus in S. Gregorio a criminationibus Oudini vindicato cap. 2. Vere tamen Titi Livii ſuperſtitionis imbutos libros a S. Gregorio flammis abſumptos fuiſſe refert S. Antoninus in ſumma par. 4. tit. 11. cap. 4. §. 3, auctoritate innixus Johannis Dominici Magiſtri ſui, de quo Jacobus Quetif tom. 1. pag. 768, & aſſentitur Voſſius de hiſtor. Latin. lib. 1. pag. 48. edit. Francof. 1677, ipſoque teſte Heſſelius, & Raderus, Montacutius etiam in præfat. ad Analecta: quin etiam ab eodem Pontifice igne comburi juſſos Afranium, Nævium, Ennium, Poetaſque Latinos alios, teſtis accedit Cardanus lib. 2. ſapient. Ut vera detur hæc S. Antonini narratio, quam tamen in dubium revocant Gretzerus lib. 1. de jure prohib. libros malos cap. 30, & Fabricius Bibl. med., & inf. Latin. lib. 7. pag. 85. edit. Patav. 1754, opus laude dignum a S. Gregorio præſtitum exiſtimavit Voſſius, quod libros ſuperſtitionibus undique ſcatentes igni delendos devoverit. Certe Caligulam Imp. cogitaſſe olim de Virgilii, Liviique ſcriptis, atque poſteriorıs quidem, veluti hominis loquaciſſimi, inque hiſtoria valde quam negligentis, abolendis narrat Svetonius cap. 3. Livium quoque mentitum in quibuſdam obſervavit Vopiſcus in Aureliano cap. 2. Plurimo alio præterea ignominiæ nomine Livium traductum legere paſſim eſt, ut mendacii ab Auguſto apud Tacitum lib. 4. Annal. cap. 34, ut invidiæ ab Antonino Pio in Itinerario, ut jactantiæ a Plinio in præf. ad hiſt. natur., tanquam plagiarium Polybii, & cum Polybio, Diodoro, & Halicarnaſeo, ſecumquemet ipſum pugnantem a Laurentio Valla, tanquam fabuloſum, ſubleſtæque fidei ſcriptorem, partium ſtudio affectum, atque Romanis quidem addictiſſimum, Gallis vero adverſiſſimum a Jacobo Palmerio in exercit. ad optimos Auctor. Græcos pag. 188, & ſeq., ac Jo: Brodæo ad lib. 3. Anthолog. cap. 23. pag. 379. apud Fabricium Bibl. Latin. tom. 1. lib. 1. cap. 11. pag. 192. edit. Ven. 1728.

At enim alia longe præſtantior Livium diſperdendi S. Gregorio ſuberat cauſſa, tot nempe prodigiorum commenta, quibus

integrum librum Julius obsequens implere ex Livio potuit, tantarumque superstitionum colluvies, a quibus abstergendi Livium non alteram inire rationem scivit Jo: Tolandus, quam libro inscripto *Livius* Αὐτοσχέδιος, sive *De superstitionis culpa Livio falso impacta* Hagæ Comit. 1708. Atheum eumdem agere, Religionisque omnis, cujus erat & ipse expers, contemptorem exhibere. Quamquam, fateor, hanc defendendi Livium falso Tolandum sibi licentiam sumpsisse, perque nefas feciſſe irreligiositatis flagitio illum adstringendo, demonstrare instituerunt Lipsius, Vossius, Possevinus, Jacobus Fayus, Elias Benedictus, & alii, quæ de re alii viderint. Indubium vero illud a S. Gregorio Manichæorum libros ante fores Basilicæ S. Mariæ fuisse combustos, ut memoriæ prodidit Anastasius, observatque Altasetra in Not. tom. 3. edit. Blanc. sect. 74. pag. 195. Tam quoque Synodi Ephesinæ Codicem a Græcis falsatum, ac Pelagiana hæresi infarsum a Johanne Constantinopolit. ad se missum, quam libtum alterum Manichæorum erroribus aspersum, repertum apud Athanasium ejusdem Constantinopolit. Ecclesiæ Presbyterum, ab eodem Johanne accusatum prohibuisse legitur, ac proscripsisse lib. 6. alias 5. epist. 14, & lib. 6. epist. 66. alias lib. 5. epist. 24. Confer & caput *Fraternitati tuæ de Hæreticis* lib. 5. Decret. tit. 7, & Glossam ibid., quo loci S. Anastasio Patriarchæ Antiocheno, de quo Henschenius ad diem 21. April., dubitanti, an Pelagii, & Cælestii ab Ephesino Concilio damnatorum scripta retineri possent, absolute respondit S. Pontifex: *Quomodo poterunt illa Capitula recipi, quorum damnantur Auctores?* Graves etiam in querelas eumdem S. Gregorium effusum inspicere licet in epist. 68. lib. 9. ad Eusebium Thessal. Episcopum adversus Græcum Monachum Andream nomine, reque impostorem, quod sermones ipsius aliquos Græce scribere, suoque inscribere nomine non fuisset veritus. Quæ, amabo, quid aliud præferunt, quam Pontificis insitam animo persuasionem de facultate definiendi de factis Dogmaticis Divinitus in persona S. Petri sibi facta? Quam utique factam unicuique Pontifici definiendi de Scriptoribus quibuscumque, suo quoque testimonio non tam probat, quam comprobat traditione in Ecclesia recepta Johannes Diac. in præf. ad vit. S. Gregorii.

In

In Monothelitarum res ingredienti nunc mihi peramplus dicendi ſe aperiret campus, niſi me a pomerio iſto proferendo, quos mihi præſtitui, orationis fines prohiberent. Attingam igitur paucis, quod rei ſumma, & caput eſt, atque de Theodoro P.M., ut loquar, hic a Paulo Conſtantinopolit. accepto fidei libello, quo ille profitebatur ſe in fide Rom. Pontificis conquieſcere penitus, haud ignorans duplicem, fluxamque geri ab homine fidem, hujus experimentum capere non ex formula miſſa, ſed in facto ipſo periculum facere inſtituit, interrogans proinde, cur damnatam Heraclii Ecthеſim publicis e locis non abſtuliſſet? *Quamobrem... Fraternitas tua a publicis locis chartam, quæ ſuſpenſa, pridemque caſſata fuerat, non abſtulit?* ex Anaſtaſii Collect. a Sirmondo editis apud Harduinum tom. 3. pag. 613., & apud Oldoinum in Athenæo Rom. pag. 624. Quibus vides perſpicaciſſimo a Pontifice in hæretico homine diſcretum approbe ſenſum verborum ab animi ſententia, de priori judicium tuliſſe ex ſcriptis, de poſteriori conjectaſſe ex factis. Atqui parte de hac optime præ aliis meritus S. Martinus I. Conſtantis Imper. tam precibus, ac mandatis infractum, quam promiſſis, ac minis indeflexum ſe ſe præſtitit, tantumque abfuit, ut impium ab ipſo conditum Typum comprobare ſuſtinuerit, ut potius Synodo indicta proſcribendum cum Ecthеſi Heraclii ſibi ſumpſerit. Negotii totius ſeriem exhibet Secretarius 3, & 4, quin ei retexendæ diutius ego immorer, contentus recordari Canonem 18. in Secret. 5. conditum, ubi poſtquam cum SS. Patrum liquidis teſtimoniis collata fuiſſent loca plurima ex veterum Hæreticorum fontibus hauſta, explicitis verbis hiſce una cum Veteratoribus illis, unaque cum impiis ſcriptis confodiuntur Monothelitarum Synagogiſtæ, ipſorumque aſſeclæ: *Si quis ſecundum SS. Patres, conſonanter Nobis, pariterque fide non reſpuit, & anathematizat nefandiſſimos Hæreticos, cum omnibus impiis eorum conſcriptis, uſque ad unum apicem... & eos, qui ſimilia cum his uſque ad finem obſtinate ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur... Et ſuper hæc impiiſſimam Ecthеſim... Sed & omnia, quæ pro ea impie ab eis ſcripta, vel acta ſunt, & cum illis denuo ſceleroſum Typum... hujuſmodi condemnatus ſit.* Quibus, per fortunas, quid illuſtrius in meam proferri ſententiam poteſt,

atque

atque ad patefaciendum, quod de Vigilio paullo superius adnotabam, de factis dogmaticis Pontifici definienti Ecclesiasticam fidem adhibere dumtaxat non sufficere, sed Divinam fore adhibendam? Atque hac de re quidem rursus paullo infra, quum de Martino V. incidet sermo.

Missis in Synodo actis, in sententiam adversus Monothelitas Canone isto ejaculatam concedere Ecclesias ubique gentium omnes Asiæ, Africæ, Galliæ &c. jussit S. Martinus, velut eloquuntur ipsius epistolæ ad Ecclesias Antiochenam, Hierosolymitanam, Thessalonicensem, & Carthaginensem, ad Johannem Philadelphiæ, ad Theodorum Esbuntis in Arabia, ad Antonium Bacathorum in Palæstina prima, ad S. Amandum Trajectensem, & ad omnes Christifideles, apud Sirmondum ex Collectaneis Anastasii tom. 3. oper. pag. 506, in Bibl. PP. Lugd. tom. 12. pag. 842, & apud Harduinum tom. 3. pag. 633, & 933. Ut erat vero sententiæ istiusmodi in Monothelitas latæ a Martino studiosissimus Sanctus Agatho, ad eam recipiendam cogi Synodos in Anglia, Gallia, Italia, & Græcia jussit: qua in re præclarum est, quod imprimis de Synodo Hedseldensi sub Theodoro Cantuar. an. 679, de qua etiam Scriptor vitæ Theodori apud Mabillonium Sæculo II. Bened. pag. 1036, refert V. Beda lib. 4. cap. 18: *Exemplum Catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum est, atque ab Apostolico Papa, omnibusque, qui audiere, vel legere, gratantissime susceptum.* Quibus haud obscure significat Anglis suis plane fuisse persuasum, fidei formulam aut a Romano Pontifice accipiendam fore, aut ab aliis adornatam Romano Pontifici acceptam esse debere, ab eoque, ut proba sit, fore probandam; ideo vero probatam evasisse, quod ad Canonem 18. contra Monothelitas conscriptum fuisset approbe exacta. A Synodis Italiæ eamdem in sententiam itum, ut a Mediolanensi sub Mansueto eodem anno, discimus ex Synodica ad Constantinum Imper. Actis Synodi VI. inserta apud Harduinum tom. 3. pag. 1051, & seqq., atque a Romana an. 680. Episcoporum 125, inter quos ex Anglia, & Gallia nonnulli suo, & Collegarum suorum nomine subscripsisse leguntur, duabus intelligimus ex Synodicis eidem Synodi VI. act. 4. intextis. Valde notabilia sunt vero, quæ de Synodo ista habet Eddius in vita S. Wilfridi Eborac.

rac. cap. 50. apud Mabillonium Sæculo IV. Bened. par. 1. pag. 671, & par. 2. pag. 550, ac Thomam Galeum inter Scriptores 15. pag. 4. edit. Oxon. 1691. *Ter Beatiſſ. Agathonis Synodus adverſus pravitates hæreticorum cum 125. orthodoxis Epiſcopis conſtituta eſt, ex quibus unuſquiſque pro ſua Provincia, & Civitate veram fidem confeſſus eſt, & ſubjcriptione ſua confirmavit.* Quod ſubinde a S. Wilfrido ſignatim præſtitum ſignificat, præ oculis vero habitum prælaudatum Canonem 18. Concilii Lateranenſis nullus dubito. Ad Latinos accedendi officii admoniti Græci a S. Agathone, tantum abeſt, ut ad obſiſtendum animum obduratum induerint, ut potius ad obediendum promptiſſime ſe obſervantia, voluntateque comparaverint. Nam in Conſtantinopolit. III., ſive Synodo VI. congregati Act. 2, & ſeqq. cum S. Agathonis Synodicis, ac SS. Patrum teſtimoniis Eutychianorum, ac Monotheliterum collatis impiis aſſertis, ex ipſorum ſcriptis collectis, Act. 14, & ſeqq. hæc omnia ſcripta tanquam Apoſtolicæ Sedis doctrinæ diſſona, ac SS. Patrum traditioni adverſa cum ſuis Auctoribus diro ſunt anathemate damnata, & proſcripta: eademque pariter damnationis ſententia confixi libelli Mennæ ad Vigilium, atque Vigilii ad Juſtinianum Imp., ac Theodoram Auguſtam, ut qui falſati, depravatique fuerant a Synodo deprehenſi.

Ad Hiſpanos quod attingit Epiſcopos, reliquos in Occidente nempe, ad quos horum nihil adhuc pervenerat, a S. Leone II. Synodi VI. Actis miſſis ii ſubſcribere juſſi ſunt, iteratoque a S. Benedicto II, qui vacantem illius locum impleverat. Atque Hiſpani quidem Antiſtites, qui hyemali tempeſtate præpediti convenire in unum prius nequiverant, ut ipſi met in Concilio Toletano XIV. Can. 2, & 3. teſtatum reliquere, ne S. Leonis II. litteris minus detuliſſe, minoriſque duxiſſe mandata videri poſſent, ſeparatim tamen ſubſcripſiſſe, atque in propria unumquemque Diœceſi pro officio præſtitiſſe, ut præfatis Synodi VI. actis ſua dependeretur obſervantia, eodem loci omnium fide confirmatum voluere. Quum vero Apologiam quamdam adverſus hæreticos a Juliano Toletano adornatam, omniumque calculo approbatam, ad S. Benedictum II. examinandam, probandamque direxiſſent, eaque perlecta juſſiſſet Pontifex dicta quædam de SS. Trinitate,

deque tribus in Chriſto ſubſtantiis explicari, ſive emendari, ei morem, ut par erat, gerens Julianus Apologetico altero elucubrato, facere ſatis, fidemque liberare ſuam, atque ab omni vel levi abſtergere ſuſpicione curavit. Deſiderantur hae quidem S. Benedicti litteræ, earum tamen fit mentio in Concilio Toletano XV. an. 688. celébrato apud Harduinum tom. 3. pag. 1761, e quo ad S. Sergium I, qui S. Benedicto II. poſt Johannem V, & Cononem ſucceſſerat, Apologetico, ſecundo a Juliano adornato, miſſo, rationem doctrinæ reddentes, ullo abſque errore, Catholico ſenſu dici potuiſſe: *In Deo Sapientiam ex Sapientia*, *Voluntatem ex Voluntate* procedere, & *In Chriſto Dei Filio tres eſſe ſubſtantias*, quæ duo a S. Benedicto II. diſtincte notata fuerant, conglomeratis ex SS. Patribus Athanaſio, Auguſtino lib. 15. de Trin. cap. 20. (quem locum affert quoque Magiſter Sent. lib. 1. diſt. 5.) lib. 83. Quæſt. q. 80., in Enchir. cap. 54., de Symbolo, & de fide ad Petrum, Cyrillo Alexand. in Scholiis de Incarn. Verbi in edit. Græco-Lat. Pariſ. tom. 5. pag. 779, Ambroſio, Fulgentio, & Iſidoro lib. 1. de differenc. nat. capp. 6. & 26. teſtimoniis, explicare, & comprobare conati ſunt, ita videlicet, quod ſicuti recte dicitur *Deus de Deo*, *Lumen de Lumine*, ideſt Deus Pater genuit Filium Deum, Deus Lumen genuit Filium pariter Lumen, non ſecus eodem Catholico ſenſu dictum intelligi oporteret Pater Sapientia, & Voluntas genuit Filium Sapientiam pariter, & Voluntatem. Subſtantiæ quoque nomen, quod ad alterum pertinebat caput, pro naturæ, aut eſſentiæ ſignificatione, ſiquidem uſurpari conſueverit, & voces abſtractæ formam ſignificantes ſæpe pro concretis veterum Scriptorum abuſu ſumptæ quandoquidem ſint, eodem proinde ſenſu, atque Catholico plane, tres dictas in Chriſto D. ſubſtantias accipi commode poſſe. Eo ergo Apologetico accepto, S. Sergius expoſitionem in eo traditam approbaſſe, atque Concilio Toletano XV, cui idem Apologeticus inſertus eſt, & probatus evaſit, Apoſtolicæ robur auctoritatis contuliſſe fertur apud Rodericum Tolet. lib. 2. cap. 3. Ad hæc in Concilio Toletano XVI. anno 693. Catholico iterum, eodemque ſenſu expoſita ſunt Apologiæ primæ verba; illa videlicet *Sapientiam ex Sapientia* &c. intelligenda eſſe in concreto, velut loqui

loqui ſolent Logici, non ſecus atque iſta *Deus de Deo* &c.; verba illa vero *Tres in Chriſto ſubſtantiæ* accipienda fore de ſubſtantiis nedum compleris, uti de Natura Divina, ſed etiam de completis veluti de Anima, & Corpore, ex quibus coaleſcit Homo, atque ex his tribus Homo-Deus. Quam demum in rem adeundi Rodericus Toler. lib. 3. cap. 14, Baronius ad an. 688. n. 3, & ſeqq., Henſchenius in vita S. Juliani Tolet. ad diem 8. Martii, Combefiſius in hiſt. Monorhel. diſſert. apolog. pro actis Synodi VI, Pagius ad an. 685. n. 6, Sommier hiſt. dogm. lib. 8. cap. 17, & Cennius de Antiq. Eccl. Hiſp. diſſerr. 4. cap. 3.

Atque huc quidem, ne in Flaccium Illyricum modo quæſtionem moveam, a quo perquamſimilis criminatio, parique ſpiritu producta eſt in libro iſto titulo inſigniro: *Unanimis conſenſus primitivæ Eccleſiæ de non ſcrutando Divinæ generationis Filii Dei modo*, Pheropponum, larvatum hoc eſt Jo: Clericum perere liceat, qui in animad. ad S. Auguſtini lib. 1. de Trinit cap. 4, & lib. 7. cap. 4., lib. de Agon. Chriſt. cap. 20, & ad lib. 13. Confeſſ. cap 11. eo impudentiæ devenit, ut in Theologos de ſchola ſuum exacuere ſtilum, eoſque nedum in culpam vocare non ſit verirus, ideo quod poſt Neſtorii, Eutychetiſque enatas hæreſes ad explicanda SS. Trinitatis, & Incarnationis Dom. myſteria novas induxerint voces, ſed imo SS. Eccleſiæ Patres, ac S. Auguſtinum quammaxime laceſcere, & proſcindere ideo non erubuerir, quod poſt Arii, & Sabellii errores exorros novarum ſe vocum auctores dederint, quum ſententia quidem ſua non alias uſurpare fas ſit loquutiones, quam illas, quas ſacra in Scriptura conſecratas conſpicimus. Nolo quidem, nec opus puro, multis cum homine conrendere, cui ita periit frons, ut hæc agere non puduerit, Eccleſiæ nempe Magiſtros culpare, ac Diſcipulos, quod non faciunr, niſi de Socini, & Arminii Proſeucha ſectatores, ac Clerico ſimiles Epiſcopius, Limborchius &c. Ad ejus calumnias, ac contumelias retundendas Vincentium Lirin. voco primum, qui novarum quidem abuſum vocum in hæreticis ipſis hiſce caſtigavit verbis, at quibus viciſſim Catholicos egregie commendat: *Catholicorum hoc proprium depoſita SS. Patrum, & commiſſa ſervare, damnareque profanas novitates.* Hæc pro Theologis: quid pro ipſis Patribus? Nunquid hi novas

uſurpandò loquutiones pro libitu, pro arbitrio, pro ingenio privato id egere, qui una egere ratione hæreticorum dolos evertendi? Pro omnibus ſit S. Auguſtinus ipſe lib. 7. de Trin. cap. 4. neceſſitatem uſurpandi novas aliquando dictiones hiſce efferens tam veris, quam liquidis verbis: *Fateamur loquendi neceſſitate parta hæc vocabula, quum opus eſſet copioſa diſputatione adverſus inſidias, vel errores hæreticorum.* Cæterum ſi neceſſitas nova peperit in Theologia vocabula, non utique novitatem in Religionem induxit dogmatum: *Quoniam res antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novo novæ rei virtus acceſſit*: Verba ſunt, quæ Clerico recordari oportebat, Vigilii Tapſenſis in diſput. S. Athanaſii cum Ario n. 11. tom. 2. hujus oper. pag. 634. Confer, qui multis Clerici temeritatem comprimit, Cl. Muratorium de Ingen. moderat. lib. 2. cap. 17. Bene igitur, optimeque ceſſit, quod voces nonnullas, cum veteres, tum novellas, quibus de SS. Trinitatis, Divinæque Incarn. Myſteriis loquens Julianus Tolet. abuti videbatur, Catholicum juxta ſenſum explicare Rom. a Pontifice juſſus ſit.

In viam, & ordinem vero ut modo redeat oratio, ac brevitate, qua fieri poterit, operis abſque diſpendio, utar, quin meo tamen abutar otio, & alieno, quum Felix Urgellitanus, poſtquam ab Hadriano I. ad bonam regredi frugen compulſus fuiſſet, ad priſtinum tamen paullo poſt ingenium relapſus, ideoque cum Elipando Toletano a Synodo Francofordienſi damnationis ſententia fuiſſet perſtrictus, ab Alcuino epiſtola accepta, qua efficaciſſime ad ſanum ſe ſe recipere ſenſum exſtimulabatur, pro beneficio reſpondens epiſtolam dediſſet ei priſtini erroris refertiſſimam, epiſtolam hanc ad Leonem III. miſit Alcuinus, ut de eadem dijudicaret, ex eademque Auctorem dignoſceret. Ergo Pontifex Synodo Romæ actutum indicta, quæ ideo in an. 799. incidit, Epiſtolam quidem nefaria hæreſi aſperſam proſcripſit, Felici vero diem præfixit, quo, ni reſipiſceret, atque hæreſim revocaret, evoluto, anathemate perfoſſum, & ab Eccleſia projectum ſe ſciret. Reſipiſcere viſus eſt (reapſe ne vero, dubitatur valdequam, qua de re Cointius tom. 7. Annal. pag. 503, & Trellundius Hafnienſis in diſſert. de hæreſi Adoptiana ſect. 3. apud Vogtium in Bibl. hiſt. hæreſiologica

gica pag. 345.) conſcriptaque fidei confeſſione, in Synodo Aquiſgranenſi an. 799. ſuæ valedixit hæreſi, ad eidem valedicendum Leonis III. auctoritate ſe compulſum affirmans apud Harduinum tom. 4. pag. 927, & 930. Ad omnem ſuis a libris avertendam invidiam, a Stephano III. eorumdem approbationem efflagitaſſe Ambroſium Autpertum probat ipſius præfatio, quæ epiſtola eſt ad Pontificem, Commentariis 10. in Apocalypſim præfixa in Bibl. PP. Lugd. tom. 13. pag. 403. Ea S. Nicolao I. univerſim animo inſita erat, arcteque inſerta ſententia, eo ipſo Pontificem M. jure poſſe aliena prohibere ſcripta, & proſcribere, quo potis eſt Apoſtolicæ Sedis, ne poſthabeantur ſcripta, diſtricte præcipere: *Si ipſorum*, de Romanis Pontificibus loquens in epiſt. 42. ad Galliar. Epiſcopos apud Gratianum diſt. 19. Can. I. *Si Romanorum*, & Harduinum tom. 5. pag. 592. *Si ipſorum*, inquit, *decreto ceterorum Opuſcula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut quod Sedes Apoſtolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, & quanto potius, quæ ipſa pro Catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis, & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium moribus diverſo tempore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus, in quibuslibet opportunitatibus, diſcretione, vel diſpenſatione magiſtra, reverenter aſſumi.* Generali ex hac regula, qua librorum omnium, Auctorumque cenſuram uni Apoſtolicæ vindicat Sedi, gradum ad facta particularia faciens, argumentum deſumit in epiſt. ad Carolum Calvum apud Ivonem par. 4. cap. 164, Baronium ad an. 878. n. 62, & Harduinum tom. 5. pag. 353. cum gravi culpæ Johanni Erigenæ Scoto deputandi, quod Apoſtolica Sede inconſulta S. Dionyſii Areopagitæ libros in Latinum tranferre auſus fuiſſet, quodque pejus eſſet, ab ejus doctrina plurimum oppido deerraſſet, tum culpabilis negligentiæ Gallos Epiſcopos traducendi, quod Apoſtolicam Sedem de verſione hac e veſtigio certiorem facere diſtuliſſent, librum propterea examinandum actutum ad ſe tranſmitti præcipiens: *Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod Opus B. Dionyſii Areopagitæ ... quidam vir Johannes, genere Scotus, nuper in Latinum tranſtulerit. Quod juxta morem Nobis mitti, & noſtro debuit judicio approbari ... Itaque*

quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, & Nobis præfatum Opus sine ulla cunctatione mittat: quatenus dum a nostri Apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

Nolim tamen ex his, ut quis S. Nicolao I, cui pares in sententia præiverant S. Martinus I. in Synodo Later. secret. 3. apud Harduinum tom. 3. pag. 771, S. Agatho in epist. ad Heraclium, & Tiberium Imp. Synodi VI. act. 4. inserta ibid. pag. 1099; & Hadrianus I. in Apolog. ad Carolum M. cap. 36, ideoque & his pariter, obtrectandi licentiam temere arripiat, quod præfata opera, quæ sub S. Dionysii Areop. nomine circumferuntur, tanquam genuinum ipsi fœtum adscripserint: nam, ut verbo dicam, non de operis quidem Auctore quæstio a S. Nicolao agebatur, sed de operis doctrina dumtaxat judicium ad Apostolicum Tribunal is avocabat. Cæterum enim multi etsi oppido non defuerint, qui prælaudata opera S. Dionysio Areop. vindicanda susceperint, atque de ceteris ut sileam, in quibus Natalis ad Sæcul. I. dissert. 21, nuper hanc in se spartam assumpserint Claudius David in dissert. de S. Dionysio Areop. Paris. 1702, & Laurentius Cozza in Vindic. Areopag. Romæ eodem anno, pseudo-epigrapha tamen, atque conficta, non utique a S. Gregorio M., uti perperam suspicatus est Dodvvellus lib. de jure Laicor. Sacerdotali pag. 389, a quo, impense quamvis S. Dionysium Areop. laudibus celebratum memoret Hadrianus I. loc. cit., atque hom. 34. in Evang. S. Dionysii mentio fiat, suspicionem hanc amovent Petavius lib. de Angel. pag. 107, ac Morinus de Sacr. Ordinat. pag. 421, conficta, inquam, fuisse ab Auctore vel Sæculi IV, ut putant, minus vere tamen, Pearsonius in Vind. Ignat. lib. 1. cap. 10, & Beveregius in Not. ad Synodicon pag. 72, sed verisimilius ab Auctore Sæculi V, quem vel Apollinaristam cogitat Eduardus Stillingfleetus in resp. ad Cresii apologiam de Fanaticismo Rom. Eccl. cap. 2, ita cogitandi ansa arrepta ab Eulogio apud Photium Cod. 230, Leontio de sect. lib. 8, Facundo lib. 1, & Liberato Brev. cap. 10. notantibus pessimo id positum in more fuisse Apollinaristis specioso SS. Patrum, ac Pontificum nomini opera pleraque supponere, vel Eutychianum arguit Morinus, nec incongrue utique, siquidem

dem in Collat. Conſtantinopoli habita an. 533. apud Harduinum tom. 2. pag. 1163. Severianis opera iſta ſub S. Dionyſii nomine proferentibus Catholici Epiſcopi indubitanter repoſuiſſe leguntur pſeudonyma eſſe profecto, conficta, inquam, pugnant Launojus in Judicio de lib. S. Dionyſio huic inſcriptis, Labbæus de ſcript. Eccl. tom. 1. pag. 766, Nourrius in appar. ad Bibl. PP. diſſert. 10, Morinus de Sacr. Ordinat. loco ind., Habertus in Archieratico, Scheleſtratius Antiq. illuſt. par. 2., Chifletius in diſſert. ſingul., Tillemontius tom. 2. pag. 437, Scriptores Ephemeridum Pariſ. an. 1702. pag. 304, & ſeq., atque ex Proteſtantibus Dallæus lib. 1. de ſcript. Dionyſ., & Ignat., Uſserius in diſſert. de Dionyſ., Tentzelius Exercit. ſelect. tom. 2. pag. 285, Ittigius de PP. Apoſtol. pag. 143, & in hiſt. Sæcul. I. pag. 25, aliique apud Fabricium Bibl. Græcæ tom. 5. lib. 5. cap. 1. pag. 4.

Atqui gemino altero ex capite dignum Johannes Erigena ſe dedit, qui prava ob dogmata de proprio, ſcripto, verboque ſparſa, a S. Nicolao I. ignominiæ ſtigmate notaretur. Librum porro abErigena de Prædeſtinatione capitul. 19. inſcriptum proſcripſerat Synodus Valentina trium Provincarium Lugdun., Vienn., & Arelat. an. 855. Can. 4, & 6, atque hujuſce proſcriptionis ſententia probata, acceptaque ſubinde evaſerat Synodis Lingonenſi, & Tullenſi an. 859. ex duodecim Provinciis Can. 4. apud Harduinum tom. 5. pag. 90, & 498. Utrique ergo Canoni, una cum aliis ad ſe miſſis, S. Nicolaum Apoſtolicæ auctoritatis invictiſſimum adjeciſſe robur, fide affirmant ſua S. Prudentius in Annalibus ab Hincmaro laudatis in epiſt. 24. ad Egilonem, & Annaliſta Bertinianus ad an. 859. Idem rurſus intelligens hominem quietis impatientem, parvique admodum pervicacem a turbis in Pariſienſi Academia ciendis non ceſſare, ejuſque alumnis errores affiare ſuos conari, & ſtudere, novis Carolum Calvum Regem litteris monuit, ut Erigenam Romam coercendum mitteret, nec ultra deinceps Pariſiis eum morari pateretur; *Dilectioni veſtræ* inquiens, *vehementer rogantes mandamus, quatenus Apoſtolatui noſtro prædictum Johannem repræſentari faciatis, aut certe Pariſiis . . . in ſtudio morari non ſinatis, ne cum tritico ſacri eloquii grana lolii, & zizaniæ miſcere dignoſcatur*. Hæ Pontificis erant vigi-

vigilantiſſimi partes, quas pari ſtudio perficiendas adorſi S. Leo IX, & Honorius III, ejuſdem Johannis Erigenæ librum de Euchariſtia prior quidem in Synodo Vercellenſi an. 1050. damnavit, igniſque pœna dignum cenſuit, qua perinde cum Berengarii libro ſimilis argumenti a Nicolao II. in Romana Synodo an. 1059. affectus eſt, teſtibus S. Lantfranco Cantuar., & Guitmundo Averſ.; poſterior vero Conſtit. edita apud Albericum in Chron. ad annum 1225. pag. 514, ſive epiſtola ad Gall. Epiſcopos librum Erigenæ alterum inſcriptum Περὶ φύσεως μερισμοῦ *de Naturis*, in Synodo Senonenſi paullo ante proſcriptum, ubicumque reperiri poſſet, ad ſe quamprimum, ſi fieri ſecure quiret, deferri ſolemniter comburendum juſſit, ſin autem, ab ipſis infra dies 15. publico in foro igne conflagrari, pœna excommunicationis propoſita, injunxit. De Jo: Erigenæ fatis adiſis inter alios, ſi libet, Cl. Virorum par Natalem Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. IX, & X. diſſert. 14. §. 4, & Anſelmum Pariſium Canon. Regul. S. Auguſt. in diſſert. de Johanne Scoto ad calcem tom. 3. perpet. fid. Nec leve denique Pontificio huic juri proſcribendi libros comparatur ſubſidium ex epiſtola S. Nicolai ad conſulta Bulgarorum, ubi cap. 103. falſæ Religionis libros, noxios, profanos, blaſphemoſque præſertim Saracenorum haberi, legi, ac retineri interdicit, ſed imo flammis tradi conflagrandos injungit.

Photio, ob incredibilem audaciam, & ſuperbiam, qua elatus, & inflatus contra S. Nicolaum I. cogere Synodum, atque proferre ſententiam non exhorruerat, poſtquam aqua, & igne fuiſſet interdictum, ejuſdem librum maledictis in Apoſtolicam Sedem, ac mendaciis in Romanam Eccleſiam refertiſſimum, in judicium ad ſe delatum a Baſilio Spathario, & Johanne Cæſareenſi Metropolita, vicibus defungentibus Baſilii Imper., & S. Ignatii Patriarchæ, exactiſſimum poſt examen, ab Hadriano II. Romana in Synodo an. 868. inſignis ignominiæ cenſura fuiſſe confoſſum, proterendum cunctorum pedibus ſuppoſitum, igneque demum conflagrandum, ac diſperdendum publico in foro projectum, refert apud Baronium ad cit. an. n. 34, & ſeqq. in hoc Pontifice Anaſtaſius Bibl. Qui perinde in præfat. ad Synodum VIII. teſtis accedit, parem, quam Romæ fuerat expertus, ac promeritam ignis

pœnam

pœnam eidem Photii libro Conſtantinopoli inflictam fuiſſe. At enim Pontificem ipſum in Allocutione ſecunda ad Synodum ſuam apud Harduinum tom. 5. pag. 865. Synodi VIII. act. 7. inſerta præſtat excipere: *Ergo*, inquit, *quia nihil ab Hæreticorum, vel Schiſmaticorum pravitatum commentis Codex iſte actu non diſſentit... Et totus mendaciis, & perverſis dogmatibus fabricatus exſiſtit, hunc æque, ut illa, perpetuo anathemati duco ſubdendum, & contemplantibus cunctis, & præcipue Græcorum legatis, igni traditum, in cineres quoque conjicio redigendum: quatenus ne ſimpliciorum puritas illius contagione polluatur, ne fidelium mentes hujuſmodi colluvione quoquo modo ſaucientur.* Cui ſeveræ ſententiæ conformes apprime Canones eidem ſubjectos 1, 3, 4, & 5. recolere ibidem juvat pag. 868, & ſeq. Juxta hæc itaque, expreſſamque Hadriani eodem loci juſſionem, eadem in Synodo VIII. act. 8. Photianæ pſeudo-Synodi Exemplaria, quotquot reperiri potuere, flammis abſumpta ſunt, in eaque, ac Photium juſſi proferre anathema omnes, qui ipſius olim a partibus ſtetiſſent, atque a Legatis Apoſtolicis relectum eſt Caput 20. Concilii Lateranenſis ſub S. Martino I. *Siquis*, quo iis omnibus, qui ſcripta quæcumque ſupponere, adulterare, corrumpere, & interpolare auderent, uſque ad obitum, Eccleſiæ aditus intercludebatur, & Eccleſiaſtica interdicebatur communio. Nec prope, nec procul abhinc Johannes IX. abluſit, a quo Romanæ pſeudo-Synodi acta ſub Stephano VI. aliis VII. adverſus Formoſum in Synodo Romana an. 900. habita, ut obſervat Mabillonius tom. 1. Muſæi Ital., non an. 904, quo in Concil. Collect. conſignari ſolet, fuiſſe abrogata, flammiſque abolita, memoriæ proditum eſt a Sigeberto in Chron. ad an. 903, a Baronio ad an. 904. n. 3, & ſeqq., & ab Harduino tom. 6. par. 1. capp. 1, 3, & 7. pag. 487., & ſeq.: ex quibus adparet perperam laboraſſe Panvinium in Annot. ad Platinam pag. 112, ut ab hac labe Stephanum liberaret, cujus præterea de flagitio perpetrato in Formoſum fidem faciunt Auxilius Presbyter lib. 2. de ordinat. Formoſi cap. 30. Bibl. PP. Lugd. tom. 17. pag. 21, Luitprandus Diac. lib. 1. cap. 8. apud Muratorium tom. 2. Script. Ital. pag. 430, Anonymus Beneventanus auctor coævus alter apud Camillum Peregrinum pag. 148, & Hermannus Contractus in Chron. ad an. 896.

896. apud Caniſium tom. 3. antiq. lect. pag. 256. Videſis, & Papebrochium in Con. Chron. hiſt. diſſert. 31., quæ eſt de Formoſi fructuoſo ad Bulgaros Apoſtolatu, deque ejus laudabili Pontificatu.

Rem ſcitu haud indignam, ſi rata, fixaque teſtium fides undique conſtaret, ex Johanne Presbytero in Chron. Gemblacenſi Sæculi XIV. Scriptore, & Johanne Bruiſthemio Scriptore Sæculi XVI. de S. Leone IX. refert Johannes Chapeavillaeus tom. 2. Collect. Script. rer. Leodienſium in Not. ad Synodum Moguntinam an. 1049. cap. 1, nempe hoc in Concilio S. Servatii (quem ſecundum, atque a priori homonymo altero diſtinctum putant Hadrianus Valeſius in præfat. ad duos poſteriores Tomos rer. Francic., & Pagius ad an. 407. n. 21, & ſeq., ac 451. n. 5, & ſeqq., contra vero unum, eumdemque pugnant Henſchenius in Exegeſi de Epiſcopatu Tungrenſi cap. 3, Longevillæus hiſt. Gall. tom. 2. pag. 64, Ruinartius ad S. Gregorii Turon. lib. 2. cap. 5, & Sollerius ad diem 10. Aug. pag. 537.) S. Servatii, inquam, Tungrenſis Epiſcopi lectis geſtis, & ſcriptis, eiſdemque diligenti examini ſubjectis, ab eo calculum adjectum fuiſſe ſuum: ex quo tempore eadem Sancti viri acta, deque ſupputatione annorum ſcripta magni habita fuerint. Confer Henſchenium in vita S. Leonis IX. ad diem 19. April. §. 2. Scripſiſſe idem S. Servatius contra Valentinum, & Marcionem, Aetium, & Eunomium fertur, ſed opus injuria temporum periit, de quo conſuleſis hiſt. litter. Gallic. to. 1. par. 2. pag. 242. Ab eodem S. Leone IX. Berengarii litteras, quibus Jo: Erigenam extollebat, Paſchaſium impetebat, & communi de Euchariſtia fidei adverſa ſentiebat, in Synodo Romana fuiſſe damnatas refert S. Lantfrancus in Comment., de ſe ſubjungens a Pontifice juſſum ſuſpicionem impactæ a Berengario hæreſis omnem abſtergere, fidemque dilucide exponere ſuam; damnatum etiam ob hæreticos ex Erigenæ libris hauſtos ſenſus Berengarium in Synodo Vercellenſi ſubtexit cap. 4. Exinde Aſcelinus, Berengario reſcribens, arrepta opportunitate, his eum objurgat, caſtigatque verbis: *Pudeat te patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, te quoque propter eum hæreſis macula notatum audivimus.* Ejus vero exemplo poſtea a Synodo Pariſienſi cum libro Erigenæ literas Berengarii ad Clericos Carnotenſes

ſes exaratas errorum cumulatiſſimas damnatas fuiſse, auctor eſt Durandus Troarnenſis lib. de Corp., & Sang. Dom. par. 9: cujus de Concilii epocha confer obſervationem Coſsartii apud Harduinum tom. 6. pag. 1022, & ſeq. Berengarius tandem in errorem toties relapſus, a S. Gregorio VII. in Synodo Romana VI. voce, ſcriptoque juramento firmatis, hæreſim ejurare, fideique profeſſionem, juxta formam Pontifici probatam, emittere, quam refert S. Lantfrancus lib. de Corp., & Sang. Dom. cap. 11, compulſus eſt. Verſipellis ſcilicet vir, ſibique non conſtans fidei formulam ab Humberto Nicolai II. juſsu adornatam cauſsatus, ſibi ex ſententia, & conſcientia fidei profeſſionem edere, ut fas fieret, efflagitaverat: id ei indultum in Synodo Romana V; quia vero confeſſio ab eo ſuo ex penu elaborata permultis Synodi Epiſcopis haud fecerat ſatis, ut qui optime noverant genus hujus hominibus non inſolens eſſe ſpecioſis larvis hæreſes ſuas obtegere, proinde operæ fuit pretium, atque prudentiæ opus in Synodo Romana VI. ampliorem ei præſcribere formulam, juxta quam intimam fidem aperiret ſuam. Non plura de Berengario, de quo alibi plurimum diſputare me memini, adirique poterit Cl. Mabillonius de eo fuſe diſſerens in præfat. ad Sæcul. VI. Bened. §. 2, & ſeqq., nec non Analect. tom. 2. pag. 461, quo loci fidei formulam exhibet in Synodo Rotomagenſi editam de Euchariſtia contra Berengarii hæreſim ſub hac epigraphe: *Corde credimus, & ore profitemur &c.*, cuique conſimilem confeſſionem profiteri tum temporis piiſſimis viris quibuſque, ac Præſulibus, quales S. Bruno Cartuſianorum parens, & Gervaſius Remenſis Archiep., in more poſitum obſervat.

A S. Gregorio VII. in Synodo Romana, quam diſtincte non indicat, ad deponendos Presbyteros incontinentiæ deditos potiſſimum indicta, epiſtolam, quæ ab Eccardo tom. 2. Script. med. ævi pag. 23., & a Martenio tom. 1. Collect. ampl. pag. 449. edita eſt, Epiſtolam, inquam, S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi ad Nicolaum Papam olim exaratam de Nuptiis Presbyterorum, & Capitulum Paphnutii de eodem argumento proſcripta fuiſse refert Bertoldus Conſtant. in append. ad Hermannum Contractum ad an. 1079. apud Urſtiſium tom. 1. pag. 349. Ut hæc vera ſint, atque

Sozomeni quidem caput de Paphnutio rejectum in Apologetico pro decretis S.Gregorii VII. in RomanaSynodo I. an. 1074. capit. 11. legitur apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1533 , hinc Pontifex certe digno ſe mactandum elogio præbuiſſet , ob egregium, quo ad priſtinum decus Eccleſiaſticum ordinem erigendum , reſtituendumque allaboravit , ſtudium. Verum quæ de S. Paphnutio Nicænis Patribus intercedente , ne Canone Clericis majoribus Matrimonii uſus interdiceretur , narranti Socrati lib. 1. cap. 18 , & ex hoc totidem verbis id pene refingentibus Sozomeno lib. 1. cap. 22 , Epiphanio Schol. lib. 2. cap. 14 , Nicephoro lib. 8. cap. 19,& Gratiano diſt. 31. Can.13. *Quoniam*, fidem præpropere non adhibendam optime ſuadet Cl. Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. tom. 1. par. 1. lib. 2. cap. 60.n. 15, atque perſuadet efficaciſſime plurimis , invictiſſimiſque, quæ toto eo capite congerit , SS. Patrum Græcæ Eccleſiæ ante, & poſt Nicænam Synodum utroque pede, velut in pulvere defixo, pro Clericorum majorum Cælibatu pugnantium teſtimoniis : quibus jungenda pleraque alia , quæ in Animad. ad eum locum ſuppeditat doctiſs.Manſius pag.644,& ſeq. Quam perinde in rem præ aliis expreſſiſſima ſunt S. Epiphanii hær. 59.n.4, & lib.3.expoſit. fidei n. 21,EuſebiiCæſar. demonſt. Evang. lib. 1. cap.9, & S.Hieronymi lib.1. contra Jovin. de Græca Eccleſia loca. Et certe Socrati , qui ſuam ex Sabino Macedoniano , ipſe Novatianus , hiſtoriam magnam partem hauſit , atque Sozomeno (ut de ceteris ex hiſce duobus narrationem hancce mutuantibus ſileam) ejuſdem cum Socrate ſectæ , qui ex Socrate hiſtoriam conſarcinavit ſuam , in omnibus fidere velle, periculi , ac imprudentiæ rem plenam eſſe docuit S. Gregorius M. lib. 6. epiſt. 31 , afferens Sozomeni hiſtoriam ob multa mendacia , quibus ſcatet , a Romana Eccleſia non recipi : quo loci S. Gregorium loquutum de Socrate putat Hofmannus in Lexico ; de Theodoreto potius exiſtimant Canus lib. 11. cap. 6, Combefiſius tom. 1.Bibl. Concion. pag. 16, Valeſius ad teſtimonia de Sozomeno , & Garnerius in auctuar. Theodoreti pag. 192 : ſed reapſe loquutum de Sozomeno defendunt Anaſtaſius Bibl. in præf. hiſt. Eccl., Baronius ad an. 434. n.4,& in Martyrolog. ad 23.Decemb., Voſſius de hiſt. Græc., Miræus de ſcript. Eccleſ. , Raynaudus adverſ. Cyria-

cos,

cos, & Queſnellus in diſſert. 1. de vita, & geſt. S. Leonis M. n. 12. pag. 420. edit. Baller.: ac poſt S. Gregorium, in pleriſque oppido ſcriptorem utrumque deceptum diſſiteri non ſuſtinent Valleſius paſſim in Not., Queſnellus loc. cit., & diſsert. 6. n. 10, & ſeqq. pag. 1078, & Ballerinii ibid., Hermantius in præfat. ad vit. S. Athanaſii, Tillemontius tom. 6. pag. 504, & ſeq., Moynius ad var. Sacra pag. 783, ac Dupinius in Bibl. ſcript. tom. 4. pag. 80. Unde patet non fuiſſe, cur illam de Paphnutio Socratis narrationem cum plauſu exciperet Natalis, multoque minus cur Crozæus in hiſt. Chriſtian. Indiar. pag. 253. Meneſſio inſultandi anſam avide arriperet, quod in Synodo Diamperitana act. 7. Decreto 16. *In Eccleſia*, dixerit, *a ſuis uſque exordiis, Clericos ſacris muneribus addictos continentiam, caſtitatemque ſervare conſueviſſe*. At enim Crozæus dignis pro temeritate vapulat a doctiſſ. Facundo Raulin in diſsert. 4. n. 100, & ſeqq., ac in Not. ad cit. Decret. n. 174. Quamquam etſi vera Socrates, & Sozomenus narraſſe darentur, Clericali tamen Cœlibatui unius Paphnutii pro œconomia quadam erga Clericos animi propenſionem nihil officere probe compertum habebit, qui ante Nicænam, ac poſt Synodum in oppoſitam Patres confluxiſſe ſententiam, proque Cælibatu firmiter ſtetiſſe haud ignoret.

Ad Epiſtolam S. Udalrici quod attinet, de ea idem eſſet, ſi veritate eadem inniteretur, inſtituendum ſane judicium. Atque mirum profecto quanto Epiſtola pretio, etſi haud levi ſuppoſitionis morbo laborans, venerit Proteſtantibus, iiſque alioqui certiora quæque monumenta dubiæ fidei arguere aſſuetis, quibus ad ſaporem apprime faciebat, pro ingenio, quo fervent, nefaſto Murciæ potius litandi, quam Deo: nam eam protinus in lucem protraxit Flaccus Illyricus, ſubindeque Catalogo ſuo teſtium verit. inſeruit: Jo. Foxus in Actis, & Monum. Eccleſ. tom. 2. pag. 456. deſcripſit: Jo. Wolfius inter Lectiones memorab. tom. 1. pag. 241. locum fecit: Georgius Callixtus appendici libri de conjugio. Cler. pag. 625. apte adnexuit; Zuerius Boxornius hiſt. univ. ad an. 874. inſeruit: Eduardus Brovunius in append. ad faſciculum rer. expetend., & fugiend. rejecit: Guillelmus Mornæus recitat lib. 2. de Euch. cap. 11: Jo: Fridericus Majerus, & Samuel Schel-

Wigius an. 1703, & 1706 iterato evulgarunt notis adauctam: Jo. Albertus Fabricius laudibus exornavit in Bibl. med., & inf. Latin. lib. 8. pag. 305. edit. Patav. 1754., quo loci diligentiam laudat Proteſtantium hac in epiſtola poſteritati ſervanda, quos ex ipſo modo commemorabam. Quam vero inepte, omnique abſque delectu faciunt? Epiſtolam enim ut vindicent, duos comminiſcuntur Udalricos Auguſtanos Epiſcopos, alterum S. Nicolao I. coævum ab an. 848. ad an. 867, alterum Juniorem ab an. 923. ad 973, ac priori quidam epiſtolam tribuunt, veluti Cavaeus, Oudinus, & Fabricius. Alii potius, quam ad S. Nicolaum I, ad Nicolaum II. hujus nominis, a quo pro Clericorum cælibatu inſtaurando pro viribus pugnatum nemo neſcit, epiſtolam inſcriptam malunt. At neutri certe nuncupatam evincit temporis ratio: nam S. Nicolaus I. annis viginti, ac tribus amplius fini conceſſerat ſuo, antequam S. Udalricus naſceretur, qui nempe an. 890. natus diem obiit an. 973, qua de chronologia adeundi Surius ad diem 4. Jul., Mabillonius Sæculo V. Bened. pag. 415, Pinius in act. SS. Jul. to. 2. pag. 97, Pagius ad ann. 908. n. 5, ac 924. n. 3, & ſeq., ac Manſius ibid. in Not. tom. 15. pag. 617: Nicolaus II. vero nonniſi an. 1058. Pontificatum adeptus eſt, ideſt quinque ſupra octoginta poſt annos a S. Udalrici obitu. Ante hunc autem, S. Udalrici alterius mentio apud unum occurrit Auctorem Compilationis Chronologicæ ad an. 973. in Collect. Piſtorii tom. un. pag. 732, quæ tamen recentioris additamentum manus videtur, ſed de eo altum apud Veteres ſilentium, ex quo Novatorum deprehendas commentum. Videſis & Velſerum in præf. ad oper. S. Udalrici, & in vita pag. 515. Quid quod referente ipſo Fabricio Bibl. med., & inf. Latin. lib. 20. pag. 305. ejuſdem epiſtolæ ad S. Nicolaum auctor fertur Voluſianus quidam ignotus Scriptor in duobus Codicibus, quorum unum ſatis vetuſtum a Jo: Balaeo dono datum Matthæo Parkero teſtatur Jo: Foxus in Martyrolog. Anglic., alterius vero ab eodem Foxo deſcripti meminit Cavæus? Quid tandem, quod ea in epiſtola fingitur S. Gregorius M. revocaſſe decretum de Clericorum continentia, ac peccatum, quod eo decreto contraxerat, dignis pœnitentiæ fructibus expiaſſe? Quo nihil profecto excogitari potuit obtuſius, a veritateque remotius, ſiquidem S.

Pon-

Pontificem in Clericali cælibatu aſſerendo, vindicandoque perpetuum fuiſſe ex ipſius Dialog. lib. 4. cap. 11, lib. 1. epiſt. 42, & 50, lib. 3. epiſt. 26, & 34, lib. 7. epiſt. 39, lib. 11. epiſt. 40, & 62, ac lib. 12. in epiſt. ad S. Auguſt. apud V. Bedam lib. 1. cap. 17. ad oculum demonſtrant Baronius ad an. 591. n. 19, & ſeqq., ac Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 2. cap. 63. n. 8, & ſeqq. Confer & Card. Bonam lib. 1. rer. Liturg. cap. 25. §. 16, & Ludovicum Vinc. Gotti in Colloq. Theolog. Polem. colloq. 11. n. 6.

Pœnitet jam me nimiam apinis his extricandis operam impendiſſe, longiuſque forſitan meam extra orbitam excurriſſe, in quam ut me nunc recipiam, atque ſermoni vela contraham, illud obiter indicabo de Innocentio II, ipſum, ſtatim atque litteris S. Bernardi admonitus intellexiſſet Arnaldum de Brixia, junctо fœdere cum Petro Abaelardo, cujus diſciplinæ ſe totum dederat, ab erroribus, ob quos ille in Toloſano Concilio an. 1119. Can. 3, ac in Lateranenſi II. an. 1139. Can. 23, qui eſt ipſemet Toloſanus 3. repetitus, & confirmatus, hic vero in Senonenſi an. 1140. peſſime audiverant, ab erroribus, inquam, dicto, ſcriptoque diſſeminandis non ceſsare, datis eodem an. 1140. litteris ad Sampſonem Remen., Henricum Senon., & ad S. Bernardum apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1224. injunxiſse, ut præſtigiator uterque ſeparatim carceribus manciparentur, eorum vero libri erroribus referti, ubicumque fuiſsent reperti, flammis traderentur conflagrandi. Legendæ S. Bernardi epiſtolæ 188, 189, 190, 191, 192, & 193, qua etiam de re pleraque congeſſere Gofridus Clareval. vit. S. Bern. lib. 3. cap. 5, & Otho Friſing. lib. 1. de geſt. Friderici capp. 48, & 49. Nec unum, nec obſcurum hujuſce de factis dogmaticis decernendi juris Romano Pontifici incumbentis ſpecimen exhibuit Eugenius III. Enim vero poſtquam Gilberti Porretani, cui plurium errorum perſona imponebatur, delatam ad ſe cauſſam in Synodo Pariſienſi an. 1147. diſcuſſiſſet, eamdemque ob difficultatem ad frequentiorem Synodum finiendam dimiſiſſet, hacce re an. ſeq. habita Remis, Gilberto ad errores ejurandos compulſo, ipſius librum prohibuit, donec emendatus eſset. Audiendus, præ Othone Friſing. lib 1. cap. 50, & ſeqq., qui Gilberto plus æquo favit, Gofridus Clareval. in epiſtola hiſt. de rebus

rebus gestis in causa Gilberti ad Card. Albanensem apud Baronium ad an. 1148. n. 20, & seqq., ac Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1311, & seqq., ubi Gilbertum in conspectu Pontificis constitutum singulis errorum capitibus sensu, dicto, & scripto renuntiantem in hæc verba introducit: *Si vos aliter creditis, & ego; si aliter dicitis, & ego; si aliter scribitis, & ego.* Quæ plane confessio argumento fuit, cur Gilberti persona quidem immunis a pœna iret, non ita tamen ipsius liber, quem legi, & transcribi, a Pontifice districte prohibitum affirmat: *Nisi prius eum Romana Ecclesia correxisset*: quem ad corrigendum quum se paratum exhiberet Gilbertus, *Ego corrigam*, inquiens, *ad arbitrium vestrum*, aptum hoc a Pontifice responsum accepit: *Non vobis hæc correctio committetur*. Quibus ex postremis verbis conjicere profecto licet jampridem religioso in more positam eam prudentiæ refertissimam Regulam, ne damnatorum librorum correctio ipsorum Auctoribus permitteretur. Facit & huc fidei Symbolum hac in Remensi Synodo a S. Bernardo elucubratum, atque Gilberto propositum, ab ipso corde, ore, & manu tenendum, recitandum, & obsignandum: quod in causa fuit, cur S. Doctori S. R. Ecclesiæ Cardinales indignarentur, quod ita in Apostolicæ Sedis, cujus unius est fidei Symbolum condere, jura videretur irrepere: quo de argumento fusius alibi. Ab eodem Eugenio III, dum Trevиris consisteret, S. Hildegardis, adhuc in vivis agentis, Revelationum libros, diligenti examine discussos fuisse, S. Virgini licentiam impertitam, ullo absque timore sibi a Deo revelata litteris conscribendi, conscripta in lucem proferendi, ac publici faciendi jutis, perhibent Theodoricus Abbas in ipsius vita apud Surium to. 5. ad diem 17. Septemb., Albericus in Chron. ad an. 1141, Trithemius in Chron. Hirsaug. ad an. 1150, & Johannes Sarisberiensis lib. 1. epist. S. Thomæ Cant. epist. 171: quod & eloquuntur mutuæ S. Hildegardis, & Eugenii III, nec non Anastasii IV, Hadriani IV, Alexandri III, S. Bernardi, aliorumque dignitate tam Civili, quam Ecclesiastica insignium epistolæ Bibl. PP. Lugd. to. 23. pag. 537, & seqq. Cæterum, quæ contra Monachos Mendicantes sub S. Hildegardis nomine fertur, Prophetiam, ex Thoma Hiberno in Manipulo Florum descriptam a Bzovio ad an. 1415. n. 39, figmen-

figmentorum loco habendam docent Bollandiani in Actis SS. to. 1. Martii pag. 667, ac tom. 3. Maji pag. 504, quo loci fuisse se an. 1660. in Monasterio Bingensi, ac S. Hildegardis ibidem extantia scripta omnia perquam diligenter perscrutatos, nihil ejusmodi reperisse testantur.

S. Theologiæ ea tempestate quæstionibus oppido plurimis qua novitatum, qua tricarum plenis turbatæ admodum, atque deturpatæ, ut puritati prospiceret, deque propositionibus nonnullis in utramque partem exagitatis, & æquivocis sententiam proferret suam, convocato Parisiis an. 1164, (seu antecedenti, quo eò loci advenisse eum liquet ex epistolis 41, & 49. Registri vulgati a Martenio vet. Monum. tom. 2. pag. 634, & seqq.) ingenti Theologorum cœtu, Alexandrum III. mentem aperuisse suam, Tropos omnes in Theologiam introductos, indisciplinatasque quæstiones interdixisse, quin etiam Mauritio Parisiensi Antistiti easdem ubique a Gallia exterminandi facultatem demandasse non tam, quam dedisse in mandatis, auctor est Chronographus Reichersbergensis apud Pagium ad an. 1164. n. 21. Parisiensi ex hac Synodo non recte putat Harduinus, sicuti neque magis vere Baronius ex Synodo Lateranensi III, datam ad Willelmum Senon. epistolam, quam Romæ an. 1180, aut insequ. ab Alexandro exaratam probabilius autumat Pagius ad an. 1179. n. 13, quo eam loci exhibet, non secus atque Bulaeus Univ. Paris. tom. 2. pag. 431, & Harduinus tom. 6. par. 2. pag. 1625, qua de epocha ut ut sit, ea Pontifex in epistola propositionem quamdam Petri Lombardi proscribit, proculque ut a Schola Parisiensi abrogetur, advigilare Antistitem illum jubet. In eamdem Innocentius III. semitam ingressus, Parisiensi ab Academia prorsus abigi propositiones, quas asflare satagebat Almaricus, præcepit. Quia vero Novator iste Aristotelis libris quibusdam abutebatur, hos proinde cum plerisque aliis de Theologia agentibus, aliisque a Davide de Dinando elucubratis Synodus Parisiensis igne delendos decrevit. Praeterea idem Pontifex in Concilio Lateranensi IV. Joachimi Abb. libello adversus Petrum Lombardum edito censoriam adhibuit virgulam, ut saepe dixi. Quo in Concilio pariter ad tollendas, præcavendasque imposterum hæreticorum tergiversationes,

voca-

vocabulum *Tranſubſtantiationis*, ad ſignificandam veram panis, vinique in Chriſti D. Corpus, & Sanguinem converſionem, jam pridem uſurpatum, fidei formulæ cap. 1. *Firmiter* lib. 1. Decret. tit. 1. *de Summa Trinit.* inſertum conſecravit, ſuaque auctoritate confirmavit. Quod ei quantam apud Catholicos laudem conciliavit, tantam viciſſim apud hæreticos peperit invidiam. Sed & ſtudii hujus, ac ſollicitudinis pro fidei puritate, in qua Catholicos retinere ſatagebat, aeſtimari pars debet fidei profeſſio, quam ab hæreſi revertentibus, ad experimentum de eorumdem converſionis ſinceritate capiendum, corde, ore, ſcriptoque proferendam propoſuiſſe lib. 13. epiſt. 75, & 90. legitur apud Raynaldum ad an. 1210. n. 18, & ſeqq. Quibus nempe modis tam paſtoralis officii partes implebat omnes, quam optime nos docebat ad eas pertinere de libris, de propoſitionibus, de vocibus definire.

Ut erat pariter Gregorio IX. perſuaſio iſta intime inſculpta, Theologicarum Diſciplinarum ædificium fore non utique Philoſophorum ruinoſis, maleque materiatis fundamentis ſuffulciendum, bene vero Dei Verbo ſcripto, & tradito, Synodorum ſanctionibus, atque Sedis Apoſtolicæ decretis eo ſolidius, quo ſecurius ſuperſtruendum, ſuperqueſtatuminandum, proprii is proinde in hac parte juris haud immemor, pro egregia, quam Eccleſiaſtici gerebat juris univerſi cura, litteris ad Magiſtros, & Scholares Pariſienſes an. 1231. datis, quæ extare dicuntur in magno Tabulario paſtorali Eccleſiæ Pariſ., quibus ſimiles inter ejuſdem epiſtolas leguntur n. 20. lib. 2. apud Raynaldum ad ann. 1228. n. 29, & ſeqq., quoſdam Ariſtotelis libros ab Academia illa eliminari, legique ante prohibuit, quam ab Apoſtolica Sede fuiſſent examinati, & emendati: *Libris illis naturalibus*, inquiens, *qui in Concilio Provinciali ex certa ſcientia prohibiti fuere Pariſiis* (anno 1210. latis in legentes cenſuris, a quibus proinde Magiſtros, & Scholares Pariſienſes, qui in eaſdem inciderant, abſolvendi facultas impertita ab eodem Pontifice an. 1231. Priori Ord. Præd. legitur in Bullario hujus Ord. tom. 1. pag. 33.) *non utantur, quouſque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati*. Quinam Ariſtotelis porro libri a Pariſienſi Synodo, atque ab Innocentio III, & Gregorio IX. prohibiti fuerint, quatenuſque

que prohibitio illa fuerit excipienda, non una Scriptorum ſententia eſt. Metaphyſicos aſſerit Rigordus de geſt. Philippi Aug. ad an. 1210; Naturales ſcribunt Cæſarius Heiſterbac. dialog. lib. 5. cap. 22., & Robertus Antiſiod. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1994, nec non Petrus de Corbolio Pariſ. Epiſcopus in ſententia lata apud Martenium Theſ. Anecd. tom. 4. Tam Naturales quam Metaphyſicos, non Dialecticos, certe prohibuiſſe Robertus Curthonenſis Card. S. Stephani in Monte Caelio, & Innocentii III. Legarus legitur apud Harduinum loco ind. Quin etiam præfatos Ariſtotelis libros haud abſolute legi, ſed explicari Pariſienſibus in Scholis prohibuit Synodus Pariſienſis. A Pontificibus quoque librorum illorum lectionem triennio dumtaxat ſuſpenſam fuiſſe, ſive vetitam perhibent Cæſarius, Robertus, & Chronographus Turonenſis ad an. 1210, donec nempe emendati Pontificum cura prodirent. Sed enim de hac re adiſis, ſi vacat, Martenium præcit. loco, Launojum lib. de varia Ariſtotelis fortunæ in Academ. Pariſ., Manſium in Not. ad Raynaldum tom. 1. anno 1209. n. 28. pag. 289., ac Jo: Franc. Bernardum Mar. de Rubeis de geſt., & ſcript. S. Thomæ diſſert. 30. cap. 7. Equidem apud Launojum capp. 8, & 10. a Simone Urbani IV. Card. Legato Ariſtotelis libri indiſcriminatim legi interdicti feruntur. Johannes XXII. quoque apud Raynaldum ad an. 1317. n. 15, Theologiæ præſertim conſuledi puritati ſtudio affectus, gravi ad Doctores Pariſienſes data epiſtola, eoſdem perſtrinxit, quod ſupervacaneis, Philoſophicis, ineptiſque quæſtionibus Theologicas diſciplinas admodum adulterarent, jubens ideo eliminatis illis locum fieri juris Canonici lectionibus, inque his Clementinis, quas perinde in Scholis Pariſienſi, ac Bononienſi pariter legi, ac uſu in Eccleſiaſticis judiciis venire voluit. Ariſtotelis etiam lectio expreſſe a Clemente VII. Pariſienſi Academiæ exprobrata a Launojo ibid. traditur. Quid tum ramen? Poſtquam Ariſtotelis Latina verſio, non ea quidem, quam Friderici II. Imperat. juſſu circa an. 1220., ſed imperfectam admodum, confectam refert Petrus de Vineis lib. 3. epiſt. 67, bene vero ea prodiit, quam adornavit S. Thomas Aquinas circa an. 1271. (ſive adornandæ Thomæ Cantipratano is auctor fuerit, qua de re Natalis Alex. in hiſt. Eccl. ad Sæcul. XIII. & XIV.

& XIV. cap. 4. art. 4.) a quo profecto mendis, erroribusque expurgata prodiit, a Pontificibus sane publica illorum lectio permissa est passim : ideoque apud Launojum cap. 9. duorum Cardinalium Johannis, & Ægidii, qui ab Urbano V. ad Parisiensem reformandam Academiam fuerant missi an. 1366, Instrumentum occurrit, quo legi Aristotelis libri de Anima, de gener., & corrupt., de Cælo, & Mundo, parvor. Naturalium, ac Metaphysicorum indulgentur. Quin etiam Nicolaum V. anno 1447, Aristotelis libros ut e Græco Latine de integro verterent, viris linguæ utriusque peritissimis Leonardo Bruno, Georgio Trapezuntio, Theodoro Gazensi, Johanni Argyropulo, Georgio Vallæ &c. se se dedisse auctorem, quem ideo digno mactat elogio, perhibet Card. Bessarion in præfat. ad versionem Meraphysic. Postquæ nec ab Aristotelis laudibus abstinuisse Pium II. in Bulla retract., neque Gregorio XIV. Franciscum Patricium persuadere potuisse, ut Aristotele profligato, Plato subrogaretur, neque eumdem proscribere attentasse Clementem VIII. a Bellarmino admonitum, idem observat Launojus cap. 17 De optima denique omnium Aristotelis versione a Card. Ximenio affecta, inceptaque, quam tamen morte præventus ad umbilicum perducere nequivit, quem ab hac ideo cura laudibus celebrat, vide-sis Gomezium de ejus gest. lib. 2. pag. 44, deque rebus Aristotelis universis Fabricium Bibl. Græcæ tom. 2. lib. 3. cap. 6. a pag. 107. ad 185. Quæ si fusius persequutus sum forsitan, non Aristotelis utique gratia feci, sed uno amore veritatis, quo erga Pontifices MM. me valdequam affectum sentio, affectumque, quoad vixero, si Superis placet, profecto sentiam.

Atque ut ad Gregorium IX. regrediar, illud ad laudum ejus cumulum addendum, quod studio incensus fidei integritatis a Judaico fermento servandæ, eidem pariter studenti Parisiensi Theologicæ Facultati animos indiderit Thalmudicos Judæorum libros impiarum refertissimos superstitionum, (de quibus S. Isidorus lib. adverf. Judæos n. 49, Thomas Cantip. de Apibus lib. 1. c. 7, Sixtus Senen. tom. 1. Bibl. S. lib. 2, Marquardus de Judæis tom. 14. par. 3. cap. 1, Pignatellus Consult. tom. 5. Consult. 14, Voisinus in procem. pugion. fidei pag. 57, Theophilus Raynaudus de bonis, & malis lib., Turrianus de sola Legis lect. Judæis permitt., Nico-

Nicolaus Serrarius lib. de Rabbin. libr., Petavius Theolog. dogm. lib. 10, Boverius in demonſt. Cathol. adverſ. Jud., Bartholoccius in Bibl. Rabbin., Wolfius in Bibl. Rabb. capp. 4, & 5, aliique, ut proinde ſummopere pudere debuiſſet tam nefandi libri, Thalmudis nempe, patrocinium ſuſcipere, tamque peſſimam Judæorum perorare cauſſam, Wagenſelium in præfat. ad Tela ignea Satanæ pag. 10, & ſeqq., Buxtorfium fil. in præfat. ad Lexicon Patris, Hackſpanium de uſu libr. Rabbin. cap. 2. pag. 345, Mullerum Judaiſmi par. 2. cap. 10., Dilherrium in Atrio linguæ S. addit. 5, Sennertum in præfat. Rabbiniſmi, Conringium in præf. ad Nummos Hebræor., Leuſdenium diſput. 15. cap. 1. §. 9, Mulhium in apologia Thalm., Pfeifferum in Theolog. Jud. exercit. 1. th. 40, Carpzovium in appar. hiſt. crit. Antiquit. Sac. Codicis in Annot. ad GoodWini lib. 4. cap. 8. pag. 531, Proteſtanteſque alios uno ad profligatæ huic operæ ferendam opem Pontificum odio permotos) Thalmudicos, inquam, Judæorum libros diligenter undique conquirendi, repertos, inque cumulum congeſtos (congeſtos vero ad 23. currus memorat Chronographus Erfordienſis ad ann. 1242. apud Manſium in Not. ad Raynaldum an. 1244. n. 42. to. 2. pag. 313) flammis publico in foro abſumendi. Qua deinde de re optime geſta S. Ludovico Galliar. Regi, qui ad id operis auxilio non defuerat ſuo, gratulatorias, hortatoriaſque, quibus ad hujus præclari officii adimplendas partes, perficiendaſque ipſum impellebat, litteras dedit, qui Gregorio IX. ſucceſſerat, Innocentius IV; cujus in Conſtit. 2. *Impia* hac de re editam confer Emin. Petram Comment. tom. 3. pag. 8, & ſeqq. Iiſdem Thalmudicis Judæorum libris, aliiſque ejuſmodi furfure aſperſis procul ablegandis, e manibus Chriſtifidelium excutiendis, igneque, quo uno digni erant, conflagrandis egregiam impenderunt pariter operam Innocentius IV. Conſt. *Impia*, ut mox innuebam, Clemens IV, cujus legenda Conſtitutio *Ad extirpanda* adverſus hæreticos indiſcriminatim omnes, Honorius IV, de quo loquitur Clemens VIII. mox laudandus, Johannes XXII. Conſt. *Super illius Specula*, Julius III. Conſt. *Cum ſicut*, Paulus IV. Conſt. *Cum nimis*, Gregorius XIII. Conſt. *Antiquæ Judæorum*, & Clemens VIII. Conſt. *Cum Hebræorum* Bullar. Rom. tom. 1, & 2. De libro ſpecioſo *Evangelii*

æterni titulo, ad faciendum ſimplicibus fucum, inſignito, re tamen ipſa plurimorum refertiſſimo errorum, deque libro Guillelmi Santamoræi *De periculis noviſſimorum temporum*, alteroque huic perſimili, injuriarum in Religioſos Ordines cumulatiſſimis, horum cauſſam, quam juſtam, tam piam agentibus S. Bonaventura, Alberto M., & Humberto Ord. Præd. Gener. Magiſtro, damnatis ab Alexandro IV, & a Clemente IV. ſubinde, dixi alibi, ſatis, ideo non eſt, cur dicam iterum.

Age modo exundantem propoſitionum erronearum, quibus explodendis præſto ſe ſe dedere poſterioris ætatis Pontifices MM., colluviem, quam temporum invexit iniquitas, breviori, ut fieri poterit, orationis ſpatio concludamus. Arnaldi Villanovani, cujus errorum catalogum texunt Jo: Villanius lib. 9. cap. 3, S. Antoninus par. 3. tit. 21. cap. 2. §. 8, & Eymericus direct. Inquiſit. par. 2. q. 11, quem tandem ejuratis eroribus orthodoxæ fidei reſtitutum oſtendit ex Vatic. Cod. fide Raynaldus ad an. 1310. n. 39, de quo videndus etiam Nicolaus Antonius Bibl. vet. Hiſp. tom. 2. lib. 9. cap. 1. pag. 74, & ſeqq., Arnaldi, inquam, libros de re Medica erroribus refertos diligenter conquiri, igne delendos juſſiſſe legitur Clemens V. lib. 7. epiſt. 17. In Beguardos, e Segarelli, & Dulcini, hominum proſcriptorum ab Honorio IV, Nicolao IV, & Bonifacio VIII, ſpurciſſima Schola productos, Apoſtolico evaginato gladio, octo propoſitionum capita, cum earumdem aſſertoribus, ab eodem Clemente V. fuiſſe confoſſa, liquet ex Clem. *Ad noſtrum de Hæreticis* lib. 5. cap. 3. Singulare hac in Religionis re Johannis XXII. exarſit, laudeque multiplici dignum ſe exhibuit ſtudium, quo tres propoſitiones Johannis de Poliaco confixit Extravag. *Vas electionis* lib. 3. tit. de Hæret., quo de argumento fuſe Raynaldus ad an. 1321. n. 20, & ſeqq.; quo animadvertit in propoſitiones 21. Petri Jo: Olivi, cujus jam pridem tres aliæ propoſitiones a Clemente V. proſcriptæ fuerant Clem. 1. *de Summa Trinit.*, ut habetur apud Baluzium Miſcell. tom. 1. pag. 219, a quibus tamen eum Wadingus expurgare ſtuduit; quo propoſitionibus quinque, in quibus Fraticelli a Bonifacio VIII, & Clemente V. antea damnati, velut in luto defixo pede, hærere adhuc delectabantur, ignominiæ ſtigma inflixit, uti legitur in Extravag.

S. Ro-

S. Romanæ Eccleſiæ de Relig. domibus; quo Jacobi Ekardi propoſitiones octo ſupra viginti, una cum ipſius opuſculis, diſtricta perſtrinxit cenſura, quam exhibent ipſius epiſtola ad Archiep. Colonienſem apud Raynaldum ad an. 1329. n.70, & ſeq., ubi tamen ab Ekardo tandem, antequam fini concederet ſuo, revocatos errores, atque ſe, ſcriptaque ſua Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmiſiſſe idem Pontifex teſtis locuples accedit; quo demum Marſilii, & Jandumi peſtilentiſſimis libris, nominatimque deſignatis principalibus quinque propoſitionibus obelum infixit, luculenta Conſt. *Licet* ad eaſdem profligandas evulgata, de qua Raynaldus ad an 1327.n.28, &ſeqq. Clementis VI. cenſuræ in 61.articulos Nicolai de Ultricuria meminit ſacra Pariſienſis Facultas in ſuis notis Theologicis, quibus an.1348. eoſdem articulos inuſſit in Bibl. PP. Pariſ. to.4, Colon. tom.14, & Lugd. tom.26. pag.483, & apud Bulæum to.4. hiſt. Acad. Pariſ. pag.308. De Urbani V. mandato propoſitiones octo ab eodem Pontifice nigro carbone notatas publico in cœtu Pariſiis an.1365, ac deinde Avenione an.1369. revocare Dionyſius Soulechatius adactus eſt, cujuſce revocationis Schedulæ extant in Bibl. PP. Pariſ. tom. 4. pag. 1337, Lugd. tom. 26. pag. 488, & ſeqq., Pontificias vero hac de re litteras exhibet Raynaldus ad an.1368. n.16, & 17. Egregium pro fidei puritate Gregorii XI. zelum, quo proſcribere feſtinavit tres propoſitiones, quas e ſuggeſtu publicare Johannes de Latone, & Petrus de Bonagetta non fuerant veriti; totidemque alias, quibus epiſtolam ad Berengarium Urgellenſem Epiſcopum aſpergere Arnaldus Montanerius non abſtinuerat, eloquuntur litteræ ejuſdem juſſu ſcriptæ ad Tarraconenſem, & Cæſarauguſtanum Archiepiſcopos, ab ipſoque met inſcriptæ Armando Ord. Min. Vicario Aquilonari apud Eymericum direct. Inq. par.1. pag. 45, & par. 2. q.11, Bzovium ad an.1371. n.13, & Raynaldum ad eumdem an. n.11, & ad ſeq. num. 19.

Ab eodem Gregorio XI. damnatos Raymundi Lulli Majoricenſis errores centum, vel etiam ducentos fide affirmant ſua Eymericus Direct. Inq. par.2. qq. 9, 10, & 26, ac in append. pag.85, & ſeq., Pegna in Comment. 42, & 51. q. 26, Jacobus Quetif de Script. Ord. Præd. tom. 1. pag.711, & ſeqq., aliique poſt ipſos.

Contra

Contra quos viciſſim Lulli vindicias adornarunt oppido multi, e quibus potiſſimum Alphonſus de Zepeda in ejus vita, in diſſert. hiſtoricis de ejuſdem cultu, & in ſent. definitiva de pietate, & doctrina Lulli Pariſ. 1676, & Majoricæ 1700, ubi ejus memoria colitur. At enim Gregorianæ Bullæ adverſus Lulli errores, quam fruſtra deſideres, & quæras in Pontificio Regeſto, quod tum occaſione translationis Apoſtolicæ Sedis Avenione Romam deperditum animadvertit Graveſonius hiſt. Eccl. colloq. 3. to. 5. pag. 92, exemplar e Romano Archivo Ord. Præd. deſcripſit Cl. Bremond tom. 2. Bullar. ejuſdem Ord. pag. 268, & ſeqq., ubi obſervat hujuſce Gregorianæ Bullæ autographum Gerundæ, & apographa Barcinone, Tarracone, & Valentiæ aſſervari, ideoque nefas eſſe ſuſpicari eam ab Eymerico Bullam fuiſſe confictam; neque ideo falſo errores illos Raymundo Lullo affictos, quos ipſius e libris decerptos cenſura dignos Eymericus exiſtimarat, eaque inurendos ad Apoſtolicam detulerat Sedem. Vice autem verſa libros quidem multos a Lullo compoſitos fuiſſe, conſcriptoſque conſtat ex ingenti illorum Catalogo, quem confecerunt Wadingus in Bibl. Ord. Min. pag. 296, & ſeq., Nicolaus Antonius in Bibl. ver. Hiſp. tom. 2. lib. 9. cap. 3. pag. 84, & ſeq., Johannes Buchelſius in nov. oper. Lulli edit. Mogunt., Lamius in Catalogo Mſs. Bibl. Riccardianæ, aliique apud Fabricium in Bibl. med., & inf. Latin. lib. 11. pag. 292, & ſeq., plures tamen ipſi falſo tributos tam libros, quam errores, quos refundere potius oporteat in Cognominem Raymundum de Tarraga Neophytum denominatum, non incongrue arguunt Wadingus tom. 3. ad an. 1315. n. 13, & ſeq., Theophylus Raynaudus de bonis, & mal. lib. tom. 11. partit. 1. erotem. 10. n. 246, Morerius in Dict. hiſt., Raynaldus ad an. 1315. n. 5, & Manſius ibid. in Not. tom. 5. pag. 32. In confeſſo ſane illud eſt Lullum hæreticorum cenſui haud deputandum, ut qui ſcripta omnia ſua Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmiſit, velut evincit Wadingus, cuique ab antiqua apud Majoricenſes religione delatum cultum, ac qualem plane virum Sancti elogio inſignitum decet, fuſe oſtendunt Johannes Sequi in ejus Vita, Antonius Belluer in Apologia, Salleles tom. 2. de SS. inquiſitione, Wadingus tom. 6. ad ann. 1315. n. 8, Sollerius in Comment. præv. ad ipſius vitam

tom.

tom. 5. ad diem 30. Jun. pag. 633, & ſeqq., ubi & Carolum Bovillum, & Nicolaum de Pax pag. 668, & 674. in medium producit, aliique apud Fabricium loco indic. Contra quos tamen pugnant Eymericus præc. loc., Bzovius ad an. 1312. n. 18, & ſeqq., Echardus de Script. Ord. Præd. tom. 1. in Eymerico, Galterius in tabula Chronograph. Sæculi XIII. cap. 5, & Graveſonius loc. citat. Quam in rem confer & Albitium de inconſt. in fide cap. 40. n. 143, & ſeq., ac Benedictum XIV. in diſſertat. ex lib. de SS. Canon. extractis diſſert. 19. Volum. 1. n. 18. pag. 158., & ſeqq., in qua probo, frugique Theologo ſententiam ſuſpendere ſuam, atque Sedi Apoſtolicæ dimittere integram, ſatius eſſe debere ego arbitror.

Indignationis impetu haud impari ejus, quem Religionis integritati impendebat, affectus ferebatur idem Gregorius XI. exundantem adverſus erronum turbam, quos ad turbandam Eccleſiam iniqua ea tempeſtate exſurrexiſſe conſpiciebat. Quibus proinde, ſi penitus exterminandis ſat ipſi virium non ſuppeteret, impedimento tamen eſſe, ne aliis noxam inferrent, ſuae re ſummopere duxit. Strenuo itaque animo iſto indutus Flagellantium libros errorum refertiſſimos, ubicumque reperiri potuiſſent, flammis exuri præcepit, objectiſque graviſſimis pœnis, exſcribi, perlegi, retinerique prohibuit apud Raynaldum ad an. 1372. n. 33. Iniquitate, erroribuſque infarſiſſimos Commentarios, inſcriptos *Leges, ſeu Speculum Saxonicum*, pari cenſuræ, pœnæque, uti revera digni erant, adjudicavit, eoſque abolendi Carolo IV. Imp. auctorem ſe dedidit epiſtola data, quam recitat Raynaldus ad annum 1374. n. 12. Non multa eorum nunc congeram, quæ adverſus Wicleffum præſtita egregie a Pontificibus ſunt, quorum partem me jam perſequutum maximam art. 11. §. 1. pag. 105, & ſeqq. memoria teneo, perſtringere contentus nonnulla, quæ huc proxime faciunt. Gregorius itaque noſter Wicleffi articulis 22. ad ſe delatis anathemate inflicto, datoque imperio ad Riccardum Angliæ Regem, ad Cantuarien., & Londinen. Antiſtites, nec non ad Oxonienſem Academiam, interrogari diligenter de aliis hæreticum juſſit, ab eoque reddita ad ſe examinanda, & judicanda tranſmitti reſponſa. De Alexandri V. deinde mandato, mandaverat is autem in Huſſum quoque, hujuſque libros hæreſum refertiſſimos, atque defenſores, tan-

tanquam in homines fautores hæreticorum, graviterque de fide laborantes, legum severitate animadverti, a Sbincone Pragensi Archiep. Wicleffi libros supra ducentos, bullis aureis, tegumentisque pretiosis ornatos flammis concremandos fuisse addictos, referunt fide digni Æneas Silvius hist. Bohem. cap. 3, Jo: Cochlæus hist. Hussit. lib. 1, Theobaldus Belli Hussit. pag. 9, Dubravius hist. Bohem. lib. 23, Balbinus in epit. rer. Bohem. pag. 419, & seq. & Walpol. in Hussio rediv. pag. 15. In hæreticum utrumque instauratо itidem judicio, utriusque nefarios libros igne dignos judicavit, devoverique jussit Johannes XXIII, atque in eos, qui legere, docere, laudare, defendere illos præsumerent, Canonicas distringi pœnas.

Ex Wicleffo denique, ejusdem in libros deinde ignis, quo uno digni erant, pœna decreta, ut est apud Raynaldum ad an. 1427. n. 13, Articulos 45; atque ex Husso, præter eos, qui cum Wicleffo ei communes erant, alios 30. delectos censorio stigmate in Constantiensi Synodo inussit Martinus V. Constit. *Inter cunctas*. Qua pariter Constitutione ab eodem Pontifice sapientissime præscribitur formula, juxta quam interrogandi forent, qui hujusce laborarent hæresis suspicione, aut ab hoc emergere luto cuperent, ut nempe vel ad rectam informarentur fidem, vel de fide ipsorum ficta periculum fieret: *Utrum*, ita in rem inquiente meam, *credat, quod condemnationes Jo: Wicleff, Jo: Hus, & Hieronymi de Praga factæ de personis eorum, libris, & documentis fuerint rite, & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ. Item Utrum credat Jo: Wicleff, Jo: Hus, & Hieronymum de Praga fuisse hæreticos, & pro hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros, & doctrinas eorum fuisse, & esse perversos, propter quos, & quas, & eorum pertinacias, pro hæreticis sunt condemnati. Item Utrum credat sententiam Sacri Constantiensis Concilii super 45. Jo: Wicleff, & Jo: Hus 30. articulis latam, fore veram, & Catholicam &c.* Ubi obiter observes velim non satis conformiter hisce Martini V. verbis, nec Vigilii, nec S. Martini I. locis haud hinc absimilibus, uti superius admonebam, a nonnullis doceri, velut a Perefixio Archiep. Parisiensi, & a Tournellio in tract. de Eccl. q. 5. art. 3. fidem, qua Ecclesiæ de propositionum, aut librorum sensu, sive

ſive de factis dogmaticis judicanti, & definienti adquieſcimus, eſſe fidem Eccleſiaſticam dumtaxat, quæ media ſit fidem Divinam inter, & humanam, cujus motivum ſit ipſiuſmet Eccleſiæ auctoritas ſuprema: ſiquidem potius ad fidem Divinam pertinere hujuſmodi Eccleſiæ judicium, cum Petro de Marca dicere præſtat, atque facta dogmatica a Deo immediate, vel mediate revelata eſſe, ſcilicet vel immediate ea ipſa revelatione, qua revelatum eſt Eccleſiam errare non poſſe, vel mediate, quomodo Concluſio in principio, ex quo ſuapte profluit, revelata dici poteſt, ac debet. Quod ipſum perinde in cauſſa eſt, cur hac in parte mihi non probetur opinio Cl. Muratorii, qua lib. de Ingen. moderat. cap. 20. pag. 93. hujuſmodi de factis dogmaticis, ſive de librorum ſenſu Eccleſiæ judiciis deberi quidem nec oris tantum, ſed & animi reverentiam, fidem quoque piam adhibendam fore, Divinam tamen non etiam exiſtimat. Sed enim argumento de iſto graviſſimo fuſius paullo infra denuo. A Martino V. tandem propoſitiones vigintiquinque plurimo de errorum capite ad Concilii Conſtantienſis Tribunal delatas, quarum auctor ferebatur, reque fuerat vera Matthæus Grabbonius, quarumque examen, & cenſura Petro Alliacenſi, Johanni Gerſonio, aliiſque dignitate Eccleſiaſtica, doctrinaque conſpicuis viris fuerat demandata, confirmatis cenſuris, quas Judices ad examen delecti in eas tulerant, fuiſſe damnatas, liquet ex Relatione, quæ extat apud Hermannum ab Hardt Concilii Conſtant. to. 3. pag. 107, & apud Gerſonium tom. 1. oper. pag. 467, & ſeqq., ubi & habetur ejuſdem Grabbonii abjuratio, qua ſuis ſolemne erroribus anathema dixit. Confer & Jacobum Quetif to. 1. Bibl. Præd. pag. 759, & ſeq.

Pro ea quoque eximia, qua tenebatur Religionis obſervantia, Pius II. Reginaldi Pekopii libros errorum plenos, Anglico, & Latino idiomate conſcriptos, igne deleri juſſit, litteris datis ad Epiſcopos Angliæ, defixis anathemate, qui libros illos retinerent, quin rogo conſignarent concremandos apud Raynaldum ad an. 1459. n. 29. Ex eo perennem adeptus eſt pariter laudem Paulus II, quod quum accepiſſet in Belgio a nonnullis Academicis Lovanienſibus pravarum opinionum, non abſque gravi piorum offenſione, virus in Vulgus diffari, diplomate ad Guillelmum Epiſcopum Tornacenſem exarato, apud eumdem Annaliſtam legendo ad an. 1470. n. 51

propositionibus quidem illis infamiæ notam inflixit, Doctores vero illarum debitis cohiberi pœnis jussit, si ad bonam inflecti frugem nequirent. Fidei puritati in Hispania conservandæ magnopere invigilans Sixtus IV, ubi intellexit a Petro Oxomensi venenatæ doctrinæ libros in Vulgus disseminatos, principio quidem Alphonso Carillo Archiep. Toletano auctorem se dedit, ut diligenti in hominem, doctrinam, ac libros instituto judicio, rei comperta veritate, censuris appetere non cunctaretur: quibus ille plane demandatis officii partibus egregie defunctus, Petro ignominiæ notam inflixit, ipsius vero librum, simul cum Cathedra, in media Schola igni tradidit conflagrandum, qua de re Jo: Mariana rer. Hispan. lib. 26. cap. 12, & Bannezius in 2. 2. D. Thomæ q. 1. art. 10. Novo perinde, diligentiorique apud se judicio instaurato, edita die 9. Aug. an. 1467. Constit. *Licet*, confirmatisque Archiepiscopi gestis, quatuor præsertim, quæ aliorum plurium familiam ducebant, errorum capita Apostolico mucrone confodit; de quibus adeundi Melchior Canus lib. 6. de loc. Theolog. cap. 7, & in Relect. de Pœnit. par. 5., & Card. Petra in Comment. ad hanc Sixti IV. Constit. 17. tom. 5. pag. 290, & seq., apud quem suos ejurare Petrus errores coactus, e præscripta formula oppositam fidei professionem hisce conceptam verbis emisisse legitur: *Consentio S. Matri Ecclesiæ Romanæ, & Sedi Apostolicæ, & ore, ac corde confiteor illam me fidem tenere, quam D. Sixtus Papa auctoritate Apostolica, & Evangelica tenet, & omnes, qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio.* Atque huc quidem Archiepiscopi Toletani alterius mentionem ingerere liceat, Francisci Ximenii videlicet, cujus alias inter egregias laudes, quibus illum cumulant Gomesius lib. 2, Surita lib. 3. cap. 44, Mariana lib. 27. cap. 15, & Raynaldus ad an. 1499. n. 4, illud memoria dignum celebrant, quod pro ea, qua dicendi, agendique vi summopere valebat, Maurorum Granatensium ingentem multitudinem postquam ad Christiana Sacra transduxisset, eorumdem Morabitis, & Alfaquinis, Sacerdotum nempe vicibus apud ipsos defungentibus, primum Christo lucrifactis, in victoriæ lætitiam Alcorana ad quinque millia variis umbilicis punica arte, & opere distincta, auro etiam argentoque exornata, una die publica in pyra

igne

igne abſumpſit. De propoſitione quadam Bononiæ diſſeminata, qua dicebatur a puritate fidei haud alienum, neque illicitum Dæmonum expectare reſponſum, a Sixto IV. damnata agunt Eymericus in append. Direct. Inq., & Raynaldus ad an. 1473. n. 24. De propoſitione quoque altera Lovanii circa futura contingentia a Petro de Rivo defenſa, atque a Sixto noſtro profligata adeundi, ſi placet, Paulus de Middelburgo lib. 6. de die paſſion. Chriſti, Baluzius Miſcell. tom. 4. pag. 531, Raynaldus ibid. n. 25, Pagius in hoc Pontifice, ac Manſius in Not. ad Raynaldum n. 15. tom. 10. pag. 546.

Ab Innocentio VIII. Libellus 900. propoſitionum, quas Johannes Picus Mirandulanus annos dumtaxat 24. natus ex Dialectica, Phyſica, Methaphyſica, Theologia, Morali, Cabala, & Magia decerptas Romæ publico certamine propugnaverat, excommunicationis pœna eumdem legentibus propoſita, diſtricte prohibitus eſt: quandoquidem ex eiſdem propoſitionibus nonnullæ pleræque viris cum dignitate inſignibus, tum in utroque jure doctis, ad earumdem examen deputatis ſuſpectæ admodum viſæ fuiſſent, hæreſimque ſapere: a qua tamen cenſura Principis illius perſona immunis abire permiſſa eſt, ut qui diſputationis gratia dumtaxat illas defendiſſet, atque ſub Apoſtolicæ Sedis judicio, & correctione diſputandas adorſus fuiſſet, pro ut ipſe met Apologetico poſtmodum elucubrato, quem profecto acceptum habuit Alexander VI, in locum Innocentii VIII. ſubingreſſus, planum facere dedita opera inſtituit, ex propoſitionibus quidem illis tredecim, neque plures, veluti Philoſophorum veterum errores jam obſoletos refingentes, damnatione valdequam dignas non inficiatus, ab aliis labem hæreſis omnem abſtergens, a qua ipſe animo certe longiſſime abhorrebat: quo de argumento Spondanus ad an. 1487, Raynaldus ad an. 1493. n. 36, aliique plures apud Colomeſium in Italia Orient. pag. 10, & ſeq., ac Rollium in Bibl. nobil. Theolog. pag. 53, & ſeq. De libris 70. porro, quorum mentio fit lib. 4. Esdræ cap. 14. verſ. 46, quoſque non mediocri impenſa a Judæo quopiam Siculo ſibi comparaſſe, ſumma diligentia evolviſſe, myſteria Cabalæ exinde apprehendiſſe, atque pulcherrimam Religionis non tam Moſaycæ, quam Chriſtianæ ſpeciem ibidem intuitum fuiſſe,

refert in Apolog. pag. 82, adi-ſis Petrum Crinitum de honeſta diſcipl. lib. 25. cap. 3, Sixtum Senen. Bibl. S. lib. 2, Richardum Simonium tom. 4. epiſt. ſelect. pag. 178, Wolfium in append. tom. 1. Bibl. Hæbraicæ, Fabricium in Cod. Apocrypho Vet. Teſt. tom. 1. cap. 233. de Esdra pag. 1153: de Cabaliſticæ vero artis origine, variiſque ſpeciebus agunt Godvvinus lib. 4. de Oraculis cap. 8, Carpzovius ibid. in Not. ad §. 18. pag. 532, & ſeqq., Wolfius Bibl. Rabbin. tom. 2. lib. 7. pag. 1191, aliique plures apud ipſum pag. 1228, & ſeqq. Non unum, nec leve ex hac agendi ratione, exercendique juris, qua, ut bono Chriſtianæ Religionis conſuleret, id cavendum ſummopere duxerat, ne ex pravis libris venenum pro ſalutari potu haurirent Chriſtifideles, ebiberentque, laudandi argumentum licet capere Leonem X. In Concilio enim vero Lateranenſi V. an. 1513. ſeſſ. 8. Conſt. *Apoſtolici Regiminis* edita Catholico de Animæ immortalitate dogmati contrariam anathemate confixit doctrinam, quam, libro Bononiæ evulgato, ex Ariſtotelis ſenſu adſtruere Petrus Pomponatius non exhorruerat: quem ideo librum Venetiis igni addictum fuiſſe tradit Hieronymus Amideus, a quo Apologia pro Animæ immortalitate Mediolani excuſa anno 1518. Pomponatii impius error profligatus eſt. Conſtitutione altera *Inter ſollicitudines* ſeſs. 10. an. 1515. erroribus infectos libros e Græca, Hæbraica, Arabica, & Chaldaica in Latinam transferri linguam, Typiſque cudi prohibuit: circa aliùs vero genus libros imprimendos certas prudentiæ cumulatiſſimas præſcripſit leges, eo in decreto legendas apud Harduinum tom. 9. pag. 1780. Quo periculoſiores Lutheri erant libri, eo potiorem eis Chriſtiana e Republica procul eliminandis poſuit operam, quam numeris abſolvit omnibus, Conſt. *Exſurge Domine* an. 1520. errorum 41. capitibus ejus ex libris decerptis ignominiæ cenſuram infligendo, eoſdemque libros flammis aboleri præcipiendo. Cujus quidem Conſtitutionis præclaræ operæ pretium inter alios faciens Thomas Wolſeus Eboracenſis Archiep., & Apoſtolicæ Sedis in Anglia Legatus, ſingulare mandatum Carolo Hereſordienſi Epiſcopo de exquirendis diligentiſſime Lutheri damnatis libris, & ad ſe quantocius tranſmittendis dediſſe legitur apud Wilkinſium to. 3. pag. 690, ac Manſium Suppl. tom. 5. pag. 511, & ſeqq.

Ut

Ut erat etiam Religionis, quam ad ſubruendam conjunctis utrinque viribus in Germania Lutherus, & in Gallia Calvinus conſpiraverant, ſuſtentandæ, reparandæque cupidiſſimus Paulus III, Franciſco Archiep. Senonenſi imperio auctor fuit, ut in librorum hæreticorum, cum quibus in Gallias Calviniana hæreſis clam diſſeminabatur, detentores, Regio quoque implorato auxilio, ſevere animadverteret: in graviſſimas vero apud Carolum V. Imp. ſe ſe querelas effudit, quod in Germania hæreticorum libros contumeliis plenos impune ſineret pervagari. Adeundus, ſi placet, qui pluribus rem denarrat Raynaldus ad annos 1542. n. 52, & 1549. n. 23. Julio III. laudi vertitur a Spondano ad an. 1550. n. 2, quod omnium primus lege caverit, ne cui liceret hæreticorum quorumcumque libros habere apud ſe, aut legere: quatenus etſi peſtilentibus, quotquot in lucem prodirent, libris abolendis praeſto fuerint Romani Pontifices, horum nullus tamen ante Julium III. viro doctiſs. viſus eſt lege univerſali hæreticos libros detinere, aut legere indiſcriminatim interdixiſſe. Primas altera retulit ex parte, Spondano eodem judice ad an. 1557. n. 5, Paulus IV, qua nempe impiorum, quorum lectione Chriſtifidelium pollui mens poſſet, librorum Indicem ab Inquiſitoribus confici primus curavit, quem deinde anno 1559. publici fieri juris voluit, primuſque illud etiam caverit, ut eodem Indice comprehenderentur libri cujuſcumque argumenti, etiam profani, a quocumque Scriptore elucubrati, etiam Religione Catholico, quorum ex lectione, periculum aliquod ingrueret: quos vero conſcripſiſſent hæretici, legendi facultate omnibus adempta, diligenter quin etiam inquiri, omneſque ad unum potius flammis exuri juſſit. Qua de re, tanquam de gravi inlata injuria, in querelas effuſi Proteſtantium plerique ad injurias referendas longe graviores prorupere, ac præſertim Theodorus Zuvingerus in Theatro vitæ hum. tom. 18. lib. 8. pag. 3103, Petrus Paulus Vergerius apud Schelhornium tom. 7. pag. 296, Hottingerus hiſt. Eccleſ. nov. Teſt. tom. 9. pag. 408, & Conradus Geſnerus apud Thomam Naogeorgium in Regno Papiſtico pag. 369, ac Schelhornium in Amænit. litterar. tom. 8. pag. 99. Sed enim quotus eſt quiſque a præjudiciis abſolutum gerens animum, qui tam Proteſtantium hac de re tanquam delirantium querelas

hoc-

flocci, naucique faciendas probe non videat, quam Pontificum de re, non quaſi dure, atque inhumaniter facta, ſed imo ad omne procul a Chriſtiana Republica, quod ex pravorum librorum lectione fidei, morumque puritati imminere poſſet, avertendum periculum, bene, optimeque conſtituta, vigilantiam, curamque laudibus eſse celebrandam? Vide tamen Gretzerum de lib. prohib. lib. 1. cap. 19. tom. 13. Oper. pag. 58, & ſeq., ubi ſimiles librorum damnatæ lectionis Indices a Theologis Pariſienſibus, ac Lovanienſibus promulgatos memorat, alioſque in Italia itidem Apoſtolicæ Sedis auctoritate Venetiis an. 1548, locupletiorem Florentiæ an. 1552, poſt hoſce vero copioſiorem adhuc hunc, de quo loquimur, a Paulo IV. an. 1559; Spondanum ad an 1557. n. 5, Pallavicinum hiſt. Concil. Trid. lib. 15. cap. 18. n. 2, Raynaldum ad an. 1558. n. 21, ac 1559. n. 15, & Catalanum de Secret. Sac. Congreg. Ind. cap. 4, ubi a Paulo IV. librorum prohibitorum Indices duos editos fuiſse unum an. 1557, & alterum an. 1559. advertit. Propoſitiones quaſdam præterea circa SS. Trinitatis, ac Dominicæ Incarnationis myſteria, atque B. Virginis Mariæ virginalem integritatem, Conſt. 5. *Cum quorumdam* an. 1555, confirmata ſubinde a Clemente VIII. Conſt. *Dominici Gregis* an. 1603, probroſa hæreſis nota idem Pontifex affecit.

Rem approbe a Paulo IV. inceptam perſequi, optatumque perducere ad exitum proprii officii partem, qui poſt ingreſſi Pontifices ſunt, reputarunt. In quibus Pius IV. Indicis librorum prohibendorum conficiendi provinciam Tridentinis Patribus integram permiſit; confectum, decemque Regulis inſtructum deinde Conſtit. *Dominici Gregis* die 24. Mart. 1564. confirmavit, evulgavitque. Acceptum perinde habuit S. Pius V, præclari ad id operis S. Indicis Congregatione inſtituta: cujus exemplo, imperioque cum in Belgio Ducis Albani edicto librorum improbatæ lectionis Indicem a Lovanienſibus Theologis confectum anno 1570. fuiſſe promulgatum, a Lindano vero Ruremundenſi Epiſcopo aliquot librorum hæreticorum plauſtra intercepta publico in foro igne conflagranda fuiſſe tradita, tum in Bohemia Maximiliani Imper. lata lege in Indice notatos libros divendere Bibliopolas fuiſſe prohibitos refert Laderchius tom. 3. ad an. 1570, & inſeq. pag. 176.

176. n. 5, & 313. n. 25; qui tom. 1. ad an. 1566. n. 100. pag. 45. ab eodem Pontifice, lege inſtaurata a Paulo IV. edita, libros hæreticos univerſim interdictos obſervat. Amplioris deinde Indicis conficiendi ſpartam eidem S. Congregationis a S. Pio V. inſtitutæ demandavit Gregorius XIII: poſt quem a Sixto V. Index recognitus itidem eſt, noviſque adauctus Regulis; ac tandem abſolutus a Clemente VIII. Conſt. 36. *Sacroſanctum*, qui & alias Regulas adjecit. Adjectas Regulas ampliavit, illuſtravitque Alexander VII, atque optimæ denique methodo in librorum examine, & proſcriptione ab utraque S. Inquiſitionis, & Indicis Congregatione tenendæ conſuluit Benedictus XIV. Conſt. 19. *Sollicita* an. 1753. Bullar. ipſius tom. 4. pag. 115. Sacrum hunc ſane librorum Indicem cum adjectis Regulis Gallicana ab Eccleſia pro ſuarum libertatum privilegio, quamvis haud recipi nemo ignoret, eidem tamen religioſe Galliarum Epiſcopos frequentiſſime inhæſiſſe, atque ibidem notatos libros pariter notaſſe, multis declarant exemplis Auctores Bibl. Janſen., alteriuſque operis Gallice inſcripti *Tocſins Catholiques*. Viciſſim juxta Regulas Indicis Sac. Scripturæ libros in Vernaculam linguam verti prohibuiſſe leguntur in Scotia Santandreanus Archiepiſcopus, aliique an. 1533: contra quam legem ſcripturire auſum Alexandrum Aleſium refutavit doctiſſ. Cochlæus de act., & ſcript. Lutheri. Paullo retro flectendo veſtigia, pauciſque complectendo, quæ præſtantiora hanc in rem conferrenda remanent, a S. Pio V. diligenti prævio, diuturnoque examine, propoſitiones 79. Michaelis Baji, cujus tamen perſonæ, nomini, ac famæ parcitum voluit, Conſtit. *Ex omnibus* an. 1567. promulgata, fuere proſcriptæ. Quia vero non deerant, qui damnatis propoſitionibus inhærere, & patrocinari, neque qui ex illarum damnatione ſciſſuras, & diſcordias creare, & parere non dubitarent, Gregorius XIII. an. 1579. prædeceſſoris ſui S. Pii V. Conſtitutionem confirmavit, publicique juris fecit, atque Toleti opera Bajum ad obedientiam, & articulorum retractationem adegit: utriuſque vero cum Pii, tum Gregorii cenſuram contra Bajum an. 1641. Conſtit. *In eminenti* ratam fecit Urbanus VIII.

Omnibus vero ſunt obvia, adituque perquam facilia, quin plurimo ſit opus ſermone, quæ poſtinde de improbatæ lectionis libris,

libris, deque perverſæ doctrinæ propoſitionibus decreta, ſapienterque conſtituta a Pontificibus ſunt: e quibus, ut nihil repetam de formula juramenti Brittannis ab Jacobo I. propoſita, & a Paulo V. proſcripta, Innocentius X. an. 1653, ut ſæpe dixi, quinque Janſenii propoſitiones, atque Barcoſii librum confixit. Alexander VII. an. 1659. Caſuiſtarum apologiam ſub larvato Pirotii nomine adverſus Cleri Gallicani in Comitiis an. 1656. cenſuras editas conſarcinatam nota inuſſit: qua perinde an. 1665. propoſitiones 28., & an. inſeq. propoſitiones alias 17, quibus morum doctrina non mediocriter deturpabatur, affecit. V. Innocentius XI. an. 1677. laxiorum Caſuiſtarum 65. opinionibus, an. 1679. duabus aliis de Divino concurſu, & an. 1687. propoſitionibus 68. Michaelis de Molinos, ſpurciſſimi poſt homines natos hæretici, ejuſque libris, qui peſtem moribus adferebant, anathema inflixit. Alexander VIII. an. 1690. tum primo duas propoſitiones, tum alias quoque 31. puritati fidei, morumque diſciplinæ infeſtas cenſura perculit. Innocentius XII. an. 1699. librum Gallice inſcriptum *Explication des Maximes des Saints*, atque propoſitiones 23. ſignatim exinde decerptas proſcripſit. Clemens XI. ann. 1703. foliis quibuſdam Gallice impreſſis ſub titulo *Cas de Conſcience* &c. nigrum appinxit theta: quo perinde an. 1713. Queſnelli librum Reflexionum Moralium, nominatimque 101. propoſitiones ex eodem libro excerptas perſtrinxit: ut nil præterea retexam de proſcriptis ab eo Ritibus pleriſque, quos cum Religione Chriſtiana componi nulla ratione poſſe optime compererat. Benedictus XIV. denique, ne Orientalium Cæremoniis, uſibus, ac conſuetudinibus Chriſtiani Romana in Eccleſia integri contaminarentur Ritus, ſummopere cavit Conſt. 59. *Ex quo* an. 1742. Bullar. ipſus tom. 1. pag. 188, & Conſt. 107. *Omnium ſollicitudinum* an. 1744. pag. 397: Librum Lond. 1750., ac Libellum Amſtel. eodem anno Galice editos Conſt. 37. *Cum ſicut* Bullar. tom. 3. pag. 311, nonnullaſque Theſes, tanquam faventes Deiſtarum, & Materialiſtarum erroribus, quas in Sorbona defendendas propoſuerat Jo: Martinus de Prades, Conſt. 58. *Commiſſa nobis* an. 1752. pag. 477. multa infamia notavit. Propoſitionibus quinque præterea de Duello Conſt. 6. *Deteſtabilem* eodem anno Bull. to. 4. pag. 351; Libro ibidem duobus tomis con-

conſtanti, & Gallice inſcripto: *Apologie de tous les jugemens &c.* Conſt. 7. *Militantis* ibid. pag. 39; Libro altero P. la Borde Orat. ſub hoc titulo, *Principes ſur l'eſſence &c.* Conſt. 44. *Ad aſſiduas* an. 1755. pag. 266; atque Epiſtolæ Mſs., quæ directa legitur *Ampliſs. S. R. E. Cardinalibus, & Cl. Theologis in Urbe Prænestę congregatis* Conſtit. 71. *Cum ad nonnullos an.* 1757. pag. 545. perpetuæ ignominiæ dicam conſcripſit. Non plura hocce de argumento, de quo conferre licebit, qui de ipſo meriti optime ſunt, Bellarminum lib. 3. de Laic. cap. 20; Simancham Inſtit. Cathol. tit. 38; Lorinum in cap. 19. Actor. Apoſtol. verſ. 19; Pignatellum Conſult. 192, ubi agit contra libros Atheos, & Magicos, Conſult. 193, ubi contra Thalmudicos, & Rabbinicos, ac Conſult. 194. ubi contra Aſtrologicos, Onirocriticos, Chiromanticos, & Divinatorios; Pegnam lib. 3. Comment. in Direct. Inquis. par. 2. cap. 4; Suarezium tract. de fide diſp. 20. ſect. 2; Bordonum Sac. Tribun. cap. 14., Card. Lauræam de fide diſp. 6. art. 6; Hieronymum a S. Auguſtino Controv. 8. diſſert. 3; Emin. Petram locis paullo ſupra laudatis; Tournellium de Eccleſia q. 5. art. 3; Matthæuccium Controv. 7. cap. 6. Sed & auctor ſum tibi, ut conſulas Farinacium de hær. q. 180.; Hugolinum de caſibus Papæ reſerv. par. 2. cap. 1; Rebuffum in expoſit. Bull. Cœnæ; Navarrum in Manuali cap. 27; Toletum lib. 4. Inſtit.; Azorium tom. 1. lib. 8. cap. 16.; Sayrum in Theſ. tom. 1. lib. 3. cap. 5; Graphium in deciſ. lib. 4. cap. 18; Sanchezium in Decalog. lib. 2. cap. 10; Caſtropalaum lib. 1. de juſt. hæret. punit. cap. 15; Reginaldum in praxi lib. 9. cap. 14. ad Cap. 1. Bullæ Cœnæ D.; Seſſam in Scrut. Doctrin. cap. 1. art. 5., & cap. 3. art. 14; Annatum in appar. ad Theolog poſit. lib. 6. art. 3; Luchefinium in hiſt. polem. Janſen. Vivam in trutin. Theolog. prodromo 9., ad propoſ. damnatas ab Alexandro VII; Muratorium de Ingen. moderat. lib. 1. capp. 19. & 20, ac lib. 2. capp. 5, & 6, alioſque, a quibus ſparta hæc adornata eſt, quorumque plurium ſuperius cum laude memini.

Ad hæc, quæ hactenus bono in lumine, ut video, optimoque loco collocata ſunt, obruenda, & convellenda Janſeniſtæ potiſſimum ſe convertentes, potiorem in eo vim ponunt, ut ab hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris diligenter quidem, ſed abſque delectu,

atque indigeſtim documentis, quæ aliqualem ſui erroris ſpeciem obtendere videantur, corraſis, illud ex duobus alterutrum ſuadeant, aut Eccleſiam id ſibi juris, quod imprudenter feciſſet, uſurpaſſe nunquam libros proſcribendi, illoſque e Chriſtifidelium manibus eripiendi: aut ſi id ſibi uſurpavit juris, ejus generis ab ea prolatas prohibitiones non fuiſſe, quibus ipſius mentis aſſenſum præbendum fore Chriſtifideles perſuaſum habuerint. Itaque quod ad primum ſpectat, ab Eccleſia, inquiunt, prohibiti nuſquam ſunt olim libri Gentilium, Judæorum, Turcarum, aliorumque Hæreticorum; neque Chriſtiani veteres a lectione abſtenti uſpiam adparent librorum Celſi, Luciani, Theoſtenis, Hieroclis, Porphyrii, Juliani, Eunapii, Libanii &c., a quibus alioquin opera ad Chriſtianam oppugnandam Religionem omnis impenſa fuerat; neque magis igne velut, & aqua interdicta leguntur opera Tatiani, Tertulliani, Origenis, Nepotis, Novatiani, Scythiani, Euſebii, Apollinaris, Caſſiani, Procli Lycii, Photii &c., quos ingenti cæteroqui conatu ad Eccleſiæ Catholicæ, aut Latinæ pleraque ſubruenda dogmata ſe contuliſſe compertum eſt. Atque utique abſque eorumdem librorum attenta lectione, adverſus Ethnicos, Judæos, & Hæreticos linguam, & calamum exercere nequiviſſent, qui ex veteribus Eccleſiæ Scriptoribus, ut recentioribus ſuperſedeam, tanta cum laude exercuiſſe leguntur, qua ex Græcis Juſtinus, Irenæus, Tatianus, Athenagoras, Melito, Apollinaris Hierap., Theophilus Antioch., Hermias, Clemens Alex., Miltiades, Lucianus Martyr, Methodius, Ammonius Alex., Origenes, Macarius Magnes, Leontius Cæſar., Euſebius, Apollinaris Laod., Athanaſius, Gregorius uterque, Baſilius, Jo: Chryſoſtomus, Epiphanius, Baſilius Seleuc., Philoſtorgius, Diodorus Tarſ., Cyrillus Alex., Philippus Sidetes, Evagrius, Theodoretus, Gregentius Tephrenſis, Ephræmius, Æneas Gazæus, Jo: Damaſcenus &c.; qua ex Latinis Apollonius, Tertullianus, Hippolytus, Pionius, Minutius Felix, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Aſclepiades, Commodianus, Julius Firmicus, Ambroſius, Paulinus Nolan., Auguſtinus, Hieronymus, Panlus Oroſius, Niceas Aquil., Prudentius, Antonius Fuſſal., Philaſtrius, Junilius Afer, Julianus Pomerius, Iſidorus, ſexcentique alii ſequioris ætatis utriuſque

linguæ

linguæ Scriptores, de quibus Fabricius inter alios Bibl. Græcæ tom. 7. lib. 5. cap. 8. pag. 96, & ſeqq. Et certe S. Dionyſium Alex. librorum hæreticorum lectioni deditiſſimum fuiſſe auctor eſt Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 6. Id ipſum de Theophilo Antioch. refert Socrates lib. 6. cap. 15. S. Hieronymus quoque hæreticorum impune libros diurna, nocturnaque manu ſe verſare conſueviſſe teſtatur in epiſt. 152. Hinc in Concilio Carthaginenſi IV. Can. 16. Epiſcopi admonentur, ut pro neceſſitate, ac tempore, hujuſmodi librorum lectioni, tamquam ea officii pars eſſet, aliquam impendant operam: & in Concilio Nicæno II. Can. 9. Iconomachorum libri in Epiſcopio, ab Epiſcopo utique retinendi, ac, prout oporteret, relegendi, recondi, non etiam igne abſumi, jubentur.

Quod ad 2. reſpicit caput, ejuſmodi nempe prohibitiones aliquando a Pontificibus factas non pertinere ad fidem, ex Pontificum ipſorum dictis, & factis perſuadere initio conantur Janſeniſtæ. Teſtes ideo poſtulant S. Leonem M. in epiſt. 87. edit. Queſnell., Baller. 114. ad Synodum Chalced., & 92, ſive 119. ad Maximum Antioch., Pelagium II. in tribus epiſt. ad Iſtriæ Epiſcopos, & S. Gregorium M. lib. 2. epiſt. 51, lib. 3. epiſt. 10., lib. 4. epiſt. 39, & lib. 7. epiſt. 54. affirmantes in Concilio Chalcedonenſi actum fuiſſe, non de perſonis, ſed dumtaxat de fide, atque de fide acta dumtaxat Romana ab Eccleſia recepta: viciſſim vero, duo poſteriores quidem, in Conſtantinopolitano II, ſive Generali V. actum fuiſſe de perſonis ſolummodo, non de fide, eaque proinde acta retractari potuiſſe: quum alioqui teſtata res ſit a Chalcedonenſi tractatum etiam de perſonis Theodoreti, & Ibæ, ac vice verſa a Conſtantinopolitano II. de ſcriptis Ibæ, Theodoreti, ac Theodori Mopſveſteni. Quam vero Pontifices iſti Conciliorum decretis circa facta dogmatica ademerunt, fidem neque ſibimet præſtandam, ſi quando pariter ad definienda facta dogmatica procederent, facto ipſo docuere S. Zoſimus, S. Hormiſdas, & Vigilius: nam a primo Cæleſtii libellus probatus eſt, qui prius a S. Innocentio I. fuerat reprobatus, atque reprobatione reapſe dignus ab ipſo met Zoſimo poſtea agnitus eſt: a ſecundo Scytharum propoſitio de uno ex Trinitate in carne paſſo proſcripta eſt,

quæ contra Acœmetas poſtmodum Johanni II. probata evaſit: a tertio trium Capitulorum damnationi, cui din ante, multumque obluctatus fuerat, ideo ſane, quod iniquam eam intelligeret, adjectus tandem eſt calculus. Liquidum, atque locuples, quod huc appoſite revocari poſſit, Innocentii III. teſtimonium reputant in Cap. *A nobis* de ſentent. Excom., ubi *Judicium Dei*, inquit, *veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur*, (quæ opinio plane in factorum definitionibus ſemper intervenit) *quam & fallere ſæpe contingit, & falli*. Sequioribus ævis ſæpius Romanos Pontifices mutaſſe pariter ſententiam, atque a lato jam de libris, aliiſque ad Religionem chriſtianam ſpectantibus doctrinis judicio receſſiſſe, ac in contrariam iviſſe definitionem, ita propius ad cauſſam appropinquantes propriam, Janſeniſtæ non tam comminiſcuntur, quam calumniantur. Ita enim, inquiunt, Alexander VII. an. 1656. Sinenſes ritus permiſit, quos pridem an. 1645. Innocentius X. proſcripſerat, atque poſtea Clemens XI. an. 1704, 1710, & 1715, ac Benedictus XIV. an. 1742. diſtricte prohibuere. Clemens IX. an. 1669. ad Eccleſiæ pacem quatuor admittere Epiſcopos non detrectavit, quamquam ii publicis mandatis docuiſſent pro ſubſcriptione Formularii ſufficere religioſum ſilentium. Quin imo Epiſcopi unde viginti in gratiam illorum quatuor ad Clementem IX. ſcribentes ſignificare non dubitarunt, nihil eſſe in eorum ſententia reprehenſione dignum, ſeque idipſum cum illis ſentire. Quam 19. Epiſcoporum epiſtolam approbavit utique Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1670, & 1681, quum nempe probavit librum Gerbaſii *De cauſis majoribus*, ubi eadem epiſtola integra recenſetur. At vero religioſum ſilentium antea damnaverat Alexander VII, quod perinde ab Innocentio XII, & a Clemens XI. reprobatum eſt. Innocentius XII. itidem in Brevi ad Epiſcopos Belgii an. 1694, qui palam edixerant ſenſum obvium quinque propoſitionum eſſe ſenſum a Janſenio intentum, ſignificavit haud obſcure ſatis eſſe, ſi damnentur ille quinque propoſitiones in ſenſu obvio, quem verba ipſa præſeferunt, miſſa quæſtione, an ſenſus obvius ſenſus eſſet Janſenii. Attamen Alexander VII, ipſe met Innocentius XII. an. 1696, & Clemens XI. quinque

que propoſitiones damnatas, ac damnandas eſse juxta ſenſum a Janſenio intentum pronuntiarunt, ac præceperunt.

Atque ſane ad id ſatis eſse ſilentium obſequioſum, ſcilicet ad obedientiam pendendam Pontificiis definitionibus de factis dogmaticis, quin quis iiſdem præterea mente, animoque interiori adhærere debeat, & adquieſcere, ex antiquis quoque aliis Conciliorum actis, inquiunt Janſeniſtæ, edocemur. Enim vero a Conciliis Antiocheno, & Nicæno vox *Homouſion* recepta viciſſim, atque rejecta eſt. In Concilio Epheſino vox *Deipara* conſecrata eſt loco vocis *Chriſtipara*, quæ imo a Synodo V Can. 6. ſubinde ſublata eſt, quæque antea licite, ac legitime de B. Virgine Maria uſurpabatur. Neſtorio etiam anathema tandem dixere cum Johanne, Antiocheno Orientales, cui alioquin hæreſis perſonam inique, & perperam impoſitam fuiſse putabant. A Concilio Chalcedonenſi in Eutychianis propoſitio illa, *Una eſt in Chriſto natura incarnata*, reprobata eſt, quæ in S. Cyrillo pridem a Concilio Epheſino fuerat approbata. Acacii perinde damnationi, ejuſque e diptychis expunctioni ſubſcripſere demum, & conſenſere Orientales, quem tamen ab errore immunem credebant. Synodum V. oppugnare ideo, quod tria condemnaſset Capitula, quæ ipſi pro viribus defendenda ſuſceperant, diu, multumque non deſtitere viri dignitate Eccleſiaſtica, doctrinaque conſpicui in Africa, Hiſpania, Gallia, Iſtria, Liguria, Illyrico &c., quin tamen in Eccleſia optime audire deſinerent, inter quos Sebaſtianus, & Ruſticus S. R. Eccleſiæ Cardinales; Victor Tunonenſis, Theodorus Africanus Epiſcopus, Facundus Hermianenſis, Liberatus Carthag. &c., quibus & favit S. Gregorius M. in epiſt. ad Conſtantium Mediolanen., & ad Theodelindam Langob. Reginam erga Synodum V. peſſime affectam, ne ejuſmodi Synodi ulla fieret mentio, haud egre admodum paſsus. Ad hæc vero Theodori Mopſveſteni frequens cum honore mentio facta legitur a SS. Gregorio Nazian., & Jo: Chryſoſtomo apud Facundum, qui & illum magni Flaviani diſcipulum vocat lib. 2. cap. 2, non ſecus ac Diodori Tarſ. Socrates lib. 6. cap. 3, inter diſcipulos vero & ipſe nactus, illuſtreſque laudatores Andream Samoſat. apud Lupum in Synodico Caſſinenſi cap. 43, Theodoretum Cyren. hiſt. Eccl. lib., & cap. ult., Johannem Antioch.

tioch. in tribus epiſtolis apud Liberatum pag. 49. edit. Garnerii, & Facundum lib. 2. cap. 2, Meletium ipſius ſucceſſorem in epiſt. ad Titum Vicarium Orientis apud Baluzium nov. Collect. pag. 875, Ruffinum Syrum apud Garnerium in Marium Mercat. to. 1. pag. 286: præ quibus ipſe Facundus prolixum ſe in Theodori innocentia vindicanda, ejuſque meritis, ac laudibus extollendis ſe præbuit: apud quem imo lib. 7. cap. 6. neque magni Doctoris titulum Theodoro invidit S. Cyrillus Alexandrin.; qui certe in epiſt. ad Proclum tom. 5. oper. part. 2. pag. 200. perſonæ ipſius parcendum, etſi ſcripta proſcribenda, exiſtimabat. Quin etiam S. Iſidorus in Catalogo eo proceſſit, ut illum Cl. Eccleſiæ Doctorem vocaret nedum, ſed imo a Synodo V. injuria damnatum aſſerere non dubitaret. Theodoretum (qui præterea habetur a multis poſt Theodorum Mopſv. tanquam fons primarius erroris, quo Græca deinde Eccleſia a Latina diſciſſa eſt, de Spiritus S. a Patre ſolo proceſſione, quo de errore Petavius Theolog. Dogm. tom. 2. lib. 7. capp. 1, & 2. pag. 633, Garnerius in auctario Theodoreti pag. 194, Allatius in vind. Synodi Epheſ., & S. Cyrilli, Pearſonius ad Symbolum Apoſtol. pag. 571, & ſeq., ac Forbeſius Inſtruct. hiſt. Theolog. lib. 5. cap. 6; de quo etiam conferre licet ejuſdem Theodoreti diſputationem contra S. Cyrillum, iſtiuſque Anathem. 9. oper. tom. 4. pag. 718; contra quæ demum Spiritum S. a Filio quoque procedere SS. Epiphanium, Cyrillum, alioſque Græcos Patres docuiſſe tradit Jo: Beccus apud Allatium in Græcia orthodoxa) a Synodo Chalcedon. act. 1, & 8. inter Patres ſuſceptum fuiſſe, ejuſque fidem a S. Leone M. epiſt. 63. edit. Queſn. 93. Baller. 120. laudatam ignorat nemo: quam utique Theodoreti fidem a ſiniſtra omni Neſtorianæ hæreſis ſuſpicione, ac labe abunde liberavit Auctor Synodici a Lupo, Baluzio, & Garnerio vulgati, quam perinde officii gratiam Theodoreto præſtitere Sirmondus in ejuſdem vita, ac Petavius de Incarn. lib. 6. cap. 17. in id Agobardum laudans, laudes vero luculenter proſequutus Johannes Euchaitenſis Metropolita præclariſſimis Eccleſiæ Doctoribus adcenſere Theodoretum non dubitavit apud Fabricium Bibl. Græcæ tom. 7. lib. 5. cap. 11. pag. 450. Ibam denique Edeſſenum Synodus Chalcedonenſis ſuſcepit non modo, recogni-

cognitisque act. 9, & 10, quæ de ipso Antiochiæ, Tyri, & Beryti acta fuerant, atque virum probatæ vitæ, & fidei integræ compertum Sacerdotio, & Sedi restituit, sed imo ab Apostolicæ Sedis Legatis ejusdem ad Marim Epistola orthodoxa agnita est apud Harduinum tom. 2. pag. 539; quam reapse probum, & catholicum in sensum adduci posse contendit plane Christianus Lupus in Not. ad Synodi V. Canon. cap. 4. Quid ad hæc autem, quod Synodis V, & VI. a pluribus Episcopis subscriptum est, quibus ea tamen animo insedebat arcte sententia, ab utraque Synodo errore facti, ac dogmatici utique, erratum fuisse? Atque quidem a Synodo VI. speciatim ob damnatum Honorium erratum fuisse, errore facti sine dubio dogmatici, quia videlicet ejus Epistolarum sensus a Synodo approbe attactus non fuerat, intimeque pervasus, affirmare non dubitarunt (quo plane in argumenti genere vim magnam faciunt Jansenistæ, ac præsertim Formularii Alexandrini impugnator, sive Auctor libri Gallice inscripti: *Justification du Silence respectueux* pag. 431.) Johannes a Turrecremata de Eccl. lib. 2. cap. 93, Baronius ad an. 681. n. 29, & seqq., Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 11, quibus Auctor ille adjungere non destitit S. Thomam Quodl. 9. q. 8. art. ult., Gersonium de potest. Eccl., & Laic. cap. 16, Almainum, Dionysium Carthus., Stapletonium, Sirmondum, Petavium, Richaelium, Laurææam, Aguirrium, Pallavicinum hist. Concil. Trid. lib. 7. cap. 14, & lib. 11. cap. 18, aliosque, quorum se presse inhærere vestigiis jactant Jansenistæ, ideoque pari sententia tenere se ajunt errasse proculdubio Romanos Pontifices errore facti dogmatici, quinque propositiones Jansenii damnando, juxta sensum ab eodem intentum, quem ipsi sensum ab Jansenii mente prorsus alienum propugnant.

Quam perversam adhuc opinionem suam confirmare, corroborareque pravi admodum pervicaces homines adnittuntur congestis absque delectu damnatorum hominum laudatoribus, & Apologistis. Ita namque, inquiunt, Origenis laudes celebrare non detrectarunt ex Græcis SS. Gregorius Neocæsar., Athanasius, Basilius, Gregorius Nazian., Jo: Chrysostomus, Theotimus apud Sozomenum lib. 8. cap. 17, Johannes Hierosolym. &c., ex Latinis

nis SS. Euſebius Vercell., Hilarius, Victorinus Pictav., Ambroſius, Auguſtinus in epiſt. 86. oper. S. Hieronymi tom. 2., Hieronymus ipſe præfat. in Ezech., in Michæam, in Nomina Hebraica, in epiſt. ad Paulam, & ad Pammachium, ac de Script. Eccl., Vincentius Lirin., aliique; pro eo quinimo Apologias elucubrare non dubitarunt Pamphilus Martyr, Euſebius Cæſar., Anonimus apud Photium Cod. 117, Ruffinus Aquil., Haymo Halberſtat. in Brev. hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 3, Jacobus Merlinus, Sixtus Senen., Gilbertus Genebrardus, Jo: Picus Mirand., Petrus Halloixius, Anonymus Londinenſis apud Fabricium Bibl. Græc. tom. 5. pag. 237, & ſeq., Stephanus Binettus, Huetius, Garnerius &c. Origenem quin etiam Catholice interpretatus eſt Didymus; eidem ab hæreticis errores affictos contenderunt Ruffinus, aliique in Synodo Alexandrina Epiſcopi, teſte Severo Sulpitio apud Petrum Waſtelium tom. 2. pag. 488; ab eo propria ex ſententia errores non profectos, ſed ex contradicentium perſona, ac ſenſu affirmavit S. Athanaſius de Synodi Nicænæ decr.; eum quidem erraſſe, pertinaciter tamen erroribus non adhæſiſſe cenſuit S. Hieronymus de Viris Illuſt.; ejuſdem inconſtantiam in doctrinis viderunt, & notarunt Timotheus Presbyter, & S. Maximus apud Cotelerium tom. 3. pag. 417, & 643; per calumniam Origeni dogma de Metempſychoſi impactum fuiſſe pugnant Jo: Vindetus lib. de vita functorum ſtatu pag. 39, & Jo: Bapt. Criſpus de Philoſophis caute legendis pag. 464, & ſeq.; fabulis quoque adſcribendum, quod de oblato Idolis ſacrificio ab Origene refertur a S. Epiphanio hær. 64. n. 2, & comprobatur ab Huetio pag. 22. Origen., Petavio in Epiphan., Natali ad Sæcul. III. differt. 15, ac Pagio ad an. 251. n. 6, & ſeq., contendunt Baronius, Raynaudus, Valeſius, Halloixius, Tillemontius, & Baſnagius ad an. 203. n. 20. Vide & doctiſſ. Caccianum in hiſt. diſſert. pro Ruffino Aquil. par. 2. §. 6. Marcelli Ancyrani fidem libello expoſitam acceptam habuiſſe, ac laudibus celebraſſe S. Julius I. legitur in epiſt. ad Euſebianos, quam perinde tanquam ab orthodoxa degenerem cenſura notaſſe, & condemnaſſe Liberium, & S. Damaſum adparet ex libello oblato a Legatis Synodi Lampſacenæ, & ex profeſſione fidei miſſa ad Paulinum: qua de re Petavius lib. 1. de Pœnit. publ. cap. 2. Eccleſiam errore fa-

cti

ri deceptam, doloque circumventam Marcelli libellum approbaſse prius obſervat, quem poſtea erroribus ſcatentem deprehendit, atque damnavit. Ad ſequiora vero delabendo tempora, Gotheſcalcum damnarant profecto Synodi Moguntina, ac duo Cariſiacæ: quem nihiloſecius ab errore prorſus expurgandum ſumpſere Lugdunenſis Eccleſia, Synodi Valentina III, Lingonenſis, & Tullenſis, S. Remigius Lugd., S. Prudentius Trecen., Ratramnus Corbejen., Lupus Servatus, ac devexiori ſub ætate, ut de Uſſerio, ac Janſenio taceam, Gilbertus Maguinus, & Chriſtianus Lupus. Petrus Abaelardus, urgente S. Bernardo, dira quæque perpeſsus eſt in Synodis Sueſſionenſi, ac Senonenſi, ingenteſque quin etiam Innocentii II. expertus eſt iras: quem tamen apologetico edito ab invidia liberare inſtituit Berengarius, irato Pontifici reconciliare ſtuduit V. Petrus Clun., nulloque certe modo hæreticis adnumerandum oſtendunt idem Clun. Abbas, Otho Friſing., & Natalis Alex. ad Sæcul. XI, & XII. diſſert. 7. art. 11. Gilberto Porretano ignominiæ dica a Synodo Remenſi, & Eugenio III. conſcripta fuerat: favorem ipſi nihilominus impendere ſuum e re ſua duxerunt S. R. E. Cardinales. Joachimi Abb. librum adverſus Petrum Lombardum proſcripſit, unique ipſius de Trinitate propoſitioni hæreſis notam inflixit in Synodo Lateranenſi IV. Innocentius III: quin tamen id prohibuerit, quominus eumdem ab errore expurgandi ſpartam in ſe ſuſciperent Lucas Conſentinus Archiep. apud Ughellum Ital. Sac. tom. 9 pag. 205, indeque in Act. SS. tom. 7. Maji ad diem 29. pag. 93; Jacobus cognomento Græcus in ipſius vita apud eumdem Papebrochium; Theophilus Raynaudus in Hoplotheca to. 12. oper. pag. 150; Gregorius de Laude Sagittarienſis Abbas in Apologet. Joachimi edit. Neapol. 1560; Franciſcus Bivarius Ordin. Ciſterc. in apolog. pro Joachimo, in Not. ad pſeudo-Lucium Dextrum pag. 481, & ſeq.; Natal. Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. XIII, & XIV. cap. 3, art. 3, & diſſert. 2; Papebrochius ad 29. Maji tom. 7. pag. 89, & ſeqq., & ad exhib. error. Sebaſtiani a S. Paulo art. 2. §. 18. Suppl. apolog. pag. 257; Pagius uterque, Senior ad an. 1188. n. 21, & ſeqq., ac 1190 n. 8, Junior vero in Innocentio III. Quibus demum omnibus ſuffragatur ratio manifeſta: illud namque dumtaxat ad fidem pertinet, fide-

que Divina tenendum proponi a Pontifice poteſt, quod eſt revelatum: revelatum vero nihil eſt, niſi quod in Dei Verbo ſcripto, vel tradito continetur: atqui facta ejus genus neque in Verbo Dei ſcripto, neque in Dei verbo tradito revelata ſunt, uti per ſe perſpicuum eſt: quorſum ergo fide credenda eadem nobis Pontifices Summi proponere ſibi ſumunt? His itaque, ſimilibuſque garriunt Janſeniſtæ. At gerræ profecto, meræ gerræ, atque lyræ, quæ nullo, aut levi exſufflantur negotio.

Reſponſioni itaque præmitto 1. diſtinguendum eſſe diligenter inter propoſitionem æquivocam, & propoſitionem complexam: iſta plures habet partes, illa plures ſenſus patitur; exinde eſt enim, quod Pontifex aliquando diſtinguat inter partes propoſitionis complexæ, non vero ſemper diſtinguendum putet inter multiplices æquivocæ propoſitionis ſenſus. Ita Martinus V. in Concilio Conſtantienſi in propoſitione 24. Wicleffi duas partes diſtinxit, quas diverſa diſpunxit cenſuræ nota: Æquivocas vero propoſitiones 4, & 21. Huſſi abſque ulla ſenſus diſtinctione, habita dumtaxat ſenſus illius obvii ratione, damnavit. Ita pariter circa propoſitiones Baji a S. Pio V, & circa propoſitiones Queſnelli a Clemente XI. factum obſervarunt viri eruditi Vaſquezius, Suarezius, Turrianus, Noriſius, Viva, Sollerius, Fontana, Berti, Bellelli, aliique. 2. Diſtinguendum quoque eſſe duplicem in propoſitionibus ſenſum, abſolutum ſcilicet, quem in ſe ipſis habent, ac relativum, quem dicunt ad ſenſum libri, ex quo extractæ ſunt, & Auctoris, a quo ſunt enuntiatæ. Diſtinguendus eſt item duplex Auctoris ſenſus, mere internus alius, ac mente retentus ab Auctore; externus alter, ex verbis, ex tota doctrinæ ſerie, ex ſyſtemate, ex textura, librique contextu, ex conformatione, ſcopo, conſilioque elicitus. In cenſuris porro librorum, aut propoſitionum Romani Pontifices reſpicere nequaquam ſolent ad ſenſum Auctoris mere internum, animoque retentum: (quem proinde defendere in aliquibus quidem licuit, quem defendendo tamen imprudentiſſime factum, quique fecere, ſemet irridendos propinaſſe facile videre poterant: quo pacto enim ipſis patuit illorum ſenſus mere internus, quem neque patuiſſe Eccleſiæ defenſores ipſimet pugnant?) bene vero damnandum ſibi propo-

ponunt aliquando quidem ſenſum dumtaxat abſolutum, quem verba ipſa in ſe ipſis, juxta linguæ inſtitutionem, ac independenter a proferentis intentione, præſeferunt: quomodo Alexander VII, Innocentius XI, & Alexander VIII. pleraſque laxioris Moralis propoſitiones in ſe ipſis conſideratas ſolitarie confixere, nullo habito reſpectu vel ad libros, in quibus continebantur, vel ad Auctores, a quibus conſcriptæ ſunt: aliquando verò propoſitiones etiam proſcribunt juxta ſenſum reſpectivum, qui ſcilicet ex Auctoris ſyſtemate, ac inſtituto, aut libri ſerie, & contextu eruitur: quo pacto Leo X. Lutheri, S. Pius V. Baji, Innocentius X. Janſenii, & Clemens XI. Queſnelli propoſitiones nigro lapillo notarunt.

Qua porro ratione Pontifices ita facerent, ſi abs me quæras, reſpondeo ita probe facere conſueviſſe, ut perſpicio, ideo ut propoſitiones generatim univocas, ac per ſe ipſas aut veras, aut falſas vel probarent, vel improbarent, ut inde diſcerent facile Chriſtifideles, quibus adhærendum ſibi eſſet, & a quibus abſtinendum. Ideo quoque ut in propoſitionibus aliquando æquivocis facta diſtinctione ſenſus falſi, & veri, determinarent, quo ſenſu damnatæ propoſitiones intelligi deberent: an ſcilicet in ſenſu etiam privato ab Auctore intento, quique ex Auctoris conſilio ac doctrinæ contextu expiſcari haud difficile poteſt. Exinde factum eſt, ut frequenter eaedem propoſitiones eiſdem verbis expreſſæ modo in aliis probatæ fuerint, aut permiſſæ, in aliis viciſſim reprobatæ, ac proſcriptæ, habita videlicet ad diverſam proferentium diſpoſitionem conſideratione. Ita damnatus eſt Colluthus, qui negabat Deum eſſe auctorem mali; quod ſcilicet de cauſſa phyſica id intelligeret: damnatus etiam Florinus, qui id affirmabat, quod id nempe de cauſſa morali cenſeret. Ita damnatus eſt Paulus Samoſatenus, qui de Filio dicebat *Homouſion*, quod id aſſereret diviſione præſuppoſita ejuſdem Divinæ ſubſtantiæ: damnatus viciſſim Arius, qui de eodem Filio dicere *Homouſion* negabat, identitate ideſt negata Naturæ in Patre, & Filio. Ita abſolutus S. Cyrillus Alex., qui alioqui ſcripſerat unam eſſe naturam Chriſti incarnatam, quod a Divina humanam aſsumptam ſignificabat: damnatus e contra Eutyches, eo quod ejuſmodi locutione ſignificaret unam dumtaxat in Chriſto D. naturam. Ita ante Neſtorium vox *Chriſtipara* nul-

ta latentis erroris labe ſuſpecta erat, quæ deinde in ſenſu hæretico a Synodo V. Can. 6. reprobata eſt. Ita in Monachis Scythis a S. Hormiſda reprehenſa eſt propoſitio de uno e Trinitate in Carne paſſo, quæ vicißim a Johanne II. adverſus Monachos Acœmetas recepta eſt. Ita in Theologis non reſpuitur propoſitio iſta: *Duæ naturæ Divinitas, & Humanitas ſunt unus Chriſtus*, quæ in Johanne Hus eſt repudiata. Ita in S. Auguſtino propoſitio illa in Epiſt. ad Galat., *Quod amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, verum, & orthodoxum habet ſenſum, quippe de delectatione deliberata intelligitur; nam alioqui de indeliberata dixit lib. 8. Confeſs. cap. 8: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat*: in Janſeniſtis e converſo ſenſum habet falſum, & hæreticum, ſiquidem de delectatione indeliberata affirmatur. Ita in SS. Patribus, ac præſertim circa Trinitatis, Incarnationis, & Euchariſtiæ Myſteria pleræque multæ propoſitiones recto, catholicoque ſenſu accipiuntur, quæ in Sabellianis, Neſtorianis, Eutychianis, & Sacramentariis peſſime audiunt. Audiendus Doctiſs. Card. Noriſius in Apologia Monach. Scythiæ cap. 1, ubi appoſite hanc in rem ſic loquitur: *Eccleſia univocas propoſitiones, quarum unicus tantum eſt ſenſus, probat, ſi veræ ſint, ſin vero falſæ, condemnat. At ſi propoſitiones ſint æquivocæ, ac duplicem ſenſum patiantur, quorum unus ſit Catholicus, alter hæreticus, Eccleſia eaſdem in ſenſu recto approbat, & in falſo proſcribit.* Quod ipſum multis oſtendit lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 20, & in Vindic. Auguſt. cap. 3. §. 2.

Neque tamen ideo culpandi, aut negligentiæ coarguendi Romani Pontifices ſunt, ſiquando graviſſima profecto cauſſa permoti, propoſitiones æquivocas, nulla præmiſſa explicatione, aut duplicis ſenſus diſtinctione, cenſuris afficiant: quia nempe ea permoventur cauſſa potiſſima, ut Chriſtifideles probi, frugique doceantur, & diſcant, ea, qua par eſt, intellectus humilitate Eccleſiæ judicia venerari, & amplecti; utque heterodoxorum pervicaci, inquietoque præ æſtu furoris ingenio, altercandi omnis præcludatur aditus, explicationumque expoſtulationibus, quæ in infinitum facile irent, finis fiat. Alioquin enim a SS. Hilario, & Auguſtino jamdudum animadverſum eſt Eccleſiam in proſcriptione hæreticorum, & hæreticarum propoſitionum intendere non

præ-

præciſe in nudum verborum ſenſum, ſed præſertim in ſenſum ab Auctoribus intentum, quem ſcilicet ex ſermonis contextu, ex Auctorum ſcopo, aliiſque circonſtantiis colligere attente conſuevit. Unde ille prior lib. 2. de Trinit. *De intelligentia*, inquit, *hæreſis, non de ſcriptura eſt; & ſenſus, non ſermo ſit crimen*. Quod exemplo comprobat vocis *Homouſion*, quam a Paulo Samoſateno male aſſertam octoginta Epiſcopi Synodi Antiochenæ reſpuerunt, neque melius ab Arianis negatam 318. Patres Nicæni viciſſim receperunt. Iſte vero poſterior lib. de geſt. Pelagii cap. 13. obſervat nonnulla Cæleſtii capitula magis ſecundum ſenſum, quam ſecundum verba a Patribus Africanis Pelagio objecta fuiſſe: atque lib. 2. de Nupt., & concup. cap. 4. de Juliano loquens: *Quæ veraciter*, inquit, *& catholice dicta ſunt, imo in Divinis libris veraciter ſcripta, non ab illo catholice dicta eſſe, quia non intentione catholici pectoris dicta ſunt*. Hanc in rem, qui plura adhuc aveat, præſto erunt ipſi Doctiſs. Theologi Petavius Theolog. Dogm. tom. 4. de Incarn. lib. 4. capp. 6, & 7, Pallavicinus hiſtor. Concil Trid. lib. 1. capp. 21, & 22, Natalis hiſt. Eccl. ad Sæculum XI, & XII. diſſert. 8, Roncalia in animad. ad Sæcul. V. diſſert. 14, Tournellus de Eccleſia qu. 5. art. 3, Sanfelicius in proluſ. ad Jans. doctrin., Maſſejus in Janſeniſmo novo lib. 1. cap. 5, Obſervat. tom. 5. in princip., & hiſt. Theolog. lib. 7. §. 16, ac lib. 11. §§. 2, & 5, ac Thomas ex Charmes in Theolog. proleg. diſſert. 5. cap. 3. qu. 4. art. 4. §. 2., ac diſſert. 6. capp. 1, & 2, quos inter alios innumeros, honoris gratia appellatos heic volui: quibus præhabitis operoſum jam non eſt futilibus Janſeniſtarum objectis offendere.

Reſpondeo itaque ad primum ex diſputatis toto paragrapho iſto patere manifeſtiſſime objectionis fallitatem: patet enim a priſcis aevis ſollicita, ac provida Romanos Pontifices vigilantia in eam ſemper curam incubuiſſe, ut Chriſtifideles ab eorum librorum lectione averterent, ex quibus incauti, ac ſimplices detrimenti quidpiam capere poſſent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ Religionis dogmatibus infeſtæ eſſent, veluti in ſua Conſtit. 19. *Sollicita* Bullar. tom. 4. loquitur diſertiſſimus peræque, atque Eccleſiaſticæ peritiſſimus antiquitatis Benedictus XIV. P. M.; cui pari in ſententia præ-

præiverat quin etiam Carolus V. in Edicto Wormatiæ edito adversus Lutheri libros, quos flammis aboleri præceperat. Quamobrem libros a Pontificibus Romanis prohibitos (quod heic admonitum semel volo, atque intelligi dictum quoque de Sacr. Inquisitionis, ac Indicis Congregationum decretis) sive hæreses contineant, sive opera hæreticorum sint, legi non posse, tum nempe ob subversionis periculum, tum etiam in Auctorum odium, & probrum, sub excommunicationis pœna in Bulla Cœnæ lata, de qua etiam Regula 2. Indicis, atque etiam quoad partes non continentes hæresim, neque de Religione tractantes, vera, receptissimaque sententia est, quam omnino tenendam recte docent Bellarminus de Laic. lib. 3. cap. 20, Farinacius de hær. q. 180, Pegna Direct. Inquisit. par. 2. Comment. 3, Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 6, Santarellus de hær. cap. 14, Sousa in aphoris. Inquisit. lib. 1. cap. 21, & in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 13, Toletus in Sum. lib. 1. cap. 19, Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 10, Bonacina de Cens. disp. 2. sect. 2. qu. 5. pun. 4, Suarez de remed. Eccl. contra hæret., & hær. disp. 20. sect. 2, Dicastillus disp. 3. n. 1180, Fagnanus in Cap. *Damnamus* de Sum. Trin. n. 16, & seq., Tamburinus in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. 7, Diana par. 3. tract. 6. resolut. 49, Castropalaus par. 1. tract. 4. disp. 2. pun. 10, Trullenchus in decalog. to. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 9, Pignatellus consult. 195, La Croix tom. 2. lib. 7. art. 5, Petra Comment. in Const. unic. *Valde* S. Gelasii I. tom. 1. pag. 77, aliique apud ipsos. Neque sufficere, si ab hujusmodi libris hæreses deleantur, & expungantur, quum hujus genus librorum expurgatio ad Episcopos, & Inquisitores pertineat, diserte asserunt loc. indic. Bellarminus, Suarez, Dicastillus, Sousa, La Croix &c.; sed imo deferri ad Inquisitores debere, ab ipsis comburendos, explicate jubent Julius III. Const. *Cum meditatio*, Pius IV. Const. *Cum pro munere* apud Pegnam in append. Direct. pag. 115, & 129, Paulus IV. apud Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 12. n. 11, & Rodericum in addit. ad Bull. Cruc. §. 9. n. 66, & Urbanus VIII. Const. *Apostolatus*; indubiumque habent Pegna Direct. par. 2. comm. 3, Barbosa de potest. Episcop. alleg 90. n. 5, Diana par. 1. tract. 11. resol. 37, Riciulius de jure pers. lib. 5. cap. 24, Thomas del Bene de offic. inquis.

par. 1.

par 1. dub. 40, Bordonus in Tribun. cap. 40, Caſtropalaus tract. 4. diſp. 2. pun. 10. §. 12, Albitius de inconſt. in fide cap. 30. n. 95, Sanchez loc. cit., Lupus in Edicto par. 4. lib. 25. diſt. 8. art. 2, Petra in Comment. ad Conſtit. 2. *Impia* Innocentii IV, aliique apud ipſos.

Libros itaque Gentilium, Judæorum, Turcarum, aliorumque Hæreticorum etiam antiquiorum ideò ab Eccleſia prohibitos non fuiſse conjicere fas eſt, vel quod, ut obſervavit Stephanus tract. 3. diſp. 1, errores, quibus aſperſi erant, jam probe eſsent perſpecti, iique a ſenſu ipſo abhorrentes, aut jampridem ſermone publice, vel aut ſcripto perſtricti, ac profligati, ut proinde nullum legentibus, vel ut a quibus potius deſpectui haberentur, exinde periculum ingrueret: vel quod, veluti habet Textus in Canon. *Si quid veri* diſtinct. 37. ex S. Auguſtino, & animadvertit Hoſtienſis in Cap. *Damnamus*, ex illorum lectione hinc nullum quidem detrimenti ſubeſſet periculum, illinc vero haud exigua pareretur utilitas. Quod ſi periculum ejuſmodi aliquod ſubeat, ii profecto libri, quamvis explicite non prohibiti, uti recte obſervat Beccanus lib. 5. Controv. cap. 12, inter prohibitos tamen proculdubio erunt habendi; idque patet ex decretis Gregorii IX, Innocentii IV, Clementis IV, Honorii IV, Johannis XXII, Julii III, Pauli IV, & Clementis VIII, a quibus prohibenturThalmud, aliique hujuſce furfuris Hebræorum libri, atque ex Regula 10. Indicis, ubi additur librum *Magazor* toleratum eſſe in linguaHebraica, non etiam in aliis. Neque pari modo prohibiti expreſſe libri Tatiani, Tertulliani &c. leguntur idcirco, vel quod, ut adnotant Gloſſa in Cap. *Fraternitati* de Hæreticis, Gonzales ibid. n. 9, & Card. Petra ad Conſtit. *Valde* S. Gelaſii I. n. 14. id majorem cederer in ipſorum confuſionem, & ignominiam, quorum ex prioribus optime ſcriptis poſteriores errores quam facile deleguntur, tam valide refelluntur, atque ita propriis ii veluti configuntur telis: vel quod, ut approbe advertunt Bellarminus, Suarez, Beccanus, Gravina, Baluzius &c., iis in libris hæreticum illi hominem data opera non egerunt, atque ſi humani aliquid paſſi ſunt, aut in paucis admodum ab illis erratum eſt, aut quod erraſſent, poſtmodum aut ab ipſis, aut ab aliis pro humanitatis

tatis officio, abunde emendatum est, erroresque illi omnes jam omnibus perspecti, jam ab omnibus sunt omnino improbati. Quam vero licita, tam laudabilis erat opera, quam improborum librorum lectioni impendebant Ecclesiæ Patres, Scriptoresque Ecclesiastici (quamvis in his SS. Dionysius, & Hieronymus distinctim hanc ob rem male apud Catholicos aliquando audiverint: quod non leve, nec obscurum est indicium, jam tum in Ecclesia vetitam librorum ejusmodi lectionem) quæque opera tota ad falsa, & prava hæreticorum dogmata explodenda, & præcavenda conspirabat. Quo sensu a Concilio Carthaginensi IV. indulta Episcopis est, imo injuncta istiusmodi librorum pro necessitate, tempore, ac loco, lectio, utque lectioni huic, prout opus afforet, præsto locus esset, a Concilio Nicæno II. ideo Iconomachorum libri recondi, ac retineri jussi sunt: quandoquidem officio Pastorum cedit a noxiis pascuis Gregem avertere, & Episcopi debent, quod Apostolus monet ad Titum scribens cap. 1. vers. 9, omnes ingenii nervos intendere, ut potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere: quam spartam utique vix, ac ne vix quidem adimplere poterunt, nisi eis perspecta sint ex lectione eorum, qui extra Ecclesiam degunt, prava dogmata. Quamvis, non inficior, retinendi hæreticorum libros alia subesse ratio potuit, ut ex libris nempe perpetua ipsorum apud posteros confusio, & ignominia constaret, eorumque sequacium de falsitate, & mendacio facile revinceretur jactantia, siquando in Magistrorum indebitas prosilirent laudes: qua permotum ratione S. Zachariam P. M. epist. 138. inter S. Bonifacii Mogunt. Epistolas prohibuisse, ne Adalberti libri igne, quo alioqui dignos judicaverat Romana Synodus, abolerentur, sed ut potius in Scriniis Romanæ Ecclesiæ reservarentur, præsumere fas est; quæ persuasio sane Theophilo Raynaudo de bon., & mal. libris Theorem. 3. n. 26, Gonzalesio in Cap. *Præterea* 4. n. 6. de Hæret., & Card. Petræ in Comment. ad Const. *Valde* S. Gelasii I. n. 12. insedit.

Respondeo ad 2. neque propius ad veritatis speciem accedere, quod a Jansenistis, subtlestissimæ videlicet fidei hominibus, subtexitur, hujusmodi nempe prohibitiones Romanis a Pontificibus factas nequaquam ad fidem pertinere. Abutuntur autem insigni

gni mendacio, & injuria ipſorum nomine, & auctoritate, dum ipſos vocare teſtes in proprii erroris patrocinium non erubeſcunt. Enim vero etſi Chalcedonenſis Synodus Actionibus 16. conſtitiſſe circumferatur, atque in his quidem de perſonis quoque actum conſtet, ut Act. 7. de Juvenalis, & Maximi cauſſa; Act. 8. de Theodoreto; Act. 9, & 10. de Iba; (de Actione, quæ de Domno Antioch. refertur, heic non loquor, nam eam huc pertinere negant Queſnellus diſſert. 9., & Natalis ad Sæcul. V. diſſert. 17; at viciſſim, ac verius affirmant Baluzius in præf. hujus Concilii §. 32. nov. Collect. pag. 983, Pagius ad an. 451. n. 54, ac Ballerinii in obſervat. ad cit. diſſert. Queſnelli tom. 2. pag. 1215, Actionem illam a Ruſtico S. R. E. Diacono latine editam confirmantes ex altero Cod. Mſ. Vaticano 1322. optimæ notæ, ætatiſque ſupra millenariam) Act. 11, & 12. de Baſſiano, & Stephano; Act. 13. de Eunomio, & Anaſtaſio; Act. 14. de Sabiniano, & Athanaſio; Act. 15, & 16. de Primatus honore poſt Romanum Patriarchæ Conſtantinopolitano conferendo: quæ Acta poſt actionem 6. profecto a S. Leone M. probata non fuerant, qui explicatiſſime ſcripſit probare ſe ea dumtaxat, quæ de fide definita fuerant, ideſt Act. 6, priori, quo ante loco erant, relictis, quæ de perſonis acta poſt Actionem 6. quæcumque fuiſſent. Quo circa jure optimeque cum Pelagius II, tum S. Gregorius M. ſcripſere poſt Act. 6, in qua fidei definitio edita fuit, Chalcedonenſem Synodum ceſſaſſe eſſe Oecumenicam: quod S. Leonis auctoritate firmant, confirmant autem cum ex Græcis Synodi plurimis Exemplaribus, in quibus Actiones poſt 6. cæteræ deſiderantur, tum Epiſcoporum, qui Synodo præſentia interfuerant ſua, teſtimoniis: in quibus Alipius Cæſareenſis in Cappadocia Antiſtes ad Leonem Auguſt. ſcribens affirmavit ſe ea haud legiſſe, quæ in Synodo Chalcedonenſi de perſonis, ac geſtis particularibus acta, ac decreta ferebantur; quia nempe Thalaſſius ipſius deceſſor, quæ in cauſſa fidei acta fuerant, dumtaxat ex Synodo ad Eccleſiam ſecum detulerat. Scripſere quæcumque poſt Act. 6. de perſonis fuerant acta, tanquam acta a Synodo non amplius legitima, & Oecumenica fore reputanda; ideoque, quod de Ibæ epiſtola ibidem latum fuerat, judicium prorſus infirmum fuiſſe, nec illud prædeceſſori ſuo S. Leoni probatum

batum: atque proinde ſecundo potuiſſe judicio expendi, ac proſcribi, quin ulla vel levis definitionibus de fide factis a Synodo Chalcedonenſi, confirmatiſque a S. Leone inferretur injuria. Eo verbo, ſcripſere optimo ſenſu de Theodori Mopſveſt., Theodoreti, & Ibæ tribus Capitulis acta retractari, ſeu verius nondum actum judicium agi quam licite, tam legitime in Synodo V. potuiſſe, quod inficias trium Capitulorum defenſores perperam ibant, illæſa, & integra auctoritate S. Leonis, & Synodi Chalcedonenſis, a qua de tribus illis Capitulis qua prætermiſsum judicium fuerat, qua non probatum, quod propterea a Synodo V. ex ordine inſtitui potuerit. Atque hoc de argumento jam nimis, de quo plenius diſputantes adiri poterunt Baluzius in cit. præfat. ad Synodum Chalced. §. 40, Lupus in diſſert. de Chalced. Synodo cap. 2, & Noriſius in diſſert de Synodo V. cap. 11.

Nec eſt magis vero, cur aut S. Zoſimi, aut S. Hormiſdæ, aut Vigilii fides, agendique ratio ſollicitetur, quæ tam facile, quam vere ab omni prorſus invidia detergitur. Atque hoc quidem loci mihi temperare non poſſum, quin improbem reſponſionem Tournellii (quatenus enim Boſſuetii operam improbaverim, qua Cæleſtii hæreſim afflare S. Zoſimo inaniter allaboravit, indicabunt, quæ tradidi tom. 3. Art. 5. §. 1. pag. 440, & ſeqq.) qui objectioni huic occurrens reponere tantum non habuit Cæleſtii dolis, & artibus deceptum fuiſse S. Zoſimum, niſi adjungeret S. Zoſimi de libello Cæleſtii judicium infirmum fuiſse, quod non fuerit Eccleſiæ univerſæ judicio confirmatum, ex eo id principio, præoccupataque opinione proferens, quod privilegio infallibilitatis Pontifices carere exiſtimet, niſi totius Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. At enim non ne viro doctiſs., atque ad frugem optime alioqui facto, ſatius erat reponere, quod repoſitum non ignorabat a S. Auguſtino? Qui lib. 6. contra Julianum cap. 12, huic prævaricationis S. Zoſimum inique accuſanti præclaris hiſce offendit verbis: *Quale eſt autem, quod B. mem. Zoſimum Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum, ut in tua pravitate perſiſtas, prævaricationis accuſas? Qui non receſſit a præceſſore ſuo Innocentio, quem tu nominare timuiſti, ſed maluiſti Zoſimum, quia egit primitus lenius cum Cæleſtio, quoniam in his ſenſibus veſtris ſi quid diſpliceret, paratum eſſe di-*

ſe dixerat corrigi, & Innocentii litteris conſenſurum eſſe promiſerat. Qui lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 3. deceptum quidem Pontificem non negat in eo, quod juxta Cæleſtii conteſtationem eum animo catholicum eſse exiſtimaverat, non etiam in eo, quod eum catholicum exiſtimarit juxta ſenſum, quem præferebat in libello expreſſa profeſſio: *In eo*, inquit ideo, *voluntas emendationis, & non falſitas dogmatis approbata eſt, & propterea libellus Catholicus dictus eſt; quia & hoc catholicæ mentis eſt, ſiqua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſima definire, ſed detecta, ac demonſtrata reſpuere ... Hoc in illo factum eſſe putamus, quando ſe litteris B. mem. Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt, conſentire (S. Zoſimo) reſpondit ... Profecto quidquid interea lenius actum eſt cum Cæleſtio, ſervata dumtaxat antiquiſſima, & robuſtiſſima fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pravitatis.* Quæ duo lucidiſſima, ac diſtinctiſſima loca ad omnem prorſus invidiam a S. Pontifice abſtergendam puto abunde ſufficere, quin adhuc opus ſit plura congerere tum ex ipſo S. Auguſtino lib. 1. contra Julian. n. 13, lib. 2. de grat. Chr. n. 2, 7, & 24, lib. 2. ad Bonif. n. 5, lib. 2. Retract. cap. 50, epiſt. 190. n. 22. &c., quin ex ipſomet S. Zoſimo epiſt. 2. n. 6, epiſt. 3. n. 2, epiſt. 8. n. 2, & epiſt. 12. n. 1, & 2, quibus in locis ſuſpicionem de ſibi probato Cæleſtii improbo libello, deque præſtita impio illi integra fide ab ſe omnem depellit; tum ex Mario Mercatore in Common. cap. 1., atque ex S. Proſpero adverſ. Collat. capp. 5, & 10., quæ loca, aliaque plura congeſta, atque illuſtrata videre licet a viris ſummis Baronio ad an. 417. n. 37, & ſeqq., Spondano in Epitom. ad eumdem an., Pagio ibid. n. 16, ac inſeq. n. 3, & ſeqq., Garnerio in Marium Mercat. Commonit. cap. 1. tom. 1. pag. 13, Contantio in monito præv., ac in not. ad præcit. epiſt. S. Zoſimi pag. 938, Maſſejo hiſt. Theolog. lib. 7. §. 15. pag. 194., aliiſque pluribus, quibus ſuperſedeo. Nec multus ero ſane in expediendis, quæ in S. Hormiſdam, ac Vigilium a Janſeniſtis refinguntur, calumniis, quas diffuſe, pro ut operæ ferebat pretium, diſpunxiſſe me memini par. 1. tom. 1. Art. 2. §. 3. pag. 198., & ſeqq., ac par. 2. tom. 3. Art. 6. §. 2. pag. 660, & ſeqq., verbo *id*

unum dixiſſe ſatius habens a S. Hormiſda de præfatæ propoſitionis veritate, aut falſitate judicium nequaquam fuiſſe prolatum, ſed Scytharum dumtaxat ſuperbiam, in novis quæſtionibus movendis pertinaciam, indolemque ad ciendas turbas proclivem repreſſam, ut qui veluti Neſtorianæ hæreſeos labe aſperſos traducere non deſiſterent, quotquot illi propoſitioni, inter Latinos peregrinæ, aſſentiri detrectarent. Inde vero factum, ut Johannes II. ubi intellexit apud Græcos propoſitionem illam catholico, qualem reapſe præſeferebat, ſenſu efferri, & uſurpari, ſuo perinde eam calculo probarit. A Vigilio vero ea plane œconomiae plena agendi ratio principio ſervata eſt, ut Schiſmati, quod in Eccleſia Occidentali excitandum videbatur, occurrendi gratia, trium Capitulorum damnationi diu reſtiterit: poſtmodum autem ut ad Schiſma, quod longe gravius Orientali ingruebat Eccleſiæ, quum in Occidentali ſiquod excitari contigiſſet, extinguendo præſto longius, ac par ipſe eſſe poſſet, amputandum, præcavendumque, trium Capitulorum damnationi, in quam proruere Græcos pedibus manibuſque conſpiciebat, aſſenſum pariter accommodaret ſuum: qua in re pugnæ quidem nihil interfuit, prudentiæ vero interluxit plurimum.

Quam vero invite, tam quoque inſcite huc a Janſeniſtis trahitur Innocentius III, qui eo loci explicite de ſententia loquitur excommunicationis, quam dependenter a factis dumtaxat perſonalibus ferri nemo neſcit, ac proinde non fuiſſe, cur præpoſterus ad facta dogmatica fieret ab illis progreſſus, in quibus illum, qui in factis primi generis irrepere facile poteſt, errorem ſubeſſe non poſſe tanto argumentorum pondere, & apparatu comprobatur, ut dubitandi locus probo, frugique amplius non ſuppetat. Peſſima vero fide Innocentius X. cum Alexandro VII, atque hic iterum cum Clemente XI. in cauſſa Rituum Sinenſium committitur, quaſi unus cum altero, ſecumquemet andabatarum more conflixerit, atque violatæ alterutri Religionis accuſandi forent, condemnandique. Nempe ut deſperatiſſimæ cauſſæ undique defenſionem adſciſcant, Pontifices MM. turpiter in errorem prolapſos, ſecumque invicem pugnantes efferre non Janſeniſtæ modo inſtituunt, ſed etiam Catholicorum nonnulli, ac inter hos Auctores

Ano-

Anonymi Apologiæ pro decreto Alexandri VII, Opuſculi de Ritibus Sinens. erga Confucium Philoſoph., & Progenit. Alexandri VII. decreto permiſſis; Libri hoc titulo inſigniti: *Caducæus Sinicus*, ſive modern. decretorum explanatio Theolog.; Auctores Opuſculi Italice inſcripti *Riffleſſioni ſopra la cauſa della Cina doppo il decreto di M. di Tournon*; atque Opuſculorum, quorum uni Latinus hic titulus: *Notæ in Notas adjectas decreto Legati de Latere Turnonii*, alteri vero ementita hæc epigraphe: *Defenſio decreti S. Congreg. in Cauſſa Sinarum*. Quos egregie, ac fuſe refellunt Auctores Opuſculorum, quorum alterum hanc præfert in fronte inſcriptionem: *Conſiderazioni ſopra le Riffleſſioni &c.*, alteri vero præfixus hic titulus: *Diſeſa del giudicio della Sede Apoſtolica publicato dal Card. di Tournon.* Enim vero an. 1645. S. Congregatio de Propag. Fide ad quæſita P. Johannis Bapt. Moralis, a quo ſuperſtitionis apud Apoſtolicam Sedem accuſati Ritus Sinenſes fuerant, reſpondit, declaravitque Sinenſium cultum erga Confucium, ac Progenitores vita functos illicitum eſſe, ac nefaria ſuperſtione infectum: quod quidem decretum confirmavit Innocentius X. Paullo poſt vero S. Inquiſitionis Congregatio ann. 1656, cujus perinde decretum probavit Alexander VII, ex Ritibus Sinenſibus prout varia, diverſaque ratione a P. Martinio ſibi fuerant expoſiti, alios quidem prohibuit, tanquam qui a ſuperſtitionis labe abſtergi non poſſent, aliquos vero tanquam mere civiles, ac politicos eſſe permittendos cenſuit.

Quum autem Clemens XI. ab Apoſtolicis ſive Vicariis, ſive Miſſionariis certo certior fuiſſet ſincere factus Confucio (*Cum fu ſu*, Philoſophorum Sinenſium alpha, qui natus ante Chriſtianam æram an. 551., diem vero obiiſſe an. ætatis 74. traditur) varias adorationis, cultuſque impendi ſpecies; ſacras erigi Ædes, Sinica lingua *Miao*; Tabellas aureis litteris inſcriptas appendi cum ea epigraphe: *Sedes Animæ Sanctiſſimi, & Superexcellentiſſimi Confucii*; in æquinoctio qua Veris, qua Autumni ejus in honorem ſolemnitates haberi; Sacerdotum munere fungi Mandarinos, adolere thura, immolare victimas, pilos, & ſanguinem porci offerre, in homuncionem effictum calices vini effundere, comburere pannum ſericum, nummoſque papyraceos aureorum loco, argenteo-

reorumque ; gradu quopiam insignitos litteratos ad Aram Confucii accurrentes, Cereos accensos manu tenere , bis terque , quaterque genua flectere , atque de genu Spiritus ibi adsistentes Confucii adorare , frontemque repetitis vicibus in terram percutientes , salutem , prolem , divitias deposcere , ac præstolari . Quum fuisset certior factus (quod in priori expositione coram S. Congregatione prætermissum fuerat) Proavis , Avis , Parentibus itidem defunctis Templa constrúi ; Tabellas cum iis litteris *Xin Goey* , aut *Xin Chu* , idest *Sedes* , aut *Thronus Animæ*, sive *Spiritus N. N.* ibidem locari , inque iis reapse defunctorum Animas residentes credi ; infra annum frequens , atque Vere præsertim , Autumnoque solemnia peragi , eorumque memoriam recoli ; Patremfamilias Sacerdotis officio perfungi , mactare porcum , capramque , effuso in auram vino probare victimas , fructus libare, ac legumina , bonaque omnia expetere , & expectare . Quum accepisset præterea Templorum Aris Tabellas appendi cum inscriptione : *Xang Ti* , quæ Latine reddita est : *Supremus Imperator*; aut ista : *King Tien* , quæ idem est , ac *Cælum Colito* , nam *Tien* Sinice, *Cælum* est Latine, *King* vero *Colito* : quibus quidem verbis non Cæli materiem crassam , sed subtilissimam , ac quasi quintam essentiam ab se coli Sinenses significant . Quum hæc, inquam , quæ antea Martinio fuerant inobservata, Clemens XI. accepisset , tum anno 1704. S. Congregationis Inquis. ad singula quæsita responsiones, quibus Sinenses ii Ritus, utpote superstitione imbuti , prohibebantur , calculo comprobavit suo ; tum an. 1710. Card. Turnonii decretum adversus eosdem idololatricos Ritus confirmavit; tum demum an. 1715. Const. *Ex illa die* edita , inter alia jubens , ut imposterum Deus O. M. non alio , quam isto a viris Apostolicis jampridem usurpato vocabulo *Tien Chù* , hoc est *Cæli Dominus* appellaretur , præfatos Ritus omnes proscripsit . Contra quam prohibitionem quædam permissiones sub Caroli Ambrosii Mediobarbi Visitatoris Apostolici nomine quum evulgatæ fuissent , ac juxta permissiones istas Clementinam Const. *Ex illa die* observari Pekinensis Episcopus præcepisset , hujus binas hac de re litteras Brevi Apost. an. 1735. edito reprobavit Clemens XII. , atque demum hæc omnia Prædecessorum suorum decreta confirmavit Benedi-

nedictus XIV. Conſt. 59. *Ex quo* an. 1742. edita, qua nominatim §§. 21., & ſeqq. memoratas permiſſiones ab Apoſtolica Sede nunquam probatas affirmat, quin ipſe expliciti ſſime reprobat, earumque praxim exſecratur, omnem iis de Cæremoniis controverſiam eleganter, graviterque deſcribit, eique finem imponit. Ex quibus omnibus ibidem ordine expoſitis ſit evidentiſſimum, Alexandro VII. non adverſari Innocentium X., nec Clementem XI, aut XII, aut Benedictum XIV: ab iſtis etenim Ritus Sinenſes proſcripti ſunt, quales revera ſuperſtitionis refertiſſimi erant, fuerantque rite expoſiti: ab illo viciſſim permiſſi illi dumtaxat, quos pure civiles, ac politicos eſſe, qualeſque officii gratia viventi Magiſtro, Viro eximio, ac Progenitoribus congruunt, dependique non quidem in Templo, aut dicata Æde, ſed in Aula, ſed in Domo, ſed in Schola dumtaxat, atque impendi quin inſuper abſque ulla proſtratione, ac prece, ullaque abſque oblatione, ac libamine acceperat. Atque ita plane invicem Pontifices approbe conciliaverat an. 1669. S. Inquiſitionis Congregatio, jubens obſervari utrumque Decretum, etſi pro diverſitate rerum, quæ fuerant in dubiis expoſitæ, aliqua ratione ab invicem diverſum, nempe tum quod a S. Congregatione de Propag. Fide an. 1645. fuerat editum, tum quod ab ipſamet Congregatione S. Inquiſit. fuerat an. 1656. promulgatum. Quod ſane Decretum ſcilicet an. 1669. adornatum a Clemente IX. confirmatum eſt: ex quibus a primo ad ultimum patet, neque Pontifices inter ſe ſe, nec SS. Congregationes invicem pugnaſſe, ac repugnaſſe.

Pro quorum coronide, uberiorique cognitione, obſervari illud obiter velim, inter Idololatriæ ſpecies, ideoque ſuperſtitionis, eos generatim omnes adnumerandos eſſe actus, vel qui genus eorum ſunt, quos Deus in Lege veteri ſibi impendendos Judæis præſcripſit, vel qui eorum ſunt ſpeciei, quos hominum inſtitutione falſis Numinibus impendere apud Ethnicos frequens, ac familiare fuit. Cujuſmodi inter ceteras ſunt certe ſuperius enarratæ Sinenſium Rituum ſpecies: in quibus generatim, non ſecus atque in Gentilium olim, gemina præ aliis occurrit, atque utraque ſane impiæ ſuperſtitionis macula aſperſa, ſpecies adorationis, ſive Latriæ, quæ ideo in ſuperſtitionem Idololatriæ degenerat. Scilicet

cet ea, quæ capitis inclinatione, aut genuum flexione, aut corporis totius proſtratione patratur; atque ea, quæ manuum erga Numen extenſione, & ad os retractione committitur. De priori, atque Religioſa quidem apud Judæos proſtant exempla Exod. 34. 8; 3. Reg. 8. 54; 2. Paralip. 6. 13, & 7. 3; 1. Eſdræ 9. 5; Pſalm. 22. 30, & 95. 6. Iſaj. 45. 23; Daniel. 6. 10; ad Roman. 14. 11, ad Epheſ. 3. 14, ad Philip. 2. 10, &c. Qua de ſpecie agunt Talmud Cod. *Schebhuoth* fol. 16. col. 2, Cod. *Joma*, & Cod. *Megilla* fol. 22. col. 2, Maimonides in Hilc. Tephilla cap. 5. n. 10, & ſeq., Thomas Hyde in hiſt. Relig. veter. Perſar. cap. 1, & Ains Worth Comment. in Exod. 4. 31. De Civili quoque exempla legere eſt Geneſ. 42. 6; 4. Reg. 4. 37. &c., de qua Salomon Jarchi Comment. in Levit. 26. 1, & Hyde cap. 6. De Idololatrica demum cultus ſpecie Iſajæ 44. 15, & ſeqq., ac 46. 6; qua de ſpecie Sanctius Comment. in 3. Reg. 8. verſ. 54. not. 57, Saubertus diſſert. de Ritu precandi vet. Hebræor. cap. 3, Broverius de Populorum veter., ac recent. adorationibus Amſtel. 1713, GodWinus lib. 2. de Synagog. cap. 2. §. 13, & Carpzovius ibid. in Annotat. pag. 322, & ſeqq. De poſteriori vero adorationis ſpecie, quæ fit manus utriuſque ad Numen extenſione, atque ad os retractione, loquendo, putatLipſius lib. 2. Elect. cap. 6. adorandi verbum, non ab *Adòr* frumenti genere, quod offerre olim Idolis cæteroqui conſueverat Ethnica ſuperſtitio, derivatum, ſed ex eo, quod manus ad ora admovere ſolebant Adorantes. Adhibita enim olim oſcula in Idolorum cultu certiſſimum eſt, de quibus pertractant Sanctius in Comment. ad 3. Reg. 19. 18. n. 60, Lohmejerus Dier. genial. decad. 1. diſſert. 10. pag. 339, ubi de Oſculis quoque venerationis, & homagii pag. 362, & Carpzovius ad Godvvini lib. 3. de Feſtis cap. 2. §. 7. pag. 364, & ſeq. Quum vero plerique verererentur ore profano Diis ipſis oſcula infigere, inde factum, ut eminus ſtantes, aut procumbentes manum porrigerent, eamque ſtatim ad os ſuum referrent, reverenterque ſuaviarentur. Quo de more loquitur plane S. Scriptura 3. Reg. 19. 18: *Et omne eos, quod non adoravit Baal, oſculans manum*; ſcripſere vero Minutius Felix in Octav., *Cæcilius*, inquiens, *Simulacro Serapidis denotato, ut Vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit*;

preſſit; Lucianus Samoſatenus περὶ θυσιῶν, de Sacrificiis diſſert., qua Heracliti lacrymis, aut Democriti jocis digna magis, quam Poetarum elogiis, Græcorum, Ægyptiorum, Gentiumque aliarum Sacra, & Sacrificia contendit, verſ. Eraſmi ipſius oper. tom. 1. pag. 361, & ſeqq. *Siquis*, ſcribens, *eſt pauper, ita Deo litat, ut dexteram dumtaxat ſuam oſculetur*; Apulejus in orat. de Magia, ſive in Apologia, qua artis Magicæ crimen a ſe alienum defendit, defendunt etiam Gabriel Naudaeus, & Arnaldus Forcalquerienſis, quave de Magia Apulejo, atque Apollonio Tyaneo attributa confer Anaſtaſium Sinaitam q. 20, *Nefas habet adorandi gratia manum labris admovere*; Athenagoras in Apologia ad M. Aurelium Antoninum cum ad calcem S. Juſtini Martyr., ac in Bibl. PP. Pariſ., Colon., & Lugd., nec non in Auct. Paris., tum ſeparatim ab Henrico Stephano, Suffrido Petri, Jo. Fello, Conrado Geſnero, Eduardo Dechairio &c. *Oſculum*, inquiens, *adoratio quædam eſt*. Sed hoc de argumento, qui plura aveat, adire poterit Petrum Pithoeum lib. 1. Adverſar. cap. 7, M. Anton. Franciſcum Muretum variar. Lection. lib. 10. cap. 1, & Franciſcum Luiſinium in Parergis lib. 2. cap. 19. Qui agunt vero propius in rem noſtram de ſuperſtitioſis Sinenſium ritibus, (quibus de agere demum, deque controverſiis eorumdem occaſione exortis diſtrictiſſime inhibuit Clemens XI. die 25. Sept. 1710.) lato deſcribuntur in utramque partem calamo a Rafaele Savonarola Cler. Regul. ſub Alphonſi Laſor a Varrea nomine in Orbe terrar. univ. tom. 2. pag. 510; a Jo. Alberto Fabricio Salut. Luc. Evang. cap. 39. pag. 665, ac Thoma Ma. Mamachio Orig., & antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 29. pag. 408. Confer & Cl. Jo. Laurentium Berti de Theolog. diſcipl. lib. 23. cap. 10; quoad vero Malabaricos Ritus attingit, Benedicti XIV. Conſtitutionem 107. *Omnium ſollicitudinum* Bull. Tom. 1. pag. 397, ac Jo. Facundum Raulin tam in Not. ad Act. 9. Synodi Diamper. decret. 2, ubi decretum hujuſmodi circa Parreas ad amuſſim correſpondere, quæ de eiſdem indulſit Benedictus XIV. cit. Conſtit. §. 33, & ſeqq., quam in Not. ad hanc ipſam Conſt. pag. 507, ac ſeq., ubi Anonymi in epiſt. Gallice edita die 25. Mart. an. 1743. adverſ. hanc Conſtit. temeritatem, qua optimo Pontifici idem indultum erga Parreas crimini

mini vertere non veretur, pro meritis perſtringit, & caſtigat.

Jam vero recta ut incedam viam meam, peſſimam quoque, viroque honeſto prorſus indignam erga Clementem IX. agendi rationem tenuit Queſnellus, qui ſane auctor circumfertur opuſculi duos in tomos diſtributi, cui titulus: *Paix de Clement IX, où demonſtration des deux fauſſès capitales avancèes dan l' hiſtoire des cinq propoſitions &c.*, quod poſterius Opus hiſtoricum patentem habuit D. Dumas doctor. Sorbonicum. Poſtquam enim hoc in opere Queſnellus veſtigia relegens Janſenii, qui de ſuis adverſariis dictitare ſolebat: *Velint, nolint, faciam illos Semipelagianos*, Thomiſtas viciſſim facete Janſeniſtas fruſtra molitus, eadem cum Thomiſtis de Gratia ſentire Janſeniſtas inaniter jactaſſet, quando tamen inter utroſque de univerſa doctrina unum ad minus ſupra quadraginta, de ſola vero Gratia undeviginti ſaltem, aut etiam viginti, & unum doctrinæ diverſa capita digito demonſtrarunt PP. Ferrierius, & Sanfelicius, iſta, quæ in objectione fuerunt expoſita, de Clemente IX. comminiſci effrons homo non erubuit. Eſto ergo Clementi IX. obrepſerint quatuor illi Epiſcopi Andegavenſis, Bellovacenſis, Apamienſis, & Aletenſis, ejuſdemque obtutibus ſecretam animi ſui furripuerint ſententiam; de hoc non quærimus, an intimus illorum ſenſus Pontifici patuerit, nec ne; in hoc decipi non poſſe Pontificem non dicimus: eſto rurſus Edictis ſenſum intimum ſuum Epiſcopi illi evulgaverint, ſatiuſque eſſe religioſum exterius ſilentium erga Apoſtolicæ Sedis mandata enuntiarint: quia tamen poſt hæc Formulari Alexandrino Clementis juſſu ſubſcripſerant, utque ſubſcriberetur a cunctis, in Diœceſanis Conventibus auctores ſe dederant, quid mirum, ſi prudens putans Pontifex de illorum ſubleſta fide ſuſpicandi locum non fuiſſe relictum, reipſa ex animo, ſincere, abſque reſtrictione ulla ab Epiſcopis illis Alexandrino Formulari appoſitam fuiſſe ſyngraphan credidit, ideoque communione illos ſua coho-neſtavit? Atqui rem ita ſe habuiſſe liquido adparet ex Brevi ejuſdem Pontificis an. 1668. ad Galliar. Regem, quo ſcribit: *Cum lætitia cognovimus in ſimplici, ac pura ſubſcriptione Formularii quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam, & obſequium.* Similia habet in epiſt. ad Epiſcopos pacis ſequeſtres an. 1669. inſcri-

pta,

pta; atque expreſſius adhuc in epiſt. eodem anno ad eoſdem quatuor Epiſcopos exarata in hæc loquitur verba: *Cum ingenti obſequii Nobis, & huic S. Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis* (in epiſtola ſcilicet ab eiſdem ſcripta) *vos juxta præſcriptum litterarum Apoſtolicarum ſincere ſubſcripſiſſe, & ſubſcribi feciſſe Formulario... Nam Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſime inhærentes, nullam circa illud exceptionem, aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus.* Quid ad hæc vero, quod iidem quatuor Epiſcopi quoque Formulari ſincere ſe ſubſcripſiſſe, atque ut ſubſcriberetur, pro officii parte effeciſſe, ſcripto edito teſtati ſunt; atque idipſum teſtati pariter cum Cardinalis Eſtræus in orat. an. 1693. coram Innocentio XII. habita, tum præfati Epiſcopi undeviginti pacis mediatores in epiſt. ad Clementem IX; veluti refert Auctor libri Gallice inſcripti: *Defenſe de l'hiſtoire des cinq propoſitions?* Quorſum igitur Queſnellus vel effronti inverecondia hæc objectat, vel iniquo hæc eadem ſilentio obvolvit?

Eſto autem novemdecim Epiſcopi illi, qui in horum quatuor gratiam medios ſe ſe apud Clementem IX. obtulerunt, eorumdem quatuor Epiſcoporum mentem vel non ſatis aſſecuti, decepti ipſi ſint, vel aſſecuti, diſſimularint, ut Pontificis animum eo modo ad pacem inflecterent, quid tum inde? Ullum ne propterea ex illorum dolo, vel deceptione Pontificiæ infallibilitati vulnus irrogabitur? Quamquam nec fraude, nec mala fide egerunt profecto 19. Epiſcopi iſti, qui præcit. in epiſtola indubitanter affirmant, a quatuor illis Collegis ſuis nonniſi communiſſimam ſimul, ac certiſſimam doctrinam in Mandatis expoſitam, atque oppoſitam manifeſtiſſimo errori, quo quidam affirmabant humana, & quotidiana facta (perſonalia ſcilicet, ſive facti puri) non revelata, non minus quam revelata in Scripturis, & Traditione dogmata fide eſſe tenenda: quam doctrinam quidem haud mirum, quod & dicant ſuam. Cæterum eoſdem 19. Epiſcopos facti errore facile deceptos fuiſſe pronius eſt dicere: quandoquidem illis quatuor affirmantibus ſe ex animo, ſincere, ullaque abſque reſtrictione Alexandrino Formulari ſyngrapham appoſuiſſe, utque a ſibi ſubjectis Eccleſiaſticis apponeretur, ſedulo curaſſe, nihil erat, cur fidem non adhiberent, deque illorum ſenſu interno

certiores fieri adhuc desiderarent, satis superque Ecclesiæ esse intelligentes, si de sententia verbis expressa solliciti essent, de sensu interea sola mente retento nihil scrutantes. Hæc ipsa responsio aptanda reliquis exemplis, quæ proponi solent eorum, qui ficte quidem, fraudulenterque prælaudato Formulario subscripsere sæpius, verbis tamen, scriptisque professi damnare se propositiones Jansenii juxta eum sensum, quo eas damnavit Ecclesia. Ad additum de libro Gerbasii, eo ferme unico scopo elucubrato, ut suadeat Gallicanæ Ecclesiæ doctrinam de Episcoporum judiciis, ac depositionibus eam esse, quod Episcoporum depositiones non ex jure novo Pontificio, sed potius ex antiquis Ecclesiæ Canonibus celebrandæ sint, videlicet in Synodis Provinciæ (in quo splendide ipsum falli suo patefactum est loco) qua de re Gallicano Clero summopere placuit liber, probatusque evasit, repono nihil morandum, quod ibidem 19. illorum Episcoporum ad Clementem IX. epistolam descripserit, non enim eo consilio descripsit, quasi ex ipsa errare in factis dogmaticis Ecclesiam posse probare intenderet, quod alienum prorsus suo ab instituto erat: alioqui quotiescumque aliquis liber approbatur, non ideo quæcumque in eo leguntur, approbari censenda sunt, præsertim, quæ ex aliis referuntur dicta, vel facta, testimonia, vel instrumenta; sed illa dumtaxat, quæ ad libri scopum collineant, quæque ex propositio, sive ex instituto pertractanda ibidem Auctor sibi sumpsisse dignoscitur. Neque pugna ulla est perinde Innocentii XII. secummet, aut cum Innocentio X, Alexandro VII, & Clemente XI; id enim unum in dato Brevi ad Episcopos Belgii cautum voluit, ne privata cujuslibet Episcopi auctoritate Formulari ab Apostolica Sede proposito quidquam adderetur, vel detraheretur: nam cæteroqui quinque Jansenii propositiones suis a Prædecessoribus damnatas fuisse in sensu a Jansenio intento, in eodem Brevi expresse asserit, dum jubet: *Ut juramentum præstare debeant sincere, absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas propositiones, ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt summi Pontifices prædecessores &c.*; a quibus plane declaratum est, sensum obvium quinque propositionum esse

sen-

ſenſum a Janſenio intentum: atque hanc ipſam utique intelligentiam fuiſſe prioris ad Epiſcopos Belgii Brevis, non abſque gravi in illos, qui aliorſum illud intorquere non fuerant veriti, indignatione declaravit ipſemet in Brevi poſteriori ad eoſdem Epiſcopos. Non niſi igitur ſplendidum per commentum, ſummamque per calumniam dicitur Innocentius XII. pro religioſo ſilentio mox ſtetiſſe, mox vero obſtitiſſe una cum Innocentio X, Alexandro VII, & Clemente XI, ideoque ſecummet pugnaſſe Pontifices.

Ad ea nunc accedendo, quæ ex Conciliis objecta ſunt, indubitanter inquio prorſus extundi nihil exinde poſſe, quo perditæ cauſſæ ſuæ patrocinium vel leve Janſeniſtæ adſciſcant. Atque vox quidem *Homouſion* ab Antiocheno Concilio rite damnata eſt, ſi revera tamen fuit damnata, in ſenſu nempe Pauli Samoſateni, de quo ſatis dictum, riteque viciſſim a Nicæno uſurpata, in ſenſu nempe S. Dionyſii P. M., ad præcavendos omnes Arii errores, Arianorumque dolis omnem præcludendum aditum. Pari modo quandiu nullus pravæ acceptionis ſuberat periculum; uſurpari de B. Virgine Maria vox *Chriſtotòcos* ultro permittebatur citroque: quum vero eadem vox nefario ſenſu Neſtorii negantis unionem hypoſtaticam accipi cæpit, tum jure a Synodo Epheſina ejus loco ſubrogata eſt vox *Theotòcos*, ac prior illa quinimo a Synodo V. Can. 6. eſt abrogata: qua de re egregie Noriſius in Apolog. Monach. Scythiæ cap. 1. tom. 3. oper. pag. 882. Idem eſto judicium de propoſitione illa: *Una eſt in Chriſto natura incarnata*: videlicet in S. Cyrillo, qui nulla unquam vel levi in fide ſuſpicione laboravit, catholice intellecta, & catholice dicta; in Eutychianis vero, quorum doli, erroreſque comperti erant, tanquam hæretica ab hæreticis enuntiata jure reprehenſa eſt, & reprobata. Non ſecus vox *Hypoſtaſis* olim tum pro natura ſignificanda, tum pro perſona uſurpari qua apud Græcos, qua apud Latinos conſueverat: quæ poſtea tandem ex uſu, & praxi Eccleſiæ, Romanæ auctoritate præeunte, ad ſolam perſonam exprimendam translata eſt, adeo ut jam aliter eamdem uſurpare non liceat. Bene vero, optimeque cecidit, quod purioris iſti diſciplinæ morum, quales ſe jactant, profeſſores ad facta, & exempla confugerint, quibus docerent obedientiæ decretis Apoſtolicis debitæ ſatisfieri, atque ſufficere ob-

ſe-

sequiosum silentium; licere nempe Restrictiones mentales toties alioquin ab Ecclesia damnatas, cujusce damnationis plurima ex adverso documenta, & exempla adducit Christianus Lupus tom. 2. in append. ad Concilium Chalced. act. 8. pag. 281; posse videlicet perjurii absque piaculo fidei, juramentique formulæ subscribi, quin eidem animo, menteque adstipuletur. Apage vero dogmata Reipublicæ tam Christianæ, quam Civili adeo infesta! Quamquam si certum foret, id aliquando factum, quis probe non perspiciat pessimi argumenti esse genus, inde inferre posse id propterea licite fieri, gradumque a facto ad jus ipsum facere, siquidem res male gestas non debere in exemplum trahi neminem lateat? At enim neque gravi absque eorumdem injuria exemplis istis abutuntur Jansenistæ. Orientales enim vero intima ex animi sententia Nestorii damnationi subscripsisse, postquam ejusdem hæresim perspectam habuere, Ecclesiæque de Nestorio judicio sibi parendum esse intellexerunt, satius est putare, æquum quin etiam, justumque, ut ita putet de orthodoxis Episcopis catholicus homo, quandoquidem oppositum nulla satis firma probari conjectura possit. Non defuere quidem ex nuperis Novatoribus, qui ut Nestorium ab errore circa Incarnationem vindicarent, eumdem consequenter injuste a Synodo Ephesina depositum, ac damnatum asserere audacissime non dubitarunt, atque vicissim S. Cyrillum totius negotii auctorem, promotoremque scommatibus, probris, ac contumeliis proscindere susceperunt: in quibus Albertinus in opere de Euchar., Godfridus Arnoldus in hist. hæres., David de Rodon lib. de *Suppositio*, quod opus Ægidio Guillardo ab aliis tribuitur, Petrus Baelius in dict. hist. tom. 3. *V. Nestorius*, & *Rodon*, Elias Saurinus lib. adv. Petrum Juriaeum, Johannes Crojus in observ. Sacr. & hist. ad Nov. Testam. &c. At enim horum in censum Orientales impune referre Episcopos quis audeat? Quamquam nec iis quidem assentior, qui Nestorium erroris accusant non tantum contra Incarnationis, sed etiam Trinitatis mysterium, quasi negarit cum Ario Verbi Divinitatem, & cum Sabellio Trinitatem Personarum: nec iis item, qui eumdem erroris etiam insimulant circa Eucharistiam, veluti Menessius in Synodo Diamper. act. 5. decret. 3, Johannes Ragusinus in Synodo Basi-

leen.,

leen., Cajetanus &c., quaſi ſenſerit nempe ſub ſpecie panis adeſſe præſentem Chriſti D. Carnem ſine Sanguine, & ſub ſpecie vini Sanguinem ſine Carne. Verum de his videndi, ſi libet, vacatque doctiſs. Garnerius in Marium Marc. diſſert. 1. de hær., & lib. Neſtorii, Ludovicus Doucinus in hiſt. Neſtorian., Petavius Theolog. dogm. lib. 1. de Incarn. cap. 7, & ſeqq., lib. 3. cap. 3, & ſeqq., lib. 4. cap. 3, & 11, lib. 5. cap. 7, & ſeqq., ac lib. 6, quo ſignatim Auctorem libri de Suppoſito refellendum ſibi ſumpſit, Natalis ad Sæcul. V. diſſert. 23, Tillemontius tom. 14, Renaudotius Liturg. Orient. tom. 2. pag. 611, & 614. Not. 18, & 20. in Liturg. Neſtor., & alii. Acacium quod attingit, eidem irrogatum anathema ab Orientalibus ea una ratione ſcitum eſt, quod communionem iniviſſet, atque ſocietatem foviſſet, fœduſque cum hominibus hæreſi infectis, aut gravi in fide ſuſpicione laborantibus, non quod laborarit ipſe errore aliquo in fide, atque hæreſis labe quapiam fuerit infectus.

Atque ex his quidem patet, quid putandum de illis ſit, qui Synodis V, aut VI. ſubſcripſere: quibus ſcilicet ſiqui ſubſcribentes, aliud a ſubſcriptione animo ſenſere, neque Eccleſiæ ſententiæ ex animi interna adhæſione adquievere, qui tum illos a perjurii macula abſtergere adniteretur, næ is Æthiopem profecto lavans oleum, & operam perderet. Putare tamen promius eſt illos, qui præfatis Synodis ſubſcripſere, ſincera ex animi ſententia ſubſcripſiſſe, atque intellexiſſe tandem Eccleſiæ judicio non eſſe obluctandum; neque tamen eo judicio ſe ita obſtringi, ut ingenti abſque piaculo de Auctorum damnatorum ſenſu mere interno dubitare nequirent. Sed enim ſicut Vigilium ſpeciatim, etſi tria Capitula aliquando defenderit, aliquando damnarit, nulla tamen erroris non modo, ſed neque inconſtantiæ, multoque minus fidei aut ſubleſtæ, aut ſuſpectæ nota inurendum oſtendimus, (qua in re præ Noriſio in Vigilium, quem inconſtantiæ vitio inſimulat in diſſert. de Synodo V. cap. 8, minus æquo, longe honeſtior, ac liberalior Petrus de Marca de Vigilio optime meritus lib. 3. de Concord. cap. 13. ejuſdem in trium Capitulorum difficillimo negotio variam agendi rationem cujuſdam œconomiæ ſpeciei, quam a viris doctis prudentiam appellatam affirmat, ipſe vero

vero dispensationem nuncupat, attribuendam ducit, qua videlicet nunc juris, & Canonum rigore agebat, nunc illorum remissione fidei consulebat, ac publicæ quietis studio) ita ex veteribus impugnatoribus Synodi V. quibusdam venia facienda, atque eorumdem aliquibus ad tempus, quibusdam tamen omnino non est. Cum Hispanis, Afris, Gallis, Italis &c. aliquandiu saltem, Romani Pontifices sibi benignitate, œconomia quadam, ac prudenti dispensatione agendum esse duxerunt, ad avertenda majora ab Ecclesia discrimina, in quæ adduci facile potuisset, donec ii temporis beneficio errorem facti dedocerentur, quo persuasum ipsis erat, alteque infixum animis Synodum V. Chalcedonensi esse contrariam. Qua quidem œconomia frequens Romanos Pontifices usos fuisse plurimis ostendit exemplis Petrus de Marca cap. 14. Atque sane ea S. Augustini erat aurea regula pulcherrimam œconomiæ præferens speciem ab Ecclesia servandæ, quam tradit lib. 3. adverſ. Parmen. cap. 2, tunc ajens ab Ecclesia censuris animadvertendum: *Quum periculum Schismatis nullum est... Quando cujusque crimen ita notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit Schisma contingere.* Hac certe œconomiæ blanditie pertracti, deque rei veritate demum persuasi, non diu post Afri, Hispani, Galli, & Itali, atque cum Chalcedonensi cohærere, optime, conciliarique Synodum V. intelligentes, a pugna quiescere, propria a sententia decedere, Apostolicæ Sedi morem gerere, atque Synodum V. recipere officio, religionique duxere. Qui vero adhuc obluctari maluerunt, pravi admodum pervicaces Istriæ Episcopi gravissimo Schismatis, quo ab Ecclesia segreges longa tempestate abjerunt, flagitio se se implicarunt. Tantum abest, ut horum hac in re diuturnus dissensus ullius haberi momenti meruerit. *Nam Civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus, vel Regni errori*, inquit appositè Vincentius Lirin. Common. cap. 4, *Universalis Concilii decreta præponi debent: & si quando paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certe multoplurium Catholicorum consensionem rebellaverit, præferenda est portionis corruptioni Universitatis integritas.* Quamobrem, scilicet ob Schisma, Rusticus, & Sebastianus a Vigilio P. M. gradu

du deturbati leguntur apud Harduinum tom. 3. pag. 175, de quibus etiam Ughellus Ital. Sac. tom. 3. pag. 212, & Oldoinus in Athenæo Rom. pag. 594, & ſeqq. Ob idem Schiſma, in quo occubuiſſe colligitur ex ipſius *Epiſtola Fidei Catholicæ in defenſione trium Capitulorum damnatorum ab Acephalis* inſcripta, apud Dacherium Spicileg. tom. 3. pag. 106, edit. nov. pag. 307, Facundus male in Eccleſia audit. De Liberato conſule Garnerium in præfat. ad ipſius Breviar.; nec eſt vero, cur moram cuipiam injiciat Harduinus in ea verſatus opinione, quod Facundi, Liberati, Victoris Tunon., aliorumque plurium Opera multa poſt ſæcula a Gallo quopiam conficta, ac ſuppoſita fuerint; quam viri doctiſſ. præpoſteram opinionem efficaciter confutat Ludovicus Ellies Dupinus in præfat. ad Bibl. Eccleſ. Sæculi VI. Cum Theodoro, & Victore eadem œconomia agere Eccleſia potuit, egiſſeque præſumendum eſt, donec pacatioribus animis, ac patientia inflexis veritas illuceſceret, atque ad unitatem redeundum ſuaderet: itaque eos, poſtquam ob trium Capitulorum defenſionem dira multa a Juſtiniano Imp. perpeſſi fuiſſent, exilio, carcere, & plagis defatigatos de ſententia deceſſiſſe, atque in Eccleſiæ pace mortem objiſſe exiſtimarim. Quamquam S. Iſidorus de Vir. Illuſt. cap. 25. Victorem Tunon. in trium Capitulorum defenſione immortuum ex aliorum dicto memorat. Non abſimilem diſpenſationis ſpeciem adhibuit erga Theodelindam S. Gregorius M. lib. 12. epiſt. 7, ut eamdem nempe facilius ad veritatis agnitionem adduceret, ſenſimque ei ſuaderet abſque ullo Chalcedonenſis Synodi diſpendio admitti Synodum V. poſſe, atque tria damnari Capitula. Quod feliciter tandem obtinuiſſe, augurari licet ex epiſt. 12. lib. 14. alias 7. lib. 12, qua teſtatur ab ipſa ad ſe tranſmiſſas Secundini Abbat. objectiones adverſus Synodum V, ut eis ſatisfaceret, atque viciſſim ab ſe ad illam tranſmiſſa ejuſdem Synodi V. acta, cum Secundino communicanda, ut ex attenta eorumdem lectione diſcerent, nequaquam Chalcedonenſi Synodum V. eſſe contrariam. Quæ hactenus dicta dici perinde nolim de Recentioribus illis, qui quamvis ignorare nequirent, inficiaſque rite ire, quod a Vigilio, S. Pelagio I, Johanne III, S. Benedicto I, Pelagio II, S. Gregorio M., ſequentibuſque Pontificibus Synodus V. approbata fuerit, cui pariter cal-

culum adjeciſse ſuum Synodos VI, VII, & VIII. conſtat, contra obtrectare tamen, ejuſque detrahere auctoritati non deſtitere: quibus propterea gravis adeo Schiſmatis adhæſit cenſura, ut ab hac abſtergi nequeant.

Quamvis autem a Patribus nonnullis laudibus exornatus fuerit Theodorus Mopſveſtenus, non inde rite conſequitur, ut injuria fuerit a Synodo V. ob nefaria ſcripta damnatus. At enim jamdiu objectionem iſtam diluere Benignus Heracleenſis Epiſcopus in Collat. 5. Synodi V, & Pelagius II. in epiſt. præcit. ad Epiſcopos Iſtriæ: hoc eſt nihil hæreticis prodeſſe, ſi contingat a quibuſdam vel ignorantia, vel præſumptione, vel etiam diſpenſatione quadam ipſos aliquando fuiſſe laudatos. Nam S. Baſilius in epiſt. 82. ad Patrophilum de Apollinario cum honore loquutus eſt, atque loquendi quidem non una, nec levis ei ſuberat ratio, eumdemque laudibus quoque cumulaſſe SS. Gregorius Nazian., Athanaſius, & Epiphanius leguntur hær. 37. n. 2, & apud Suidam in Ἀπολινάριος: qui tamen poſtea ejus cognitis erroribus, tum eos ſcriptis reſellere, tum ab ejus amicitia reſilire ſibi religioni duxere. Cohoneſtare igitur hæreticum hominem Patres nonnulli potuere, quod ipſis illius perfidia ſatis non eſſet perſpecta: quibus ſi fuit, ac nihilominus ab illius laudibus temperare ſibi neſcierunt, eo in caſu plus fidei Synodo V, plus Summorum Pontificum decretis tribuendum eſt. Cæterum a S. Gregorio Nazian. Theodorus, non Moſpveſtenus, ſed Tyanenſis laudatus eſt, ad quem datæ videntur illius epiſtolæ, de quibus videndus Tillemontius tom. 12. pag. 437. S. Chryſoſtomi vero epiſtolam ad Theodorum de ejus laudibus pſeudo epigraphum, ejuſque a patronis otioſe confictam pronuntiavit Benignus Epiſcopus, quum ad ipſum Theodorum nullam exaraverit ille epiſtolam, præter eam unam, vel alteram, qua ipſum objurgat ob deſertam vitæ Monaſticæ profeſſionem, de quibus videndi Leontius lib. 3. adverſ. Neſt., & Eutych. pag. 696, & Montfauconus tom. 1. Oper pag. 801. Johannes quidem Antioch. Theodori laudes contexuit, nonnullisque certe iſte non caruit: at ipſum quoqe erroribus aſperſum notare non deſtitit, uti refertur in Pelagii II. epiſt. præcit. S. Cyrillum autem, immerito, ac per injuriam laudatoribus Theodori adcenſuit Facup-

cundus: quandoquidem ex S. Cyrilli libris adverſus Theodorum in Collat. 5. Synodi V. laudatis, atque ex epiſt. ad Lamponem, alteraque ad Acacium Melitinenſem abunde liquet eumdem ab hæretici hominis laudibus abſtinuiſſe non modo, ſed multas imo ob hæreſes odio illum habuiſſe. S. Iſidorum Hiſpalenſem Latini ſermonis hominem latere facile potuit Syrus hæreticus: non ſecus atque ad Epiſcopos Iſtriæ ſcripſit Pelagius II. Latinos homines, & Græcitatis ignaros errorem tarde cognoviſſe, quem ante exuiſſent, ſi cognoſcere ante valuiſſent. Fefellit etiam S. Iſidorum quammaxime Facundus, cujus libros eodem loci, inter Scriptores illuſt. ſcilicet, pro defenſione trium Capitulorum commendat, cujuſque teſtimonio innixus Theodorum laudibus cohoneſtavit. Quorſum vero ſermone fruſtra laboro ad hunc diſſolvendum haud alioqui difficilem nodum, quem ferro longe facilius præcidere ſuppetit? Caput illud porro Catalogi de Viris Illuſt., ubi de Theodoro Mopſveſteno agitur, eſt ordine quartum eorum tredecim, quæ Appendicis inſtar ſubjici ſolent S. Iſidori libro de Scriptoribus Eccleſ., capitibus triginta non amplius tribus conſtanti, ſub S. Hildefonſi nomine cum append. Juliani, & Felicis Tolet., in edition. Jacobi Breulii, in Andreæ Schotti Hiſp. illuſt. tom. 1., Auberti Miræi Bibl. Eccleſ., Garſiæ Loaiſæ, & Aguirrii Concil. Hiſpan. tom. 3. pag. 84.

Quod ad Theodoretum attinet, is quidem, quod hortante Johanne Antiocheno tum duodecim S. Cyrilli Alex. contra Neſtorium Anathematiſmis totidem pro Neſtorio capitula oppoſuiſſet, tum quinque libris Synodum quoque Epheſinam oppugnaſſet, quorum mentio apud Marium Mercat. tom. 2. pag. 265. edit. Garnerii, fragmenta vero ex Mario, & ex Cod. Vatic. 469. ibid. exhibentur, tum ſcriptis aliis, quorum inſtitutum legitur judicium in Collat. 5. Synodi V, ac in epiſt. 3. Pelagii II. ad Epiſcopos Iſtriæ n. 20, malam juſte multorum opinionem incurrit, ac ſi cum Neſtorio familiari quondam ſuo pari ex ſententia faceret; ab hæreſi tamen Neſtorii longe abfuit, formulæ quin etiam pacis a S. Cyrillo compoſitæ ſyngrapham adjicere ſuam non detrectavit, inſuper anathema in Neſtorium, ejuſque errores dicere haud admodum invitus auditus eſt: quare approbe perſpecta ipſius fide a

S.Leone M. abſolutionis beneficio donatus, non erat, cur a Synodo Chalcedonenſi conſeſsus inter Patres honore, locoque privaretur. Confer Garnerium in Auctario Theodoreti poſt ejus obitum ab Harduino edito in hiſt. Theod., in diſsert de libr. Theod., alteraque de ejus fide, atque in diſsert. de Synodo V. Quamvis autem id quoque in Theodoreto excuſatum voluerint doctiſs. Duum viri Sirmondus, & Petavius, ſenſum internum ſcilicet, qui a Neſtorii, Eutychetiſque erroribus alieniſſimus eſset, quique plane ex aliis plurimis ipſius ſcriptis, atque præſertim ex apertiſſima ejuſdem confeſſione facile exſculpi potuit; Theodoreti tamen fidem neque omni ex parte expurgare intendit Sirmondus, ejuſdem unum eſse perpetuum, ingenſque crimen utique affirmans S.Cyrilli anathematiſmos impetiviſſe: neque pariter ab eodem Theodoreto omnem prorſus erroris amoliri labem geſtivit Petavius, qui allato Agobardi teſtimonio addit illum Neſtorium hæreticum inter, & S. Cyrillum germane orthodoxum medium veluti tenuiſse locum, quinimo multis in locis paſſim Theodoreti elucubrationes adverſus S. Cyrillum, ac Synodum Epheſinam carpere, & reprehendere non deſinit. Qua plane a reprehenſione ob ea pariter, quæ pro Neſtorio ſcripſit cap. 12. lib. 4. hæret. fabul., ac in epiſtola ad Sporacium, ut de aliis ſileam ejuſdem argumenti epiſtolis, excuſari ſatis nequivit a Garnerio, Caveo, & Pagio ad an. 428. n. 21, & ſeq. ea loca inter ſpuria, ac Theodoreto ſuppoſita, conjecturis etſi haud contemnendis, rejicientibus: ſiquidem & illa Theodoreto tributa legantur a Leontio lib. de ſect. pag. 456, a Photio Cod. 46., & a Theodoro Abb. in argumento Synodi Epheſ., quorum ab iis teſtimonia non ſatis elidi videntur, neque vim facere valuere Dupinio in Bibl. ſcript. Eccleſ. tom. 4. pag. 103, Ittigio de hæreſiar. Apoſtol. ætat. pag. 13, & Fabricio Bibl. Græc. tom. 7. lib. 5. cap. 11. pag. 437. Quamobrem jure atque merito Theodoreti ſcripta, quibus non ſatis caſtigatis verbis S. Cyrillum, ac Patres Epheſinos appetiit, atque immodicis Neſtorium extulit laudibus, proſcripta a Synodo V. ſunt. Ibam denique Edeſsenum a Synodo Berytenſi, quam probavit Chalcedonenſis, compulſum fuiſse ad Epheſinam Synodum ſuſcipiendam, atque ab eadem quin etiam Chalcedonenſi ad ſubſcribendum anathemati in Neſtorium, & Eu-

& Eutychem, conſtat ex Synodi Chalced. Act. 9, & 10. Ea igitur ratione relecta ibidem epiſtola Ibæ, is agnitus eſt orthodoxus, non quod ejus ad Marim epiſtola pura ab erroribus omni ex parte eſſet, ſed quod eadem in Synodo ſe catholice ſentire conteſtatus eſſet, animumque præferre ab hæreſi prorſus omni alienum, Synodis nempe Epheſinæ, & Chalcedonenſi integre acquieſcendo, in Neſtorium, & Eutychem anathemati ſyngraphum adjiciendo, atque S. Leonis M. ad Flavianum litteris tam ſubſcribendo manu, quam adhærendo mente. Quo ſane pacto epiſtolam illam improbare viſus eſt Ibas, veluti ex interlocutionibus Eunomii Nicomedienſis', & Juvenalis Hieroſolym. oſtendit Vigilius in Conſtituto de tribus Capitulis, ex verbis illis videlicet: *In quibus enim dicendo male culpare viſus eſt* (Ibas) *Beatiſſ. Cyrillum, in poſtremis recte confeſſus, illa, quæ culpaverat, refutavit* act. 10. Concil. Chalced. apud Harduinum tom. 2. pag. 542, ac tom. 3. pag. 41. Juxta hunc igitur ſenſum, ſenſum ideſt internum ab Iba intentum, ejuſdem Ibæ epiſtolam interpretandi ratio a Lupo inita bene ſtat, bonumque juxta ſenſum iſtum plane a Synodo V. proſcripta non eſt, ſed juxta pravum verbis expreſsum, quibus nempe impia Theodori, & Neſtorii ſcripta defendebat, atque S. Cyrillo viciſſim Apollinaris hæreſim afflabat: quod ipſum advertit S. Gregorius M. lib. 9. in epiſt. 54. ad Secundinum cap. 3. Si vero Lupus eamdem Ibæ epiſtolam bonum in ſenſum adduci poſſe autumans, de ſenſu externo, & obvio quem verba ipſa præſeferunt, loquutus fuiſſet, næ is, ut a graviori abſtineam cenſura, laboraſſet fruſtra, operamque luſiſſet plane, quam non eſt, cur quis moretur, ejuſque moveatur auctoritate, eo vel maxime, quod ipſe viciſſim circa Synodi V. auctoritatem nec ſibimet ſemper conſtiterit, ſiquidem modo pag. 738. eidem Synodo ſummam auctoritatem det, modo pag. ſeq. 739, auctoritatis partem detrahat, quam minorem aliorum Conciliorum auctoritate eſſe dicit. Quamquam ab uno dumtaxat Epiſcopo, Maximo videlicet Antiocheno, cui acceptus erat Ibas, in Synodo Chalcedonenſi epiſtola illa ad Marim Catholica etſi dicta ſit, ceteris tamen Epiſcopis nedum epiſtolam, ſed ejuſdem auctorem ſuſcipere detrectantibus, donec S. Leonis epiſtolæ ſubcripſiſſet, & in Neſtorium anathema pronuntiaſſet, non eſſet proinde,

cur

cur Synodo Chalcedonenſi probata epiſtola dicere tur. Quod enim reſpicit ad illa verba, quibus S. Leonis Legati innoxium Ibam judicarunt, *Relecta*, inquientes, *ejus Epiſtola, agnovimus eum eſſe Catholicum*, non quidem de Epiſtola ad Marim, quam ſuam eſſe Ibas inficiabatur, neque Ibæ adverſariis, quod ejuſdem fuerit, comprobare tum contigerat, ſed de Epiſtola Cleri Edeſſeni, qua integræ Ibæ fidei teſtimonium perhibebatur, accipienda fore admonuit plane Vigilius in ſuo Judicato adverſus tria Capitula, n. 22. apud Baluzium pag. 1551, & Harduinum tom. 3. pag. 237. Quamvis ſi eadem Ibæ epiſtola ad Marim Act. 9. ab univerſis revera Epiſcopis fuiſſet approbata, quia tamen, ut paullo ſuperius ex S. Leone, Pelagio, & S. Gregorio obſervabam, vel a Synodo Chalcedonenſi judicium dumtaxat criminale, ſive de ſola Ibæ perſona, non etiam doctrinale de ejuſdem Epiſtola inſtitutum eſt; vel imo eadem Synodus poſt Act. 6. œcumenica, ac legitima eſſe deſiit, ab eaque poſterius edita decreta, ſcilicet poſt fidei definitionem in Act. 6. adornatam, rata non habuit S. Leo, locus proinde Synodo V. patuit eamdem Ibæ Epiſtolam in jus vocandi, novoque integrato judicio, ſeu verius, quod inſtitutum non fuerat, indicto damnandi: qua de re fuſe in prælaudata epiſtola 3. ad Iſtriæ Epiſcopos n. 17, & ſeqq. Pelagius II, ſive ipſius nomine S. Gregorius M. tum Diaconus, ut viſum Fleurio hiſt. Eccleſ. lib. 34. §. 59, & Dionyſio San-Marthano in hiſt. S. Gregorii pag. 111. edit. Rotomag. 1700. teſtimonio innixis Pauli Diac. lib. 3. hiſt. Langob. capp. 20, & 27: de quo tamen dubitat Ludovicus Doucinus hiſt. Neſtor. lib. 6. Quamobrem Ferrando Diacono ignoſcendum, quod ſcripſerit, Epiſtolam Ibæ nulla animadverſione dignam fuiſſe, neque ulla nota, abſque injuria Concilii Chalcedonenſis, inuri potuiſſe: quia id ſcilicet ſcripſit ante Synodum V, cujus profecto Synodi auctoritatem Ferrandi auctoritati longe præſtare nemo probe non intelligit.

Age modo, ut cum Synodi VI. auctoritate Honorii P.M. integra fides, honorque componatur, allaborandum eſt, longeque præclarioris faciundum operæ, haud facilis etſi, pretium, atque ita alterutrius ullo abſque diſpendio, alterutri utrinque obtrectatoribus os obſtruendum. Principio itaque animadvertere præſtat

ſtat duplex judicium de Honorio a Synodo VI. inſtitui potuiſſe, criminale unum, doctrinale alterum: criminale, quod facti mere perſonalis eſt ſpecies, de crimine ſcilicet ab ipſius perſona qualitercumque contracto, quod duplici fieri ratione potuit, vel ex meris informationibus, atque hominum teſtimoniis, vel etiam ex Epiſtolarum ejus ad Sergium ſenſu, præſumpto tamen, pure interno, animoque ab eo præconcepto: doctrinale, quod propius ad facti dogmatici genus accedit, de doctrina videlicet in Epiſtolis ad Sergium ab eo tradita, ſed qualis ex ſenſu litterali, obvioque, atque ex ſermonis contextu eruitur: quod in caſu duplex adhuc eſſe potuit; aliud, quo hæreticæ Honorii eæ ad Sergium Epiſtolæ declaratæ fuerint, atque ex illis Honorius tanquam hæreticus fuerit damnatus; alterum, quo ut hæreſi dumtaxat faventes Epiſtolæ illæ compertæ ſint, atque idcirco ex illis tanquam hæreticorum fautor Honorius ſit damnatus: quæ jam hodie communis eſt ſententia expeditiſſima, quam nos poſt Petrum de Marca, Baluzium, Lupum, Tamagninum, Combefiſium, Garnerium, Natalem, Pagium &c. ſequimur, atque uberius ſequenti in appendice expendemus, & explicabimus: quæ plane ſententia eo plauſibilior, ut dicam verbo, evadit, quod Honorii Epiſtolæ formaliter, ut Scholæ verbis utar, hæreticæ non fuere, ſed tantum hæreſi faventes: ſub quo conceptu (ne ſub alieno præconcepto ſenſu, atque præſumpto damnare voluiſſe dicatur: quod ſane dicere valde quam ego vereor) Honorium damnaſſe, non quidem ut hæreticum, ſe tanquam hæreſis fautorem, Synodus VI. dicenda eſt, prout dicere tam ſatius haberi debet, quam veri ſit longe ſimilius. Atque quidem ex illis, qui a Synodo VI. inſtitutum fuiſſe de Honorio judicium doctrinale nobiſcum exiſtimant, a noſtra tamen abſunt ſententia, aliam ſane abruptam, exituſque admodum difficilis adire coguntur viam, qua aut minus ſolide cum Honorii auctoritate, & honore auctoritatem, honoremque Synodi VI. concilient, aut minus vere Honorium cum Synodo VI. committant, atque alterutri tam errorem affient, quam conſient injuriam. Alii etenim, veluti Boſſuetius defenſ. tom. 2. lib. 12. cap. 25, & ſeqq., a Synodo VI. doctrinale adverſus Honorium inſtitutum fuiſſe judicium affirmare non dubitant, atque iſtud quidem ex Epiſtolarum

ſenſu

ſenſu litterali, & obvio, in iſtoque judicii genere ab eadem Synodo minime erratum, neque errari potuiſſe, atque ita tanquam hæreticum damnatum Honorium. At enim ab Honorio turpem hanc hæreſis labem propulſare, quin ulla viciſſim Synodo V. irrogetur injuria, officio, religionique nobis paullo infra cedet. Alii, ut Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 6. cap. 8, damnatum Honorium quidem hæreſis crimine putant, ſed tanquam perſonam ſingularem, non tanquam Pontificem ex Cathedra loquutum: quæ opinio, tametſi exinde probabilis fiat, quod reipſa Honorii ad Sergium epiſtolæ privatim ſcriptæ fuerint, paucis nihiloſecius admodum placuit, quibus planior alia, expeditiorque Honorium defendendi, atque ut perſonam etiam privatam vindicandi, ſuppetit via.

Alii diſtinguentes judicium Epiſcoporum in Synodo a judicio Synodi Epiſcoporum (qua diſtinctione quidem, uſi nos quoque ſumus, ubi de Concilii Conſtant. decretis egimus, ſed alia plane ratione) ajunt Honorium damnatum quidem ut hæreticum, ſed judicio Epiſcoporum in Synodo, non vero judicio Synodi Epiſcoporum; atque ita Epiſcopos in Synodo VI. erraſſe. Ita Illuſtriſs. Johannes Bapt. Bartholi Feltrienſis Epiſcopus in Apologia pro Honorio cap. 24. Quam ſententiam, quatenus contra ea, quæ ſub Cœtus *Univerſi*, aut *Sancti Concilii* nomine explicite habentur Act. 16, & 18. apud Harduinum tom. 3. pag. 1386, ac 1414, ſuſtentare valuerit, ſufficientibuſque fuffulcire momentis, alii viderint. Alii diſtinctione nulla adhibita, Synodum VI. damnando Honorium, qui nihil profecto damnatione dignum peccarat, nihilque, quod optime orthodoxa dogmata non deceret, ad Sergium perſcripſerat, exemplo ſuo palam feciſſe dicunt, Synodum generalem in facto dogmatico falli, ac decipi poſſe, poſſeque tam a vera fide deflectere, quam a recta Scriptorum interpretatione procul aberrare. Ita Janſeniſtæ, qui eadem peræque afficere Pontifices contumelia, eumdemque ſuum orthodoxis primi ſubſellii Theologiis affingere errorem non verentur. Alii vero alterius ope diſtinctionis nodum ſolvere, ac rem abſolvere, tamque Synodi, quam Honorii auctoritatem in tuto ponere inſtituunt. Nempe Synodum VI. errore facti, & quidem dogmatici deceptam in Hono-

rii

rii damnationem conclamaſſe contendunt, hunc tamen facti errorem pertinere non quidem ad totam Eccleſiam, ſeu totam ad Synodum VI, prout ex Græcis conflatam, atque a Latinis confirmatam, ſed ad partem Eccleſiæ dumtaxat, ſeu ad ſolos Græcos, Epiſtolarum Honorii ſenſum non aſſequutos, quibus hac in parte Latinorum conſenſus non acceſſerit, ac proinde in Synodo VI. errore facti, atque dogmatici utique, erratum fuiſſe, at non a Latinis, ſed dumtaxat a Græcis. Atque hanc defendendi Honorii viam, quam pridem iniverat Anaſtaſius Biblioth., poſtea ſequuti ſunt Arſdekin in Theolog. tripart. 3. q. 3, Franciſcus Marcheſius in Clypeo fortium, ſeu Vindic. Honorii diſſert. 4. cap. 2, & Illuſtriſſ. Franciſcus Anton. Cavalcanti Archiepiſc. Conſentinus in Vindic. Rom. Pontif. lib. 5. diſſert. 7. Alteram denique defendendi Honorii rationem adinvenere Deſiderantius apud Sommier hiſt. dogm. Pontif. lib. 7. cap. 17, & prælaudatus Bartholi cap. 12, & ſeqq., in ea perſuaſione verſati, quam plurimis haud contemnendis confirmare conjecturis adnituntur, ille quidem, quod Epiſtola Sergii ad Honorium fuerit Catholica, a Monothelitis vero depravata, ac proinde hæreticæ additiones eidem inſertæ in cauſſa fuerint, cur ſententia Epiſtolæ ab Honorio ad eumdem redditæ perverteretur, quæ alioqui per ſe legitima, & catholica, reſpective ad hanc depravatam Sergii epiſtolam hæreſis imbuta, ac ſuſpecta, ideoque damnatione digna a Synodo VI. reputata fuerit: iſte vero, quod eodem malo dolo a Monothelitis tam Sergii Epiſtola ad Honorium ante Synodum VI. fuerit vitiata, quam utraque Honorii ad eumdem exarata, atque ex hiſce duabus Honorii una quidem fuerit de induſtria conficta, altera vero interpolata.

Ad eos autem deveniendo, quibus arcte perſuaſum eſt a Synodo VI. inſtitutum de Honorio judicium non doctrinale fuiſſe, ſed criminale dumtaxat, quod proinde facti, non dogmatici fuerit, ſed mere perſonalis ſpeciem induerit, quidam pugnant a Synodo VI. de Epiſtolis Honorii non quidem, ſed ejus de perſona dumtaxat indictum fuiſſe judicium puri facti, in quo plane errare potuerit, reque ipſa erraverit. Quamvis enim, inquiunt, Honorii Epiſtolæ Act. 12, & 13. recitatæ fuerint, & expenſæ, quum tamen

Act. 16, & 18. ad hæreticorum damnationem, ac fidei definitiones ventum eſt, Epiſtolæ illæ non fuere proſcriptæ, tanquam a fidei regula aberrantes, neque decreto ullo damnatæ, tanquam hæretica labe aſperſæ. Quæ vero, ſubjungunt, in Synodis peraguntur, ea dumtaxat ad fidem pertinere decreta reputanda ſunt, quæ tanquam de fide credenda proponuntur, atque ſub anathematis pœna amplectenda promulgantur. At enim opinio hæc eas, adeoque graves patitur difficultates, quibus alii deterreantur, quoveminus aſſenſum ei præbeant ſuum, prohibeantur. Nam in Synodo VI. de Honorii perſona nedum, ſed etiam ipſius de Epiſtolis inſtitutum fuiſſe judicium, atque has Epiſtolas nedum lectas, ſed damnatione quin etiam dignas judicatas evincit ſola Act. 13. lectio apud Harduinum tom. 3. pag. 1331, ubi Synodi Patres de epiſtolis Sergii ad Honorium, ac viciſſim Honorii ad Sergium ita habent: *His invenientes omnino alienas exſiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus SS. Conciliorum, & eorum probabilium Patrum* (En examen, & collatio cum Dei Verbo ſcripto, & tradito) *ſequi vero falſas doctrinas hæreticorum, eas omnimodo abjicimus, & tanquam animæ noxias exſecramur.* (En examini ſubjuncta in eas ſententia). Poſtquæ ad Monothelitarum Promachos damnandos progreſſi, unaque ſimul cum Sergio, Cyro, Pyrrho, Petro, & Paulo, ac Theodoro damnationis ſententia Honorium involventes: *Cum his vero*, ſubdunt, *ſimul projici a S. Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus, & Honorium... Eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſequutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* (En damnatis Epiſtolis, ob eaſdem damnatum Epiſtolas Auctorem, ſeu en judicium doctrinale de Epiſtolis peractum, ac deinde criminale de perſona.) Exquibus patet perperam dici a Synodo VI. doctrinale de Honorii Epiſtolis judicium non fuiſſe inſtitutum, quum potius præſtet dicere, non prius de Honorii perſona judicatum criminali judicio, quam de ejuſdem Epiſtolis judicio doctrinali fuiſſet judicatum: quam Synodorum jugem fuiſſe praxim apte animadvertit doctiſs. Thomaſſinus diſſert. 19. in Synodum V. n. 75, 80, & 106: *Uno viciſſim*, inquiens, *judicio hæreſes, librique Hæreticorum damnati; nec ſeorſim uſquam*

quam hæc agitata. Ideo nec Romana unquam Eccleſia retractari poſtulavit judicium ſextæ Synodi de Epiſtolis Honorii. Neque magis nobis probatur, quod poſtremo ſubjungitur loco de diſtinctione facienda inter ea, quæ in Conciliis dicta, aut decreta ad fidem pertinent, & quæ inter δόγματα obligandi vim non habentia, quamvis enim diſputationes, quas in Conciliis agitari, & rationes, quas proferri perſæpe contingit, non ſecus atque facta, teſtimonia, informationes, ad fidem non pertinere fateamur, perpetam tamen doctrinam inter, ac definitiones diſtinguitur, idque ad fidem dumtaxat pertinere dicitur, quod de fide credendum ſub anathematis pœna proponitur: ut enim aliquando optime animadvertit Cl. Boſſuetius, ſerioque admonitum doctiſs. Lamium voluit, diſcrimen ſtatui non debet inter doctrinam, & definitiones Conciliorum: nam utraque ad fidem pertinent, & quæ in Capitibus, ſeu Actionibus traduntur catholicis, & quæ in Canonibus, ſive Confutis ab hæreticis vindicantur. Hinc non minor habenda ratio eſt Act. 16, in qua contra Monothelitas damnationis pronuntiata eſt ſententia, quam Act. 18, in qua fidei definitiones procuſæ ſunt.

In alteram igitur defendendi Honorii, quin hinc Eccleſiæ definienti de factis dogmaticis aut derogetur auctoritas, aut irrogetur error, viam ingreſſi alii, a Synodo VI. erratum fuiſſe errore facti, non quidem dogmatici, ſed mere perſonalis affirmare non dubitant, quia nempe exiſtimant a Synodo illa de Honorii Epiſtolis inſtitutum fuiſſe judicium utique, non doctrinale tamen, ſed criminale dumtaxat, ideſt de eo judicatum ex Epiſtolis quidem ad Sergium, ſed non juxta earumdem ſenſum externum, obvium, ac litteralem, quem verba præſeferrent, ſed juxta ſenſum Honorii internum, præſumptum, & quæ ille animo præconcepiſſet, reſpectu habito ad Sergii Epiſtolas hæreſi manifeſte imbutas. Cujuſce rei ſane conjecturam pronum eis capere erat ex verbis illis Act. 13, in quibus damnationis in Honorium ferendi ſententiam vim faciunt: *Eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſequutus eſt*. Ex quibus augurari profecto licet Patres Synodi VI, quam ad ipſius Honorii Epiſtolas, plus reſpexiſſe ad Epiſtolam Sergii, atque ex hac de-

Honorii pari ſententia præſumpſiſe, quam ideo pariter damnandam putarint. Qua in damnatione proinde erratum ſit, errore facti criminalis, in quo nempe judicium ducitur ex præſumptionibus, in quibus error ſubeſſe facile poteſt, in quo aberrare, falli, & decipi Eccleſiam poſſe, abſque ejuſdem injuria, nemo inficias ibit; errore non item facti doctrinalis, in quo ſcilicet judicium ex ſcriptorum ſimplici lectione, ſenſuque obvio, ac litterali deſumitur, & efformatur, veluti approbe obſervavit doctiſs. Thomaſſinus cit. diſſert. 19; quo in caſu Eccleſiam omni ab errore immunem eſſe dicere omnes debent, ſiquidem judicium de doctrina in libris expreſsa non pendet, nec debet expendi ex ſenſu præſumpto Auctoris, menteque præconcepto, ſed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum Dei Verbo ſcripto, vel tradito. Difficultatem hanc denique quidam, ut Albertus Pighius omnium primus, magis quam ſenſim diſſuere, repente præcidere aggreſſi, ſextæ Synodi acta, ubi Honorio anathema ſcriptum habetur, a Monothelitis corrupta fuiſſe ſuſpicari cœperunt. Cujus quidem ſuſpicionis conjecturas quaſdam Card. Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 11. inſtruxit, quas deinde Card. Baronius ad an. 681. n. 19, & ſeqq., ac 682. n. 2, & ſeqq. dilatare ſtuduit. At enim argumenta horum omnia de Actorum Synodi VI. depravatione levia admodum, ac lubrica reputavit Petrus de Marca, teſte Baluzio in ipſius vita, quæ refellere perinde facile contigit viris ſummis Combefiſio in diſſert. apolog. pro actis Synodi VI, Lupo in diſſert. de ſexta Synodo ad act. 18, Tamagnino in hiſt. Monoth. Scrutinio 6, Garnerio in append. ad not. lib. Diur. cap. 2, Natali hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. VII. diſſert. 3, Pagio ad an. 681. n. 7, & ſeqq., aliiſque, de quibus alibi.

Jam vero ex his ita expoſitis multiplex, eaque facilis patet ratio omnem prorſus, quam ipſis conflare Janſeniſtæ conantur, a Turrecremata, a Bellarmino, a Baronio, a Spondano &c. invidiam difflandi, propulſandique calumniam. Atque principio quidem mala fide, maliriaque agunt ſive Witaſſius, ſive Formularii Alexandrini impugnator, obſequioſi vero Silentii juſtificator impudens, dum eidem cum quatuor illis mox laudatis viris doctiſs., imponere navi, in eumdemque trahere clivum conantur S. Thomam

mam, Gerſonium, Almainum, Canum &c., quorum longe diverſa, totoque diſpar cælo ſententia fuit, quæ una præciſe fuit de factis mere perſonalibus: *Ut quum agitur de Poſſeſſionibus, vel de Criminibus &c.*, velut eo loci expreſſe loquitur S. Thomas, vel de Impedimentis occultis, de quibus agit ibidem Gerſonius, verbo, de factis, quæ ſubreptionis, vel obreptionis vitio ſubjacere poſſunt. Quamvis autem daremus de factis vere dogmaticis id affirmaſſe, Eccleſiam nempe definiendo errare, decipique poſſe, Turrecrematam, Bellarminum, Baronium, ac Spondanum, nobis exinde neceſſe non eſset ad eorum ſententiam accedere, ſi a vero illi receſſerunt. Et ſane tanti apud Janſeniſtas non eſt illorum auctoritas, ut illis in cunctis eorumdem doctrinæ capitibus, & apicibus adquieſcendum ipſi velint, & jubeant. Sed neque cauſſæ probatiſſimæ noſtræ quidquam depetiret, quamvis viros illos alioqui doctiſſimos, quos merito facimus maximi, pateretur adverſos: quandoquidem tot, tamque firmis hactenus in aperto poſitis momentis ſuffulta eſt, ut veluti ſcopulus in medio Mari ab irruentibus procellis appeti quidem poſſit, nullo ſubverti modo poſſit. Verum non eſt tamen, cur tantorum hominum doctrinæ hac in re invidioſa erroris infligatur nota, a qua ut liberentur non admodum ſollicite adlaborandum nobis incumbit; ſed illorum potius ſenſum Janſeniſtas non pervaſiſſe, neque fuiſſe aſsequutos, aut malitioſe, deque induſtria in alienum, ac pravum intorſiſſe, operæ pretium eſt, ut patefaciamus. Quamvis itaque Turrecrematæ, Baronio, Bellarmino, ac Spondano loquutiones excidiſſe minus accuratas, ac paullo aſperiores non diffitear, id tamen indulgendum, quod in hac controverſia, in qua Janſeniſtarum doli, artes, effugiaque Catholicos Doctores eo nondum adegerant, ut ad omnem elabendi viam, abutendique verbis anſam Hæreticis intercludendam, eripiendamque, diligenter in vocabulorum delectum intenderent, eaque perpendere, ac librare ita deberent, uſurpanda antequam ducerent verba, in quibus dolus lateret nullus, nulluſque ſiniſtræ linqueretur acceptioni locus, indulgendum, inquam, quod verbis non adeo expreſſis, perſpicuis, & expenſis uſi ſint. Cæterum autem eorum ſententiam ab omni prorſus erroris ſpecie alienam, omnique ex parte ab ea quoque diſtantem

tem opinione, quam eſse communem Janſeniſtæ comminiſcuntur, jampridem a viris doctiſs. apud Emin. Relat. Cauſ. V. Card. Bellar. pag. 210. & ſeqq. multis ad oculum oſtenſum eſt modis.

Atque ex iis quidem pluribus alterutro, quæ modo indicabam. Ita enim, ut delibem unum, vel alterum, doctiſs. Tournellius de Eccl. q. 5. art. 3. pro ea, qua erga piiſſimos, Clariſſimoſque viros ferebatur reverentia, de Turrecremata, & Bellarmino dicere (quod dicendum etiam de Baronio, & Spondano) non dubitavit, ab his Duumviris affirmari in Synodo VI. erratum fuiſse errore facti, & quidem dogmatici, ſed errorem refundi non in totam utique Synodum, ut ex Græcis congregatam, a Latinis vero comprobatam, qui tum in Eccleſiam recideret, ſed in partem Eccleſiæ dumtaxat, ideſt in ſolos Græcos Epiſtolarum Honorii legitimum ſenſum haud aſſequutos, quibus proinde Latinorum defuerit aſsenſus. Atque hanc eſse ſententiam cum Turrecrematæ, cujus reſponſionem ſuam facit Bellarminus, lib. 2. de Eccl. cap. 93, exinde liquet, quod eo loci totum in ſolos Græcos rejicit errorem, quo in Hæreticorum album Honorius relatus eſt; tum Bellarmini lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11. ex eo fit evidens, quod ibidem hanc ſibi objectionem proponens: *Dices, ergo ne tu melius Honorii epiſtolas intelligis, quam intellexerint tot Patres,* his, atque efficaciſſimis utique diluendam verbis aggreditur: *Reſpondeo, non quidem a me, ſed a Johanne IV, Martino I, Agathone, & Nicolao I. SS. Pontificibus, & a toto Concilio Romano ſub Martino congregato eas Epiſtolas melius eſſe intellectas, quam a Græcis in Concilio ſexto.* Inſtantia iterum ſibi objecta, quid cauſſæ fuerit, cur in Synodo VI. contra Græcos in damnationem Honorii conſpirantes Apoſtolicæ Sedis Legati non reclamarint: *Reſpondeo*, inquit, *id factum eſſe ad evitandum majus malum. Verebantur enim Legati, ſi reclamarent, ne impediretur definitio rectæ fidei, & non poſſet tolli ſchiſma, quod annis 60. jam duraverat.* Adde, quod in Synodo VI. agebatur de damnatione plurium Eccleſiæ Conſtantinopolit. Patriarcharum, quorum in cenſum propterea aliquem ex Romanæ Eccleſiæ Præſulibus adducere, ad ingentem emolliendam ſuæ gentis infamiam, omni ope Græci contenderunt. Alteram defendendi Turrecrematam, Baronium, Bellar-

larminum, Spondanum &c. ab impactis Janſeniſtarum calumniis rationem adinvenere viri doctiſſ. Fenellonius Archiep., & Dux Cameracenſis in docum. paſtor. 3. par. 2. cap. 2., Thomaſſinus in diſſert. 19. in Synodum V, ac Thomas ex Charmes in proleg. Theolog. tom. 1. diſſert. 5. cap. 2. q. 4. art. 4, aliique. Scilicet horum ſententia, illi ſcripſere a Synodo VI. de Honorio judicatum fuiſſe ex ipſius Epiſtolis quidem, ſed non juxta earumdem ſenſum obvium, litteralem, ac verbis expreſſum, ſed juxta ſenſum præſumptum, reſpectivum ad Epiſtolas Sergii, menteque præconceptum: quo in judicio erratum fuiſſe errore facti, non doctrinalis quidem, ac dogmatici, ſed criminalis puri, mereque perſonalis, cujuſmodi ſpeciem inſtitutum ex ſenſu præſumpto judicium induit. Atque ita quidem interpretandum ſignatim Bellarminum exinde ſuadetur, tum quod ſcribat eo genere facti erraſſe Synodum VI, quod ex informationibus, hominumque teſtimoniis, quæ fallaciis interdum, fraudibuſque ſubeſſe nemo ignorat, penderet; cujuſce plane genus judicium criminale, ipſius opinione, fuiſſe oportet, in quo errare Eccleſiam poſſe nemo inficiatur: tum quod parum hinc abſimilia proferat exempla, in quibus errare poſſit Eccleſia, puta de viro ad Epiſcopatum promovendo, promoto, deponendo &c., quæ plane facta ſunt mere perſonalia, quorum in cenſu pariter Honorii factum habuit: ideo lib. 2. de Sacram. cap. 21. docens Concilia generalia legitima fuiſſe, atque decreta ab illis edita fidem obligare noſtram, credendum fore, tenendumque, quia Eccleſia, quæ errare nequit, ita nos docet; quod facti doctrinalis genus quoddam eſſe probe nemo non percipit. Atque hoc de argumento jam nimis.

Quod nunc ad damnatorum hominum decantatas aliquando laudes, apologiaſque contextas attinet, hoc Janſeniſtæ reſponſum habeant. In Origene multa quidem fuiſſe laude valdequam digna, ob quæ multis illum modis, Pontificum illæſa ſententia, defendi potuiſſe: ob ingenii, puta, eximias dotes; judicii vim, & ſoliditatem; eruditionis copiam, & excellentiam; in pleriſque Eccleſiæ dogmatibus explicandis, aut vindicandis miram cum doctrina dexteritatem; Sacræ Scripturæ in explanandis ſenſibus, aut Verſionibus adornandis indefeſſum, improbum ſtudium, ac laborem adamantem.

manuinum. Ejuſmodi ob res juſtis Origenem laudibus exornarunt Patres complures, qua Latini, qua Græci, quas proſequi deinde licuit Tanzquillo Fabro epiſt. 43, Jo: Wolfio cent. 3. Lect. memorab., Dupinio Bibl. ſcript. Eccleſ. tom. 1. pag. 388, Thomæ Pope Blount in Cenſura celeb. Auctor. pag. 197, exaggerare vero præter æqui, juſtique limites non debuerant Petrus Cuneus de Repub. Hebræor. pag. 294, Eraſmus lib. 2. epiſt. 26, Dallæus de uſu Patr. lib. 1. cap. 1. &c. Alteram quidem, eamque abſque Eccleſiaſticæ auctoritatis injuria, Origenem excuſandi viam inierunt alii; contendentes videlicet aut depravata, & vitiata fuiſſe hæreticorum fraudibus ejus Opera, aut eum non ſemper ex animi ſententia dixiſſe, & ſcripſiſſe, ſed interrogando, proponendo, inquirendo, dubitando, referendo ſæpius egiſſe: quo pacto ex veteribus Origenem defendendum ſuſcepere Didymus, Ruffinus, Johannes Hieroſol., Anonymus Photianus &c., ex Recentioribus vero Sixtus Senen., Genebrardus, Richardus Simonius hiſt. Crit. Vet. Teſt. lib. 1. cap. 19, aliique. At enim hæc plane defendendi Origenis ratio diſplicuit SS. Auguſtino de hæreſ. cap. 43, & Hieronymo in epiſt. ad Pammach., & Ocean., qui ideo a Pamphilo Martyre, cujus nomine inſcriptus pro Origene Apologeticus jactabatur, hanc notam avertere aggreſſus, pugnare non ambegit id operis potius Euſebio Arianis partibus addictiſſimo eſſe adſcribendum, aut ſi Pamphilo, dicendum illud ante Martyrium ab ipſo fuiſſe adornatum. Qua perinde in epiſtola, ut eamdem quoque defenſi Origenis invidiam ab ſe amoliretur, nihil non egit S. Doctor, inter alia de ſe adfirmans, quod ſi Origenis defenſioni ſtuduiſſet, id criminis pœnitentia diluendum ſibi ſupereſſet. Fuere quin etiam, qui ut Origenem defenderent, alium, eumque plane catholicum, mente conceptum Origenem enutriviſſe ſenſum dixerunt, velut Huetius, & Garnerius, illos alioquin improbantes, qui Origenis ſcripta ab omni prorſus labe purgare ſtudent: quo pacto Eccleſiæ auctoritatem non elevant utique, perperam tamen agunt, fruſtraque defatigantur; quandoquidem neſcio quomodo ſenſum Origenis internum expiſcari datum illis ſit, quum ex ejus textu, & contextu ab Eccleſia damnato, tanquam multis aſperſo erroribus, oppoſitum potius exſculpere debuiſſent.

Ne-

Neque defuere quin insuper alii, qui nimio, imprudentique defendendi Origenis ardore succensi, ipsius doctrinam ab Ecclesia universa damnatam vel negarunt, vel in dubium revocarunt, uti Picus, Merlinus, & Halloixius; qui cæteroqui se Ecclesiæ judicium aliorum judicio omnium semper anteponere profitentes, Ecclesiæ judicio derogare voluisse, quod ullum interveniſse negant ipsi, dicendi non sunt: quamquam in eo, quod dicunt Origenis doctrinam ab Ecclesia universa damnatam non esse, fallunt profecto, & falluntur, siquidem (quod latere ipsos nec poterat, nec debuerat) eam proscripsisse leguntur passim Demetrius Alex., apud S. Hieronymum lib. 2. adverſ. Ruffinum cap. 5; S. Petrus Alex., de quo Justinianus Imp. in tract. ad Mennam; Theophilus in Synodo Alexandrina; S. Methodius Tyrius Episcopus in orat. de Resur. apud S. Epiphanium hær. 64, & Photium Cod. 234; S. Epiphanius ipse in Synodo Cypria, qua de re loquuntur epistolæ inter Hieronymianas 60. ipsius Epiphanii ad Johannem Hierosolym., & 67. Theophili ad Epiphanium: quarum Synodorum sententia Ecclesiæ totius judicio subinde comprobata evasit in Tract., sive Epistola Justiniani ad Mennam, cujus auctorem Imperatori se dederat Pelagius Apostolicæ Sedis Apocrisiarius, cuique demum ejusdem Apostolicæ Sedis invictissimam auctoritatem Vigilius P. M. adjecit; S. Hieronymus in epist. 65. ad Pammachium, & Oceanum, inque libris adverſ. Ruffinum; S. Augustinus lib. de hæres. cap. 43; S. Cyrillus Alex. in epist. ad Monachos; Vincentius Lirin. Common. cap. 23; S. Sophronius in epist. Synod. relata in Synodo VI. act. 2; quodque potissimum est, Summi Pontifices S. Anastasius in epist. ad Johannem Hierosolym., Venerium Mediol., & Chromatium Aquilej., ut alibi dictum, Vigilius apud Liberatum in Brev. cap. 23, & Cassiodorum Divin. lect. lib. 1. cap. 1; & S. Leo II. in epist. ad Constantinum Pogonat.; Synodus V. demum, si fides Evagrio lib. 4. cap. 38, Cyrillo Scythop. apud Cotelerium tom. 3. pag. 373, Nicephoro lib. 17. cap. 27, Theophani in Chron., Auctori Chron. Alex., Georgio Syncello, Photio, Zonaræ, Glicæ, & Cedreno adhibenda sit; sed verius Synodus Constantinopolit. anno 538. habita, de qua ex Valesio dicta videnda tom. 1. pag. 202, & seq., conferendæ quo-

que Synodi VI. act. 18, atque VII. act. 3, & 7. apud Hardouinum tom. 3. pag. 1395, ac tom. 4. pag. 134, & 454. Post quæ tam liquida, qui Origenis adhuc scripta ab omni prorsus errore purgare conantur, næ ii, Baronio judice, Æthiopem lavant, Ecclesiæ injuriam creant, atque temeritatis notam non effugiunt. Rem enim agunt, similem Luthero, qui, teste Jansenio in *Spongia*, Nestorii, Eutychetisque vindicias elucubrare non est veritus; verbo hæreticis, qui Promachis suis defendendis, nulla Ecclesiastici judicii ratione habita, operam impenderunt omnem. Quocirca ego quidem excusatione dignum Halloixium non duco, non habeo, dum in Origene defenso Synodum V, a qua damnationis sententiam illum subjisse putat, ab Ecclesia potius toleratam, ac permissam, quam grato, volentique animo receptam, ac probatam dicere non extimuit, quodque pejus, dicere eamdem Synodum V. Justiniani Conciliabulum, instigante Diabolo concitatum, & consumatum. Neque vero perinde in recto, tutoque posuisse vestigia mihi videtur Natalis Alexander, qui differt. 16. ad sæculum III. liquido quidem, luculenterque demonstrat ex SS. Patrum testimoniis, Ecclesiæ judiciis, ipsiusque met scriptis Origenem ab omni prorsus erroris labe abstergi non posse, hinc tamen non plus effici putat, quam ut puri facti sit quæstio, in qua neque Patrum, neque Ecclesiæ auctoritas omnino cogat: quandoquidem facti mixti, ac dogmatici fuisse ex dictis abunde patet, in qua proinde cum Patrum consensus, tum Ecclesiæ judicium fidem omnino nostram indubitanter obligant.

Quod de Marcelli Ancyrani libello dictum a Petavio obtruditur, auctoritati Pontificum in notandis libris plane non nocet: nam id tantum dixit vir doctiss. tanta arte scilicet a Marcello Ancyrano dissimulatum errorem, ut sensum libri æquivocum fecerit: emissa quoque catholicæ fidei professione, qua inter alia se paratissimum esse ad sua scripta damnanda, si ita placeret Synodo, professus fuerat, Patribus Synodi cum Romanæ, tum Sardicensis fucum fecisse, atque ita damnationis ictum declinasse. Quid vero quæso, inde Pontificum decretis deripitur? Ecclesiam enim de sensu æquivoco judicare ex confessione verbis expressa consuescere nunquam vero de sensu mere interno, menteque retento, jam satis

ſatis a nobis ſuperius oſtenſum eſt. Non opus eſt autem retexere, quæ de Gotheſcalci cauſſa ſuper. Artic. 11. §. 1. pag. 177, & ſeqq. copioſe diſputata ſunt, ex quibus, levia quam ſint, atque levidenſia a Janſeniſtis objecta iſta liquido adparet. Confer, & Petrum Coutantium in Vindiciis veter. Codic. confirm. Petri Abaelardi Apologiſtam quod attingit, Berengarium Pictav. flocci facimus, pudereque adverſarios quammaxime debuerat hujuſce furfuris hominem in cauſſam proferre, hominem, inquam, hæreſi, infamiaque notatum. Quamquam, & ipſum aliquando pœnituiſſe hujuſmodi Apologiæ Oper. Abaelardi pag. 302. patet ex ipſius epiſtola ad Epiſcopum Mimatenſem inter Abaelardi, cujus diſcipulus fuit, Opera pag. 320. edit. Pariſ. 1616, atque in Bulæi hiſt. Academ. Pariſ. tom. 2. pag. 193, quo loci, *Proceſſu*, inquit, *temporis mecum ſapere crevit, & in ſententiam Abbatis* (S. Bernardi) *pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui eſſe patronus Capitulorum objectorum Abaelardo; quia etſi ſanum ſaperent, non ſanum ſonabant.* Quod vero Abaelardum ad bonam frugem receptum Pontifici reconciliaverit V. Petrus Cluniac., quin etiam flagitioſæ præteritæ vitæ pœnitentem ad Monaſticam Cluniacenſia intra Clauſtra profeſſionem receperit; quod ejuratis prorſus erroribus orthodoxam fidem, Oper. pag. 330, quoad vixit, profeſſum, quique ſcripta ſua omnia Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmiſit, inter hæreticos a fide devios, & ab Eccleſia projectos computandum ideo non fore affirmarint, & confirmarint idem Cluniacenſis Abbas, Otho Friſing., Natalis Alexander, Gervaſius in ejuſdem vita edit. Pariſ. 1720, Amboeſius in prolegom. ad ipſius oper., alique, e quibus adeundi doctiſs. Monachi in præfat. ad nov. edit. S. Bernardi §. 5, quid inde poteſt extundi, quod indefectibili Pontificum judicio de libris ejus lato minus ſit conſonum? Gilberti Porretani erroribus patrocinium nullum attulerunt Cardinales Ampliſs., id unum expoſtulantes, non a S. Bernardo id juris invadente, ſed uno ab Eugenio Pontifice M. fidei Symbolum adverſus errores Gilberti condi oportuiſſe. Joachimi denique Abbatis propoſitionem, non etiam perſonam, ab Innocentio III. proſcriptam dicebamus. Quare qui ejuſdem perſonam defendunt, hos rem agere bonam, optimamque dicimus, ſecus qui propoſitionem. Cæ-

terum ejuſdem Apologiſtæ non negant jure damnatam propoſitionem, quæ Joachimo adſcribebatur, ſed vere illi adſcriptam negant, atque ab illo in libro conſcriptam, ſed a malevolis ipſius libro inſertam ajunt. Quamvis id quoque vaticinari potius ſit, ac vanæ conjecturæ ſuperſtructum. Profecto ſi liber ejus adverſus Petrum Lombardum *De Unitate, ſeu Eſſentia SS. Trinitatis* depravatus fuiſſet, difficile haud fuiſſet apud Pontificem, ſive Innocentium ante damnationem, ſive Honotium poſt damnationem, Monachis Florenſibus reclamare, ac ſincerum exemplar proferre, quo omnis ab eo depelleretur error, tumque præſertim, quum apud poſteriotem illum conqueſti ſunt de hæreſis infamia, quæ Joachimo a nonnullis infligebatur: quod ſiquidem non præſtiterint, indicium eſt haud obſcurum ipſorum ſcientia, & conſcientia hujuſmodi fuiſſe Joachimi librum, qui haud infeſtam expertus fuerit manum, neque talis, tamque purus ab ipſo prodierit, ut ab omni protſus erroris labe abſtergi poſſet. Confer Petavium de Trinit. lib. 4. cap. 13, & lib. 6. cap. 12, ac Lamium de recta PP. Nicæn. fide cap. 33. n. 12, ubi S. Thomam, Thomam Argentinam, Suarezium, Vaſquezium, Canum, & Baronium intimam Joachimi ſententiam non aſſecutos contendit, crimenque in illum conjeciſſe aliud, quam revera eſſet, fuiſſetque ab Innocentio III. notatum.

Tantum autem tandem abeſt, ut Janſeniſtis deſperata in hac cauſa vel levia rationum ſuffragentur momenta, ut ipſi potius immaniter e ſulco rationis exceſſiſſe hæc objicientes dicendi ſint. Enim vero objectioni huic e rationis penu petitæ duplici offendunt Theologi via, atque duplicem adhibere diſtinctionem ſolent, quæ utraque paucis exponenda, quæque placuerit magis, explicanda. Quidam itaque poſt Illuſtriſs. Perefixium Archiep. Pariſ., uti Natalis, uti Tournellius, fidem, qua in definiendis factis dogmaticis Eccleſiam falli, ac fallere neſciam credimus, fidem appellandam ducunt Eccleſiaſticam, quæ media ſit inter fidem Divinam, cujus objectum eſt revelatum, & fidem humanam, cujus objectum errori, ac deceptioni eſt obnoxium; ideo ut fides iſthæc Eccleſiaſtica minor quidem ſit Divina, cujus firmitas, & certitudo a Divina revelatione derivatur, major ſit tamen

qua-

qualibet humana, quum ejus certitudo, & firmitas a Spiritus S. adſiſtentia ſpeciali dependeat: quemadmodum præcepta Eccleſiaſtica nec ſimpliciter Divina, nec ſimpliciter humana dicenda ſunt, ſed veluti media inter utraque, ſiquidem ex Chriſti D. præcepto pronuntiantis: *Qui vos audit, me audit*, omnes illis Chriſtifideles tenentur obſequi, & obtemperare. Verumtamen quominus hæc reſponſio mihi quidem probetur, id efficit, quod Eccleſiæ voluntas ſemper utique fuit, ut Chriſtifideles ſuis definitionibus circa facta dogmatica ore, & corde firmiter adhærerent, atque crederent, & aſsererent illos homines vere hæreticos eſse, quos ſemel hæreticos declaravit, libroſque revera hæreſi eſse aſperſos, quos ob hæreſis aſperſionem damnavit: veluti diſcere licet ex Conciliis Chalcedonenſi act. 4. apud Harduinum tom. 2. pag. 418, Conſtantinopolitano II. anathem. II, & ſeqq. tom. 3. pag. 198, Lateranenſi ſecret. 5. Can. 18. pag. 924, Conſtantinopolitano III. act. 18. in profeſs. fidei, ac Proſphonet. pag. 1398, & 1418, ac Conſtantienſi ſeſs. ult.; ex S. Cæleſtino I. in epiſt. 22. edit. Cout. ad Synodum Epheſinam n. 8; S. Leone M. in epiſt. 1. edit. Baller. ad Aquilejenſem Epiſcop. cap. 2, Vigilio in epiſt. decret. ad Eutychium, S. Martino I. in Synodo Lateran., Martino V. in Conſt. *Inter cunctas*, de quibus dictum pag. 305, 309, ac 336, & Clemente XI. in Conſtit. *Vineam Domini*; ex S. Hieronymo in epiſt. 65. ad Pammach., & Ocean., ac Juſtiniano Imp. in tract. ad Mennam, quem a Vigilio, ac Synodo V. Collat. 8, & VI. act. 18. confirmatum dixi, apud Harduinum tom. 3. pag. 243. Quocirca placet magis Petri de Marca, & Card. Laureæ reſponſio Eccleſiæ definitiones circa facta dogmatica ad partem dogmatis pertinere non dubitantium, quas ideo fide Divina eſse credendas, arque mediate ſaltem, implicite, & indirecte revelatas eſse conſequitur, ideoque ad fidem D. tinam pertinere indirecte ſaltem, mediate, & implicite.

Quæ reſponſio, ut bono in lumine collocetur, obſervare quam juvat, tam intereſt, multa fide Divina teneri, & credi, quæ non quidem explicite, directe, & immediate revelata ſunt, ſed dumtaxat implicite, mediate, & indirecte: vel ut propoſitio particularis in univerſali contenta; quomodo quod Concilium, puta

puta Nicænum, Oecumenicum fuerit, neque in fidei decretis erraverit; quod Verſio Vulgata ſit Authentica, & Canonica, neque in ea gravis contra fidem extet error; quod Benedictus XIV. ſit legitimus Pontifex, atque S. Petri ſucceſſor; revelatum eſt eo ipſo, quod revelatum ſit Deum Eccleſiæ in neceſſariis defuturum nunquam: vel ut propoſitio ex præmiſſis conſequens; quomodo quod Chriſtus D. eſt adorandus in Euchariſtia, quia in eo præſens adeſt: vel tanquam pars in toto contenta, ſive proprietas cum natura connexa; quomodo quod in Chriſto D. duæ ſint voluntates, atque duæ operationes, quia duplex in eo Natura eſt impermixta, & inconfuſa: vel tandem ut propoſitio confuſa, & obſcura, quæ comprehenditur in propoſitione clara, & diſtincta: quomodo quod ſinguli homines (demptis Chriſto D., ac Deipara) in peccato Originali ſint mortui, ac pro ſingulis mortuus ſit Chriſtus D., ideo quod Chriſtum D. mortuum eſſe pro omnibus, atque omnes mortuos eſſe pronuntiavit Apoſtolus. Itaque pari modo Romanum Pontificem circa facta doctrinalia falli, & fallere non poſſe, habenda eſt ut propoſitio de fide, vel ut contenta in generali illa, Chriſtum D. Eccleſiæ non deeſſe in neceſſariis ad fidem, moreſque pertinentibus; vel ut conſequens ex illis præmiſſis, Eccleſiam columnam, & firmamentum veritatis eſſe, fundatam ſupra firmam petram, contra quam portæ Inferi prævalere nunquam poterunt; vel ut comprehenſa in illis claris, & diſtinctis: *Tu es Petrus &c. Paſce Oves meas, & Rogavi pro te &c.*; vel ut præſuppoſita ex illis oppoſitis: *Erunt in vobis Magiſtri mendaces, qui introducent Sectas perditionis* 2. Petri cap. 1. verſ. 1. *Diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium &c.* 1. ad Timoth. cap. 4. verſ. 1, ac Judæ cap. 1. verſ. 18. Adde doctrinam hanc de Romani Pontificis indeficienti fide circa facta doctrinalia locum habere in traditione Patrum, quorum pleraque in medium protulimus teſtimonia, unde in Verbo quoque tradito eamdem doctrinam revelatam dici recte poſſe conſequens fit. Volo autem, ut his affatim diſputatis graviſſimæ auctoritatis ſuæ pondere colophonem imponat S. Thomas, qui 2. 2. q. 11. art. 2. quærens, utrum Hæreſis proprie obverſetur circa ea, quæ ad fi-

dem

dem pertinent, respondet duplici modo rem aliquam pertinere ad fidem scilicet directe, & principaliter, atque indirecte, & secundario, quum nempe ex negatis sequitur alicujus fidei articuli destructio; en aurea Doctoris Angelici verba: *Non ad corruptionem fidei Christianæ pertinet, si aliquis habet aliquam falsam opinionem in his, quæ non sunt fidei... Sed solum, quando aliquis habet falsam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent: ad quam aliquid pertinet dupliciter, uno modo directe, & principaliter, sicut Articulus fidei; alio modo indirecte, & secundario, sicut ea, ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli. Et circa utraque potest esse hæresis eo modo, quo est fides.* Quæ si heic locum non habeant, siquidem dogma purum, quod facto non sit permixtum, reperiri vix, ac ne vix quidem queat, nescio profecto, ubi tandem habere possint.

DE ROMANIS PONTIFICIBUS

Erroris sive circa Doctrinam fidei, sive circa Disciplinam morum injuste accusatis.

APPENDIX.

QUum de Romanis Pontificibus agitur, duo nobis distincte consideranda succurrunt, vitæ genus, & ratio doctrinæ, quique, si quando aliud faciant, in illos quidem intendere prohibemur, quum docent tamen, utraque auscultare ipsis aure præcipimur. Atque appositè utique S. Augustinus epist. 165, quod de Cathedra Moysis effatus quondam est Christus D., audiendos scilicet Magistros, etsi non semper imitandos, de Cathedra Petri intelligi, pro ut opus foret, pariter jubet, si quando nempe in agendo exemplo non præeant ii ipsi, quos in dicendo recta præmonstrantes tuta semper fide prosequimur: *In illum*, inquiens, *ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc in eadem Cathedra sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait*

de

de Præpoſitis malis : Quæ dicunt facite, quæ faciunt, facere nolite. Quamquam quod ad ipſum quoque vitæ genus, morumque attinet, attenderent utinam heterodoxi, nonnullique noſtræ Communionis etiam homines nihil æqui, honeſtique æſtimatores, qui peſſima obloquendi, obtrectandique prurigine affecti, univerſa ſurſum deorſum vertunt, ac verſant, ut ex vitiis, quibus aliquando a quibuſdam dehoneſtata nonnihil dignitas eſt, avide opportunitatem arripiant omnium indiſcriminatim tam deſpiciendi perſonam, quam poſthabendi imperata, utinam, inquam, attenderent, perpaucos admodum ex Pontificibus dinumerari, qui numeris omnibus abſolutam non traduxerint vitam, aut labe nonnulla Apoſtolicam conſpurcaverint Sedem, quorum alioqui leves vel maculas abunde tot alii, tantaque virtutum præſtantia, morumque integritate præfulgentiſſimi deterſere. Enim vero ex 250, quot a S. Petro ad hanc diem præfixus operi elenchus exhibet, duo ad minus ſupra octoginta Sanctorum albo adſcripti ſunt, atque octo certe ſupra ſeptuaginta in Martyrologio Romano memoria celebris habetur, quin imo ſua remotiori ſub ætate centum ferme in Sanctorum faſtos referre non dubitavit S. Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 21. ad Herimannum Metenſ. Ex quibus qui ante S. Silveſtrum, conceſſamque a Conſtantino Eccleſiæ pacem, tot perſecutionum tempeſtatibus jactatæ, turbatæque Chriſtianæ Reipublicæ clavo per annos ferme tercentos præfuere, pro qua vitam ipſam cum ſanguine profuderunt, perenni ſerie trium ſuper triginta SS. Martyrum Pontificum invictiſſimæ fortitudinis in aſſerenda fide præclarum ſpecimen præbuerunt. Ut quinque vero ſupra quadraginta præteream, qui ad medium uſque Sæculum Eccleſiæ decimum inſigni præ aliis Sanctitatis laurea Apoſtolicæ Sedis dignitatem, & gloriam adauxerunt, in animum inducere ſuum nequiret, qui indutos ex alto eoſdem neſciret animis, qua virtute, quoque ſucceſſu, omni poſthabito hominum metu, nulloque prehenſo vitæ diſcrimine, nec unus, vel alter, ſed velut ex aſſe omnes, ſibique non tam in locum, quam in labores invicem ſuccedentes, longa, diuturnaque lucta impenſe diſtenti, ſed non defeſſi, implicati, & defatigati, ſed non fracti, neque confecti, Ethnicis tum ſuperſtitionibus exterminandis,

tum

tum eiſdem deditiſſimis hominibus ad Chriſtianæ rei cultum transducendis inſudarint, Hæreticorum ingentibus nunc conatibus comprimendis, nunc agminibus ad frugem inflectendis incubuerint; contra Imperatores ipſos vel hæreſi turpiter inquinatos, vel ſe rebus Sacris temere ingerentes, ac quot,& quantos,indeflexa fronte, infractoque animo ſteterint; qua Chriſtianæ Reipublicæ finibus amplificandis, qua Canonicæ diſciplinæ in priſtinum decus reſtituendæ, qua confluentibus undique Eccleſiarum negotiis expediendis inſtiterint, æſtimari, inquam, comprehendique vix, ac ne vix quidem animo poteſt.

Siqui igitur fuere, fuiſſe vero ſeptem, vel octo non plus feruntur, fuiſſeque quin etiam mali partem quammaximam Civilis Reipublicæ afflictiſſimæ ſtatum, ſub quo impotenti dominandi libidine plerique ducti ferro, flammaque Imperii partem, quam poſſent, non tam abripere, quam diripere non parcebant, fatendum eſt, qui Sæculo dumtaxat ſive nono cadente, ſive decimo ineunte locum tam illuſtrem indigne occupaverint, moribuſque deturparint ſuis, præterquamquod aut ab ipſiſmet poſtea inſigni pœnitentia errata cuncta deterſa ſunt, aut a ſequioris ætatis Pontificibus vitæ probitate labes omnis procul depulſa eſt, locoque decus poſtliminio redintegratum, ſupremo diſponente procul dubio Numine, loco ſtetit, nec ulla prorſus erroris labe fides ejus infecta eſt,nec aliquid inde ſive fidei doctrinæ, ſive morum diſciplinæ minus conforme prodiit: quod indicium eſt utique liquidum indeficientis fidei Pontificiſ Romano in S.Petri perſona promiſſæ,de quo fuſe Baronius ad an. 908. n. 6, & ſeq., & ad an. 912. n. 9, ac ſeqq., Bellarminus in præf. ad libros de Rom. Pontif., Mabillonius in præf. ad Sæcul. V. Bened. §. 1, Paulus Segneri in ſerm. de Cathedra S. Petri, & Franciſcus Leedorff in epiſt. 12. ad Fridericum Comit. Palat. Rheni. Nec offecit ideo, nec obſuit flagitiorum probrum, quo Apoſtolica Sedes ſic aliquando dehoneſtata eſt, quominus religioſe obſervaretur, eique minus deferretur obſequii. Nam Stephano VII. obſervantiam detrahere ingenti duxit piaculo Auxilius Presbyter lib. 2. capp. 17, & 18; atque obſervantiæ certe plenam ad eumdem dedit epiſtolam Fulco Remenſis apud Flodoardum lib. 4. cap.4. Johanni IX. probatiſſimæ alioqui

vitæ Pontifici demiſſiſſimo religionis obſequio ſe devoviſſe leguntur cum Hatto Moguntinus, tum Theotmarus Salisburgenſis, atque uterque tam ſuo quidem, quam Suffraganeorum nomine ab eide m debita obedientia diſceſſuros ſe nunquam profeſſi Metropol. Salisburg. tom. 1. pag. 44, & 47. Modeſti, ſuppliceſque pro impetrando Pallio ad Sergium III. appellere Sergius Colonienſis, & Hogerus Hammaburgenſis officio habuerunt apud Crantzium hiſt. Eccleſ. Saxon. lib. 2. cap. 24, & lib. 3. cap. 1. S. Siſenandus Frienſis Epiſcopus, & Ordonius Legionenſis Rex legatione miſsa Johannem X. de Mozarabicis Ritibus nonnihil a Romanis diſcrepantibus conſulendum ſibi tuto duxerunt apud Ambroſium Morales Chron. Hiſp. lib. 15. cap. 4. Ad Johannem XII. epiſtolam obſequii, reverentiæque cumulatiſſimam dare, illataſque ſibi vexationes, opportuna pro ope conſequenda, exponere Ratherium Veron. non pœnituit apud Chapeavillæum de geſt. Epiſcop. Leodien. tom. 1. pag. 179, atque in ſuo Itiner. apud Dacherium Spicileg. tom. 2. pag. 267. Benedictum V. loco, quo dignus alioquin erat, ab Ottone I. Imp. depulſum, ut ei Leo VIII. pſeudo-Pontifex ſufficeretur, & in Germaniam abductum magno in honore ab Adaldago Hammaburgenſi Archiep. habitum denarrat Adamus Bremenſis in Chron. lib. 3. cap. 6; de quo confer & Papebrochium in Conat. Chron. hiſt. diſsert. 34, quorum ſimilia pleraque miſsa facio, ne ſim prolixior.

Atque hæc quidem ad vitæ quod pertinet inſtitutum. Quod ad genus doctrinæ nunc attingit, biſariam in Pontifice diſtingui oportere perſonam vice plus ſimplici admonui, qua nempe doctoris publici aliquando perſonam gerit, quamque tum gerere reputandus eſt, quum Eccleſiæ univerſæ edicit; qua doctoris aliquando privati dumtaxat induit, quum ad particulares quorumdam expoſtulationes reſpondet, ſive privatas quaſdam ſuas opiniones depromit: quo de diſcrimine paullo poſt. Summum Pontificem igitur privilegio indeficientis judicii tum potiri dumtaxat contendimus, quum publici doctoris perſonam induit, gerit, agitque. Quum vero perſonam dumtaxat privati doctoris agit, ſeu agitur de factis mere perſonalibus, ſive de factis ad forum contentioſum pertinentibus, ſive de factis pure criminalibus, tum falli, & fal-

fallere Pontificem poſse, nihilque non humani pati non inficiamur. Quamquam quod tot in colloquiis, conſultationibus, reſponſis, reſcriptis, ſermonibus, litteris, lucubrationibus, libris, totque diverſis, tum rebus diſſitis, tot in diſtinctis adjunctis temporum, opinionum, locorum, circumſtantiarum, atque a tot ingenio, ſtudio, conſilio diverſimode affectis Pontificibus editis vix reperire ſit, poſt diligentem adhibitam inquiſitionem, quidpiam aliquid, quod aut ſeveriori morum diſciplinæ, aut purioris fidei dogmatibus minus recte congruere, vel intortæ interpretationis vi adhibita, oſtendi valeat, demirandum utique eſt valde, unique Divinæ proculdubio providentiæ deputandum: cui deputandum omnino, quod ex omnibus nullum prorſus reperire ſit, qui e Cathedra Petri errorem unquam Eccleſiæ propinaverit ullum. Eſt ne ſimile in ceteris, ac primariis, ac Patriarchalibus Orientis Sedibus obſervare, quo paris cum Romana ad gloriæ faſtigium aſſurrexiſſe videri potuerint aliquando, æſtimarique? Principio enim perpauci audiunt profecto, qui Sanctitatis inſignis laude ad Aras imploratæ conſpicui Eccleſias illas illuſtrarint, velut ex illorum Catalogis hiſtoricis, & Chronologicis liquet. Nam in Conſtantinopolitana apud Bandurium, & Cuperum, qui cum Papebrochio tom. 1. Jun. pag. 392. exiguam admodum mereri fidem, quæ de Byzantinis 22, aut 26. Epiſcopis, eiſque Sanctitatis laude inſignibus, ante Conſtantinum M., ſive ante S. Metrophanem traduntur a S. Nicephoro Conſtantinopolit. in Chronog., a Nicephoro Calliſto in hiſt., a pſeudo-Dorotheo, ſive Procopio de Apoſtol., & diſcipul., a Matthæo Cigala in Catalog., a Philippo Cyprio in Chron., a Metaphraſte, & Cedreno, neque fidendum magis Græcorum faſtis, atque Menaeis recte adnotat, ex Epiſcopis 60, qui poſt S. Metrophanem I, ideſt ab initio Sæculi IV. Thronum illum occuparunt uſque ad Photium, ſive ad Sæculi IX. dimidium, in Sanctorum album 26. dumtaxat relati ſunt, ex omnibus vero, nu. 183. uſque ad an. 1706. comprehenſis, Latinis 13. ab an. 1400. ad an. 1599. non computatis, quatuor vix ſupra 26, omneſque 30. non amplius. In Alexandrina apud Renaudotium, & Sollerium, qui in præf. optime admonet parvo admodum in pretio haberi oportere Abulberacatum in Catalog., Eutychium in An-

nal.,& Hagiologii Habeſſini Scriptorem Sæculi Chriſtiani aut XII. circa exitum, aut XIII. circa medium, qui proprio ex ingenio, præter rei veritatem, Eccleſiæ hujuſce faſtos amplificare, infercireque inſtituerunt, ex 51. Epiſcopis, quot ad annum uſque 640, quo capta a Saracenis Urbs eſt, atque octo ab obitu Muhamedis, qui in an. 632. inciderat, quin imo ex omnibus 103. omnino, Latinis tamen 13. apud Simonium in Lexico Bibl. non recenſitis, qui poſt S. Marcum Eccleſiæ illi præfuere, vix 23, neque plures reperire contingit, qui Sanctorum cultu ſe dignos præſtiterint. In Antiochena apud Aſſemanum, & Boſchium, qui prætermittendos veluti dubiæ plurimum fidei tres, aut quatuor alios, quos inter Sanctos proprio arbitratu, ſolidis documentis, monumentiſque deſtituti deſcripſere Blaſius Terzi de Syria Sac. lib. 1. cap. 33, ac Theodoricus Pauli Gorcomienſis Canon. in Chron. univ. duobus volum. Mſ. an. circiter 1480. appoſite advertit, ex Patriarchis 50, aut 55, qui poſt S. Petrum uſque ad an. 518, quo a Jacobitis ea invaſa Sedes eſt, univerſæ rei Sacræ obtinuerunt ſummam, 15, vel 16. vix celebres haberi inter Cælites meruere: quibus vix duo adjungi poſſunt alii, exindeque 17, vel 18. Sanctorum confici numerus, ex ceteris omnibus, qui prioribus illis 55. copulati (Jacobitis 60. interea ab an. 1292, nec non Latinis 9. ab an. 1100. ad 1268. excluſis) alii 86, quot ab an. 519. ad 1724. per vices ſucceſſere, ad 141. ſummam pertingent. In Hieroſolymitana demum apud Papebrochium, & Fabricium Bibl. Græcæ tom. 10. pag. 503, ut ſilentio præteream tam illos 14. poſt S. Jacobum ex Judæis ad eam regendam Eccleſiam aſſumptos, quam 17. alios poſt hos ex Gentibus ad eumdem implendum locum delectos, de quorum Sanctitate (tribus, vel quinque demptis, optima Sanctitatis opinione apud Græcos, Latinosque potientibus) ipſis aſſerta a Theodorico Pauli, ac ſuppari Florarii SS. Mſ. Scriptore ex proprio, faciliorique ad confingendos, amplificandoſque faſtos ingenio, valdequam dubitat Papebrochius §. 3, & ſeqq., §. 17, ac ſeqq., & in parergo 4, Euſebii potiſſimum diligentiſſimi alioquin in his colligendis, deſcribendiſque ſilentio fretus, ex Epiſcopis 98, haud recenſitis Latinis 22. uſque ad annum 1290, quo expugnata Ptolemaide ſecedere e Syria compul-

ſi ſunt,

ſi ſunt, dimiſſis etiam Titularibus 5. uſque ad an. 1329, ex quo Terræ Sanctæ recuperandæ ſpes amiſſa eſt, ex Epiſcopis 98, inquam, Græcis, qui poſt S. Marcum eo in ordine 16. eidem gubernandæ Eccleſiæ ab an. 135. ad 637, quo ſub Sophronio I. Saracenorum jugum Urbs ſubjit, ſive ad an. 1076, quo ſub Sophronio II. in Turcarum poteſtatem tranſivit, admoti ſunt, vix 16, vel 18. in Græcorum Menaeis, vel Latinorum Martyrologiis illuſtrem inter Sanctos locum habere meruerunt.

Dictu viciſſim difficile a quot, & quantis nefandorum hæreſum Promachis dehoneſtatæ Patriarchales Eccleſiæ illæ fuerint. Enim vero S. Leo IX. in epiſt. 1. ad Michaelem Cerularium, & Leonem Acridanum, Photiani ſchiſmatis inſtauratores, apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 927. n. 8, & ſeqq. ad inſignem eorumdem retundendam temeritatem, qua Latinæ inſultare Eccleſiæ, multoſque inurere errores non exhorreſcebant, eum objiciendum duxit clypeum, e quo repercuſſa tela ſagittantium recta peteret jugulum. Nempe nonaginta, eoque amplius referendo, exprobandoque nefandiſſimas hæreſes, quæ diverſo tempore, diverſo loco, diverſo errore Orientis Eccleſias, atque plurimas, atque Patriarchales infecerant. Et quidem, ut illos quotquot præteream, qui poſt inſtauratam a Michaele Cerulario Græcanicæ a Romana Eccleſiæ feceſſionem, Schiſmati cum hæreſi amplectendo, ſtabiliendo, amplificando operam impenderunt omnem, Patriarchæ qua Pneumatomachi, Chriſtoduitæ, Eutychiani, Acephali, Monothelitæ, Iconoclaſtæ in Conſtantinopolitana 18. conſedere, præter eos, qui ſuperba fronte, elatoque præ faſtu ſupercilio Romanos contra Pontifices ſtare, aut ipſorum propria inſignia ſibi ſumere, hæreticis favorem impendere, aut in Latinos infenſiſſimos præſtare ſe hoſtes non abſtinuerunt. Qua Ariana, Eutychiana, Monothelitica labe ipſi aſperſi Alexandrinam 45. inquinarunt. Qua ex Arii, Apollinaris, Eutychetis, Severi infeſta prognati ſobole Antiochenam 60. plurimo infamiæ genere conſpurcarunt: præter eos, qui aut Novatiani, aut Neſtorii, aut Acacii Schiſmati impenſe ſtuduerunt, quique novo Schiſmate inter ſe ſciſſi Jacobitæ Patriarchatus Antiocheni jura inter duos pariter Mardenſes, & Turabdinenſes ſciderunt ab an. 1332. ad 1445, & ab an. 1364. ad

ad 1494; quo de Schiſmate Cl. Aſſemanus in diſſert. de Monophyſitis cap. 7, & in Catalogo Patriarch. Syror. Jacobit., ubi a Severo, ab an. hoc eſt 518. uſque ad Iſaacium, ſive Ignatium hujus appellationis XXVII, ideſt ad an. 1722, Jacobitas 77. dinumerat, qui Patriarchæ nomine Antiochenæ incubarunt Eccleſiæ; præter alios 19, qui diverſo tempore facto Schiſmate eamdem invaſerunt Sedem. Quæ minori laborare infamia, puriorque in fide ſtare viſa eſt Hieroſolymitana Eccleſia, ſuos pati tamen manes, ſtupriſque inquinari permiſſa eſt: nam in eam impetu veluti facto irrumpere conſpecti ſunt & qui Ario, ut Eutychius, ut Herennius, ut Hilarius, & qui Pelagio, ut Johannes, ut Praylius, & qui Eutycheti; ut Anaſtaſius, ut Saluſtius, ut Joannes II, & qui Origeni, ut Petrus, ut Macarius II, patrocinio non deeſſe ſibi ſtatuerint; ut de Theodoro, qui Eliæ II. locum invidit, aliiſque taceam parum notis poſt annum 1187, quo Latinis ejectis Jeroſolyma iterum Saracenorum jugum ſubjit. Mitto Patriarcharum illorum plurium maximi periculi, criminiſque ream conniventiam, qua Conſtantii, Valentis, Anaſtaſii, Zenonis, Heraclii, Conſtantis, Leonis Iſauri, Copronymi, Theophili, aliorumque Imperatorum, quot nomina, tot peſtes, nequitiam, aut vecordiam plerumque lactarunt, ut proinde ipſis præcipue ingenti vertendum ſit vitio, quod tum ſchiſmatum, tum hæreſum tot, ac tam infanda monſtra latiſſime Orientis partem quammaximam, furoreque quam magno depaſta fuerint, atque depopulata. Nihil tale de Romana Eccleſia poteſt oſtendi: ex quo inferri debet certiſſime pro ipſa ſingulariter oraſſe Dominum, ne unquam fides ejus deficeret; eoque ipſam firmiſſimo quin etiam conſtitutam loco fuiſſe, ex quo ceteras in Orbem Eccleſias omnes in fide confirmaret. Quam in rem perbelle quadrat præclara illa Bahanis Patricii illuſtris periocha, qua in Synodo VIII. act. 8. apud Harduinum tom. 5. pag. 880, contra Theodorum Crithinum Iconomachiæ patronum diſputans, ſic argumentum ſuum abſolvit, loquaciſſimumque obmuteſcere hominem coegit: *Poſuit Deus*, inquiens, *Eccleſiam ſuam in quinque Patriarchiis; & definivit in Evangeliis ſuis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quod Capita Eccleſiæ ſint. Etenim illud, quod dicitur*: Et portæ Inferi non prævalebunt adver-

adverſus eam; *hoc denuntiat. Quando duo ceciderint, currunt ad tria; quum tria ceciderint, currunt ad duo; quum vero quatuor forte ceciderint, unum, quod permanet in omnium capite Chriſto Deo noſtro, revocat iterum reliquum corpus Eccleſiæ.* Quo profecto tam amplæ poteſtatis officio, quam flagrantiſſimæ pietatis erga Orientis Patriarchales Eccleſias Pontificiam Romanam nullo non tempore egregie fuiſſe perfunctam affatim demonſtratum eſt hactenus.

Antequam autem ejuſdem vindicias exornandas mihi aſſumam, præclaræ operæ pretium fuerit obſervare non ita facile, nec juxta feliciter dignoſci, atque diſtingui, quandonam Pontifex perſonam doctoris gerat aut privati, aut publici; neque ejuſmodi diſtinctioni ſatis diligenter intendiſſe Scholarum Theologos, Sacrarumque rerum Tractatores. Nam regulæ, quas nuperus quidam, atque quidem doctiſſimus Scriptor Honorii vindicias adornans lib. 1. cap. 22. art. 2. propoſuit, præfixitque ad diſcernendam Conſtitutionem dogmaticam ab aliis, quæ in eum cenſum proxime deſcribendæ non veniant, eæ mihi, aut ego fallor, ſane videntur, in quibus certo hærere pede non poſſim: cujuſmodi ſunt, quod Conſtitutio non edatur, niſi ex conſenſu, aut conſilio prævio Concilii cujuſpiam, aut S. Romanæ Eccleſiæ Cleri ſaltem, ſive Cardinalium Collegii: quod Conſtitutio præferat, exprimatque vim præcepti, adjungatque in Refractarios anathematis pœnam: quodque Conſtitutio dirigatur ad celebriores in Eccleſia Epiſcopos, puta Patriarchas, ac Primates, ab his ad inferiores tranſmittenda. Neutram enim ex tribus illis conditionibus, quas is neceſsarias dicit ad rite diſcernendas Conſtitutiones dogmaticas (quamvis tum optime diſcerni non diffitear, ſiquando apponi conditiones illas contingat) probare ſatis queo: non primam, ſiquidem neque Concilio particulari, neque peculiari S. Romanæ Eccleſiæ Clero Divina pollicitatio facta fuerit, promiſsaque in fide infallibilitas. Non ſecundam, quippe, veluti ſcite obſervavit Boſsuetius, objecitque Lamio, qui perinde hac de re probe, intimeque perſuaſum ſe ſe in parergo tractatus de Paſchate ingenue oſtendit, quemadmodum in Conciliis generalibus decreta, non minus fidem obligant, quæ in Capitibus ulla abſque adjectione

ctione ſive præcepti, ſive pœnæ credenda, tenendaque Chriſtifidelibus proponuntur, quam quæ in Canonibus ſub Cenſuratum interminatione ab Heterodoxis vindicantur; ita ſimiliter fide Divina fuerit credendum, quod ſub hac ratione Pontifex credendum proponat, quamvis anathematis pœnam non adjunxerit. Neque tertiam, quandoquidem Conſtitutiones dogmaticæ, ſatis, ſuperque eſt, ut innoteſcant, quoquo demum innoteſcant modo, ſitque ſatis, ac ſuper, ut Romæ promulgentur, velut explicite habent in Bullis adverſus libros Caroli Molinæi Clemens VIII, & adverſus librum Janſenii Urbanus VIII. (quidquid contra obloquantur Van-Eſpenius part. 4. promulgat. Legum, & Gibertus in proleg. tit. 9. cap. 7, quibus unum opponere ſatius habebo Innocentium III. in Cap. *Ad hæc de poſtulat. Prælat.* ubi disjunctive ait Legis obligationem induci: *Cum ſolemniter editur, aut publice promulgatur*: quam præclaram ſententiam propriam quoque fecit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 13. cap. 4. n. 1.) ut continuo vel mentis obſequium illis debeatur.

Quamobrem ea mihi quidem obverſatur opinio, quod ex diverſa potius Reſcriptorum Pontificiorum ratione deſumendum diſcrimen iſtud ſit, ſitque ideo diligenter inter Pontificia ipſa Reſcripta diſtinguendum. Juvat igitur ſcire duo imprimis eſſe Reſcriptorum genera; alia ad inſtar familiarium, privatarumque Epiſtolarum, quas nunc breviori vocabulo *Brevia* nuncupare Pragmatici ſolent: quoties videlicet ſummi Pontifices a quibuſdam rogati de largienda venia legis alicujus ab aliquo ſuorum Deceſſorum latæ, ſive infracti Concilii generalis cujuſpiam Canonis; vel interrogati conſilii accipiendi cauſsa, ſive in re dubia obtinendæ declarationis gratia, reſpondent pro rei qualitate, atque opportunitate vel affirmative, vel negative. Quorum in cenſum ea quoque veniunt Scripta, quæ ab ipſis, tanquam privatis doctoribus, ex penu, ſingulari, propriaque ex opinione prodeunt: quæ in Foro contentioſo, vel circa facta pure criminalia præſtanda jubent, quæque ipſi præſtant circa cauſſas mere privatas, vel circa facta perſonalia: quæ de rebus ad capita diſciplinæ, variæ juxta locorum, temporum, perſonarumque varietatem, mere ſpectantibus decernenda ſibi ſu-

ſumunt; ſexcentaque horum ſimilia, in quibus agit Pontifex quidem, aut tanquam vir apprime doctus, atque multa rerum divinarum, humanarumque ſcientia locuples, aut tanquam Pater vere pius, ac fere paterna charitate erga fideles omnes adfectus, aut tanquam proprie Judex, Princepſque, apud quem Sacrorum non modo omnium integra ſumma, ſed & Civilium quamplurium cura conſiſtit, agit tamen ut perſona ſingularis, ac privata in quam ſubreptionis, vel obreptionis, ulla abſque vel culpa, cadere vitium poſſit, ideoque falli, & fallere ſit, etſi nolit, obnoxius. Alterius genus Reſcripta ſunt ad inſtar potius Legum publicarum, atque Conſtitutionum vim legis obligandi habentium, quæ jam uſitato ſtilo *Bullæ* nuncupantur: quibus Dogmata fidei præſertim, atque formandorum Regulæ morum aut decernuntur, aut declarantur, atque ita ſive decreta, ſive declarata omnibus, nulla adhibita temporis, loci, ac perſonæ limitatione, aut diſtinctione, obſervanda ex auctoritate demandantur. Quamquam neque has omnes, neque in his omnia pari, eademque pollere vi putandum eſt. Nam etiam multæ ob res a fidei doctrina, morumque diſciplina diverſas, ac diſtantes edi Bullæ ſolent: in his vero, quæ de fide, morumque regulis eduntur, multa obſervatu digna, atque præ oculis habenda ſunt. Et primo quidem principalis Bullæ ſententia, ſive pars illa, in quam Pontificis mens præcipue fertur, quæque ipſi præ aliis cordi fuit. Perinde Bullæ præfatio, quæ præmitti, velut ingreſſus viæ, conſueſcit. Rationes præterea ſententiæ præcipuæ adjectæ, quibus illa communiri, ac inſtrui ſolet. Denique illa quoque, quæ in Bulla extra propoſitam ſpeciem aſſuta ſunt, atque veluti additamenta quædam, ornatus, vel eruditionis gratia adjecta, haberi debent. Ex his ergo præcipuam, & hanc quidem ſolam Bullæ ſententiam, tanquam eam, de qua plene, ex perfecta gradus poteſtate, atque Spiritus S. aſſiſtentia ſpeciali mens Pontificis deliberat, veluti regulam fidei, ſive dictatum indeficientis iudicii habendam puto; eique integro mentis obſequio a Chriſti fidelibus obediendum. Non ita, opinor, in aliis; tametſi vel in his etiam nolle adquieſcere, non eſſet abſque periculo, vel abſque piaculo; niſi quando in contrarium apertiſſima veritas ipſa cogat: quo in caſu laceſſiri, violatique

obedientia dicenda neutiquam erit; ſiquidem rum nec ex ipſorum Pontificum voluntate obligandi vim habeant. Confer præ aliis, qui rem hanc egregie pertractat, Emin. Petram in proœm. ad Conſt. Pontif. §§. 2, & 3, alioſque apud ipſum hocce de argumento optime meritos: quibus prænonitis, atque præmiſſis, jam ad Pontificum Vindicias gradu appropinquo.

DE S. PETRO

§. I.

PRimus ex Pontificibus Maximis, quem impotenti furoris æſtu impetunt, atque proſternere ad ima, obtereque, ingenti pro eo, quo perciti livore ſunt, lapſu multiplici, hæreſis nequidem excepto, Heterodoxi enituntur, quibus, quod auditu eſt horrendum, manum dedere vel Catholicæ communionis nonnulli homines haud exhorruere, Princeps eſt Apoſtolorum, ipſe met S. Petrus. Rati nempe, ſi ſemel firmiſſimam hanc Petram dimovere loco, & infringere fuerit ipſis datum, fore perquamfacile, ut vel Eccleſia ipſa peſſum eat, vel ſupremi in Eccleſia Sacrorum Præſides non eo amplius in pretio habeantur, ut eorum dicto obedientes ſe præſtent omnes, velut eorum, qui pariter humani quodlibet pati poſſint, legique perinde quodcumque peccandi, pro infirma conditione, ſubjaceant. Nolim equidem lapſus omnes, qui per nefas æque, atque per inſigne mendacium S. Petro appinguntur, elevare, & eluere: quandoquidem id meam ad rem proxime non faciat, atque a noſtratibus alioqui Theologis, quin etiam jampridem a SS. Patribus diſpuncti affatim fuerint, atque depulſi; ſed iis prætermiſſis, quæ ipſius directe perſonam afficiunt, unum, vel alterum ſolummodo meo ſermone perſtringam, quibus negotium aliquod faceſſitum argumento videri poteſt, quoſque potiſſimum ad Pontificiam in ipſo poteſtatem, & infallibilitatem impetendam arripere, factoque cum Græcis, e Photii, ac Cerularii factione profectis, agmine Latini, qui e Lutheri, Calvinique gurguſtio prodiere, in aciem inſtruere ſolent, ac ſtudent. 1. Itaque ex trina negatione Chriſti D., quam imo juramento firmavit, inſe-

inferunt Petrum a fide defeciſse procul dubio; eidemque proinde defectui obnoxium eſſe Pontificem quemlibet, modo perperam ſibi adblandiri de privilegio nolit, vereaturque, quod denegatum utique S. Petro fateri ex ipſius lapſu conſtringitur. 2. Exacri reprehenſione, quam ob ſimulatam fidem a S. Paulo ſubjit, exſculpunt potuiſſe etiam S. Petrum, quemadmodum prodere, ita pariter fidem perdere; itaque utrique vitio Succeſſores ejuſdem ſuccumbere.

Atqui vetus eſt iſta calumnia jactata a Marcione, a Porphirio, a Juliano Apoſtata, a Nilo Theſſal., a Macario Ancyr., a Nicolao Methon., a Baſilio Theſſal., a Michaele Pſello, a Nilo Cabaſila, a Demetrio Chryſolora, a Nilo Rhodio, a Meletio Alex., a Georgio Coreſio, a Gabriele Philadelph., a Barlaamo, a Camatero, a Palama, a Scholario &c., quam jampridem obliteratam a Demetrio Cydonio, a Matthæo Caryophilo, a Joſepho Methon., a Nicephoro Blemmida, a Leone Allatio, a Conrado Brumo, a Bonaventura Vulcanio, a Bellarmino &c. refingere non depuduit Flaccium, Salmaſium, Simlerum, Junium, Sibrandum, Pfaffium &c. Equidem, ut ad primum ſatisfaciam, haud me fugit a perjurio excuſare S. Petrum eniti S. Hilarium cap. 3. in S. Matth., & S. Ambroſium in cap. 22. S Lucæ, trinam Petri negationem magis, quam inſigni, iniquoque mendacio, ambiguæ locutioni adſcribendo, oſtendendoque verba, quibus negationem perfecit, in rectum plane ſenſum inflecti facile potuiſſe, juxta quem nempe S. Petrus Chriſtum negando, hominem quidem, Deum non etiam negaverit. Is tamen ego non ſum, etſi fando non ſim, quatenus expoſitio hæc, ac quantopere ad levandum Petri lapſum conferre poſſit, non ſum, inquam, quantamcumque veri præferat ſpeciem, qui iſtiuſmodi ſpecioſis interpretationibus facile adquieſcam, meumque præbeam aſſenſum: eo vel magis, quod expoſitiones ejuſmodi, tacito quidem, reverentiæ gratia, illuſtri eorum nomine, haud ignorem rejectas, exploſaſque a S. Hieronymo in Matth., & a S. Auguſtino tract. 66. in Johan., eoque vel maxime, quod ubi dilucide loquitur Evangelium, conjecturis non opus eſt rei veritatem penitius attingere. Quid igitur? Parum, an plurimum deliquerit, ut quæram, non intereſt, ſed

quomodo deliquerit, mihi quærendum incumbit. Ergo, quantum ex Evangelio comprehendere fas eſt, S. Petrum contra fidei profeſſionem deliquiſſe quidem fateri cogor, interiorem tamen fidem haud perdidiſſe cum communi propugno, certaque SS. Patrum ſententia, quam calculo ſuo confirmat inter alios S. Auguſtinus lib. contra Mendac. cap. 6, ad quem te dimitti patiaris, quin profligato argumento, confectoque ſupervacaneam ego ſuperingerere operam adigar. Quid amplius? Indeficientis profecto fidei privilegio nondum adauctus tum fuerat S. Petrus, quum in Chriſti D. negationem erupit, quod ipſi non niſi poſt reſurrectionem a Chriſto D. fuit collatum, quamvis ante paſſionem fuiſſet jam ipſi promiſsum. Igitur peſſimum eſt argumenti genus a peccato Clavium collationem antecedente fallibilitatis notam, ipſius perinde Succeſſoribus infligendam, inferre: peſſimum quoque ex denegata impeccabilitatis gratia ad infallibilitatis privilegium cum ipſi, tum ipſius locum impleturis denegandum proſilire; quando imo S. Auguſtino ſerm. 124. de temp., Auctore lib. 7. S. Optato attributi adverſ. Parmen., & S. Gregorio M. hom. 22. in Evang. affirmantibus, Deo ſapientiſſime permittente, lapſus eſt S. Petrus, ut proprio exemplo peccantibus deinceps ipſe Paſtor commiſereri diſceret.

Jam quod 2. gravius objectum eſt loco, ſic diſpungo, atque 1. inquirendum duco, an S. Petrus a S. Paulo revera fuerit reprehenſus, eaque reapſe patraverit, ob quæ dignum ſe præſtiterit, qui a S. Paulo reprehenderetur; hoc eſt, anne Cephas Antiochiæ reprehenſus a S. Paulo ad Galat. 2. 11. alius a S. Petro fuerit. Celebris enim vero, vetuſque controverſia eſt iſta, quæ Scriptores cum veteres, tum nuperos in varia ſtudia diſtraxit. Affirmarunt, atque Cepham unum e Chriſti D. fuiſſe diſcipulis (quo plane cognomine pſeudo-Martialis ille, qui Toloſanis ſe quoque Apoſtolum propinavit, ſemet inſcripſit in epiſt., quæ proſtat tom. 2. Bibl. PP. Lugd. pag. 110.) atque heic reprehenſum alium a S. Petro Clemens Alexand. lib. hypotypoſeon apud Euſebium lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 12, pſeudo-Dorotheus Tyrius, ſive Procopius de Apoſtol., ac Diſcipul. D. in Bibl. PP. Colon., & Lugd. 1677. tom. 3, ac Pariſ. 1654. tom. 7, pſeudo-Hippolytus

lytus Thebanus Sæculi XI. Scriptor lib. de duod. Apoſt. in Auctario Combefiſii tom. 2. pag. 831, Chronici Alexandrini Auctor Sæculi VII. ad an. 30. pag. 213, edit. Cangii pag. 224, Oecumenius in cap. 2. ad Galat., Auctor Commentarii in epiſt. Paulinas ſub S. Anſelmi nomine, aliique cum Græci, tum Latini, quibus hanc inſediſſe ſententiam ætate ſua commemorant S. Jo: Chryſoſtomus hom. 64. tom. 5. Oper. pag. 719, S. Hieronymus in cap. 2. ad Galat., & S. Gregorius M. hom. 18. in Ezechiel. Quam perinde in opinionum pedibus, manibuſque abjerunt Carerius de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 5, Albertus Pighius de Hierarch. Eccleſ. lib. 3. cap. 11, ac poſtremo Harduinus, qui ſingulari in hunc locum, ideſt in Cap. 2. epiſt. ad Galat. adornata diſſertatione eamdem opinionem jam penitus obſoletam velut e ruderibus excitavit, vindicandamque ſuſcepit, hiſce ferme ductus, atque permotus argumentis. Tum quod Petri, & Cephæ diverſa velut nomina eodemmet Cap. 2. ep. ad Galat. S. Paulus adhibuit, ubi verſ. 7, & 8. bis nomen Petri, verſ. vero 9, 11, & 14. ter nomen Cephæ uſurpavit: quorſum autem diverſa nominum acceptio, niſi ad ſignificandam perſonarum diverſitatem? Tum quod S. Petrus nuſquam Cephæ nomine deſignatus fuerit, niſi a Syriace loquentibus, atque ſcribentibus, ſiquidem a Latinis Petrus, a Græcis Πέτρος ſemper ſit dictus: quo pariter nomine a S. Paulo appellatus ibidem eſt; neque ullibi ab ullo Apoſtolis aliis fuit poſtpoſitus, ſicuti Cephas poſt S. Jacobum hoc loci laudatur. Tum quod a veri abhorreat ſpecie id S. Paulum auſum, ſibique temere aſſumpſiſſe, ut ſupremum Eccleſiæ Principem tam acri reprehenſione afficeret. Multo quoque minus S. Petrum ſe ſe reprehendendum exhibuiſſe: qui enim tot annis cum Gentilibus menſa, & cibo palam, Judæiſque ſpectantibus, fuerat uſus Act. 10, ipſiſque coram Legalium obſervantiam minime obligare Jeroſolymis annuntiaverat Act. 11, quì demum fieri potuit, ut Antiochiæ Judæos aliquos veritus, eorum gratia a communione Gentilium ſe ſubtraxerit? Tum quod neque Petrum Antiochiæ cum Paulo degiſſe, neque Paulum diſſenſiſſe aliquando a Petro uſpiam in Actis a S. Luca commemoratum legitur. Poſtremo, in quo potiſſimam vim facit, diſſidium inter Paulum, & Cephan, de quo in epiſt. ad Galat. cap. 2,

ex

ex eodem loci conjiciendum liquet in annum 14. a S. Pauli conversione, hoc est in an. 49. Æræ Christ., quo anno Concilium Hierosolymitanum III. de cessatione Legalium habitum est, quo de agitur Act. 15. Jam vero ante Concilium a Paulo reprehensum fuisse Cepham, tam voluit S. Augustinus in epist. 82. nov. edit. cum aliis multis, quam veri sit valde simile ex eo, quod Act. 15. dicuntur SS. Paulus, & Barnabas Jerosolymam venisse ad Apostolos, eosdem consulendi gratia super exorta de Legalibus controversia: cujus rei in causa profecto aliud esse non potuit, quam disceptatio Antiochiæ paullo ante cum Cepha, aliisque Judæis habita de eorumdem Legalium observantia: tum autem temporis, uti patet, Antiochiæ S. Petrus non erat, sed Jerosolymis cum Apostolis ceteris in Concilio agens.

Ex adverso negant, atque Cepham heic a S. Paulo reprehensum eumdemmet S. Petrum esse pugnant communi suffragio Patres, & Scriptores, inter quos S. Irenæus lib. 3. cap. 12, Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 3, & lib. de præscript. cap. 23, Origenes lib. 2. contra Celsum n. 1, S. Cyprianus in epist. 71. ad Quintum, Eusebius Cæsar. Comment. in Psal. 74, S. Hieronymus in Prologo Comment. ad Galat., in cap. 2, & in epist 75. alias 11. inter Augustin. tom. istius Oper. 2. pag. 128, ibidemque apud ipsum Theodorus Heracleotes, Didymus, Apollinaris Laod., Alexander vetus hæreticus, & Eusebius Emissen., S. Jo: Chrysostomus hom. 64. tom. 5, S. Augustinus in epist. 82. alias 19, lib. 1. de Bapt. cap. 2, lib. de mend. cap. 1, & de Agone Christ. cap. 30, S. Cyrillus Alex. lib. 9. contra Julian. pag 325, Cassianus Collat. 17., Theodoretus in cap. 2. ad Galat., Ambrosiaster, sive Hilarius Diac. in eumdem locum, S. Gregorius M. hom. 18. in Ezech., & lib. 18. in Job. n 10, aliique sequioris ætatis apud Cornelium a Lapide in cap. 2. ad Galat., quibus utroque subscribendum pollice sibi statuerunt Baronius ad an. 51. n. 33, & seqq., Tillemontius tom. 1. pag. 237, Bailletus ad 29. Jun., Fleurius hist. Eccles. lib. 2, Jacobus Boileau disquisit. Theolog. in cap. 2. ad Galat., Calmetius dissert. in eumdem locum, Cavalcanti in Vindic. Rom. Pontif. lib. 1. dissert. 2., Mamachius Orig., & antiq. Christ. tom. 5. par. 1. lib. 4. cap. 1. §. 4. in parergo pag. 102, & seqq., ex

Pro-

Proteſtantibus vero Pearſonius in Annal. Paulin. pag. 10, Baſnagius in Annal. Eccleſ. ad an. 50. n. 9, Deilingius tom. 2. Obſervat. cap. 45, aliique, quos perſequi non vacat. Quorum ad confirmandam ſententiam illud quammaxime confert, quod præcit. cap. 2. ad Galat., ubi Vulgata habet *Cephas*, vetuſtiſſima Græca Exemplaria, atque veteres etiam Interpretes legunt *Petrus*. Quin etiam *Petrus* habent veteris quoque Vulgatæ Exemplaria Claramontis, & S. Germani a Pratis celeberrima, Codex item Alexandrinus venerandæ antiquitatis, velut obſervat Millius in cit. cap. 2. ad Galat. nov. Teſt. Græc. edit. pag. 545, Verſio antiqua Latina, de qua Sabaterius tom. 3, Codex GræcoLatinus Barnerii &c.; atque Petrum denique loco Cephæ legerunt Tertullianus adv. Marc., Hilarius Diac., ac Theodoretus.

Neque vero urgent momenta ab Harduino allata, quæ tam levi profligantur brachio, quam ingenti ille conglomeravit apparatu. Spuriam utramque ad Toloſanos, & ad Burdegalenſes Epiſtolam, quæ ſub S. Martialis nomine circumfertur, jam dudum demonſtraverunt viri doctiſs. Dionyſius SanMarthanus to. 2. Gall. Chriſt., Nourrius in appar. ad Bibl. PP. tom. 1. diſſert. 9, Barthius adverſar. lib. 45. capp. 7, & 21, Oudinus tom. 2. pag. 66, & ſeqq., aliique. Librum Hypotypoſeon non deſunt, qui hypobolimæis, ac pſeudonymis adnumerent. De libro cum probro loquitur Photius Cod. 109, tamquam de Opere erratis, fabellis, atque ſententiis quin etiam impiis refertiſſimo, ſuoque haud multum indigno parente, quem nimis interdum credulum, apocrypticis narrationibus, vulgaribuſque rumoribus ab incerta traditione delectatum obſervavit Richardus Montacutius Origin. Eccleſ. lib. 2. pag. 52. Neque vero potiori haberi in pretio merentur ſive pſeudo-Dorotheus, ſive pſeudo-Hippolytus, quorum libros undique nugis exundare nemo ignorat, ſive Oecumenius, ſive Auctor Chron. Alex. (qui poſterior incertis quidem conjecturis fertur Coſmas Indoplauſta apud Allatium, Georgius Piſides apud Uſſerium, Georgius Alexand. apud Oudinum) quos hanc ex Clemente Alex. abſque delectu hauſiſſe ſententiam indubium eſt. Ut interea de Auctore Commentarii ſub S. Anſelmi Cant. nomine nihil dicam, qui periocham hancce profert, quin aſſumat, probet-

betque, quemque fuisse Hervæum Dolensem Monachum jam patet ex Encyclica de ipsius vita, & scriptis circa an. 1130. apud Dacherium Spicileg. tom. 2. pag. 514, nov. edit. tom. 3. pag. 461, Pezium in præf. ad tom. 3. Anecd. pag. 4, & Oudinum tom. 2. pag. 1114: tanti quippe non sunt, qui tot aliis numero, & auctoritate præstantioribus, in oppositum pugnantibus, anteferri mereantur. Valdequam infirmum est vero argumentum, quod a nominis sive variatione, sive etiam postpositione petitur. Qui enim pluribus affectus S. Petrus fuit, modo uno, modo altero, modoque ante, modoque post alios quoque efferri potuit: neque enim ibi dignitati sit locus, quum de Petri Summo Pontificatu sermo non instituatur, qui totus versatur in re mere historica. Cæterum autem neque semel ab Evangelistis modo Simonis, modo Cephæ nomine idem semper S. Petrus designatus legitur; certissimeque S. Petrum accipiendum fore, qui 1. Corinth. 15. 5. Cephas dicitur a S. Paulo, contra quam contendat Harduinus, idem, qui Simon Lucæ 24. 34. denominatur, ex utriusque loci collatione liquidissime constat. Neque id officit sane, quod S. Paulum, qui humilitate præstabat, primamque S. Petri dignitatem quammaxime sciebat, suoque, ut oportebat, summo habebat optime honore, omnibus coram Apostolorum Principi exprobrare haud fuisse veritum veri parum videri possit simile: nam S. Paulus, quæ illuc usque docuerat, S. Petri exemplo everti perpendens, ejus siquidem simulatio Judæis conversis Legalium necessitatem obtrudere videretur, sui muneris ideo particulam duxit S. Petrum arguere: quem perinde quod auctoritatis quadam specie arguerit, sive, ut ipsemet loquitur, in faciem eidem restiterit, non id profecto arrogantiæ, procacitatique tribuendum, sed magis ipsius maximo, ingenuoque veritatis amori vertendum, atque metui jure majori, veluti SS. Augustino in epist. 28. olim 8, 40, 71, & 93. nov. edit., ac Gregorio M. lib. 28. Moral. cap. 12, & hom. 18. in Ezech. visum est, ne Principis Apostolorum exemplo Antiocheni ex Circumcisione conversi Legalium observantiæ se obligari autumarent. Quatenus vero S. Petrus reprehensione S. Paulo se dignum præstiterit, discutiendum paullo post erit.

Neque magis obest S. Lucam nihil horum meminisse, utpote qui

qui non universa sive a S. Petro, sive a S. Paulo factitata sermone complectenda sibi proposuit: quum neque meminerit Cathedræ a S. Petro Antiochiæ primum collocatæ, Romamque deinde translatæ, neque hujusce dissidii sive cum Petro, sive cum Cepha a S. Paulo habiti: quod tamen nemo in dubitationem, insigni absque S. Pauli injuria, qui ejus meminit Cap. 2. ad Galat., adduxerit. Neque officit tandem ratio temporis, de qua etsi inter Eruditos non conveniat, a quo nempe tempore supputandi sint anni 14. post Conversionem, de quibus cap. 2. ad Galat., nam alii post V. Bedam in Act. 15. a primo ipsius S. Pauli Conversionis anno initium ducendum pugnant, alii contra post S. Hieronymum in cit. 2. ad Galat. incipiendos fore a triennio post eamdem Conversionem, de quo superiori cap. 1., ita videlicet ut S. Paulus tribus a Conversione elapsis annis primam Hierosolymitanam profectionem adornaverit, veluti habet cap. 1, post quam anno 14, a Conversione idest an. 17, secundam susceperit, uti cap. 2. refert: convenit attamen post Concilium Hierosolymitanum III. perfecta Antiochiæ fuisse, quæ de suo cum S. Petro congressu, sive de Petro ab se reprehenso eodem cap. 2. S. Paulus commemorat. Itaque S. Pauli Conversionem in Æræ Christ. an. 30. conjiciunt Henschenius in dissert. Chronolog. Actor. S. Petri ab Ascens. D. ad obitum, & Blanchinius in Chronologia Pontif., Cæsar., & Consul. tom. 2. Anast. pag. cxlv.; in an. 34. rejicit Calmetius cit. dissert. in cap. 2. ad Galat.; anno 35. illigat Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 4. pag. 57; in annum 36. confert, sive 2. ab Ascensione Baronius n. 1, & seqq.; ad an. 42. differt Frider. Spanhemius in dissert. de Convers. Paulinæ epocha tom. 2. Oper. pag. 323. Concilium Hierosolymitanum III. super Ritibus Judaicis post Legationem Ecclesiæ Antiochenæ, de quo Act. 15, habitum Æræ Christ. an. 46, sive ab Ascensione 18. censet Blanchinius in Annal. Pontif. S. Petri pag. 18; an. 47, a Conversione 17. Henschenius; an. 48. putant Beveregius in proleg. ad Synodicon vetus §. 4, & Launojus lib. 8. epist. 14. pag. 782; an. 49. Petavius lib. 11. cap. 12; anno 51. Baronius n. 6, & seqq., Calmetius, & Brujus hist. Pontif. tom. 1. pag. 10, & seq. Epistolam denique ad Galatas exaratam an. 56, vel 57. existimat Dupinius in proleg. Bibl. tom. 2.

pag. 495 an. 58. Fabicius Bibl. Græc. tom. 3. lib. 4. cap. 5. pag. 155; an. 61. Romæ ſcripram indicat Euthalius Diacon. Sæculi V. Scriptor in prologo ad epiſt. S. Pauli in Nov. Teſt. edit. Boecleri, & Collect. vet. Monum. Zaccagnii. Utcumque iſtæ ſe habeant, nihil prohibet, quominus poſt Concilium Hieroſolymitanum S. Petrus Antiochiam perrexerit, ibique locum fecerit præmemoratæ reprehenſioni, quam a S. Paulo ſub id quoque temporis Antiochiam regreſſo ſubjit.

Quibus loco poſitis, inquirere præſtat 2, an S. Petrus revera fuerit reprehenſione dignus, ſive ea reapſe patrarit, ob quæ S. Paulus eum reprehendendum duxerit. Equidem fuere, qui ne Ethnicis, ac Porphyrio quammaxime relinquererur locus oblatrandi, obloquendique, ſi aut S. Petrus turpiter erraſſe, aut S. Paulus arroganter, procaciterque Apoſtolorum Principi exprobraſſe dicerentur, dicere maluerunt Paulum de Petri conſilio ipſum Petrum increpandum ſibi ſumpſiſſe: etſi etenim eadem uterque ſentiret, eadem gereret, in eiſdemque conveniret, Petrus tamen Paulo ſuaſerit, conſenſuque, atque conſilio auctor fuerit, ut ſibi coram omnibus exprobraret: quo intelligerent demum Judæi libertatem ab Evangelio inductam eam eſſe, cui ſane Legalium obſervantiam cedere oporteret. Ita apud S. Hieronymum in epiſt. 75. nov. edit. Oper. S. Auguſtini Origenes, Didymus, Apollinaris Laod., Euſebius Emiſs., Theodorus Heracleotes, & Alexander; item S. Jo: Chryſoſtomus, Theodoretus, Caſſianus, Theophylactus, & Oecumenius loc. ſupra cit., quorum opinionem ipſe S. Hieronymus velis, remiſque propugnavit, eo graviſſimo fretus momento, quod ſiquidem S. Paulus longe ſæpius, quam S. Petrus, qui fere ſemel id humani legirur paſſus, ut Judæis Legalium indulgentiam faceret, Legalibus uſus eſt, non fuiſſet profecto, cur S. Petrum ideo reprehenderet, ſed fuiſſet potius, cur ipſe a S. Petro licentius reprehenderetur. Qui enim fieri potuit, ut Paulus ſerio reprehendendum in Petro ſuſciperet, quod ipſemet poſtea facturus plus vice ſimplici eſſet? Vel potius, quo pacto factiraſſet ipſe poſtmodum, quod prius in Petro graviter reprehendiſſet? Nam ipſe quidem S. Paulus, quoties ad profectum Evangelii facere exiſtimavit, Judaicos ritus uſurpavit, ac repetiit: ut quum Timotheum

theum ex Patre Gentili circumcidit Act. 16. 3; ut quum Judaicum Nazaræorum juxta morem caput totondit in Cenchreis Act. 18. 18; ut quum Hierosolymis ante se purificavit, quam in Templum ingrederetur Act. 21. 26. Præterquamquod ob rem tum adhuc temporis licitam reprehensione dignus S. Petrus non erat, quam neque illicitam reputavit S. Paulus, qui ideo 1. Corinth. 9. 20. factum se iis, qui sub Lege erant, quasi sub Lege esset, atque viciſſim iis, qui sine Lege erant, tanquam sine Lege esset, affirmat: quod feciſſe illum ex charitatis impulsu, quo omnibus familiariter utebatur, ut omnes Christo lucrifaceret, cum Ethnicis abstinendo a Legalibus, quæ, antiquata jam Lege, non amplius necessario observanda veniebant, atque viciſſim Legalium usum repetendo, quoties cum Judæis consuetudo interceſſiſſet, opportune adnotavit S. Augustinus in epist. 40. olim 9, & 82. olim. 19. Sed & vide-sis Cornelium a Lap., Tirinum, Lorinum, alioſque Interpretes in Act. 21. vers. 21, atque Balduinum in cap. 2. ad Galat.

At enim oppositam in sententiam pedibus, manibusque conceſſere Tertullianus, & S. Cyprianus locis superius indic., S. Augustinus in epist. ad Galat. cap. 2, lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 1, ac præsertim epist. 8, & seqq. usque ad 20, sive apud S. Hieronymum epist. 86, & seqq. usque ad 97, & apud ipsum S. Ambrosius, Hilarius Diacon., & S. Gregorius M. loc. cit., S. Thomas Lect. 4. in cap. 2. ad Galat., 1 2. q. 103. art. 4. ad 2, & 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2, communiterque Theologi, ac Interpretes, quos inter adeundi Calmetius dissert. cit., Natalis ad Sæcul. 1. dissert. 11, & Cavalcanti dissert. 3. Cui sententiæ tandem consensiſſe S. Hieronymum tradit S Augustinus in epist. 260. ad Oceanum, auguraturque fas est ex lib. 1. Dialog. adverſ. Pelag. cap. 8, ubi inter exempla Episcoporum, quos non caruiſſe peccatis, neque prorsus irreprehensibiles se præstitiſſe fatetur, istud quoque S. Petri a S. Paulo reprehensi profert. Argumento vero S. Augustino, ejusdemque Sectatoribus sententiæ, & quidem graviſſimo explicitum testimonium est S. Pauli cap. 2. epist. ad Galat., quod si in eum semel intorqueri sensum permittatur, quo significetur Petrus sincero nequamquam animo a Paulo reprehensus, sed ex simulatio-

ne, ſed ex condicto, ſed in ſpeciem, exinde, ut optime argumentabatur S. Auguſtinus in epiſt. præmem., ſive in nov. edit. 28, 40, 71, & 82, aditus Ethnicis longus, latuſque patefieret impune de S. Scripturæ ſimulatione, ſacrorumque Scriptorum mendacio ſuſpicandi: quo quidem Religioni, reique Chriſtianæ nihil deterius, nihilque damnoſius accideret. Si enim facias, ut S. Paulus ficte S. Petrum redarguerit, aut fingatur redarguiſſe: Petrus igitur dignus profecto non erat, qui objurgaretur: atque ſi dignus objurgatione non erat, mendax igitur Paulus, quod illum merito objurgandum dixerit. Profecto ad os Porphyrio, Juliano, Ethnicisque obſtruendum, ait S. Auguſtinus, non erat occaſio danda major obtrectandi: e re erat Petri culpam, Pauli correptionem fateri; re enim rite expenſa, in utriuſque laudem id totum concedebat; videlicet quod Paulus charitati deſerviens Apoſtolo dignam libertatem prætulerit; Petrus vero reprehenſionem haud reſpuens inſigne humilitatis ſpecimen præbuerit. Ex quibus adparet jure, optimeque a Natali, & Cavalcanti vapulare Baronium ad an. 51. n. 37, & Cornelium a Lapide in cap. 2. ad Galat. putantes S. Auguſtinum non ſatis exploratum habuiſſe intimum S. Hieronymi ſenſum, quaſi officioſo mendacio locum feciſſe in epiſt ad Galat. S. Paulum docuiſſe S. Hieronymum dixerit S. Auguſtinus: non id enim dixit, bene vero id neceſſario ſequuturum S. Auguſtinus ſubintulit, ſi veritati inniteretur S. Hieronymi ſententia, quam idcirco oppugnabat.

Quid igitur? Quum dicitur S. Petrus reapſe a S. Paulo reprehenſus, reapſeque dignus reprehenſione, quo tandem modo id intelligi, accipique jubes? Atque id quidem eſt, in quod 3. diligentius præſtat inquirere, quod ad rem propius noſtram attingit: an ne Petrus a fide deflexerit, ac deinde an revera, & quatenus, ſi fieri poteſt, peccando deliquerit. Non ſoli ſiquidem ſunt, qui adfirment ob illud, quo exæſtuant in Pontifices odio pluſquam vatiniano, Proteſtantes, atque M. Antonius de Dominis, Maimburgus quoque *Etabliſſ. de l' Egliſe* cap. 7, adfirmare Harduinus non dubitavit, idque ex admiſſa ſemel ea culpa, ob quam a Paulo fuiſſet objurgatus, atque poſt Concilium quidem Hieroſolymitanum patratam, neceſſario conſequi concludit. Exemplo ſuo enim Cir-

Circumcisionem, & Cæremonialia ad salutem necessario adhibenda, & docuisset, & comprobasset: quod post Hierosolymitanum Concilium, in quo eadem obligare deinceps desiisse fuerat declaratum, definitumque, hæresim prorsus olebat, cui propterea ne Petrum obnoxium faceret, maluit Harduinus alium a Petro facere Cepham a Paulo eam ob rem objurgatum; idque ob id quoque fecit, ut Protestantibus ansam eriperet Romanorum Pontificum auctoritatem posthabendi, ac vilificandi, veluti eorum, qui decipi, ac decipere & ipsi possint. Protestantes iniquo pro ingenio, ac pessimo affectu apage, vicissim pro bona volontate, optimoque voto quidem Harduino laudes: nisi pariter ipsi congruit, quod pridem S. Hieronymo Græcorum Interpretum laudanti consilium, quo ad Ethnicorum calumnias evertendas, atque obtrectandi Apostolis omnem intercludendum aditum, confinxerant ex condicto, pia simulatione, sanctaque πανουργία, prudentia, de utriusque Apostoli convento id totum peractum, atque Petro exprobratum a Paulo, reposuit opportune S. Augustinus exinde aditum Ethnicis pejorem aperiri S. Scripturas insimulandi fraudis, aut falsitatis: quomodo a summo ad imum Religio ipsa subrueretur; non secus, inquam, Harduinus hinc quidem hæreticis aditum interciperet in Pontifices obganniendi, illinc vero latum patefaceret Scriptores Sacros parvipendendi. Non erat vero, cur id vereretur vir doctus, unde eam declinandæ difficultatis viam excogitaret. Quid enim ardui eum incessit consilii, ut ab hæresis invidiosa labe Petrum absterget, in eam detrudere non sit veritus Cepham? Sed enim Cephæ cur adjungere in hæresis crimine Barnabam veritus est, quem Paulus ejusdem, atque Cepham, simulationis quum egerit reum, hæresis pariter condemnari ab Harduino oportebat? Quæ vero est ista argumentandi inversa ratio duas res inter se disjunctissimas, quas Dominus in Evangelio discrevit, videlicet docendi, & agendi Matth. 23. 3, conjungere in unum, ac copulare, atque ita eum in hæresim conjicere, qui opere Legalia coluit, quasi coluerit pariter animo? Quid præterea, quod Legalia tum adhuc temporis colere, ne leve quidem culpæ vestigium referebat? Sed hac de re postea. At enim non recte S. Petrum ambulasse ad Evangelii veritatem, ipsum qui ideo reprehen-

hendit, auctor eſt S. Paulus! Quid tum inde? Exinde quidem Petrum haud fuiſſe impeccabilem fatendum eſt, non etiam infallibilem non fuiſſe recte infertur. Quippe & qui male ſentit, & qui male agit, haud recte ad Evangelii veritatem incedit, ſiquidem Evangelicum ſit tam bene agere, quem bene ſentire. Cæremonialia tum quoque interius animo improbabat, dum exterius Judæorum gratia eiſdem operam impendebat; neque de fide plane, qua nullatenus diſcrepabat, ſed de facto dumtaxat negotium ei faceſſitum a Paulo, qui de ſcandalo, quod ſua ſimulatione creabat, non cogitantem ſibi animos ad objurgandum adjecit, certus alioqui de mente integra Petri.

Itaque certiſſimum eſt, atque Patrum quidem ſententia, S. Petrum contra fidem haud peccaſſe, incertum quamvis ſit apud Patres, an revera Petrus, & quatenus peccaverit: de quo nunc poſtremo quærere, & inquirere juvat. Atque principio, ſiquidem Legalia, quæ licet jam mortua, non tamen adhuc, juxta Theologorum effatum, mortifera evaſerant, veluti explicite docet S. Auguſtinus epiſt. ult. ad S. Hieronymum(quave de re Gabriel Albaſpinæus Obſervat. de veter. Eccl. ritib. lib. 1. cap. 13, & Carpzovius in diſſert. de Synagoga cum honore ſepulta) quæque in Concilio Hieroſolymitano obſervatu haud neceſſaria quidem, non illico etiam illicita fuerant denuntiata, tuta frequentari conſcientia poterant, eademque frequentando, rem haud illicitam ſe facere Petrus certe ſciebat, qui certe ideo faciebat, quod cum Judæis mitius agendum, neque uno impetu illis præcidenda eſſe omnia putabat, ſed tractu temporis, atque nova ipſis, meliora-que ſenſim inſinuando, ſive uti loquitur Scotus in 4. ſent. diſt. 3. qu. 4 pedetentim docendo, ſuoque quin etiam oſtendendo exemplo: *Legem fuiſſe bonam in tempore ſuo, ac cum honore ſepeliendam*: (quod plane factum a S. Petro ullo prorſus abſque fidei diſpendio confirmat ipſe Carpzovius ſect. 1. §. 3. cit. diſſer. pag. 798) quænam inſania, audaciaque Centuriatores inter alios inceſſit, ut veteres, jamque olim a Tertulliano lib. 4. contra Marc., & a S. Cyrillo lib. 9 contra Julian. convulſas, Marcionis, & Juliani, qui peccati graviſſimi a Paulo notatum, reprehenſumque Petrum affirmare non exhorruere, calumnias recoquere, atque graviſſime

a Pe-

a Petro peccatum, deque peccato graviſſimo juſtiſſime a Paulo reprehenſum, jure optimo ideo a Bellarmino de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 28. reprehenſione ipſi valdequam digni habiti, effutire nec erubeſcerent, nec extimerent? Age vero, quale, quantumque fuerit, Patrum ſententia, S. Petri peccatum, videatur: quod fortaſſe nullum quinimo fuiſſe, atque integra quidem tam S. Scripturæ fide, quam recta S. Pauli agendi ratione, videre fas erit. Tertullianus imprimis lib. 1. contra Marc. cap. 20. in S. Petro inconſtantiæ vix in converſando, ac ne vix quidem vitium, de quo reprehenderetur a S. Paulo, reperire potuit: *Cæterum*, inquiens, *ſi reprehenſus eſt Petrus, quod quum convixiſſet Ethnicis, poſtea ſe a convictu ſeparabat, perſonarum reſpectu, utique Converſationis fuit vitium, non Prædicationis*. Quod repetit lib. de Præſcript. cap. 25, atque lib. 5. contra Marc. cap. 3. haud abſimilibus hiſce verbis effert: *Paulus ſane reprehendit Petrum, non ob aliud tamen, quam ob inconſtantiam victus, quem pro perſonarum qualitate variabat, non ob aliquam Divinitatis perverſitatem*. Juxta hæc imbecillitatis leve in Petro veſtigium deprehendere viſum eſt S. Gelaſio in tract. de Anath., & Pelagio II. in epiſt. 3. ad Epiſcopos Iſtriæ, qua nempe aliud verbis docuerit, ac prædicaverit, aliud exemplo, & facto, quo ut Judæis acceptior evaderet, eorumque gratiam aucuparet, Legalium obſervantiam ſimulabat, quam tamen ad ſalutem haud neceſſariam Act. 15. Gentilibus jam annuntiaverat. In cauſſam vero, cur dignus Petrus reprehenſione Paulo viſus fuerit, diligenter, ac penitius inſpiciens S. Jo: Chryſoſtomus, vix reperit, quo id culpæ, ſiqua levis fuit, verterit timori; atque ut Græci ſermonis vim optime tenebat, ubi ad Galat. 2. verſ. 12. Græce habetur: Φοβούμενος τὰς ἐκ περιτομῆς, quod Latinus Interpres reddidit: *Timens eos, qui ex Circumciſione erant*, reddique æque Latine poterat: *Timens eis* &c.; timori verterit, non quo ſibi a Judaeis timeret utique, ſed quo ipſis timeret Judæis: *Non hoc*, inquit, *metuens, ne veniret in diſcrimen; namque initio non metuerat, multo minus tum metuiſſet: verum illud metuebat, ne deficerent; quandoquidem ita & ipſe Paulus loquitur Galatis, dum inquit*: Timeo vos, ne forte ſine cauſſa laboraverim in vobis. Quam in ſententiam utroque incedens pe-

de

de S. Thomas Lect. 3. in cap. 2. ad Galat., timuiſſe utique Petrum affirmat: *Non quidem timore humano, ſive mundano, ſed timore charitatis, ne ſcilicet* (Judæi) *ſcandalizarentur*: Quod ipſum a Gloſſa obſervatum ſubjungit. Quamquam S. Doctor cum ibidem poſtea, tum in 1. 2. q. 103. art. 4. ad 2. in ea opinione verſatur, quod S. Petrus venialiter peccaverit, non in eo quidem, quod ad tempus Legalia obſervarit, ſed quod circa Legalium obſervantiam nimiam diligentiam adhibuerit, ne ſcandalum Judæis crearet, non animadvertens exinde Gentilibus ſcandalum conflari; ideſt peccaverit indiſcretione, qua parti Judæorum nimis inhærens, quod ab his avertere ſatagebat, in Gentiles conjecerit ſcandalum.

Ut erat vero perſpicaciſſimo acumine præditus S. Auguſtinus, poſtquam in Epiſt. 19. in eadem pariter ſententia de Legalium ceſſatione fuiſſe tam S. Petrum, quam S. Paulum affirmaſſet, atque a Paulo quidem impune, ulloque abſque peccato Legalia aliquando frequentata, ideo quod frequentaſſet: *Non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu*, ſoloque pietatis ſenſu factus fuiſſet Judæis Judæus: *Compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ*; in Petro viciſſim modum, quo Legalibus utebatur, ſimulationem ideſt, effectumque, qui ex ſimulato Legalium uſu ſequebatur, ideſt ſcandalum, reprehenſione digna Paulo viſa ſubjungit. *Non itaque tunc eum, quod in ea re verum eſſet, docebat, ſed ejus ſimulationem, qua Gentes judaizare cogebantur, arguebat.* Quorum ſimilia habet in epiſt. 74, in Expoſit. epiſt. ad Galat., lib. 2. contra Creſcon. cap. 32, de Bapt. contra Donat. lib. 2. cap. 1, & lib. 6. cap. 2. Atque hanc juxta ſententiam Inconſiderationis, aut Imprudentiæ, qua id fecerit, ex quo Gentilium offenſio ſequuta eſt, levem etſi, labem incurriſſe Petrum exiſtimant Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. 1. diſſert. 11, Juveninus Theolog. inſtit. par. 1. diſſert. 4. cap. 7, ac Philippus Anaſtaſius de Rom. Pontif. poteſt lib. 1. cap. 14. n. 3. Contra vero longe veriſimilius, ne levis quidem peccati labem a S. Petro Legalibus utente fuiſſe contractam, putant Baronius ad an. 51. n. 39, & ſeqq., Gisbertus in vera Idea Theologiæ diſſert. 1, & Heiſſius in Vindic. ſumm. Pontif. par. 1. cap. 1. ſect. 1. art. 4. Nempe opus humanum ex triplici

plici capite malum evadere rite obſervant, ex intentione mala operantis, ex opere ipſo malo, eventuque malo operis. Iterum opus malum ex circumſtantiis etiam malis fieri, ſi tempore non ſuo, locoque non opportuno fiat. Tandem ut malus operis eventus, ſive effectus malus, qui operis occaſione provenit, operanti malitiæ imputetur, prævideri illum potuiſſe, aut debuiſſe proſpici. Jam vero, ut de ipſius recta intentione non loquar, de qua dubitare nefas, S. Petrus id operans, quod alioqui certo ſciebat ſibi licere, quodque perinde operari S. Paulo certe licuit, cui ceteroqui minus licere videbatur; id operans & loco, & tempore, quod Judæis quidem ingenti utilitati cedebat, Gentilibus vero detrimento ullo per ſe eſſe poſſe non videbatur; id operans, quod futurum damno, aut inculpate non prævidit, aut ſi prævidit, impedire, aut utrinque non poterat, quæ enim impendebat Ethnicis, offenſionem viciſſim Judæis, atque graviorem forſan incumbere vel proſpiciebat, vel jure putabat; aut non debebat, ſiquidem ipſe ſpeciatim Apoſtolus Judæorum, iſtis præ aliis, quorum ſpecialem S. Paulus induerat ſollicitudinem, intendere, ſtudere que ſibi ſuſceperat, atque offenſionem ab iſtis procul avertere: ideoque a Gentilibus ſæpius invitatus diu reſtitit, atque Judæorum gratia in Legalium obſervatione diu ſtetit. Relinquitur igitur, ut S. Petrus reprehenſibilis ideo a S. Paulo reputatus ſit, juſtamque quinimo reprehenſionem incurrerit, non ob intentionem utique malam, qua operatus ſit, neque ob malum ipſum opus, quod ex ſe fuerit, vel ex circonſtantiis, ſed malum ob eventum operis, ſeu effectum inde ſequutum, Ethnicorum videlicet offenſionem, cujus quamvis in culpa, ne levi quidem, fuerit S. Petrus, eum tamen pro virili impedire parte ſua S. Paulo Gentium utique Apoſtolo cordi quammaxime erat. Atque ita quidem Apoſtolorum Principis auctoritatis, fideique integritati proſpicere ſummopere referebat, ut ab inferendo inde ipſius in Apoſtolica Sede Succeſſoribus Romanis Pontificibus probro animo quotquot erga ipſos peſſime affectos prohibere quò efficacius, eò auſpicatius aggrederer. Quod dum aggredior, quo demum abs me perficiendum modo propoſuerim, ſtatim in veſtibulo admoneo.

DE SS. CLEMENTE, ELEUTHERO, VICTORE, ZEPHYRINO, CORNELIO, ET STEPHANO.

§. II.

VEtus eſt, quæ uſu deinde frequentiſſimo Novatoribus venit, Veteratorum impudentia S. Petri Succeſſoribus Pontificibus Summis flagitiorum cujuſque genus infamiam pro libitu affiandi, qua impuriſſimis, quibus affluere ipſi cogitant, facinorum quibuſcumque ſpurcitiis pro libidine impune laxare habenas, & quoquo excuſare modo poſſint. Quandoquidem autem, ut toto, quo late patet, invitique tot fœde trahuntur Pontifices, vitiorum foro pervager, a probro quocumque Pontificem quemlibet abſterſurus, quod neque primum in deſtinatis, votiſque habui, præſtituti operis fines, etſi facere vellem, eſſetque facile alioqui, non ferunt, eo ſaltem operam conferam totam, ut quibus perfricuit, prorſuſque periit, frontem perfringam, ne ſaltem hæreſum ſordibus, quas interea, turpiſſimaſque quaſcumque ſpargere ipſis quidem in vulgus per me licebit, Pontifices aſpergendi licentiam deinceps arripiant. S. Clementis imprimis Epiſtolam ad Corinthios primam, atque genuinum plane ejuſdem fœtum, & encomio celebrare, quod non facere non poterat, & vituperio dehoneſtare pro eo pluſquam vatiniano, quo proſcindendos Romanos Pontifices ſibi ab initio propoſuiſſe videtur, odio omnium primus aggreſſus eſt Photius Bibl. Cod. 126. Tria videlicet reprehenſione valdequam digna in ea ſe reperiſſe gaviſus eſt: quod extra Oceanum Mundos aliquos collocet: quod Phœnicem avem unigenam, tanquam veriſſimo pro argumento Reſurrectionis adhibere non dubitet: quod de Chriſto D. loquens, non eas ſublimes uſurpet loquutiones, quæ ejuſdem Divinitatem probe deceant. Secundam in S. Clementem intentat calumniam Sebaſtianus Frankus Chron. par. 5 pag. 204, eumque Sanctorum, Imaginumque ſacrarum cultui infenſum agere, infeſtumque non veretur; argumento deſumpto ex lib. 6. de Imag. ad Jacobum Fratr. Dom., Clementis nomine inſcripto: ubi viſibiles adorare Imagines diſerte injuſtum dicit, ideſt ad lignea, & la-

& lapidea concurſitare Idola, atque inania, inanimataque ſimulacra Deiformiter colere. Nihilvero magiſ impium, & ingratum eſſe ſubtexit, quam beneficia a Deo recipere, ac pro iis ligno, & lapidi gratias agere. Iniquius tertio in S. Clementem inſurgunt Witakerus, & Pfaffius in Synopſi Theolog. §. de S. Script. pag. 78, eumque impuriſſimæ Nicolaitarum hæreſis patronum adſtruere non erubeſcunt, quaſi videlicet in Epiſt. 5. Decret. communem rerum Civilium uſum inducens, Conjugum etiam debere eſſe decreverit.

At enim ſic per inſcitiam agere, & per injuriam, ſi non tam inſoleſcere, quam inſanire, omnemque non tam poſuiſſe pudorem frontis, quam perdidiſſe rationis uſum non ſit, neſcio plane, quid tandem ſit. Atque ſi Photio quidem non omni probata ex parte Clementina Epiſtola evaſit, quid aſpernatorem hunc ego morer, quem pro intemperanti ſeveritate de veteribus Patribus cenſendi dignis profecto caſtigant verbis Bullus, ac Dodvvellus diſſert. in S. Irenæum pag. 409, cujuſque utique tumultuarium Opus, Bibliotheca ſcilicet, etſi laude non careat ſua, longe pluribus laborat vitiis, quorum pleraque in ejuſdem præfat. adnotarunt Andreas Schottus, Huetius demonſt. Evang. pag. 58, & caſaubonus pag. 11? Viciſſim vero Epiſtolam illam longe pluros, longo ipſi præferendi intervallo, lectiſſimi Eccleſiæ Patres laudibus celebrarunt, S. Irenæus lib. 3. cap. 3, Clemens Alexand. Stromat. lib. 1, 4, 5, & 6, Origenes lib. 2. de Princip. cap. 3, & in Johan. 1. 29, Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 22, Euſebius ipſe lib. 3. cap. 16, Auctor quæſt. 146 ad Orthod. ſub S. Juſtini Martyr. nomine, quem Juſtinum Siculum Epiſcopum Sæculi V. Scriptorem putat Dodvvellus, cap. 74, S. Epiphanius hær. 27. n. 6, & hær. 30. n. 15, S. Hieronymus de Vir. Illuſt. cap. 25, lib. 14. in Iſaj. 52. 13, & in epiſt. ad Epheſ. 4. 1, S. Jo: Damaſcenus Eclog. lib. 1. tit. 23, & 49, ut de Recentioribus ſileam. Enim vero cedo mihi e verſione Cotelerii velut ea, quæ litteræ tenacius hæret, S. Clementis in epiſt. ad Corinth. primo objectam loco ſententiam, quæ n. 20. ſic ſe habet: *Oceanus hominibus impermeabilis, & qui trans ipſum ſunt, Mundi eiſdem Domini diſpoſitionibus gubernantur.* Porro loco particulæ illius *Trans ipſum*, ex eadem Clementina Epi-

ſtola hanc *Poſt ipſum* referunt Clemens Alex. lib. 5. Strom. pag. 584, ſive ejus interpres Gentianus Hervetus, Origenes lib. 2. de Princip. cap. 3. ex interpretatione Ruffini, & Cotelerius. Contra vero retinendam priorem *Trans ipſum* autumant Junius, Maderus, Bartonius, Vendelinus, Fellus, & Colomeſius, quomodo S. Hieronymus etiam in Cap. 2. ad Epheſ. 2. eadem plane Clementis verba Latine reddidit. Viciſſim magis ad Clementis mentem, quam verba reſpicientes, ſi revera tamen ad hunc reſpexerunt locum, qua de re valde dubitant Cotelerius, & Coutantius, pro μετα, ſive παρα *Poſt*, & *Trans*, legerunt ἐξω *Extra* S. Irenæus lib. 2. cap. 47, S. Hilarius in Pſal. 68. n. 29, & Photius ipſe cit. Cod. 126, qui ideo vel inde facile videre poterat, quo recto, proboque ea S. Clementis accipi ſenſu periocha deberet. Igitur verbis illis: *Mundi, qui Trans*, ſive *Poſt*, ſive *Extra ipſum ſunt*, ſignificare S. Pontifex voluit, non plures utique Mundos, veluti non recte interpretari viſus eſt S. Hieronymus loco ind., perperam vero credidit Photius, ſed vel Ἀντιχθονας *Antichtonas*, quos Latini apud Plinium hiſt. nat. lib. 6. cap. 22, & Melam de ſitu Orbis lib. 1. cap. 9. *Antipodas* vocant, atque ita Origeni viſum eſt, Photiuſque ipſe vidit; vel ante incognitas Mundi plagas ultra Oceanum poſitas, non tamen in adverſa nobis parte, quas utique *Novos Orbes* appellatas a Cæſare, a Virgilio, a Seneca ſcitum eſt, atque ita verius exiſtimant Cotelerius, & Coutantius in Not. ad hanc epiſt. n. 20, nec non Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. I. cap. 12. art. 12. Quare dignus potius ipſe, qui vapulet, Photius, qui Antipodas ignorans, & negans (quos negaſſe, & ignoraſſe quoque videntur Lactantius lib. 4. cap. 24, S. Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 8, & S. Zacharias P. M. in epiſt. 10. ad S. Bonifacium) S. Clementem, qui ſcivit, & aſſeruit, reprehenſione dignum exiſtimavit.

Quod vero Phœnicis exemplo, quin penitius in rei veritatem inſpiceret, ad Reſurrectionis veritatem illuſtrandam, adſtruendamque n. 25. uſus fuerit, non erat plane, cur a Photio id vitio S. Clementi verteretur, niſi eadem nota inurendos ſibi ſumere voluerit veteres Patres, quibus, ut obſervat Natalis loc. ind., frequenti idem uſu exemplum venit, veluti Tertul-

tulliano de Reſur. Carn., veluti S. Cyrillo Catech. 18. n. 8. Adnotat autem Cotelerius, quod vox Græca φοινιξ tam Avem unigenam, quam Palmam ſignificat, unde factum, ut Interpretes nonnulli S. Scripturæ loca de Palma pro Phœnice Latine verterent. Quod obiter notatum volui, ut Novatores videant ſibi nihil ſubeſſe cauſsæ, cur alicubi de S. Scriptura minus reverenter loqui ſibi fas ſit, aut cur aliquot S. Scripturæ loca minori in honore, pretioque habere liceat. Ut autem uberiorem, & enucleatiorem de Chriſti Divinitate tractationem S. Clemens inſtitueret, nec proxime ad ipſius attingebat propoſitum, quod erat Corinthios Schiſmate diſciſsos ad pacem componere, neque ipſorum Corinthiorum indigebat conditio, qui alioqui de Chriſti Divinitate jam plene erant imbuti. Quamvis id abſolute falſum, quod de Chriſti Divinitate nihil clare, eoque dignum protulerit. Etenim in ipſo Epiſtolæ exordio, quo etiam finem eidem imponit, Gratiam, qua vocati, & ſanctificati Corinthii ſunt, Chriſto, utique qua Deo, liquido adſcribit; pretium, quo totus redemptus eſt Mundus, e Chriſti, ſane qua Dei-hominis, Sanguine repoſcit n. 7, & 12; Divinam Chriſti potentiam deſignat n. 16, eumdem Majeſtatis Dei Sceptrum denominans τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ; quam præclaram ſententiam profert S. Hieronymus lib. 24. Comment. in Iſajam; prænuntiatum ejus adventum a Prophetis aſſerit n. 17; eumdem Mediatorem apud Deum n. 20; adorandum n. 21; fidem in ipſo firmam n. 22; Gratiam ab ipſo ſalutis n. 32; ipſum Salvatorem noſtrum, Splendorem Majeſtatis Dei, Deique Filium n. 36; a Deo miſsum, & ab ipſo miſsos Apoſtolos n. 42; unum e Trinitate n. 46, quem locum etiam laudat S. Baſilius lib. de Spir. S. cap. 29 Junge Epiſtolam 2. ad eoſdem Corinthios, de cujus ſinceritate confer Coutantium in admon. præv., ubi ſub initium: *Fratres*, inquit, *ita ſentire nos oportet de Jeſu Chriſto, tamquam de Deo, tamquam de Judice Vivorum, & Mortuorum* &c., quem adeo apertum locum neque obſervare ipſe Photius nequivit. Quæ abunde, quin adhuc proferam alia ſimilia, plane ſufficiunt, ut Epiſtola ab invidioſis Photii abſolvatur notis.

Quam vero Photius intelligentia deceptus hanc fruſtra vexavit Epiſtolam, tam fecit nequiter Frankus Iconomachorum S. Cle-

S. Clementi appingendi dementiam ex libro de Imag. argumentum deducendo. Cui ut os duriſſimum obſtruam, non opus quidem habeo eò me recipere, quo apertiſſima de falſitate, qua hujuſmodi furfuris libros S. Clementi affingere ipſum non puduit, iniquum Sycophantam poſtulem, quum atrociſſimam in caput ipſius retorquendi calumniam altera mihi validior ſuppetat ratio: præſtat tamen obiter facere, ut qua honeſtate, qua fide, qua ſinceritate facere Proteſtantes ſoleant, palam fiat. Quamvis igitur A παγκαρπίαμος Recognitionum libri decem, quarum pars liber ille quintus de Imagin., S. Clementis nomine inſcripti, vetus ſint Opus, neque re plane diſtinctum ab iis, quibus varium inditum nomen vel Itinerarii Apoſtolorum apud S. Gelaſium diſt. 15. Can. 3, vel Prædicationis, ſive Periodi, ſive Circuitus S. Petri apud S. Epiphanium hær. 30, & S. Hieronymum lib. 1. adverſ. Jovin. cap. 14, vel Diſputationis Petri, & Appionis apud eumdem de Script. Eccleſ., vel Actorum Petri, ſive Clementis, ſive Diſputationis cum Simone Mago apud Photium Cod. 113, quarumque in cenſum referendæ Homiliæ 19. S. Clementi attributæ apud Cotelerium, atque Epitome de geſtis Petri a Simone Metaphraſte forte collecta, Latine a Perionio, & Græce a Turnebo edita, antiquum, inquam, ſit Opus, cujus meminere, præter modo laudatos, Origenes in Philocalia cap. 23, Euſebius lib. 6. præpar. Evangel. cap. 10, & lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 38, S. Paulinus Nolan. epiſt. 47. ad Ruffinum, Sozomenus lib. 1, & cap. 1, S. Iſidorus Hiſp. lib. de natur. rer. capp. 17, & 31, ac lib. 3. Origin. cap. 50, Auctor oper. imperf. in S. Matth. cap. 24. hom. 49, Cedrenus in hiſt., Nicephorus lib. 2. cap. 35, & lib. 3. cap. 18, V. Beda in Act. cap. 5, & lib. de rat. temp. cap. 3, S. Aldhelmus in epiſt. ad Geruntium Regem inter S. Bonifacii epiſt. 44, Bridfertus in locum poſter. V. Bedæ, Freculfus lib. 3. Chron. cap. 10, aliique apud Cotelerium in Not., Gruterum in præfat. ad Clement., & Serrarium in Not., quodque Opus in S. Gaudentii Brixien. gratiam primus Latine reddidit Ruffinus, cujus præfationem ſuppoſititiam perperam ſuſpicati ſunt Sixtus Sen. lib. 2, Bellarminus de ſcript. Eccleſ., Cocus, & Jo: Rainoldus in cenſura Apocryph. tom. 1. pag. 208, Opus eſt tamen, cujus jampridem duas inter ſe diverſas circumferri

ferri editiones conſueviſſe auctores ſunt liquidi Ruffinus in præfat., & Photius Cod. 113; Opus eſt item olim ab Hæreticis interpolatum, & depravatum, veluti de Ebionitis teſtis eſt locuples S. Epiphanius hær 30, deque Eunomianis refert Ruffinus de adulterat. libror. Origenis; Opus quinimo forſitan ab Hæreticis de induſtria confictum, veluti de Bardeſane ſuſpicionem induit Caveus in vita S. Clementis tom. 1. §. 11. pag. 211, & ſeq.; quod tamen veri parum ſimilius habent Auctoremque juniorem ſtatuunt Dodwellus diſſert. 6. in S. Irenæum pag. 443, Grabbius Spicileg. tom. 1. pag. 278, & ſeqq., Spanhemius in exerc. ad Edictum Anton. Caracallæ pag. 248, & Fabricius Bibl. Græc. tom. 5. pag. 36: quamvis poſtmodum Bardeſanis fragmentum adverſus Abydam Aſtrologum editum Operi fuiſſe inſertum recte obſervat Nourrius in appar. ad Bibl. PP. pag 221; Opus eſt perinde, quod interpretatus Ruffinus qua emolliviſſe, qua interpolaſſe, qua mutilaſſe æſtimari inde poteſt, quod Ebioniſmi a S. Epiphanio in eo olim obſervati pauca admodum hodiernis in Ruffini editionibus veſtigia deprehendantur, velut advertit Grabbius pag. 279, & ſeq.; Opus eſt tandem, quod inter Apocrypha a S. Gelaſio P. M. recenſitum legitur diſt. 15. Can. 3, atque ab Iconoclaſtis jactatum viciſſim a Synodo VII. act. 5. rejectum habetur apud Harduinum tom. 4. pag. 295, & ſeqq. At enim his non indigeo ad impudentiſſimam explodendam Franki inpoſturam, quæ vel ex una ejuſdem loci lectione apertiſſime denudatur. Nam S. Clementis objurgatio ne leviter quidem Orthodoxos nos taxat, neque ſobrios Imaginum, Sanctorumque cultores nos tangit, quæ tota eò tendit, ut Ethnicos feriat, exagitetque, qui indebito Idolorum cultui deditiſſimi, honorem Latriæ uni Deo vero debitum, Soli, Lunæ, Stellis, Aquæ, Terræ, Montibus, Arboribus, Lapidibus, Hominibus, velut explicite loquitur ibidem S Clemens, ſuperſtitioſe, præpoſtereque deferre ſolebant: ex quibus manifeſte liquet Pontificem Idolorum cultum oppugnantem iniquiſſime ab hoc Sycophanta in oppugnantium Sacrarum Imaginum, Sanctorumque cultum partes fuiſſe traductum.

Neque ſincerius, honeſtius, æquiuſque ſane egere Witakerus, & Pfaffius ex Epiſtola 5, quæ ad Hieroſolymitanos S. Clemen-

mentis nomine inſcripta fertur, regerere argumentum haud veriti, quo S. Clementem eodem cum Nicolaitis in turpiſſimo hæreſis luto hæſiſſe ſuaderent, ejuſque ſententia communem Conjugum uſum fuiſſe comprobatum. Epiſtolam illam enim, pari atque quatuor alias ſuppoſitionis, qua ſæpius accuſatæ, convictæque ſunt a Baronio, a Bellarmino, a Perronio, a Petavio, a Labbeo, a Tillemontio, a Cotelerio, a Nourrio, a Natali, a Pagio, a Dupinio, a Fleurio, a Ceillierio &c., quin a Flaccio, a Gerhardo, a Rainoldo, a Blondello, a Dallæo, ab Ittigio, a Pearſonio, a Grabbio, a Colomeſio, a Clerico, a Caveo, a Brujo, gravi laborare morbo ignorare nequibat. Quin etiam fraudem, ὑπόθεσιν, ac falſitatem per ſe met detegere facile poterat: quæ inde liquido patet, quod, ut de ſuppoſitionis notis aliis, quæ cum aliis quatuor Epiſtolis communes ipſi ſunt, nihil loquar, deque inſcriptione ad S. Jacobum, ex qua ſola litteratoris inepti figmentum deprehenditur, Epiſtola hæc quinta nihil ſit ferme, quam indigeſta ſententiarum farrago ex dictis Fauſtiniani, qui lib. 10. Recognit. cap. ult. S. Clementis Pater dicitur, aliiſque ex locis ejuſdem libri 10. capp. 5, 42, 43. &c. abſque delectu conſarcinata: quod Epiſtolæ imperitus artifex ſe fuiſſe præſentem affirmet, quum Ananias, & uxor ejus Saphira terribili S. Petri voce proſtrati ad ejus pedes animam efflarunt: quod effatum certe in Clementem noſtrum cadere nequit, qui diu poſt ad Catholicum Gregem appoſitus fuit, neque tum fuiſſe Hieroſolymis fit evidens ex Notis Chronolog. a viris ſummis Blanchinio tom. 1. Anaſt. ſect. 3. pag. 31, & ſeqq., ac ſect. 4. pag. 46, & ſeqq., a Papebrochio in Conat. Chron. hiſt. diſſert. 5, & a Coutantio in Mon. præv. ad Epiſt. 1. pſeudo-Clementis n. 5. Append. pag. 3 contextis. Quod autem proxime ad objectam periocham de communi uſu Conjugum attinet, quæ velut ex Fauſtiniano obtruſa ſic effertur: *Communis enim uſus omnium, quæ ſunt in Mundo, omnibus eſſe hominibus debuit*, eamdem ab ipſomet Clemente refelli lib. 10. Recog. advertit Harduinus in Not. tom. 1. pag. 62; inſequenti vero ex Græco quopiam regeſtæ ajente: *Communia debere eſſe Amicorum omnia*, in editis Merlini, & Crabbi, ac in Mſ. Pariſ. Harduini hæc inſeruntur quidem: *In omnibus autem ſunt ſine dubio.*

bio, & Conjuges; ſed hæc ipſa pariter aſſuta lib. 10. Recog. cap. 5. apud Cotelerium pag. 589. contrariæ pſeudo-Clementis ſententiæ apertam vim inferunt, atque in utrumque proinde locum hæc utique intruſa ab aliquo patrono libidinis in Republica Platonis inſtituto recte obſervat Turrianus lib. 5. cap. 2: quæ ideo ab epiſtolæ textu Surius, Binius, Labbeus, Harduinus &c. reſecanda rite duxerunt. Atque de figmentis hiſce jam nimis.

Tertulliani lib. adv. Praxeam cap. 1. perhibentis Romano Pontifici Montani Prophetias fuiſſe probatas, fictaque Vaticinia pro veris, Diviniſque recepta teſtimonium avide arripientes Novatores nonnulli, innixique tum interpretationi B. Rhenani, qui in Annot. Cataphrygum hæreſi Epiſcopum Romanum inquinatum fuiſſe ne leviter quidem dubitat, tum Rigaltii in Not. opinioni, qui de fide Tertulliani dubitandum nemini fore præfidenter affirmat, a Romano Pontifice, quem S. Eleutherum volunt Peatſonius Oper. poſth. pag. 255, & Caveus in vit. PP. pag. 164, S. Victorem Schuzius in diſſert. de infallib. Rom. Pontif. §. 8, S. Zephyrinum Gerhardus Confeſſ. Aug. lib. 1. par. 2. cap. 2, Hofmannus in Lex., & Reiſerus Romæ non glor. Seculo III, atque SS. Martyrum quidem Lugdunenſium votis, litteriſque ſollicitato Cataphrygum ſectam, & dogmata approbata fuiſſe, proque Divinis habita pugnant, atque ita Romanam cum Lugdunenſi Eccleſiam in ejuſdem hæreſis lutum fœde lapſam jactant. Verumtamen Tertulliano, qui Montano impenſe ſtuduit, in iis, quæ res Montani ſpectant, nonniſi imprudentiſſimus quis fidem accommodaverit; quandoquidem, ut paullo infra Artemonis diſcipulorum exemplo edocebimur, & ut paullo ſupra de Ebionitis a S. Epiphanio edidicimus, Hæreticis priſco, ſolemnique poſitum ſemper in more fuit in ſuarum conſortium hæreſum vel Pontifices ipſos, ut fieri poſſet, a quibus profligatas non ignorabant, impudentia ſumma advocare, ut ſcilicet illuſtri eorum nomine, & auctoritate cum facilius fidelibus facere fucum, tum ſemet fraudulentius ab impendentibus Eccleſiæ telis tueri valerent. Et certe ex Euſebii narratione lib. 5. cap. 3. liquet eas fuiſſe Eccleſiæ Lugdunenſis ad S. Eleutherum litteras, quibus ille non ad Cataphrygas in Eccleſiam admittendos induceretur, ſed ad eos

potius ab Eccleſiæ liminibus procul abigendos incitaretur. Siquidem refert privatum de Montano, Alcibiade, & Theodoto judicium ſummo orthodoxæ fidei apprime conforme abEccleſia Lugdunenſi ad Aſiæ,& Phrygiæ Eccleſias fuiſſe tranſmiſſum: quod plane tranſmiſſum poſt fuiſſe, quam Alcibiadem nihil cibi accipere volentem, ſed ſale tantum, pane,& aqua utentem,cujus ardua ideo, auſteraque vivendi ratio Cataphrygum errores confirmare videbatur, non recte facere Attalo, ſuis ex Martyribus uni, revelatum accepit. Ex quo, aut ego fallor, evidens fit idem ſimul judicium Lugdunenſi ab Eccleſia factum S. Eleuthero notum fuiſſe. Eoque magis ſuſpecta Tertulliani fides, ſubleſtaque videri debet, quod eodem loci flagitioſo Praxeam ideo mendacio impetit, quod falſa de Cataphrygibus ipſis Pontifici M.ſuggeſſerit, duoque Diaboli negotia Romæ procuraverit, dum nempe *Prophetiam expulit, & Hæreſim intulit*. Præterea ſibi met jugulum petere videtur Tertullianus, dum tam ibidem contra Praxeam, quam libro de Pudicitia cap. 1. auctor eſt a Pontifice M. Lapſis pœnitentia functis veniam factam fuiſſe, utque ab Epiſcopis univerſim fieret, edicto lato fuiſſe præceptum.

Quamvis ſiqueis opinio hæc ſatis haud probetur, neque tam facile de Tertulliani fide dubitandum videatur, non prohibebo ego quidem, quominus ſententiam amplexentur Baronii, id factum tamen ſub S. Aniceto putantis ad an. 173. n. 4. Valleſii in Not. ad Euſebium lib. 5. cap. 3, & Maſſuetii in diſſert. prævad S. Irenæum pag. 80. id ipſum S. Eleuthero adſcribentium, Pagii ad an. 172. n. 3, Ludovici du Four ibid., & Coutantii §. 1. de epiſt. ad S. Eleutherum pertin. pag. 87. id viciſſim ſub S. Victore contigiſſe opinantium, Bellarmini lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 8, & Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæculum III. diſſert. 1. id demum ad S. Zephyrinum referentium, qui fieri potuiſſe non inficiantur, ut ſiquidem Montaniſtæ ſe Catholicos mentirentur, ſanctioriſque quin etiam vitæ ſpeciem præſeferrent,qua plane fucum etiam feciſſe patet Scriptori Actorum SS. Perpetuæ, & Felicitatis ideo plurimum ipſis tribuenti, quem tamen Montaniſtis adſcribere verentur Ruinartius ibidem, & Dodvvellus diſſert. 4. Cyprian. §. 8, & ſeq., Romanus ipſe Pontifex errore, non juris

uti-

utique, ſed facti dumtaxat fuerit deceptus, ſibi perſuaderi nempe permittens a Montaniſtis dogmata Montani non diverſa a Romanæ Eccleſiæ doctrina eſſe, qua perſuaſione ductus communionem eiſdem ablatam reſtituerit quidem, arbitratus falſo illos de hæreſi fuiſſe accuſatos, dignos quinimo eſſe, qui Romanæ Eccleſiæ conſortio cohoneſtarentur, errores non etiam approbarit, quos ſuis a Prædeceſſoribus improbatos non ignorabat. Atque quidem poſtquam a Romano Pontifice Eccleſiis Aſiæ, & Phrygiæ reſtitutam fuiſſe retuliſſet pacem, pacis litteras eumdem quod emiſiſſet pœnituiſſe, revocaſſeque, quas jam emiſerat ſtatim, atque a Praxea in Eccleſiæ caſtris pugnante adhuc, & promerente fuit de Cataphrygum præſtigiis certior factus, evaginatoque repente gladio cum hæreſim confodiſſe, tum Auctores confixiſſe non diffitetur eodem loci Tertullianus. Qui lib. de Pudic. cap. 1. fatetur inſuper a Pontifice M. decreto edito Mœchis pœnitentiæ locum fuiſſe factum, quem alioqui fieri potuiſſe Cataphryges inficias ibant. Ad quæ ſpeciale illud pro S. Zephyrino accedit, quod S. Optatus lib. 1. adverſ. Parmen. auctor eſt locuples ab eo hæreſum tum in Eccleſia graſſantium peſtes ad unam pariter omnes proſcriptas fuiſſe, profligataſque. Quod Euſebius lib. 5. cap. 28. ex Antiquo Scriptore adverſus Artemonis hæreſim refert confeſſorem quemdam Natalium nomine in Theodori Coriarii hæreſim prolapſum, quum facti pœnitens ad eumdem Pontificem confugiſſet, ad pœnitentiam fuiſſe receptum: quam quidem poteſtatem Lapſis poſt Baptiſmum peccatorum veniam elargiendi Cataphryges Eccleſiæ negabant. Confer, quæ hoc de argumento copioſius exagitata ſunt ſuper. Art. II. §. I. pag. 36, & ſeqq.

S. Victori P. M. hanc præterea hæreſis ignominia plenam a nonnullis affictam notam fuiſſe, quaſi Chriſtum D. purum, putumque hominem docuiſſet, non etiam Deum, auctor eſt Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 28: quam poſtea atrociſſimam in eumdem Pontificem inſtaurare calumniam Proteſtantes, inque his Bovverum hiſt. Pontif. par. 1. §. 53. non depuduit. Erant vero ii veteres alios inter Artemonis diſcipuli, eodem teſte Euſebio, non veriti ſui erroris, a quo tam longe aberat, Pontificem M. participem agere, mentirique aſſertorem. Tam atrocem calumniam

exsufflatam a Scriptore quodam Ecclesiastico (quem Cajum S. Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, S. Irenæi discipulum, indeque Episcopum Athenienſem, ut habet Photius Cod. 48, Mediolanenſem vero conjicit Moynius ad Varia sacra pag. 944, cujusque tria scripta apud veteres scriptores celebrantur, 1. Μικρὸν Λαβύρινθον Parva Labyrinthus adversus Artemonis, & Theodoti hæresim apud Theodoretum lib. 2. hæret. fabul. cap. 5, & Nicephorum lib. 4. cap. 21. 2. Διάλογον Dialogus contra Proclum Montanistam apud Eusebium lib. 2. cap. 25, lib. 3. cap. 31, & lib. 6. cap. 20, & S. Hieronymum de Script. Eccles. cap. 59, 3. Λόγον περὶ τῆς τοῦ παντὸς θεότητος, de Christo, ut Deo vero, ejusque Divina generatione apud Photium, ut jure propterea inter Patres Ante Nicænos Fidei Nicænæ vindices fuerit recensitus a Bullo defens. fidei Nicæn. pag. 159, & Gardinero in Hypotyp. fidei Cathol. pag. 149, recensenduſque a Lamio in disert. de recta PP. Nicænor. fide cap. 7, injuria vero Alogorum hæreseos a Josepho Medo in Clavi Apocalyptica postulatus, velut rite animadvertit Ittigius in dissert. de hæres. pag. 262.) testatur eodem loci Eusebius, referens eam hæresim tam nefarie, quam falso S. Victori afflatam fuisse ab eodem Scriptore demonstratum vel ex eo uno, quod a S. Victore Theodotus dictus Coriarius, a quo Artemon hæresim suam hauserat, eo ipso nefario hæresis nomine, quod a Christo D. Divinitatem abigeret, diris cunctis fuisset devotus, atque ab Ecclesia ejectus. Demonstratum quoque splendidissime in verbo suo mentitos fuisse Artemonis discipulos hanc de Christi D. Divinitate fidem sub eodem S. Victore inductam fuisse, quam invictis Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, Irenæi, & Melitonis testimoniis jugiter in Ecclesia integram obtinuisse ignorare eos non oportebat. Itaque tantum abest, ut fides hæc fuerit a S. Victore ignorata, quam potius luculenter asserta fuisse, vindicatamque patet, utque hæresis illius contagione laboraverit aliquando, quam liquido ab ipso utique confossam fuisse, profligatamque constat.

Ad culpam, & ignominiam S. Cornelio tam impie, quam falso imputatur a Centuriatoribus Cent. 3. cap. 10. Col. 282, & ab Arnoldo eodem de grege Sychophanta hist. Eccl. & hæret. tom. 1. lib. 3. cap. 7, quod in fragm. Epistolæ ad Fabium Antioch. apud.

apud Euſebium lib. 6. cap 33. Verſ. Ruff., 35. Chriſtoph., & 43. Valeſ. de Baptiſmo loquens a Novatiano in lecto ſuſcepto, in Baptiſmo ſic ſine Conſignatione Epiſcopi, ceteriſque Ritibus circa Baptiſmum ſolemniter fieri ſolitis, fidem, ac Spiritum S. accipi poſſe negaverit. Age vero audiatur ipſe prius, qui accuſatur Pontifex, ut inde perverſa de interpretatione, atrocique de injuria obtrectatores iſtos recuſandi ineatur ratio. De Novatiano igitur loquens poſt natos homines flagitioſiſſimo homine, qui præſtigiis, mendaciis, & perjuriis ad Epiſcopale faſtigium aditum ſibi fecerat, peccatorum genus cujuſque graviſſimo pondere obruto, atque a Dæmone corpore, & anima obſeſſo, qui in vitæ diſcrimine poſitus Baptiſmo perfundi ſponte non tam efflagitaverat ipſe ſua, forte neque ſui compos, quam ipſum perfundere adſtantium pio cordi fuerat, de Baptiſmo ſic accepto ſententiam ita ſuam effert, juxta Ruffini interpretationem: *Quod jacens in lecto pro neceſſitate perfuſus ſit*; (poſt quæ Chriſtophorſonus, & Valeſius hanc ſupplent periocham: *Baptiſmum* (*Fidem* potius ſuffecit Coutantius pag. 154, faſſus tamen in Græco nihil eſſe, quod *Fidei* vocabulo reſpondeat) *ſuſcepit*; *ſi tamen homo hujuſcemodi Baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt*.) Proſequitur Ruffini interpretatio, quam aliis præfero: *Nec reliqua in eo, quæ Baptiſmum ſubſequi ſolent, ſolemniter adimpleta ſint, nec ſignaculo Chriſmatis conſumatus ſit*; (*Ab Epiſcopo conſignatus* legunt viciſſim Chriſtophorſonus, Valeſius, & Coutantius) *Unde nec Spiritum S. unquam potuerit promereri*. Qua a poſtrema lectione re, ſententiaque non diſtat Chriſtophorſoni, Valeſii, & Coutantii interpretatio. Quibus ita poſitis, facilis, pronaque fluit interpretandi ratio, quam ſic inſtituo. Atque primum utique S. Cornelium puto loquutum de Baptiſmi non valore quidem, ſed effectu, quo ob animi indiſpoſitionem fruſtratus Novatianus fuerit. Utque ita putem, id efficit plane, tum quod ignoraſſe ipſum orthodoxam Romana in Eccleſia jugiter retentam de Baptiſmo valide tam collato, quam ſuſcepto ab indigno tam conferente, quam ſuſcipiente, doctrinam, cujus ſtrenuum adeo paullo poſt aſſertorem, vindicemque ſe præſtitit S. Stephanus, ſuſpicari nec æquum ſit, nec juſtum. Tum quod de Baptiſmi, quem Novatiani vel contuliſ-

ſent,

sent, vel suscepissent, validitate ne leviter quidem dubitaverint postea Nicæni Patres Can. 8, S. Siricius in epist. 5. cap. 8, & S. Innocentius I. in epist. 2. cap. 8. Quamvis si de Baptismi eo modo a Novatiano suscepti validitate dubitasse S. Cornelium velint, quid inde? Siquidem sic ei dubitandi nec legitima, nec levis, nec una suberat causa. Quod sceleratissimus homo, Ethnicis antea superstitionibus imbutus, Christianam fidem ideo dumtaxat videretur amplexus, Baptismoque ablui voluisse, ut a Dæmone, quo obsidebatur, divexaturque, Exorcistarum deinde ope absolveretur. Quod Baptismus mortis impendentis potius metu, quam Christiana volontate ab homine, qui Christiani nihil habebat, susceptus, eoque quin etiam tempore, quo sui vix, ac ne vix quidem compos esset, suspectus valde haberi posset: quam, atque longe dissimilem, ob causam Magnus de Baptismo Clinicis, hoc est in lecto ob ægritudinem constitutis, collato valde quoque dubius de sententia rogatse S. Cyprianum legitur epist. 76: quo loci Pamelius not. 39. observat sua ad huc ætate a Nicephoro lib. 6. cap. 3. nedum pro definito hujusmodi Baptismum fuisse habitum: & Concilium Neocæsareense Can. 12. hominem in ægritudine baptizatum Presbyterii honore indignum habuit, ideo quia, *Hujus fides non est ex libera voluntate, sed ex necessitate*. Quod Novatianus demum ab infirmitate convalescens, quæ Baptismo defuerant, contemptim supplere neglexerit: quod Christianam defuisse quoque illi, veramque in Baptismo volontatem, haud obscurum, leveque erat indicium.

Ex his vero perquam facilis, suapteque fluit ratio, cur perinde ob neglectam Episcopalem Consignationem (quod de Sacramento Confirmationis accipi dictum oportere, exinde fit evidens, quod Consignatio in Baptismo, de qua loquutum heic S. Cornelium haud recte censet Valesius, fieri a Presbyteris consuevit, qua de re S. Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium cap. 3, Severus Alexand. de ritib. Baptis. tom. 7. Bibl. PP., aliique infra allegandi) Novatianum Spiritus S. fuisse infusione frustratum adjunxerit: nempe id eo recto adjunctum intelligi sensu debet, quod ex defectu Confirmationis is Spiritum S. haud acceperit ad robur fidei, hoc est ab ea distinctam, quæ recipitur in Baptismo,

Gra-

Gratiam, & Gratiæ augmentum, ille haud receperit, quæ in Sacramento Confirmationis ſcilicet confertur. De qua conferendi, ſi placet, Clemens Alex. apud Euſebium lib. 3. cap. 17. juxta verſ. Chriſtoph., S. Cyprianus epiſt. 70, & 73, S. Baſilius de Spir. S. cap. 17, S. Jo: Chryſoſtomus hom. 18. in Act., S. Hieronymus in Dialog. adverſ. Lucif., S. Gregorius Nazian. Orat. 19, S. Auguſtinus de Bapt. contra Donat. lib. 5. cap. 23, S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 16. n. 26, & 22. n. 7; Concilia Arelatenſe an. 314. Can. 8, Eliberitanum Can. 38, Laodicenum Can. 7, & 48, Conſtantinopolitanum I. Can. 7, Carthaginenſe II. ſub Genethlio Can. 3, Carthaginenſe III. ſub Aurelio Can. 36, Toletanum I. Can. 20, Arauſicanum I. Can. 1, & 2, Epaonenſe Can. 16, Bracarenſe II. cap. 19, Hiſpalenſe II. Can. 7, Pariſienſe VI. an. 827. par. 2. cap. 27, & Meldenſe an. 843. Cap. 44; SS. Siricius, & Innocentius loc. ind., S. Leo M. Serm. 4. de Nativ. cap. 5, epiſt. 159. edit. Baller. ad Nicetam cap. 7, epiſt. 166. ad Neonem cap. 2, & epiſt. 167. ad Ruſticum cap. 18, S. Gelaſius epiſt. 12. cap. 6, Vigilius epiſt. 2. ad Profuturum cap. 4, S. Gregorius M. lib. 4. epiſt. 9. alias 24. ad Januarium, Clemens VI. epiſt. ad Conſolatorem n. 12; Theodulphus Aurel. lib. de Baptiſ. cap. 17, Iſaac Lingon. tit. 11. Can. 30. Atque conſule-ſis viros Doctiſs. optime hoc de argumento meritos Baluzium in Capitulari ann. 803. pag. 381, Morinum de Sacr. Confir., Renaudotium perpet. fidei tom. 5. lib. 2, Menardum in Sacr. Gregor. pag. 75, Martenium de antiq. Eccl. Ritib. tom. 1. pag. 251, Aſsemanum Bibl. Orient. tom. 3. par. 2. pag. 273, Coutantium in Not. ad epiſt. 25. S. Innocentii I. pag. 857, Cardonum hiſt. Sacram. lib. 2. cap. 1, & ſeqq., Ballerinios in adnot. ad epiſt. 159. S. Leonis tom. 1. pag. 1333, ac Benedictum XIV. de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 7. & ſeqq., alioſque de Schola Theologos. S. Stephanum in errorem oppoſitum errori, quo S. Cyprianus laborabat circa Baptiſmum hæreticorum, lapſum fuiſse imprudentiſſime ex heterodoxis Blondellus, Mornæus myſt. iniq. pag. 14, Iſelinus in Lexico, Caveus &c., ex orthodoxis vero Launojus in epiſt. ad Jacobum Bevilaquam jactare non dubitarunt. Quandoquidem autem ab horum, aliorumque obtrectationibus S. Stephani orthodoxiam vindi-

vindicavimus, ſuoque, uti decebat, loco ſtabilivimus Tom. 2. Par. 1. Art. 8. in Proleg. pag. 267, & ſeqq., non eſt propterea, quæ actum agere inani opera cogamur. Adi-ſis præterea, ſi libet, doctiſs. viros Coutantium in diſſert. de vera S. Stephani circa receptionem hæreticor. ſententia inter Epiſt. Rom. Pontif. pag. 227, & ſeqq., Jo: Sbaraleam de germana SS. Cypriani, & Firmiliani opinione de hæret. Baptiſ., & Meinradum Schvvichardt de doctr., & diſcipl. Eccleſ. in Sacr. Bapt.

DE SS. SIXTO II, MARCELLINO, LIBERIO, & FELICE II.

§. 111.

PEſſima ſiquando Ruffinus egit fide, qua ut plurimum in vertendis e Græco in Latinum ſermonem aliorum ſcriptis egiſſe, mutando, demendo, addendo, ut potius quam aliena, & vetera, propria, & nova videri poſſent, quæ non tam vertebat, quam pervertebat, emunctæ naris Criticis viſum eſt Eraſmo lib. 25. epiſt. 3, Caſaubono Exercit. 16. in Baron. n. 196, Scaligero in Append. Oper. de Emend. temp., Dodvvello, Miræo in Genad., Dupinio Bibl. Auct. Eccleſ. tom. 2. pag. 9, Cavæo hiſt. litter. Script. Eccleſ., Dallæo de Script. Dionyſii, & Ignat. lib. 2. cap. 40, Tillemontio, Fabricio Bibl. Latin. tom. 2. lib. 4. cap. 3. pag. 345. (Quamquam atroci hac Ruffinum cenſura exonerare, qua ad Euſebii verſionem reſpicit, conatus eſt vir doctiſſ. Petrus Thomas Cacciari in diſſert. hiſt. pro Ruffino par. 3. §. 1, & ſeqq., eam vero, qua hanc ad rem attingit, emollire ſtuduit, excuſareque, quod forte deceptus affinitate vocis *Sexti* fuerit, par. 2. §. 22.) tum egit quammaxime, quum Sexti Pythagoræi Enchiridion, ſive Libellum Sententiarum Latine ab ſe redditum venerando S. Sixti II. P. M. nomini ſupponere, atque ſub *Anuli* titulo duo in volumina diſtinctum inſcribere, Orbique univerſo fucum ita facere non extimuit. Opus nempe, in quo nihil de Deo Patre, nihil de Chriſto D., nihil de Spiritu Sancto, de Patriarchis, de Prophetis, de Apoſtolis nihil prorſus, veluti loquitur S. Hieronymus,

nymus, sed Ethnica omnia, sive Hæretica, quibus homo de substantia Dei excerpitur, Deoque ipsi æquatur; quibus hominis arbitrium supra vires extollitur, se ipsoque absque Dei adjutorio valere jactatur; quibus verbo in perversa aut Pythagoræ, aut Pelagii dogmata Romanus Pontifex fœde detruditur. Equidem non defuere, qui a Ruffino in fraudem conjecti, ob egregias pleraſque, quibus inspersum est Opus, sententias, aut Ecclesiasticum, qui eas conscripserat, denominare Scriptorem, aut Opus ipsum encomiis excipere non dubitarunt, ut Pelagius, cujus id maximopere intererat, ut S. Augustinus quondam lib. de Nat., & Grat. cap. 64, quem postea erroris pœnituit, ut S Maximus in Schol. ad Myst. Theolog. Dionysii Areop. cap. 5. tom. 2. pag. 85, ut Auctor vetus Collect. de Virtut., & Vitus apud Mabillonium Analect. pag. 62, ut Auctor Append. ad S. Isidorum de Script. Eccl. cap. 1, ut Laurentius Pisanus in Collect. similium sentent., ut Thomas Bradvvardinus in Opere de caussa Dei adverſ. Pelag., ut Vincentius Bellov. in speculo moral., & histor., ut Auctor incertus de vitis Philosophor. cap. 110, ut Syri tandem, quos ejusmodi sententiis sua Lingua redditis impense delectari referunt Hebedieſu, & Assemanus Bibl. Orient. tom. 1. pag. 429. At enim germanum Operis parentem fuisse Sixtum, sive Sextum Pythagoræum auctor est locuples Origenes lib. 8. contra Celsum pag. 397, & tom. 15. in S. Matth. pag. 369, docentque post ipsum Lipsius ad Senecæ epist. 59, & lib. 1. Manduct. cap. 6, Johannes Maria Brasichellensis S. P. Apost. Magister in Censura Bibl. PP. Lugdun. præfixa, ejusmodi enim Sexti sententiæ editæ sunt in Bibl. PP. Colon. an. 1618. tom. 3. pag. 64, & seqq., ac Paris. 1589. tom. 5. pag. 769, & seqq., Baronius ad an. 410. n. 64, Thomas Galæus, qui Sexti hujus sententias Oxonii an. 1683. inter Opuscula Mythologica, Physica, & Ethica edidit, observavitque Sexti istius mentionem fieri a Cicerone, a Seneca a Plinio. Ruffini vero impostturam, summamque impudentiam, qua S. Sixto P. M. Opus tribuere non est veritus, detexit, atque pro meritis castigavit S. Hieronymus lib. 6. Comment. in Ezechielis cap. 18, lib. 4. Comment. in Hierem. cap. 22, in epist. ad Ctesiphontem adverſ. Pelag. Agnovit etiam demum S. Augustinus

lib. 2. Retract. cap. 42, ipſumque pœnituit, quod lib. de Nat., & Grat. cap. 64. tum Ruffini ſtropham ignorans, quaſdam ex his a Pelagio Sixti Papæ nomine prolatas ſententias iſtius revera fœtum reputaſſet, quas proinde rectum, probumque in ſenſum interpretando inflectere conatus fuerat, ſed tandem Sexti Philoſophi eſſe, non Pontificis, deprehendit, fruſtraque ideoque laboraſſe, operamque luſiſſe. Locum hunc autem Retractionum S. Auguſtini latuiſſe Auctorem Append. de Viris Illuſt. S. Iſidoro de Script. Eccleſ. ſubnexæ obſervat Baronius, dum S. Auguſtini auctoritate Opus illud S. Sixto P. M. tribuit.

Jure, optimeque itaque S. Gelaſius in Decreto de Script. Diſt. 15. Can. 3. in Apocryphorum cenſum Libellum hunc *Proverbiorum*, uti loquitur, tanquam ab hæreticis conſcriptum, & S. Sixti nomine prænotatum retulit: quem ab hæreticis potius, quam a Gentili Philoſopho confictum libellum dicere S. Gelaſium maluiſſe advertit Baronius, ideo quod Ruffinus librum tranſferens, ac pleraque more ſuo ex Scripturis adjungens eumdem librum hominis Chriſtiani magis, quam Ethnici videri feciſſet. Malæ proinde Ruffini fidei dicam ſcribendam, infligendamque ignominiam non dubitaverunt Bailletus ad diem 6. Auguſti, & Heiſſius in Vind. Rom. Pontif. tom. 2. par. 2. cap. 8. art. 2. nedum, ſed Thomas Ittigius etiam de Bibl., & Catenis PP. pag. 86, ſed Jo: Albertus Fabricius Bibl. Græc. tom. 13. lib. 6. cap. 10. pag. 645, ſed Franciſcus Bruys hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 69. Poſt quæ tam liquida, quis ſummam non demiretur Urbani Godfridi Siberi temeritatem, qua eaſdem Sententias notis exornatas, & an. 1725. in lucem emiſſas, Ruffini auctoritate eidem S. Sixto II. reſtituere, ac vindicare adnixus eſt; ita ut iſtiuſmodi libro gradum ſibi ad Presbyterium ſtruxiſſe putet, atque viciſſim S. Hieronymi cenſuram elevare documentis non tam, quam dicteriis, & probris, quibus S. Doctorem appetere, laceſsere, ac proſcindere non erubuit? Sed enim Sychophantam inverecundum dignis pro impudentia caſtigavit doctiſs. Jo: Pinius in Comment. prævio ad vitam S. Sixti II. tom. 2. ad diem 6. Aug. §. 6. pag. 136, & ſeqq. oſtendens eò imbecillioribus adverſus S. Hieronymi judicium argumentis decertare, ac deſudare Ariſtarchum iſtum, quò fruſtra

idem

idem defatigatur, probum ut in sensum pleraſque ejuſmodi abſurdas prorſus, abſonaſque intorqueat ſententias, quæ probabili nulla emolliri, dirigique ratione queunt: uti 130. de Temporalibus ſubſidiis ad vitæ mortalis ſuſtentationem a Deo nequaquam petendis: uti 135. de Corporis Reſurrectione neque Deo, neque Dei homini conveniente, cui hæreſis notam infligere non dubitavit Baſnagius ipſe ad an. 258. n. 8: uti 162. de Mendacii uſu aliquando licito, atque permiſſo: uti 198. de Pari flagitio ejus, qui Deo, & ejus, qui viro Sapienti deroget: uti 236 de Nuptiis tam malis, quam peſſima filiorum procreatione; quam plane ſententiam difficillime excuſari poſſe ipſemet Siberus fatetur; ideoque quam inique, tam invereconde a S. Hieronymo forſitan inſertam ſuſpicatur: uti 271. de Juſtitia vindicativa, ſive punitiva exſecrationi prorſus habenda, intermittendaque tanquam illicita: uti 285. de Licita, dignaque laude membrorum pro tuenda pudicitia mutilatione, de quibus laudatus Pinius, non ſecus atque de pleriſque aliis perperam a Sibero ex præconcepta opinione ad Religionis Chriſtianæ myſteria ſignificanda deflexis.

S. Marcellinum P. M. cruentiſſima Diocletiani, & Maximiani perſecutione deſævienre minis adactum thus Idolis adoleviſe, ſed paucos poſt dies facti, quo ſe polluerat, valdequam pœnituiſſe, adeoque ut pro fide Martyrium ſubire fortiſſime ſuſtinuerit, nonniſi tamen poſtquam in Synodo Sinueſſana Cleopatrenſi in Crypta celebrata propria confeſſione, ac 300. Epiſcoporum, ut habent Acta Synodi, ſive 180, uti legitur in Catalog. Rom. Pontif., ſuffragio, depoſitus fuiſset, atque damnatus, veteri, vulgataque fertur fama, quæ tamen an æqua ſit, & veritati innixa, non ſatis liquet, graviſſima in hacce, tritaque Controverſia digladiantibus Eruditis. Eorum utrinque momenta in medium adducam, æqua lance penſitabo, modeſteque, ut par eſt, quid veri putari, viderique poſſit ſimilius, proponam: contendens cæterum, quæcumque ineatur ſententia, ex utraque integram S. Marcellini orthodoxiam, intactamque manere. Qui igitur S. Marcellinum revera lapſum ſub Maximiano, ejuſque cauſſa Synodum Sinueſſanam anno 303. coactam affirmant, quales Baronius in 2. Annal. Eccleſ. editione ad cit. annum, in qua a priori

priori opinione ad an. 302. n. 96, & ſeq. receſſit, Binius in Not. ad Synodum Sinueſſanam, Scheleſtratius Antiq. illuſt. cap. 6, a quibus non diſſentiunt Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 8, Conciliorumque Collectores Crabbius, Surius, Nicolinus, Baillius, Bataglinus, Labbæus, Collector Regius &c., qui Concilii Sinueſſani acta ſuis inſerere Collectionibus non dubitarunt, hiſce præſerrim argumentis pugnant. Teſtimonio imprimis Auctoris libri Pontificalis, ſive de Vitis Rom. Pontificum, quem plane librum parvo haud in pretio habendum putant emunctioris cæteroqui naris Critici, atque Critices quin etiam intemperantioris accuſati, inter quos, ut Scheleſtratium, Bucherium, Velſerum, Fabrottum, Altaſerram, Ciampinum, Henſchenium, Papebrochium, Pagium, Boerium, Bencinum, Balduinum, Blanchinium, Vignolium, Muratorium, alioſque æquiores præteream, Tillemontius tom. 2. Monum. in Annot. 2. ad S. Clementem non longe abeſt, ut credat librum a S. Damaſo, dum adhuc Diaconum ageret, exaratum, adeoque tanti pendet, ut eum facile Euſebio præferat; Bailletus in Act. SS. libri hujus antiquiſſimi maximi apud Criticos ponderis eſſe jubet, neque facile denegandam ei fidem, niſi abeo, qui veterum Pontificum Monumenta omnia, alioqui Scriptorum aliorum, quorum undequaque ſtat penes omnes integra fides, calculo comprobata, velit convellere, nihilque vel vetuſtiſſimum, vulgatiſſimumque loco ſtare ſuo patiatur; Oudinus tom. 2. pag. 382, & ſeq. librum hunc Formoſo acceptum referre, incerta tametſi, inveriſimilique conjectura, non dubitat. Auctor hic enim, quem non alium, potiore ſaltem parte, ab Anaſtaſio Bibl. eſſe jam inter Eruditos convenit, quove diligentiorem, fideque digniorem in hoc argumenti genere Scriptorem non ſuppetere, fruſtraque quæri affirmant Guillelmus Bibl. in vita Hadriani II, Jo: Trithemius de Script. Eccleſ., Platina in Johanne IX, Panvinius in Not. ad S. Nicolaum I, Baronius ad an. 752, & 799, Blondellus, & Salmaſius apud Scheleſtratium in diſſert. de antiq. Rom. Pontif. Catalogis cap. 9. n. 9, in vita S. Marcellini hujus lapſum deſcribit, atque lapſus hic quidem deſcriptus legitur in Codicibus Mſs. Vaticanis, Caſſinenſibus, Regiis Pariſienſibus, Reginæ Chriſtinæ, Colbertinis, Florentinis, Farneſianis,

Thua-

Thuanæis, Cæsareis Vindobonensibus, Corbejensibus, Freherianis, Belgicis, Barberinis, Mazarino, Cavensi, Bergomensi, Farfensi, Lucensi, &c., quos contulere Marcus Velserus, Carolus Annibal Fabrottus, Card. Baronius, Johannes Busæus, Jo: Cuspinianus, Ægidius Bucherius, Lucas Holstenius, Stephanus Baluzius, Emanuel Schelestratius, Franciscus Penia, Benedictus Millinus, Petrus Boerius, Godefridus Henschenius, Jo: Mabillonius, Daniel Papebrochius, Antonius Pagius, Franciscus Blanchinius, Johannes Vignolius &c. Legitur etiam S. Marcellini lapsus in ejusdem vita, quam ex antiquo Codice Ms. circa tempora, uti fertur, Juliani Imp. descriptam Henschenius, & Papebrochius publici juris fecerunt. Sed & Luitprandus Diaconus Ticinensis in Vit. Pontif. hanc ipsam historiam ex pervetustis Codicibus Mss. Membranaceis descriptam exhibet.

Anastasii testimonium confirmat auctoritas cum S. Nicolai I. P. M., qui in epist. 8. ad Michaelem Imperat. apud Harduinum tom. 5. pag. 155, ut probaret non posse quempiam ab his, qui inferioris dignitatis fuerint, cujusmodi erat Photius, in judicium accersiri, hanc ipsam de S. Marcellini lapsu, & depositione refert historiam, effatumque Episcoporum in Synodo: *Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio ... Quoniam ex te justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Et iterum: Prima Sedes non judicabitur a quoquam*; tum S. Gregorii VII, qui in Synodo Romana V. an. 1078. decernens, ut festum SS. Martyrum Rom. Pontificum annuatim Officio celebraretur, hisce adcensere S. Marcellinum non dubitavit, cujus etiam lapsum, pœnitentiam, atque martyrium ex Pontificali libro, Actisque Synodi Sinuessanæ exarata Breviario Romano inferenda duxit: inserta vero velut Ecclesiæ Romanæ accepta, probataque habenda proculdubio fore nemo non perspicit. Eo vel maxime, quod probata revera fuisse, Patribus Tridentinis videri possunt: quandoquidem S. Pius V. in Constit. *Quod a Nobis* enarrans, quæ ex Decreto Concilii Tridentini pro correctione Breviarii Romani præstita a Decessoribus suis Paulo, & Pio nomine quartis fuerant, & quam ipsemet adhiberi operam curaverat, diserte testatur eam ex gravibus non modo eo in genere Scriptoribus recensuisse, sed neque ab antiquis

tiquis cum Eccleſiarum Urbis, tum ac maxime Bibliothecæ Vaticanæ Breviarii s receſſiſse: hac igitur ratione S. Marcellini hiſtoria iſta retenta eſt. Accedunt Concilii Sinueſſani ea de cauſsa an. 303. celebrati Acta, quæ multis etſi mendis ſcatere, interpolataque plurimum fuiſse fatendum ſit, tanquam ſpuria tamen omnino ſpernenda non eſse multa ſuadent. Imprimis ipſorum Actorum antiquitas: antiquiſſima enim eſse affirmat Petrus de Marca de Concord. lib. 1. cap. 11. Ante Sæculum VIII, ſive ante annos 800. in Eccleſia Romana legi eadem conſueviſse confirmant Baronius, Binius, & Scheleſtratius. Antiquitatem etiam probant duo pervetuſti, etſi depravati, Codices, ex quibus Acta illa in veteri Conciliorum editione Colonienſi vulgavit Surius, ut ipſemet in præmonitione ad Lectorem perhibet: Creſconiana antiqua Collectio, quam ab ſe collatam tradit Baronius ad an. 302. num. 89: Exemplaria duo Colbertina litteris majuſculis Langobardicis deſcripta venerandæ antiquitatis, & ad S. Gelaſii aut S. Symmachi ætatem facile pertingentia, tantamque cum Dionyſiana Collectione cognationem habentia, ut ab eadem indiſtinctos Codices iſtos exiſtimaverit Baluzius, quæ contulit, deſcripſitque Coutantius in Append. ad Epiſt. Rom. Pontif. pag. 29, & ſeqq. Comprobant quoque Scriptorum plurium & gravitas, & auctoritas, quibus ad tempus uſque Concilii Tridentini eadem Acta indubia ſemper viſa ſunt: uti ſunt Theologi S. Facultatis Toloſanæ in litteris ad Carolum VI. Francor. Regem an. 1402. datis apud Raynaldum ad an. inſeq. 1403. n. 18, & ſeqq., Alvarus Pelagius de planct. Eccl. lib. 1. art. 6, Jo: Gerſonius in tract. de Appellat. adornato circa finem Concilii Conſtant., Nicolaus Cuſanus lib. 2. de Concord. Cathol. cap. 17, Onuphrius Panvinius in Not. ad Platinam, ac in hiſt. Eccleſ., quæ Mſ. in Bibl. Vaticana aſſervatur, Hoſius, Ciacconius &c., ante hos vero Hincmarus, & S. Petrus Damianus in epiſt. ad Henricum Ravennatem Antiſtitem

Neque veri ſit ſimile hiſtoriam hancce S. Marcellini ab Iſidoro Mercatore de induſtria fuiſse confictam, veluti cenſuit Chriſtianus Lupus. Quandoquidem qui longe ante Iſidorum egere, libri Pontificalis Auctor, Auctor vitæ ipſius Marcellini apud Papebrochium, atque Petilianus Donatiſta apud S. Auguſtinum hunc

hunc Marcellini lapsum velut indubium jam exhibuerant. Neque magis ad veri speciem accedit Sinuessanæ Synodi Acta a Donatistis fuisse dolo procusa, uti generatim putant contrariæ opinionis patroni, speciatim vero Doctiss. Norisius in histor. Donatist. par. 1. cap. 7., & Missorius in disputat. Critic. in Epistol. SS. Cypriani, & Firmiliani pag. 226. Nam Donatistæ S. Marcellinum non modo thuris Idolis oblati, sed & traditionis Sacrorum Codicum reum agebant, ejusdemque reatus participes ipsius Presbyteros traducebant, S. Augustino teste, SS. Marcellum, Melchiadem, & Silvestrum, quorum de crimine tamen his in Actis ne vestigium quidem adparet. Quin de S. Silvestro passim, in quem alioqui Donatistæ insano ferebantur odio, honorificus incidit sermo. Atque de Apostolica vicissim Sede ea prædicantur elogia, tanquam de ea, quæ principi in Ecclesia dignitatis, potestatisque loco collocata, quo expers a quocumque, Divino inferiori, judicio eat: quæ cadere in homines certe nequibant, qui sacratissimæ ejusdem Sedis auctoritati cum præ astu subducere se se, tum subsannare præ nequitia non desistebant. Pleraque demum effata, quæ his in Marcellini gestis efferuntur, cum gestis S. Sixto III. perperam adscriptis ita consentiunt, ut nihil unum sit uni tam par, atque simile, neque ovum ovo, quam sunt inter se ista paria, & similia, adeoque dubitare non subeat, quin utraque ex eadem figlina prodierint, atque uno, eodemque torno fuerint fabricata. Jam vero, siquidem longe post habitam Collationem Carthaginensem, habitam nempe an. 411, sive insequ., ut ex S. Augustini serm. 1. arguit Sirmondus, Pontificatum injit S. Sixtus III, quem nempe an. 432. non ante conscendit, a Donatistis proinde Marcellini gesta Carthaginensem ante Collationem procusa non fuisse fit evidens. Quo de argumento fuse Coutantius in præfat. par. 2. §. 4. pag. 84, & seq., Ballerinii tom. 4. Oper. Norisii in additam. ad hist. Donat. par. 1. cap. 7, & Sbaralea de Germana SS. Cypriani, & Firmiliani de hæret. Bapt. opinione dissert. 3. par. 1. n. 15. Neque vero id officit, quod S. Augustino ignotum fuerit hoc Marcellini facinus, atque Petiliano Marcellini parem Marcelli, Melchiadis, & Silvestri lapsum obtrudenti fidem adhibere, ob idonei testimonii defectum, noluerit, sed magis reponendum

duxe-

duxerit utrumque fuiſse de induſtria confictum, id comprobans ex præcedentium Donatiſtarum ſilentio, quibus ſi tantum facinus compertum fuiſset, fuiſſet vero, ſi verum, in medium certiſſime producere, quod tanti nempe ipſorum intererat, cordi maximopere fuiſſet. Cedo enim, ſi S. Auguſtini peregrinabantur aures Marcellini Acta, in pervagato verſabantur ſermone apud Romanos Scriptores, qui in Urbe ipſa degentes, ubi cuncta certe exploratiſſima erant, Actis eiſdem fidem adhibere deinde ſuam non dubitarunt. Atque pleraque quidem multa præſertim hiſtorica S. Auguſtino, aliiſque Africanis perſpecta non fuere: cujuſmodi fuit celebre alioquin Euſebii Chronicon, adeout tandem Alypius, teſte eodem S. Auguſtino in epiſt. 35, a S. Paulino Nolano illud impetrare prometuerit. Ere vero Donatiſtarum non erat S. Marcellini lapſum commemorare, bene vero S. Melchiadis, cujus judicium elevare, & elidere ipſorum maximi intererat: proinde quamvis Marcellini facinus non in palam fecerint, poſtea tamen faciendi Petiliano in mentem venit, ut ex S. Marcellini lapſu nempe anſam arriperet conjiciendi, confingendique ſimiliter lapſos SS. Marcellum, Melchiadem, atque Silveſtrum Marcellini Presbyteros. Cujuſmodi commentum ut convelleret S. Auguſtinus, appoſite repoſuit S. Melchiadis lapſum fuiſſe confictum, neque ab ullo præcedentium Donatiſtarum præmemoratum. Quo ex reſponſo ad S. Melchiadem reſtricto haud obſcure colligitur, velut advertit Papebrochius in Append. ad diem 23. April. cap. 3, revera S. Marcellini lapſum Donatiſtis compertum locum dediſſe ſimilem lapſum S. Melchiadi affingendi.

Nec eſt etiam, cur objiciatur abs veri ſpecie abhorrere, quod ea tam ſæva perſecutionis obtinente procella, cogi in Concilium 300, aut 180. potuerint Epiſcopi, multoque minus verum, quod Concilium iſtud coactum in Crypta Cleopatrenſi Sinueſsanæ Civitatis fuerit: ſiquidem nullum apud Veteres vel hujus Civitatis, vel hujuſce Cryptæ veſtigium extet. Nam, ut argumentabatur Baronius, mirari non ſubit, quod a Clero Romano juxta morem Encyclicis admoniti undique Epiſcopi de tanto facinore, quo Eccleſia, Capite concuſſo, Univerſa ſummo in diſcrimine collocata videbatur, metu omni poſtpoſito, turmatim præſto

præſto accurrerint, communi cauſsæ communi conſultatione remedium allatuti. Eo vel maxime, quod Epiſcopi perſecutione undique pulſi majorem numerum Romam confluere conſueverint, tum ut Romanæ Eccleſiæ ſubſidiis alerentur, tum ut Romæ Ethnicis incogniti tutius, & ſecurius exigerent. Etſi vero memoria non extaret Sinueſsanæ Civitatis, quam tamen Sueſsam eſse, nunc vulgo Seſsam, in Campania exiſtimat Ciacconius, non ſecus atque complurium aliarum, Cleopatrenſiſque Cryptæ, non id ſane mirum eſset, quum ſcitum, notumque ſit cum ingentibus terræmotibus, tum hoſtium incurſibus Urbes ampliſſimas ſolo non modo æquatas, ſed terra ipſa aliquando fuiſse abſorptas; alias quoque non ſuum mutaſse. Sed enim Sinueſsæ haud infrequens apud Scriptores mentio offenditur, tanquam Oppidi in Latio conſtituti, velut apud Livium lib. 10, Plinium lib. 3, Horatium lib. 1. ep. 5, Ovidium lib. 15. Metam., Martialem lib. 6. ep. 42, & lib. 13. ep. 108, Strabonem lib. 5., Silium lib. 8. v. 529, Scriptorem Actor. SS. Caſti, & Secundini apud Sollerium tom. 1. Julii pag. 19, Ughellum tom. 10, & Baronium in Martyr. Rom. ad diem 1. Julii. Atque in Cryptis certe Sacra conficere, & celebrare veteribus Chriſtianis ſolemne erat: atque ex Actis S. Sebaſtiani liquet Diocletianæa perſecutione deſæviente, Tyrannorum, tormentorumque feritatis declinandæ, fugiendæque gratia, Chriſtianos ingentem numerum, juxta S. Caji Papæ conſilium, una cum Polycarpo Presbytero in Villam Chromatii ad litus Campanum poſitam ſe recepiſse, in eademque Regione ad deliteſcendum amplos excavatos fuiſse receſsus. Igitur ibidem Concilium iſtud Epiſcoporum 300, vel 180. fortaſse coactum fuiſse conjicit Binius. Sed & vir Summus Blanchinius in Not. hiſt. ad Anaſtaſium Bibl. tom. 2. Sect. 30. pag. 258, & ſeq. ex periocha altera, quæ non legitur in Actis Synodi Sinueſsanæ, neque in geſtis S. Marcellini, bene vero in libro Pontificali, & in ſecundo Catalogo ad ætatem S. Felicis IV, ac Juſtiniani Imp. facile pertingente, animadvertit Cœtum hunc Epiſcoporum non in Crypta quidem Cleopatrenſi, ſed in Cœmeterio Priſcillæ peramplo utique via Salaria habitum; quod Cœmeterium Oſtriani etiam dictum a S. Petro, dum hospes Laudentis ageret, ac Priſcil-

læ in ejuſdem Agro ſuburbano, perinde ac Domi intra Urbem ad Exquilias, pro temporis opportunitate, pro Baptiſmo adminiſtrando fuerat olim deſignatum. Quo etiam loci Liberius a Conſtantio quæſitus ad necem, Paſchali appetente feſto, ſe recepiſſe legitur in ipſius Actis, collectoque Presbyterio conſilia agitaſſe de Baptiſmo ibidem conferendo. Locum autem ita amplum in ea Crypta fuiſſe, confluentiſque fidelium turbæ ita capacem oſtendit Aringhius Rom. ſubterran. tom. 2. lib. 4. cap. 31, ut in iiſdem Liberii Actis quinque millia hominum uno in Paſchate Baptiſmo abluta referantur. Eò igitur in æſtu perſecutionis confugiſſe S. Marcellinum putat vir doctiſs., ut ibidem Paſchali inſtante ſolemnitate tuto Baptiſmum adminiſtrare poſſet, ibidemque congregato Presbyterio, ſive etiam Concilio Epiſcoporum, communi ex ſententia deliberaſſe de pœnitentia Lapſis impertienda, eaque functis ad Eccleſiæ communionem recipiendis. Quæ ſi vera ſunt, ſtat profecto Sinueſsanæ Synodi, ſive Feſanuæ, velut habet Papebrochii Catalogus, ſive in Cœmeterio Priſcillæ, ut mavult Blanchinius, ſive in Crypta Cleopatrenſi, ut vulgo fertur, habitæ Actis ſua auctoritas.

Verumtamen qui contra pugnant, atque tam S. Marcellini hiſtoriam figmentis deputant, quam Acta Sinueſsanæ Synodi apocryphis adnumerant, ſuntque Baronius ipſe in priori editione, ac poſtrema Lucenſi ad an. 302. n. 88, & ſeqq., Spondanus in Epitome ad eumdem an., Sudorius hiſt. Eccl. & Imper. ad ann. 303., Perronius adverſ. Regem Angliæ cap. 47, Theophylus Raynaudus tom. 10. lib. de Corona aurea veritate 30, aſſerens a Bellarmino in recognitione libri 4. de Rom. Pontif. cap. 8. priorem retractatam fuiſſe opinionem, Jo: Thomas Roccaberti de Rom. Pontif. lib. 2. Apolog. cap. 14, Lupus tom. 5. in Synodos ad Can. 14. Synodi V. Rom. ſub S. Gregorio VII. pag. 228, Bailletus ad diem 26. April., Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæculum III. diſſert. 20, Papebrochius in Conatu hiſt. Chron. ad Catalog. Rom. Pontif. diſſert. 11, alias 7, Tillemontius tom. 5. Monum. in Not. ad perſecutionem Dioclet. n. 31. pag. 613, Noriſius hiſt. Donatiſt. par. 1. cap. 7. tom. 4. Oper. pag. 128, Aguirrius in defens. Cathedræ S. Petri tract. 2. diſput. 28. ſect. 1, Pagius uterque in Crit. ad

ad an. 302. n. 18, & ſeqq., ac 304. n. 12, atque in S. Marcellino, Coutantius in præfat. ad Epiſtolas Rom. Pontif. par. 2. §. 4. nu. 97. pag. 84, & ſeqq., in S. Marcellinum §. unic. pag. 309, & in monito præv. ad Acta pſeudo Synodi Sinueſs. in Append. pag. 27, Auctor obſervat. Theolog., hiſtor., Critic. ad hiſtoriam Eccleſ. Fleurii lib. 8. n. 47, Janningus in Apolog. pro Actis SS. pag. 12, Miſſorius in diſput. Critic. pag. 226, Ballerinii in addit. ad cit. locum Noriſii, Graveſonius in hiſt. Eccl., DuMeſnil doctr., & diſcipl. Eccl. tom. 1. lib. 8. n. 15. pag. 223, Maffejus Obſervat. litter. tom. 5. art. 2. pag. 107, Muratorius in Annal. Ital., aliique, quibus utroque pollice ſubſcribendum utique exiſtimo, principio momenta, quibus adverſæ opinionis defenſores innituntur, tanti non pendere inquiunt, ut propterea in re tam gravi, in qua de Romani Pontificis agitur ſumma, aſſenſum ſuum extorquere valeant. Enim vero libri Pontificalis equidem ſuam loco ſtare auctoritatem volunt: at perinde librum eſse non eodem integrum tempore concinnatum, ſed potius opus Sæculo qua IV, qua VI, qua VIII. elaboratum, ut animadvertunt Scheleſtratius ipſe in Antiq. illuſt. diſsert. de antiq. Rom. Pontif. Catalogis Anaſtaſii tom. 2. pag. XXVI, & ſeqq., & Blanchinius in Append. ad hanc diſsert., ſubjunctaque pari de argumento diſsert. altera pag. LXIII, quo in Opere paſſim errata adeo perpecta ſunt, ut qui cunctis patrocinari vellet, ſe frugi cuilibet irridendum profecto propinaret. Erratorum ſpecimina exhibent paſſim variantes Lectiones Codicum per Sæcula ſeptem varie deſcriptorum, offenduntque ſpeciatim in Damaſo, in Sixto III, in Vigilio, in Pelagio I, &c. atque quidem apertiſſima Baronius, & Pagius, atque frequenter ubique Papebrochius. Fœda porro ex hac Pontificalis libri lacuna, aut ex Actis Sinueſsanæ Synodi non magis ſinceris deſcriptam abſque delectu hiſtoriam hancce non mirum decepiſse pleroſque, atque in errorem duxiſse, Luitprandum quidem, ſive Germanum potius Scriptorem, quem ex Anaſtaſio vitas Pontificum uſque ad Formoſum, cum eodem Bibliothecario per Abbonem Floriacenſem excerpto editas a Jo: Buſæo Mogunt. 1602, excerpſiſse obſervarunt Voſſius, Fabricius, & alii. Cum quo, ac Hincmaro, & Petro Damiano pariter deceptos SS. Nicolaum I,

& Gregorium VII. Pontifices MM., ſalva ipſis debita reverentia, dicere nihil prohibet, ut quos in puris, putiſque factis hiſtoricis falli potuiſse nemo negaverit. Et ſane S. Nicolaus I. in eadem ipſa Epiſtola tum Conſtituti a S. Silveſtro Romana in Synodo editi, tum Synodi cujuſpiam ſub S. Sixto III. in cauſsa Polycronii Hieroſolym. Epiſcopi habitæ meminit, quæ duo tamen monumenta ex figlinis prodiiſse demonſtrant Baronius ad an. 324. n. 124. & 433. n. 38, Scheleſtratius Antiq. illuſt. par. 2. diſsert. 3. cap. 8, Pagius adcit. an. n. 17, & ſeq., ac n. 19, & Coutantius in Append. ad epiſt. Rom. Pontif. pag. 38, & 111.

Neque vero Breviarii Romani omni ex parte, qua facta pura hiſtorica reſpicit, ſuo permanere loco poſse auctoritatem jamdudum ab emunctioris naris Criticis obſervatum eſt. Atque quidem principio Breviario præ ceteris Romano, cui utpote componendo impenſe allaboraſse S. Damaſum refert S. Gregorius M. lib. 7. cap. 29, & lib. 7. epiſt. 64, S. Cæleſtinum palam fit ex epiſt. ad Gall. Epiſcopos, S. Leonem M. arguitur ex ſerm. 3. in die Epiph., S. Hormiſdam legimus in libro Pontif., S. Gregorium M. teſtatur Johannes Diaconus, S. Gregorium II. habetur in ejus Capitul., & S. Gregorium III. auctor eſt Anaſtaſius Bibl., ex ipſis proinde Rom. Pontificibus ſummam adceſſiſse venerationem, præſtantiam, auctoritatemque non dubium eſt, tantamque utique, ut Pipinus, & Carolus M., velut obſervat Grancolas Comment. hiſt. in Rom. Breviar. cap. 4, veteri Gallicano abolito, Romanum in Gallias introduci curaverint, qua de re fuſe Ducheſnius hiſt. Franc. tom. 2. pag. 204, Echardus rer. Franc. tom. 1. pag. 507, Mabillonius de Liturg. Gallic. in præf. n. 2, & Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 1. lib. 2. cap. 80. n. 3, Capitulare Caroli M. lib. 1. cap. 80, Capit. Aquiſgr. an. 789. cap. 8, & Monachus SanGallenſis lib. 1. cap. 10: ut Hadrianus I. illud miſsum ad Carolum M. ubique in Imperio, Germania, & Gallia diligenter obſervari præceperit apud Ducheſnium tom. 2. pag. 75, & tom. 3. pag. 798; & Carolus Calvus cum Latinis, Græciſque, ideſt Eccleſiarum Hieroſolymitanæ, & Conſtantinopolitanæ, Mediolanenſis, & Toletanæ Breviariis diligenter collatum Romanum illis longe iſtud præſtare cognoverit, ac prætulerit in Epiſt. ad Cle-

Clerum Ravennatem: atque præferendum utique plurimo nomine affirmare non dubitarit Valafridus Strabo de reb. Eccleſ. cap. 25: ut in Concilio Vaſenſi II. an. 529, in Capitulari ann. 806, præſertim vero poſt reformationem Breviarii factam a S. Pio V, in Conciliis Rotomagenſi an. 1581, Remenſi 1583, Burdigalenſi eodem an., & Aquenſi 1585. apud Harduinum tom. 10. pag. 1215, 1279, 1338, & 1530. in Romanum Breviarium Eccleſia Gallicana univerſim ultrocitroque conſpiraverit. Religionem eamdem in Hiſpaniam induxit Vigilius Profuturo Bracarenſi Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ ritum in Officio recitando ſtatuens; quem deinde recipere proprii muneris partes duxit Concilium Bracarenſe II. an. 563. Can. 4; cui conformiter a Concilio Toletano IV. an. 633. Cap. 2. Romanæ Eccleſiæ pſallendi Ritum unum, eumdemque ubique eſſe oportere ſancitum eſt. S. Gregorius VII. quoque, ſicut fit manifeſtum ex ipſius epiſt. 63, & 64. lib. 1. ad Sancium Aragoniæ, & Alphonſum Caſtellæ Reges, & ad Simeonem Epiſcopum lib. 3. epiſt. 18, veteri Mozarabico abjecto Romanum ut ſufficeretur, effecit. In Angliam quoque S. Auguſtinum ablegans S. Gregorius M. lib. 12. epiſt. 31, & apud V. Bedam lib. 1. cap. 27. Romanum Breviarium eòdem perferri juſſit: cujus deinde Ritum urſit magis, magiſque S. Agatho, teſte V. Beda lib. 4. cap. 18, atque retinentiſſimum ſe præſtitit Concilium Cloveshovienſe II. an. 747. Cap. 15. In Sicilia Græcus olim Ritus ad Sæculum VIII. uſque viguit, poſt deinde, a tempore ſcilicet, quo e Sicilia Roberti Ducis, & Rogerii Comitis bellica virtute pulſi undique Saraceni ſunt, Gallicanus a Gallis rerum ibidem potientibus inductus eſt, indeque Ritus Gallo-Siculus obtinuit, donec is Pontificum opera ad priſtinum Romana ab Eccleſia pridem receptum eſt redintegratus, qua de re Papebrochius in vita S. Agrippinæ Virg., & Martyr. ad diem 23. Junii to. 4. §. 2. n. 12, Johannes de Johanne in tract. de Divinis Siculorum Officiis, & Benedictus XIV. P. M. in Epiſtola ad Archiep. Meſſan. ſuper Cultu S. Lucæ Caſalis Bullar. tom. 2. pag. 238. §. 11. Ad hæc Haito Baſileenſ. in ſuis Statutis an. 824. Presbyteris ſuis Breviarii Rom. recitationem Can. 24. indixit, & commendavit. Lupus quoque Ferrarienſis Abbas Monachos ſuos de Breviarii Rom. Ritu imbuere ſollici-

licitum ſe dedit epiſt. 103. A S. Frumentio quin etiam Æthiopum Apoſtolo Sæculo IV. Romanis Mercatoribus in Æthiopiam negotiationis exercendæ gratia proficiſcentibus Eccleſias in Regione erigendi, Romanumque juxta Ritum Officia celebrandi facultatem ultro factam refert Ruffinus lib. 10. cap. 9. Atque utique ab Apoſtolicis viris propagatum Evangelium Romanis a Pontificibus in Orbem Univerſum miſſis, Romanum ubique gentium Officium cum Religione inductum teſtata, indubiaque res omnino eſt, quam pluribus illuſtrare non juvat.

Quæ nihilominus Breviarii Romani juſtiſſima elogia haud offecere, quin iſtud reformatum fuerit ſæpe, reformationeque etiamnum indigeat. Nam ea prætermiſſa, quæ Minoritarum ope, Haymone Generali Miniſtro vehementer id operis urgente, promoventeque, ſub Gregorio IX, & Nicolao III, quibus accepta evaſit, peracta eſt, de qua fuſe Radulphus Tongrenſis de Canon. obſervat. prop. 22, Nicolaus de Clemangis lib. de corrupto Eccl. ſtatu, quibus duumviris ſatis ea probata non ivit, Wadingus ad an. 1244, Thomaſſinus par. 1. lib. 2. cap. 84. n. 12, Card. Bona de Divina Pſalm. cap. 18. §. 20, Dominicus Macri in Hierolex. V. *Breviarium*, Sarnellus tom. 6. epiſt. 40, & Grancolas cap. 5: prætermiſſa quoque ea, quam ſub Clementis VII, & Pauli III. auſpiciis Card. Franciſcus Quignonius ſuſceperat, cui poſtea igne, & aqua S. Pius V. interdixit, a Sæculo IX, ac deinceps a viris Doctis Breviarii Romani correctionem efflictim deſideratam fuiſſe, votiſque ſollicitatam, atque a Pontificibus ſummis plus vice ſimplici impenſe procuratam ignorabit nemo. Hanc ſibi ſumpſit Agobardus Lugd. lib. de Correct. Antiphon., neceſsariamque oſtendit in lib. 1. de Pſalmod. contra Amalarium, qui eidem Correctioni pariter inſudavit, plurimamque in eam contulit operam in opuſc. de Correct. De ineptis, mendaciorumque imo refertis Poematiis, hiſtoriiſque in Officium intruſis acerbe queritur V. Petrus Clun. epiſt. 30; & S. Bernardus in epiſt. ad Guidonem Monti-Ramenſem Abbat. ſollicitus agit de inſtituendo Virorum delectu ad Breviarii reformationem elaborandam. Sæculo XV. vel a Sæcularibus Poteſtatibus Breviarii reformatio petita eſt, vehementerque promota veluti conſtat ex Reformationis Articulo 12. ab Imperatoris Legatis

gatis propoſito. In Commentario Card. Lotharingio e Gallia diſceſsuro ad Concilium Tridentinum an. 1562. dato, Regis, omniumque Regni Ordinum nomine, ſpecialis demandata eidem legitur ſparta rogandi, urgendique Divinii Officii correctionem. In propoſitione a Carolo V. Auguſtæ Vindelic. an. 1548. exhibita ſancitum habetur, ut a Breviario apocryphis reſecatis, eidem emendando, & ad formam precum ab antiquis Eccleſiæ Patribus traditam redigendo Viri docti, ac pii admoverentur. In Concilio Tridentino Ilerdenſis Epiſcopus oratione habita quanti intereſſet Breviarii, Ritualiſque emendatio, majore, qua potuit, animi contentione, multiſque perſuadere conatus eſt. Sed & eidem Concilio arcte idem animo inerat votum, cui explendo impar totam Romanum in Pontificem tranſtulit provinciam, & curam: Ejuſdem rei gratia Decreto quoque ſolemni Breviaria, & Miſsalia ut emendarentur, ſollicita ſanxere Concilia Senonenſe ann. 1528, Colonienſe an. 1536, Rotomagenſe 1581, & Remenſe 1583. Qua certe proinde cura indutus Paulus IV. emendationem perficere aggreſsus, ad exitum perducere, ut optaverat, inque deſtinatis habuerat, morte præventus, nequivit, veluti fuſe in ipſius vita denarrat Antonius Caracciolus lib. 4. cap. 16. Revocato a Pio IV. Tridentino Concilio miſſa ad illud ſunt, quæ Pauli IV. opera ad Breviarii emendationem parata jam fuerant: ſed Concilii inſtante concluſione, integrum rei negotium ad Romani Pontificis iterum partes remiſsum eſt, ut habetur Seſſ. 25. de Reform. tit. de Indice Libr., Cathechiſmo, & Miſsali. Itaque a Pio IV. idoneis viris impeditiſſima provincia impoſita iſta eſt, quam, illo mortalitatem expleto, in ſe perinde ſuſcipiens S. Pius V. abſolvere ſtuduit Conſt. 64. Bullar. tom. 2. Non ita tamen numeris eamdem perficere omnibus contigit, quin diligentiorem adhuc in Breviarii reformationem operam conferendi Viris piis doctiſque auctores ſe dederint Sixtus V, Clemens VIII. Conſt. 86. Bull. tom. 3, & Urbanus VIII. in Conſt. Breviario ipſi præfixa, de quibus Gavantus in Comment. ad Rubr. Brev. ſect. 2. cap. 3.

Tantam nihilominus, tamque diligentem poſt operam deſiderari adhuc medicam, peritioremque, ſi fieri poſſit, manum, atque lima quidem, ſpongiaque indigere pleraſque Breviarii ſecundas

cundas Lectiones fatetur Gavantus sect. 5. cap. 12, aliique apud Honoratum a S Maria in Animad. ad Regul., & Us. Crit. tom. 2. lib. 1. dissert. 2. §. 3, quamvis horum plerisque intemperantionis Critices nonadeo faciles accommodandæ aures. Atque signatim utique pleraque facta historica in Breviario legi, de quorum fide dubitare valdequam liceat, observare non desinunt Viri docti: quorum breve hinc inde excerptum ecce tibi specimen. Ita namque S. Gelasius in Decreto de Libr. universim denuntiarat Gesta SS. Martyrum (quod ipsum de Vitis SS. Confessorum accipe) Romana in Ecclesia, ob idonei testimonii defectum, legi olim non consueviſse. Ita de Symbolo Athanasiano *Quicumque*, deque Cantico *Te Deum* SS. Ambrosio, & Augustino adscripto, quod potius Sisebuto Monacho ex veteri Cassinensi Breviario, & Codice Ms. Vaticano a Card. Bona recensito vindicant apud Montfauconium in Bibl. Mss. pag. 219. viri Eruditi valdequam dubitant. Calmetius in Comment. Evang. dissert. in tres Marias unam dumtaxat, quæ variis erga Christum D. officiis defuncta fuerit, impune defendit. De S. Veronica, an unquam in rerum natura extiterit, litem movent docti, peritique Viri apud Natalem hist. Eccl. tom. 3. art. 5; & S. Carolo Borromæo certe de eadem Missam e Missali expungere licuit, velut e Martyrologio ejusdem nomen Baronius sustulit. Die 19. Septemb. Ecclesia utitur Lectionibus ex Comment. S. Hilarii in Cap. 15. S. Matth., ubi Nicolaum ex septem Diaconibus unum falsis Prophetis adnumerat, sicut & S. Epiphanius hær. 25, de quo tamen contrarium sentiunt S. Ignatius Martyr. in epist. ad Trall., & ad Philadelph., Clemens Alex. lib. 3. Strom., Eusebius lib. 3. cap. 29, Theodoretus hærer. fabul. lib. 3, S. Victorius Petabionensis in Comment. ad Apocalypsim, & Baronius ad an. 68. n. 10, ubi & Hippolytum de 72. Discip., & Dorotheum in Synop. producit. Breviaria Hispanica figmentis multis ex Lucio Dextero, sive Higuera, Tamajo, & Argaizio consarcinatis insperſa affirmare non dubitavit Papebrochius in respons. ad exhibit. error. art 17. §. 1 De Translatione Romam corporis S. Bartholomæi litem intendere non dubitarunt Auctor dissert. edit. Benev. an. 1695, & Card. Ursinus, deinde Benedictus XIII. in dissert. de Reliq. S. Bartholomæi edit. Rom. 1724.

1724. S. Jacobi profectionem Hiſpanicam oppugnare non extimuere Baronius ad an. 816. n. 51, & Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. I. diſſert. 15. De Romanæ pariter Corporis S. Stephani translationis die 3. Aug. veritate juſtam dubitationem induit Papebrochius in reſp. ad exhib. error. art. 9. §. 3. S. Dionyſii Areop. Pariſienſem Epiſcopatum, adventumque in Gallias inficiari non deſtiterunt Nicolaus Faber apud Honoratum a S. Maria in Animad. ad Regul. Crit. tom. 1. diſſert. 6. pag. 198, Sirmondus Concil. Gall. tom. 1., Oper. tom. 4. pag. 354, Launojus de duobus Dionyſiis, Morinus de Sacr. Ordinat. par. 2. cap. 2, DuBoiſius in hiſt. Eccl. Pariſ. lib. 1. capp. 5, & 6, Tillemontius Monum. tom. 4. pag. 439, Dupinius, Pagius Junior in diſſert. de S. Dionyſio, aliique. De SS. Marthæ, & Magdalenæ in Provinciam appulſu contra diſputant Launojus diſſert. ſingul., & Tillemontius tom. 2, ut de Baſnagio ad an. 35. n. 25. & ſeqq. ſileam, de quibus etiam Janningus in Apolog. pro Actis SS. pag. 12. S. Clementis Papæ & Martyr. Romanam translationem ſub S. Nicolao I. in dubium revocat Philippus Rondininus in Opere de S. Clemente, ejuſque Baſilica edit. Rom. 1706. Scitum eſt quanta judicii conſtantia Conſtantini M. Baptiſmo Romæ a S. Silveſtro recepto repugnent Natalis Alex. tom. 4. diſſert. 23, Dupinius, Maurini Monachi ad S. Ambroſium tom. 2. pag. 1209, Papebrochius tom. 5. Maji ad diem 21. pag. 14, & in Conat. Chron. hiſt. diſſert. 12, Janningus in Apolog. pag. 16, Pagius ad an. 324. n. 5, & ſeqq., Lambecius Bibl. Vindob. tom. 5. in fin., Tillemontius hiſt. Imper. tom. 4. pag 422, & 631, Nicolius in confut. diſſert. Michaelis Anaſtaſii edit. Placent. 1733, & Hyacinthus Seguſa in diſſert. de Bapt. Conſt; ut nihil dicam de Proteſtantibus Sculteto, Baſnagio, Gualthero, Schmidio, Tentzelio, Dalhuvo, & Vogtio hiſt. litter. Conſtantini M. edit. Hamburg. 1720. Traditioni de S. Urſula, & undecim mille Virginibus propugnatæ a Petro de Natalibus lib. 9. cap. 87, a Baronio in Martyrolog. Rom. ad 21. Octob., a Crombachio in S. Urſula vindicata, & a Coulano doct. Sorbonico in Panegyrico edit. Pariſ. 1705. fidem derogare non verentur, præter Uſserium Antiq. Eccl. Britan. pag. 323, & ſeq., Danhaverum homil. Academ. tom. 2. pag. 619, & Bebelium Antiq. Eccl. pag. 104, Alfor-

dus in Annal. Anglic., & Pagius ad an. 383. n. 5, & ſeq. De Monachatu S. Gregorii M. diſputat adverſus Conſtantinum Monach. Caſſin. Gallonius poſt Baronium ad an. 581. n. 9, & ſeq. S. Catherinæ Virg., & Martyr. hiſtoriam in dubium vocat Hadrianus Valeſius in poſthumis pag. 48. De ſinceritate Actorum S. Venantii Martyr. valdequam ſuſpicantur Bollandiani in Annot. Crit. ad diem 18. Maji. Acta S. Orientii Auſcienſis Epiſcopi a Tamajo conſarcinata *nebulae* accuſant Henſchenius tom. 1. Maji, & Pinius tom. 2. Auguſti in vita S. Laurentii pag. 503. Eodem in cenſu S. Barbari lectiones a Petro de Natalibus elaboratas habent Henſchenius rom. 3. Maji pag. 286, & Papebrochius tom. 7. pag. 769. SS. trium Fratrum Leontinorum Acta ſuppoſitionis plurimo laborare morbo fatentur Octavius Cajetanus in vitis SS. Siculorum, & Papebrochius tom. 2. Maji pag. 503. De Lectionibus S. Liberatæ, & S. Epitacii ſuſpicionem haud levem induit Nicolaus Antonius apud Cuperum tom. 5. ad diem 20. Julii. Die 30. April. ex Officio S. Catherinæ Senen. Urbani VIII. decreto 28. Sept. 1641. ablata periocha eſt de ejus progenie ex Familia Benincaſia & Burgenſi, de qua Echardus Bibl. Præd. tom. 2. pag. 833, & Bollandiani tom. 3. April. pag. 978. Similiter ex Lectionibus S. Brunonis expuncta hiſtoria, quæ ejuſdem Converſioni occaſionem præbuiſſe fertur. Mitto ſexcenta horum ſimilia, ne ſim longior.

Itaque Breviarium Rom. maximæ quidem auctoritatis eſse in iis, quæ ad Eccleſiaſticum attinent cultum, Eruditi conveniunt, minoris tamen ponderis eſse in privatis factis, Sanctorumque geſtis agnoſcunt; nec inde efficax peti argumentum, ubi præſertim antiquiora documenta, ac firmiora adverſentur; nec ab Eccleſia ceu infallibilis veritatis haberi, Religioniſque inſtar recipi juberi quæcumque facta hiſtorica Breviario inſerta legit, atque ex hominum teſtimoniis ratione humana denarrantur. Obſervant enim puriores ſæpe ſæpius defeciſſe fontes, e quibus Sanctorum facta ſincere delibarentur, exornarenturque faſti; mutuari proinde debuiſſe a Monumentis, quæ præ ceteris veritati proximius accedere videbantur: neminem tamen eſſe, qui in humana hiſtoria hallucinatus non ſit, atque in factis hominum perſequendis non fuerit humani quidpiam paſſus. Eoque præſertim, quod a primis

Ec-

Eccleſiæ Sæculis, neque defuerint Chriſtiani, qui fingere, ac mentiri pro Religione pium, licitumque haberent, veluti magna, hodieque neque injuſta querela multorum eſt apud Poſſinum in epiſt. 3. ad Papebrochium, atque iſtum perinde in Con. Chron. hiſt. diſſert. 12. n. 20. Ita Benedictus XIII. cit. diſſert. de Reliq. S. Bartholomæi art. 7, Benedictus XIV. de Canon. SS. lib. 4. par. 2. cap. 13, ſive Diſſert. volum. 1. diſſert. 30, Baronius ad an. 302. n. 104, Melchior Canus de Loc. Theolog. lib. 11. cap 5, Gavantus loc. cit., Petrus de Marca de Concord. lib. 1. cap. 14. §. 4, Roccaberti de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 14, Card. Lauræam, alioſque allegans, Guido Grandus in diſſert. Camald. 3. cap. 8., Calmetius loc. indic., Didacus del Corro in diſſert. Theolog. Critic. de vi argumenti ex Brev. Rom. petiti edit. Hiſpal. 1739, Natalis cit. diſſert. 20, Papebrochius in reſp. ad exhibit. error. art. 2. §. 6, & art. 17. §. 1, ac ſeqq., Janningus in cit. Apolog., Stiltingius tom. 5. Auguſti pag. 99, Echardus Bibl. Præd. tom. 2. pag. 8349. Maffejus Obſervat. litter. tom. 5. pag. 107, & tom. 6. pag. 196, Antonius Xaramilius in Apologia pro veritate cap. 7, Auctor Germanus Apologiæ pro Hagiographis Antuerp. in reſp. ad epiſt. 3. Anonymi Suppl. Bolland. pag. 924, & ſeqq., Aloyſius Lopez in epiſt. ad Petrum Joſeph de Meſa ibidem pag. 940. n. 48, & ſeqq., aliique. Quod argumenti genus fuſius ideo perſequutus ſum, quòd ſæpius illud produci in ſcenam contingat, atque profligari ſemel, abſolvique propterea operæ fuerat pretium.

Quod nunc ad Actorum Synodi Sinueſſanæ antiquitatem jactatam attinet, eam vel uno everti momento ab Actis eiſdem mutuato obſervant noſtræ defenſores ſententiæ. Videlicet in Actis ipſis referuntur 72. Teſtes adducti, eorumque numerus exprimitur ſymbolo Libræ Occidnæ conſtantis 72. ſolidis, ſic dictæ Occiduæ ad diſcrimen Libræ Orientalis conſtantis ſolidis 84. Jam vero, quum non ante Conſtantini M. non modo, ſed nec ante Valentiniani tempora apud Antiquiores reperire ſit differentiam Libram Orientalem inter, & Occidentalem, atque ii primi Libram partiti fuerint, poſuerintque diſcrimen 12. Libram inter utramque, patet exinde, ac plane intelligere pronum eſt Acta Sinueſſanæ Synodi, nonniſi poſt latas, promulgataſque hac de re Le-

ges fuiſſe conſcripta, ſeu verius conficta. Nempe Conſtantinus Meodem ipſo anno 325, quo habita Nicæna Synodus eſt, L. 1. Cod. Theod. *De Ponderatoribuſ* ad Euphraſium, unde deſumpta eſt L. 1. Cod. Juſtin. eodem tit., ſtatam 84. ſolidorum, ſeu aureorum Libram primus effecit, qui finguli quatuor ſcripulorum eſſent, ac proinde ſolidi ſeptem (non ſex dumtaxat, veluti haud recte ſcripſerunt Pancirolus lib. Variar. cap. 66, & Savotus de re Nummar. par. 3. cap. 17.) quatuor ſcripulorum in ſingulas uncias taxarentur. Quod etiam videre licet in Nummis ejuſdem Conſtantini, quorum ſeni, & ſemis hodiernam unciam æquant, quum olim quaterni in unciam ſignarentur, velut obſervavit Budæus. Id autem factum a Conſtantino arguere licet ad exemplum argenteæ Libræ Romanæ, quam 84. argenteorum conſtaſſe eruitur ex Plinio lib. 33. cap. 9, & Celſo in epiſt. ad Natalem, & lib. 5. cap. 17. Sed & apud Romanos Nummum argenteum quatuor ſcripulorum fuiſſe liquet ex Varrone lib. 3. Annal. apud Cariſium. Augeſcente vero poſt Conſtantini ætatem in dies magis, magiſque auri pretio, Valentinianus Senior an. 367. Remis agens in Gallia L. 13. Cod. Theod. De *Suſceptoribus* ad Julianum Annonæ Præfectum, relata poſtea in L. *Quotieſcumque* 25. Cod. Juſtin. eodem tit., non aureorum quidem pondere imminuto, ſed extrinſeca dumtaxat aureæ Monetæ facta mutatione, ejuſque æſtimatione aucta, ſolidos 72. in Libram auri, & ſic ſex in unciam, acceptos ferri voluit, atque ſic imminuto ſolidorum numero 12. Libra ipſa fuit imminuta, quin tamen ex ipſius poteſtate, valoreque quidpiam fuerit detractum. Libra ita a Valentiniano 72. ſolidis definita dicta eſt Occidua, ad differentiam Libræ a Conſtantino olim in ſolidis 84. deſignatæ, quæ Orientalis denominata eſt, velut oſtendit Gothofredus in diſſert. de Mutatione, & augmento Monetæ aureæ Oper. Jurid. pag. 503, non vero eo ſenſu dicta eſt, quo perperam exiſtimarunt Cujacius lib. 17. Obſervat. cap. 9, & Scaliger in poſtumo de re Nummar. pag. 65, ideſt quod Libra in Occidente obtinens minoris 12. valoris eſſet ab ea, quæ uſu in Oriente veniebat, quum alioqui Libram auri Romæ majorem fuiſſe haud obſcure indicat Symmachus lib. 10. epiſt. 26. Eadem poſtea Valentiniani Lex Honorio Imper. accepta, probataque

taque evaſit, uti patet ex L. unic. *De Oblatione votorum* Cod. cum Theod., tum Juſtin., atque ad hanc quinimo Honorii poſteriorem Legem reſpexiſſe Scriptorem Actorum Synodi Sinueſanæ ex utriuſque loci collatione oſtendit Gothofredus, ubi Honorius ſic habet: *Quando votis communibus felix annus aperitur, in una Libra auri ſolidi 72. obriziaci Principibus offerendi devotionem, animo libenti ſuſcipimus.* Scriptor ille vero de Teſtibus 72. in Synodum Sinueſſanam adductis ſic loquitur: *Quoniam in 72. Libra Occidua in reparationem ſurgit annus*: ideſt annus reparatur, ſive novus aperitur in 72. ſolidorum Libræ collatione. Igitur poſt Honorii ætatem conſarcinata Synodi Sinueſſanæ Acta fuiſſe hinc liquido adparet, atque centum ad minus poſt annis a S. Marcellini obitu, quo temporis intervallo fama eundo, ac redeundo increſcere, & decreſcere facile potuit.

Sed & ſunt alia, neque minus ſolida momenta, quibus Sinueſſanæ Synodi Acta ſuppoſitionis, ac falſitatis arguantur, fabulæ nempe, ac figmenta, quibus undique exundant. In iis enim fertur Marcellinus a Diocletiano in Templum Veſtæ, & Iſidis introductus, non tamen Diis illis, ſed Herculi, Jovi, Saturno, ſive Patuſino feciſſe Sacrum: quod ab veri ſimilitudine abhorret, quum ſecundum diverſa Numina diſtincta Romanis ſolerent eſſe Templa, diverſuſque in eiſdem Cultus; nec eadem vota eidem Numini, multoque minus eodem in Templo nuncupare Numini diverſo Romanis ſolemne eſſet. In eiſdem Actis enarratur Chriſtianos ingentem multitudinem ad Templum confluxiſſe, ut de rumore facinoris a Pontifice patrati certiores fierent, reapſeque inſpexiſſe illum thus Idolis adolentem, factique poſtmodum teſtes fuiſſe. At non facile quis ſibi perſuaſerit Chriſtifideles in Cryptis ſub id tempotis tam caute deliteſcentes, catervatim in publicum proſiliiſſe, quodque pejus eſt, ad Templum profectos, illud ingreſſos Sacrificiis, & Thurificationi ſacrilegæ adſtitiſſe, quum Tertulliano teſte lib. de Spectac. cap. 13, Chriſtianis vetitum, cautumque fuerit ſummopere Gentilium ad Templa accedere, eorum Spectaculis adeſſe, atque Gentilitiæ ſuperſtitionis ritus ſpectare. Quid quod referuntur 72. Teſtes adducti ſacrilegæ thurificationis Marcellinum convincendi cauſſa, quorum primus, qui pro-

profertur, nota tam infima, qualis est notorius adulter, infligitur? Quum ejusmodi a testimonio dicendo arceant Leges cum Civiles, tum Ecclesiasticæ, Anianus Cod. Theodos. Interpres in L. 12. tit. 1. lib. 9, & in L. 19; S. Augustinus in Psal. 36. enar. 2. n. 22, & in Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 8, 19, 129, & 131. ex Conciliis Carthaginensibus III. cap. 7, & VII. Can. 2, & 4. apud Harduinum tom. 1. pag. 870, 875, & 938. Quando etiam a Synodo ipsa integrum causæ judicium unum penes ipsum Pontificem fuit permissum, velut illum, in quem nulli prorsus hominum, vel in propria causa, sit potestas. Ad hæc Marcellinus, qui spectante multitudine in Templo thus adoleviſse dicitur, dicitur tamen obstinate id facinus fuisse inficiatus. Adeo ne igitur periisse ipsi frontem putandum erit, ut flagitium tanta coram Populi multitudine patratum negare præfracte non fuerit veritus? Qua vero specie veri fertur ibidem Pontifex in Templo adstitisse purpura indutus, ea nempe tempestate, qua Apostolica simplicitas tam in victu, quam in vestitu maxime vigebat? Quorsum etiam Marcellini damnatio fertur ad Diocletianum perlata eo tempore, quo expeditionem adversus Persas comparaverat: quum tamen eo ipso anno Imperii nempe sui 20. Imperio se abdicaverit, & ante biennium cum Maximiano Collega de Persis devictis Romæ triumphum egerit? Omnino autem falso refertur damnatus a Diocletiano: nam sub Maximiano passus Marcellinus est, Diocletiano nempe tum Nicomediæ agente, teste Eusebio in Chron. Quid præterea? Quo anno, quave die a Diocletiano Nicomediæ, & a Maximiano Herculæo Mediolani purpura deposita fuerit, ideoque ipsis fuerint suffecti in Occidente Maximiano Constantius Chlorus, in Oriente Diocletiano Galerius Maximianus non convenit. Nam an. 305. kalendis Maji id factum putant Baluzius, Hervartus, & Pagius ad an. 304. n. 2, & seqq. ex Auctore Libri de mortibus Persecutorum cap. 17, Victore de Cæsaribus, Auctore Panegyrici ad Maximianum, & Constantinum an. 307, & ex Fastis Theonis a Dodvvello editis. Contra an. 304, nec ante diem 11. Kal Maji, uti visum Golzio, & Onuphrio, sed Kalend. Aprilis ab his duumviris abdicatum Imperium ex Eusebio lib 1. vit Constant. cap. 18, & lib. 8. hist. cap. 13, Zosimo lib. 2, Idacio in Fastis,

Au-

Auctore Chron. Alex., S. Proſpero in Chron., Faſtis Vindobonenſibus, & Bucherii laterculis pugnant Baronius ad an. 304. n. 1, & ſeqq., Scheleſtratius diſſert. 2. cap. 8, & Blanchinius in Not. Chronolog. tom. 2. Anaſt. ſect. 30. pag. 257. Indubium vero etſi videri poſſit S. Marcellinum paſſum an. 304, incerta tamen dies ipſius obitus manet. Nam die 16. Martii eum quidem conſignant Scheleſtratius, & Blanchinius, non minus tamen probabiliter diei 26. Aprilis eumdem illigant juxta Martyrologia V. Bedæ, Rabani, Notkeri, Adonis, & Uſuardi, nonnulliſque Catalogis Baronius, & Labbæus, aut die 24. Octob., ut ex Catalogis Bucheriano, & Belgico arguunt Papebrochius, Pagius, & Coutantius.

Improbabilem præterea Sinueſſanam hanc Synodum reddit ipſe tam ingens Epiſcoporum numerus, qui uſque ad 180, ut in Catalogis, aut quinimo ad 300, ut in Actis, ad eam confluxiſſe feruntur. Synodo namque adfuiſſe Galliarum Epiſcopos vero abſimillimum eſt, ſiquidem Gallias, ubi Conſtantius Chlorus Civilis rei ſummam tenebat, immunes ab hac Diocletianæa perſecutione fuiſſe ex Lactantio de mortibus Perſecut. cap. 15, Euſebio lib. 8. cap. 13, Eutropio initio lib. 10, & ex libello precum Conſtantino M. a Donatiſtis oblato apud S. Optatum lib. 1. probant, ut de Dodvvello diſſert. 11. Cyprian. nihil dicam, Baluzius in Not. ad cap. 16. Lactantii, & Pagius ad an. 303. n. 7. Quorſum itaque Gallicani Epiſcopi perſecutioni in Italia graſſanti ſe ſe implicuiſſent? Nec interfuiſſe ex Africa, neque ex Hiſpania Afris confine, apud quos alte ignorata Synodus Sinueſsana, ex mox dicendis planum fiet. Atqui ex ſola Italia, tam ſæva perſecutionis tempeſtate vigente, tam ingentem Epiſcoporum numerum Synodi cauſſa Romam acceſſiſſe, quantus nec etiam Sedium Epiſcopalium numerus ipſe ferebat, & quando vix paullo major ſub maxima Eccleſiæ pace, totoque ex Orbe, atque totis viribus ipſo Conſtantino Imper. adnittente, Nicænum poſtea in Cœtum confluxit, a vero diſſonum videtur, non ſecus atque quod præ loci anguſtia pro quaque vice Epiſcopi 50. dumtaxat interfuiſſe legantur, leganturque pro deciſivo judicio demum 300. ibidem ſimul interfuiſſe. Quæri & illud poteſt, quis tot Epiſcopos vocarit, & quis

& quis vocatis præfuerit? Quæ vero, & quanta impostoris non fuit imperitia, dictorumque repugnantia, dum primo scribit Pontificem a Synodo fuisse damnatum, in ejusque damnationem fuisse subscriptum, postea vero subjungit Pontificis ipsius judicio propriam integre causam a Synodo fuisse permissam, nec id sibi ausam sumere, ut in Primam Sedem, in eaque sedentem Pontificem sententiam ferret. Gravius est illud, quod ex sequioris ætatis Synodorum eruitur silentio. Quì enim fieri potuisset, ut si veritati Synodus ista inniteretur, ignota ea fuerit Synodis de causa haud multum hinc dispari habitis sub SS. Damaso, & Symmacho? Quorsum & Episcopi Italiæ in relat. ad Theodoricum Reg., & Ennodius Ticin. in Apolog. Romanum Pontificem Synodicæ nunquam subjacuisse ulli sententiæ, nulloque constare exemplo, quod Pontificis causæ ulla Synodus unquam se se immiscere voluerit?

Quid vero hac in re Eusebii, ac Theodoreti silentio eloquentius, dum ille lib. 7. hist. cap. 27. S. Marcellinum sæva persecutionis tempestate jactatum memorat utique, fractum vero, lapsumque ne leviter memorat; iste autem lib. 1. cap. 3. eumdem magna potius in ista persecutione gloria fuisse nobilitatum refert, quod nempe persecutionis vim forti, dignoque Pontifice animo pertulerit? At enim peremptorium hac in re S. Augustini disertum haberi testimonium quam potest, tam debet, isque unus instar omnium videri. Quum enim Petilianus acerrimus Donatistarum partiarius, infensissimusque Rom. Pontificum hostis S. Marcellinum una cum SS. Marcello, Melchiade, & Silvestro ipsius Presbyteris traditionis Sacrorum Codicum, & thurificationis crimine, eo nempe, quo arcessebatur Cæcilianus, arguendum suscepisset, S. Augustinus lib. de unico Baptis. cap. 16, & lib. 2. contra litt. Petiliani cap. 92, obtrectatori invetecondo offendens negavit omnino id aliquando accidisse, idque idcirco, quod neque id a Petiliano documento ullo, idoneoque teste probaretur, quodque præcedentes Donatistæ, qui tot alioquin in Conciliis, & Collationibus nullum non moverant lapidem, ut unum Diaconum Cæcilianum criminis traditionis, ac thurificationis aspergerent, ea quoque ratione arguentes, quod a Felice Aptungitano hoc crimine aspersо fuisset ordinatus, quemque a S. Melchiade absolu-

abſolutum querebantur, pariter quo accuſarent S. Melchiadem, eique negotium faceſſerent, vel ex lapſu S. Marcellini, cujus ipſe Clericus fuerat, non omiſiſſent. Eo vel maxime, quod abdita quæque perveſtigare, & quæ non offendiſſent, facta mentiri in rem ſuam non abſtinerent, S Marcellini lapſum neque probaverint, neque prodiderint, velut auctor eſt etiam S. Auguſtinus in Breviculo Collationis cap. 18, ac in libro poſt Collationem elucubrato cap. 12. Ad hæc qua ratione, quæſo, tam præſidenter id a Petiliano nulla probatione jactari affirmaſſet S. Auguſtinus, ſi vel extitiſſent ejus rei Acta, vel ipſa res pro conſtanti tunc habita fuiſſet? Aut ſi hæc geſta rerum vel Romæ fuiſſent, quomodo ea ſolus S. Auguſtinus ignorare potuiſſet, quæ in medio Urbis, coram Imperatore, in Templo Idolorum, Populi ingenti multitudine ſpectante facta eſſent; a tali præſertim, tantoque Viro, & a tanto, tamque numeroſo Concilio Epiſcoporum condemnato? Unde recte S. Doctor ajebat: *An vero, quod de foro Aptungitano factum fuerat, ab iſtis accuſaretur; & quod in Capitolo Romano factum fuerat, taceretur?* Quomodo, inquam, S. Auguſtinus ignoraſſet tam diligenter in rebus Donatiſtarum verſatus, atque ignorare potuiſſent tot Africani præterea Antiſtites? Anne ad Africanos minime miſſæ vel a Romano Clero Encyclicæ de Marcellini crimine, vel a Concilio Sinueſſano Synodicæ de Marcellini condemnatione, & pœnitentia commonefacientes, quandoquidem in Africa tum Pontificis facinus, tum Concilium illud tam alte ignoratum eſt?

Tanti profecto apud me ponderis iſta ſunt, ut iis ultro, citroque me victum tradam, auctorque ſim frugi cuilibet, ut manibus, pedibuſque in eamdem proculdubio de figmenti hujuſce falſitate ſententiam deſcendat. Quamquam ſiqui hiſce ſe ſe inflecti, frangique necdum permittat, æqui ſaltem, bonique facere non abneget veri admodum ſimilem conjecturam, quam ex multorum hac in re Codicum collatione fecit Cl. Blanchinius in Not. hiſt. ad Anaſt. tom. 2. pag. 258, & ſeq. Nempe obſervat a Bibliothecario ſect. 30. verſ. 14. hanc, quæ in Actis neque Synodi Sinueſſanæ, neque Martyrii S. Marcellini legitur, de S. Marcello Presbytero erga defuncti S. Marcellini Reliquias humanitatis,

religioniſque officio defungente referri periocham : *Collegit, & ſepelivit via Salaria in Cœmeterio Priſcillæ in Cubiculo claro, .. quod ipſe præparaverat pœnitens, dum traheretur ad occiſionem, in Crypta &c.* Hinc igitur putat vir doctiſs. factum, ut aſſerta heic pœnitentia referretur poſtea in vexatis Actis illis ad Pontificem ipſum, eique perinde affingeretur lapſus. Sed enim periocham iſtam, etſi luxatam, referendam fore exiſtimat ad Pœnitentes, quibus in perſecutione lapſis pœnitentiæ locus, ex diſciplina ſub S. Cornelio nuper conſtituta, Paſchali inſtante feſto, ſicut olim a S. Petro Catechumenis, ab ipſo Pontifice via Salaria, in Crypta, ſive Cœmeterio Priſcillæ, deſignatus fuerit, atque præparatus. Ut ut demum iſta ſe habeant, ſitque verus, an fictus S. Marcellini lapſus, veraque, an ficta Sinueſſana Synodus, certiſſimum eſt tamen, & conſtantiſſimum S. Marcellinum a fide non defeciſſe, ideoque nullum inde præjudicium allatum fidei ſinceritati, quæ Romanis in Pontificibus ſemper illibata permanſit; illiuſque lapſum fuiſſe fidei defectum in opere, non in dogmate, facinus circa confeſſionem externam, non circa fidem internam, errorem facti, non juris, vitium converſationis, non prædicationis: ideoque neque infidelis, neque hæreticus fuiſſe dicendus eſt, ſiquidem fides interior non deperdatur ob peccatum exteriori fidei profeſſioni dumtaxat oppoſitum; quod peccatum ſi vere patravit, affatim poſtea ſanguine profuſo expiavit. Atque ita lividis illius obtrectatoribus locusademptus eſt omnis in illum obloquendi, oblatrandique. Sed de S. Marcellino jam multa.

Ad Liberium devenio, cujus lapſum adeo urgent, augent, & exaggerant, ex quove infallibilitatis privilegio illum non modo, ſed omnes univerſim Pontifices, quos æque ac illum inferunt nihil non humani propterea pati poſſe, ſpoliandos ſibi temere ſumunt Proteſtantes paſſim, de quibus paullo poſt, Maimburgus quoque in hiſt. Arian., & in tract. hiſt. de Eccleſ. Rom. ſtatu, & prærog., Simon Vigorius de infallib. Pontif., Launojus, Dupinius, Boſſuetius, aliique apud Tournellium tom. 2. de Eccl., quibus præivit Guillelmus Santamoræus apud Tillemontium Monum. hiſt. Eccl. tom. 6. not. 54. in Arianos loco tamen Liberii putans tur-

turpi anachroniſmo cum majori parte Epiſcoporum S. Anaſtaſium II. lapſum in hæreſim. Difficultatis nodum magis quam diſſolvunt, uno ictu obtruncant nonnulli, Liberii lapſum vel in dubium revocantes, ut aliqui apud Abelly, vel abſolute negantes, uti D. Corgne Sueſſionenſis Canonicus, & Illuſtriſs. Cavalcanti. Sed num graviori ii difficultate ſe implicent, viderint ipſi. Non eam inire ego volo viam, quæ evadendæ difficultati excogitata magis, quam diluendæ videri poteſt; ſed tritæ potius communi preſse inſiſtere. Quod ut recto ordine fiat, duo in hac re diſtinguenda ſunt, quæ objici uno impetu ſolent, unumque ex altero deduci: Liberii lapſus, & Pontificatus Felicis II; ille vindicandus, iſte conciliandus eſt: ſed quam perfacile primum illud perficitur, tam perdifficile poſterius iſtud præſtatur: conatum noſtrum veſtigiis doctiſs. Virorum inhærentes exhibemus, ab ingeniis felicioribus meliora expectantes. Quod igitur ad primum attinet, res hoc modo circa Liberium breviter ſe habuit. Is diu inclytus conſtantia extitit, aliarumque complexione virtutum: invitus ad Pontificatus faſtigium elevatus partes adimplere omnes ſategit. Arianorum hoſtis infenſus, quos in Sacrorum conſortium irrepere tentantes invictus repulit: S. Athanaſii defenſor acerrimus, pro quo Vincentium Capuanum, Luciferum Calaritanum, Pancratium Presbyt., Hilarium Diacon., & S. Euſebium Vercellenſem ad Conſtantium Imp. legavit, velut eloquuntur ipſius Epiſtolæ 3, & ſeqq. edit. Cout. Imperatoris tum munerum, tum gratiæ, tum minarum ſpretor magnanimus, qui allata Romam dona ab Euſebio Eunucho, oblataque, cauſſa eumdem habendi in S. Athanaſium affectu minus propenſum, ſtrenue rejecit, velut oſtendit ejus reſponſum ad Euſebium apud S. Athanaſium in hiſt. Arian. ad Monach. tom. 1. n. 37. Mediolanum accerſitus a Conſtantio paruit quidem, eòque profectus eſt, at ipſius votis, quibus ad damnandum S. Athanaſium ſollicitabatur, facere ſatis omnino renuit; Imperatorique per vim S. Athanaſii damnationem abſe extorquere conanti magnanimiter reſpondit apud Theodoretum lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 16.: *Ego vero poſtulo, ut primum generalis præcurrat ſubſcriptio, quæ fidem Nicæa expoſitam confirmet*: Eidemque Conſtantio graves exſilii minas

nas intentanti pari firmitate repoſuit : *Fratribus, qui Romæ ſunt, jam valedixi : potiores enim ſunt Eccleſiaſticæ leges, quam domicilium Romæ*. Quam ob rem Pontifex Imperatoris præcepto Berœam Thraciæ exeunte an. 355. pulſus in exſilium eſt: atque hactenus mactus virtute rem fidei egregie, fortiterque egit.

Biennio elapſo a Liberii exſilio, Conſtantius Imp. Romam profectus, Matronis Romanis rogantibus, ut eum ab exſilio redire juberet, ſuæque reſtitui Sedi, reſpondit, teſte Theodoreto lib. 2. cap. 17, redditurum ſe eis hominem, modo is in eamdem cum Epiſcopis ſuis ſententiam concederet. Fertur itaque Liberius exſilii tædio, ærumniſque fractus, & confectus, impotentique deſiderio loci recuperandi æſtuans, vi etiam, & verberibus adactus, victuſque in S. Athanaſii damnationem conceſſiſſe, cum Arianis communione ſe conjunxiſſe (in quibus duobus fidem expreſſe a Liberio haud fuiſse violatam rite arguit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9.) atque formulæ fidei ab Arianis, Sirmii adornatæ, (in quo rei caput, quæſtioniſque ſumma conſiſtit) ſibique oblatæ ſyngrapham adjeciſſe, manu tamen tantum, non etiam mente, ideſt quin animo probaret, quod atramento ſubſcripſerat, velut ex S. Athanaſio in hiſt. Arian. n. 41. pag. 368. fit manifeſtum. Quo quidem præſtito, fama eſt, pro fidei violatæ præmio, Sedem recepiſſe ſuam, ab eaque expulſum Felicem, a quo eadem tum temporis tenebatur. Loco reſtitutus Liberius animos reaſumpſit, Arianorumque fraudibus antea labefactatus, ad frugem regreſſus pro fide ſtrenue, fortiterque ſtetit; Arianæ perfidiæ, cui Ariminenſes Patres aſſenſum præſtiterant, intrepide adſentire detrectavit, teſte S. Damaſo in epiſt. ad Illyricos apud Theodoretum lib. 2. cap. 22; Ariminenſis Concilii Acta reſcidit, magnaque animi fiducia, ac fortitudine Arianorum procaciæ, infeliciſſima illa, ac perditiſſima tempeſtate, reſtitit, teſte S. Siricio in epiſt. 7. ad Himerium n. 2. edit. Cout. Pro bono Eccleſiæ generalia deſtinavit ad Provincias decreta, atque decreta in Synodis Alexandriæ an. 362, ac deinde in Achaja de Epiſcopis Arimini lapſis confirmavit. Orientales denique ad Apoſtolicæ Sedis communionem adſpirantes ea dumtaxat lege admiſit, ut Ario, ejuſque doctrinæ, ut Ariminenſi Synodo, fideique formulæ ibidem

dem recitatæ anathematis dicam conſcriberent, atque viciſſim juxta præſcriptam formulam a Nicænis Patribus fidei profeſſionem emitterent, referentibus Socrate lib. 4. capp. 4, & 11, & Sozomeno lib. 6. cap. 7, eloquentibus vero ejuſdem Liberii Epiſtolis 13, 14, & 15. edit. Cout. apud S. Hilarium, Socratem lib. 4. cap. 12, ac Sozomenum lib. 6. cap. 11. Ex quibus liquet duo de Liberio extra dubitationis aleam poſita omnino eſſe 1. Ipſum ab initio Pontificatus uſque ad exſilium, quod pro fidei Catholicæ defenſione pertulit, hoc eſt ab an. 352. ad 355, fidei acerrimum fuiſſe propugnatorem, vindicemque ſe præſtitiſſe: quod diſerte teſtantur S. Athanaſius in utraque Apolog., & in hiſt. Arian. ad Monachos, Ruffinus lib. 10. hiſt. Eccl. cap. 22, Severus Sulpitius lib. 2. hiſt. ſacr., Socrates lib. 2. cap. 29, Sozomenus lib. 4. cap. 10, Theodoretus lib. 2. capp. 16, & 17, Nicephorus lib. 9. cap. 35, & ſeqq., atque liquido exprimunt præcit. Liberii epiſtolæ. 2. Ipſum poſt reditum ab exſilio, ideſt ab an. 358. ad 366, pro fide Catholica invictiſſime pugnaſſe, inſignique vitæ Sanctitate cum vixiſſe, tum objiſſe conſpicuum: quod confirmant loc. indic. Socrates, Sozomenus, Theodoretus, S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. cap. 1, ubi videſis PP. Maurinos in Not. tom. 2. pag. 173, & ſeq., S. Baſilius in epiſt. 74. ad Occid. Epiſcopos, S. Epiphanius hær. 75. n. 7, & S. Siricius in epiſt. ad Himer. Sed & ejus nomen inſertum legitur Martyrologiis S. Hieronymi ad 9. Kal. Octob., V. Bedæ Vaticano, & S. Cyriaci, ac Wandelberti apud Dacherium Spicileg. tom. 5; digno etiam mactatur elogio in Græcorum Synaxariis, & Menæis ad diem 27. Aug., & in Hagiologio Coptico ad 6. Octob., nec non in Catalogis Barberino, Belgico &c.

Quod jam quæritur de Liberio, id eſt, an medio tempore, hoc eſt in exſilio, aut in reditu ab exſilio quidpiam contra fidem egerit, & ſiquidem, quid illud tandem ſit. Quod non eſt aliud, quam id quærere 1. An Liberius formulæ Sirmienſi ſubſcripſerit: 2. Quænam formula illa fuerit, cui ſubſcripſit: quam quidem quæſtionem Dupinius non magni momenti nuncupavit, immerito tamen, ut nemo non videt. Quod igitur ad primum attinet, equidem Sulpitius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicepho-

cephorus locis norat., & Caſſiodorus hiſt. tripart. lib. 5. cap. 18. haud obſcure indicant Liberium ſibi ſemper conſtitiſse, nec unquam quidpiam de fidei conſtantia remiſiſse; quamque ſemel defendendam ſuſceperat, ab ea nunquam reſiliiſſe, aut ſe paſſum removeri. Ruffinus autem lib. 10. cap. 27. Liberii lapſum dubitationi ſupponit, de quo ſe certo cognoſcere nequiviſſe, neque certi quid habere, quod pro certo compertum proponat, ingenue ſcribit. Ii igitur in cauſſa fuere, cur Nuperi nonnulli ab Illuſtriſſ. Abelly indicati, aperteque DD. Corgnæus Sueſs. Canon. in diſſert. an. 1726. edita, & Cavalcanti Archiep. Conſentinus in Vindic. Rom. Pontif. lib. 3. diſsert. 2. Liberium a lapſu liberare omni conati ſint. Quibus utique favet veruſtiſſimus Chronici Hieronymiani, ſive Proſperianæ Epitome Codex, olim Bibl. S. Andreæ de Valle, deinde in Vaticanam Bibl. translatus, nunc inter pluteos Vatic. Codicum Reginæ Sueciæ n. 2077. aſſervatus, quem admirandæ Codicem antiquitatis vocat Lucas Holſtenius, atque ex litteris quadraris, ex ſpecimine characteris, ex membranæ forma, aliiſque indiciis Sæculo VI, vel VII. deſcriptum arbitratur Dominicus Georgius in Monito præv. ad Appar. in Annales Eccleſ. Baronii tom. 1. pag. 219. edit. Luc. 1740, in quo lapſus Liberii ne leve quidem offenditur veſtigium. Id conſilii libenter capeſserem, ni contradicere veritati vererer, quod ingenuum quemlibet dedecet. Nam Liberium lapſum, tandemque exſilii, ærumnarumque tædio ad ſubſcriptionem Sirmienſis formulæ inflexum fuiſſe, auctores liquidi ſunt, atque locupletes S. Athanaſius in hiſt. Arianor ad Monach. n. 41. tom. 1. pag. 368, S. Hilarius in Fragm. 6. n. 5, & ſeqq. tom. 2. edit. Veron. 1730, utque probatur nonnullis, in libro adverſus Conſtantium n. 11. pag. 571, S. Hieronymus in Chron., & in Catalogo de Script. Eccleſ. cap. 97, Fauſtinus, & Marcellinus in Libello pecum ad Imperat. Valentin., Theodoſ., & Arcad. in præfat. in Bibl. PP. Lugd. 1677. tom. 5. pag. 652, & apud Sirmondum Oper. tom. 2. pag. 229, Marcellinus ſub Juſtiniano Comes in Chronico in Bibl. PP. Colon., & Pariſ., & tom. 2. Oper. Sirmondi pag. 349, qui ex albo Pontificum illum propterea expungit, Auctor Collect. Creſconianæ apud Baronium ad an. 357. n. 34, Auxilius Preſ-

Presbyter. lib. 1. de Ordinat. cap. 25, Anastasius Bibl. in Liberio tom. 3. edit. Blanchin. pag. 11, S. Petrus Damianus in epist. 15. cap. 16. aliique. Sed enim ex litteris ipsius Liberii, quibus præstantior, ac verior historia inveniri nulla potest, uti loquitur Baronius ad an 357. n. 41, regestis a S. Hilario in frag. 6. n. 5, & seqq., tribus nempe, atque in edit. Cout. 10. ad Orientales, 11. ad Ursacium, Valentem, & Germinium, & 12. ad Vincentium Capuanum Beroeæ datis circa exitum anni 357, aut ineunte 358. (ex quibus secundam, & tertiam, sive 11, & 12. adulterinas suspicatur quidem Baronius in Append. pag. 25, Binius, & Labbæus, S. Hilarii tamen auctoritate fretus vindicat Coutantius in Not. ad epist. 11. pag. 443.) quibusque Liberius satis aperte significat se tandem Imperatoris votis feciſse satis, ab Athanasii communione se separasse, pacisque fœdus vicissim cum Orientalibus feriisse, quorum fidem congruere cum Catholica putabat, & alienam esse ab Ariana perfidia, atque formulæ fidei subscripsisse, quæ Sirmii exposita fuerat, & expressa, quamque Catholico nomine cohonestavit. Sed & Sozomenus lib. 4. cap. 14, & Nicephorus lib. 9. cap. 37. subobscure subindicant Liberium in Synodo Sirmiensi cum Valente, & Ursacio convenisse, initaque concordia ad sedem suam remeasse. Quod quid est aliud, quam formulæ Sirmiensi subscripsisse? Quæ quamvis ita se habeant, non ideo tamen hæresis nomine Liberius est lacessendus, uti statim demonstrandum suscipimus.

Itaque Duumviris illis doctiss. ab omni lapsu Liberium liberare cupientibus, id gravissimi utique oneris incubuit, ut pseudo-epigraphis quoquomodo adnumerarent S. Athanasii Epistolam ad Solit., sive historiam Arian. ad Monachos, S. Hilarii Fragmenta, tresque illas Liberii Epistolas præmemoratas; quæ plane documenta, si germana forent, longe pluris facienda, pendendaque non videre non possunt: ut S. Hieronymum, cujus auctoritatis pondere gravissime premebantur, falsis rumoribus, famæque relatione deceptum dicerent in Chron., & in Catalog., ubi Liberii lapsum memorat: ut Sozomenum lib. 4. cap. 15. edit. Val. commentis, & contradictionibus operam dedisse præfidenter asserrent, & Nicephorum lib. 9. cap. 37. Sozomenum sequen-

quentem veritati repugnantia ſcripſiſſe affirmare non dubitarent; argumento hæc omnia Chronologico confirmare adnixi, quod inferius in examine 2. ſententiæ circa Liberii lapſum excutiendum nobis erit. Graviſſimi ſcilicet id operis vitis Doctiſſ. fuerat exantlandum, ſi Liberium a lapſu vindicare omnimode voluerunt. Non contemnendæ ſint, per me licet, ipſorum conjecturæ, nolim tamen ingentibus adeo me implicare difficultatibus, idque audere, ut abſolute pronuntiem apocryphum Epiſtolam S. Athanaſii ad Solit., ſive hiſt. Arian., quam peritis aliis Criticis univerſim, atque ſpeciatim Petro Nannio, Jacobo Lopino, & Bernardo Montfauconio probari perſpicio. Neque illud in animum inducam meum, ut tanquam ſpuria, ac pſeudonyma abſque dubio rejiciam S. Hilarii Fragmenta, quæ ex duplici Collectione Creſconiana deſcripſit, eaſdemque interpolationes S. Hilario pariter adſcriptas ibidem deprehendit Baronius ad an. 357, ex Codicibus Mſs. annor. 300. Bibl. Petri Pithœi evulgavit an. 1598. Nicolaus Faber, in Exemplari S. Remigii Remen. pervetuſto ſe inſpexiſſe perhibet Sirmondus in Not. ad Concil. Pariſienſe, quorum varias Lectiones ſuppeditavit Baluzius, de quorum demum Fragmentorum veritate, quin genuinus S. Hilarii ſint fœtus, neutiquam dubitandum jubent Binius, Valeſius, Petrus Coutantius qui in præfat. ad hæc Frag. tom. 2. edit. Veron. 1730 n. 3. pag. 630. ſuffragari hiſce putat S. Hieronymum de Script. Eccleſ., ubi ſub S. Hilarii nomine recenſetur *Liber adverſus Valentem, & Urſacium hiſtoriam Ariminenſis, & Seleucienſis Synodi continens*, Maffejus, atque Doctiſſ. PP. Benedicti in Hiſt. litter. Gallic. auctores, qui tom. 1. par. 2, pag. 169. Fragmenta iſta partem autumant eſſe, reliquiaſque pariter Operis hiſtorici de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi a S. Hilario adverſ. Valentem, & Urſacium elucubrati, cujus meminerit S. Hieronymus in epiſt. 4. pag. 6, dum a S. Hilario *Prolixum valde de Synodis librum* exaratum teſtatur; quod Opus de Synodis ab eodem S. Hilario elaboratum, non in Synodo utique Seleucienſi, ſive paullo poſt, ideſt an. 359, uti viſum Eraſmo, & Sculteto eſt, ſed an. 358. ipſi pag. 151. exiſtimant; an. vero 360. Coutantius in præf. ad Frag. n. 13. Nec ideo committam, ut pari ſuppoſitionis cenſura præcipitanter

ter condemnem Liberii Epiſtolas tres cit. Frag. 6. a S. Hilario, & ab Auctore Collect. Creſc. regeſtas. Quamvis enim pſeudo-epigraphis adnumerari haud difficilis patiar Epiſtolam ad Orientales, quæ refertur in Frag. 4, atque incipit: *Studens pacì*; cujus impoſtura ex eo patet, quod exarata feratur an. 352, aut 355, antequam Liberius in exſilium pelleretur, aut eo ipſo anno, quo pulſus eſt, atque impoſturæ Architectos conſentiam Arianos, quibus figmenta hujus genus compingere familiare fuiſſe refert S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtantium pag. 680, & 686, hoſque fuiſſe fortaſſe Potamium, & Epictetum: quamvis etiam concedam inſertis eidem Anathematiſmis in Liberium ejaculatis a S. Hilario interpolatam Epiſtolam iſtam fuiſſe; & quamvis tam interpoſitos Anathematiſmos, quam eidem appoſitam S. Hilarii nomine Appendicem, ut pleriſque Eruditis placuit, S. Hilario abjudicandos fateri cogerer, quo de argumento paullo infra in diſcuſſione 1. ſententiæ, ut fatear tamen Epiſtolam hanc, quæque ſequuntur, geminas venerando Liberii nomini fuiſſe ſuppoſitas, nihil plane cogit.

Neque illud perinde auſim S. Hieronymum deceptum dicere, illique parum fuiſſe perſpectas Liberii res, ejuſdemque lapſum, quem certe Romanis tum temporis exploratum fuiſſe oportet, ideoque S. Doctori hiſce in rebus diligenter verſato. Neque de mendacio, fideque mala hac in narratione Sozomenum redarguendum mihi ſumam, qua viros apud Doctiſſimos illum neutiquam laborare me non latet. Denique argumentum, quod petitur ex ſilentio Scriptorum, atque præſertim ex Menologio Græcorum juſſu Baſilii Imperat., non Macedonis, ut Baronius ad an. 886. n. 14, & Bollandus in præfat. gener. ad vit. SS. §. 11. autumant, ſed Porphyrogeniti, ut oſtendunt Pagius ad eumdem an. n. 11, & Fabricius Bibl. Græcæ tom. 5 pag. 62. poſt Leonem Allatium in diſſert. de libris Eccleſ. Græcorum, ante annos 700, uti dicitur Tom. 1. Junii pag. 274, ſive anno 984, ut habetur Tom. 2. Jun. pag. 808, exarato (cujus ipſum autographum Conſtantinopoli ad Ludovicum Sfortiam Mediolani Ducem allatum, deinde apud Sfondratos ſervatum, donoque a Paulo Cardinali ejuſdem Familiæ acceptum Paulus V. P. M. an. 1615. in Bibl. Vaticanam intulit:

tulit: quodque non integrum, ſed priores dumtaxat ſex Menſes ab initio Septemb. ad finem Febr. complectens Petrus Arcudius pridem Latinitate donaverat, atque Latine verſum in Ital.Sacr. exhibet Ughellus tom.6. edit. Rom.1644, edir. Ven. 1722. tom. 10; partem reliquam poſtea, ſive alterum Semeſtre in Monaſterio Cryptæ Ferratæ repertum Henſchenius, ut ipſemet in proleg. ad vitam S. Eudociæ Martyr. ad diem 1. Martii perhibet, & Papebrochius Græce dedere ad calcem Menſium Martii, Aprilis, & Maji; atque demum integrum Græce, & Latine Romæ an. 1729. Opera, & cura Emin. Annibalis Cardin. Albani cum verſione Clementis XI. recuſum eſt; quodque plane magno in pretio habendum tradunt Allatius indic.diſſert. §.12, Baronius ad cit. an., & Henſchenius tom. 1. Mart.) in quo nempe ne γρ^ῦ quidem, leveque veſtigium lapſus Liberii habetur, argumentum hoc, inquam, ex ſilentio repetitum, idoneis aliis teſtibus id non prætereuntibus, infirmiſſimi argumenti genus eſse nemo ignorat. Ideoque donec illuſtriora, ſolidioraque documenta ſuppetant, ab uſitata ratione vindicandi Liberium ab hæreſi quidem, non etiam a lapſu omni, non recedendum, ſalva meliori ſententia, exiſtimaverim.

Quod igitur ad 2. pertinet, operæ pretium eſt repetere obiter inter pleraſque fidei Formulas, qua ab Arianis, qua a Semiarianis procuſas, tres Sirmienſes nomine celebriores circumferri; de quibus ſingillatim PP. Maurini in Not. ad Liberii Epiſtolam apud S. Hilarium tom.2. oper. pag. 678, & ſeq. Prima in Synodo Sirmienſi a Semiarianis contra Photinum an. 351. edita fuit, in eaque definitum eſt Verbum eſse Deum de Deo, & alieni ab Eccleſia denuntiantur, qui Dei Filium ex non exiſtentibus, aut ex Hypoſtaſi altera profiterentur; ſuppreſsum dumtaxat utrumque vocabulum tum Ὁμοούσιον, *Conſubſtantialis*, tum ὅμοιον, *Similis*: quæ quidem formula Catholica in ſe eſt, ſenſuque Catholico habita a S. Hilario lib.de Synod., tameſi ob ſubleſtam Semiarianorum fidem, ac fraudem a S. Athanaſio lib. de Synodis n. 27. pag. 742. fuerit rejecta. Eamdem refert etiam Socrates lib. 2. cap. 30, atque ex 25. Anathematiſmis contra Photini errores de Chriſto D.conflata eſt. Secunda non in Synodo, etſi id dictum a Phœbadio Aginn., & Vigi-

& Vigilio Tapſ., ſed in eadem Urbe Sirmio an. 357, vel inſeq., quò Conſtantius venerat, a nonnullis Arianis, ducibus Urſacio Valente, & Germinio, adornata eſt, Latine primum, ac Græce poſtmodum conſcripta. Latinam habet S. Hilarius lib. de Synodis n. 10, Græcam exhibent S. Athanaſius,& Socrates,eique ſubſcripſere Oſius Cordub., & Potamius Ulisippon. ex Marcellino in lib. precum pag. 31, veluti teſtatur S. Hilarius, qui illam idcirco *Blaſphemiam* nuncupat, quod *Uſiæ*, *Subſtantiæ*, *Homouſii*, *Consubſtantialis*, & *Homæuſii*, *Similis* mentionem fieri prohibet, ideo quod in Scripturis ſacris nullibi earum vocum occurrat mentio, quinimo quod Patrem majorem eſse definit, Filiumque Patri ſubjectum, atque Patre minorem dignitate, honore, & majeſtate nefaria impietate declarat,de qua doctiſſ. Petavius Theolog. dogm. tom. 2. lib. 4. cap. 6. n. 5. Tertia neque in Synodo, ſed ſimiliter in privato Cœtu Sirmii habito an. 359. elucubrata eſt a Baſilio, Narciſso, Theodoro, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Silvano &c. omnibus 22. numero, atque refertur a S. Athanaſio libro de Synod. n.8. pag.721, a S Hilario in Frag 6, & a Socrate lib. 2. cap. 37. In ea decernitur Filius Deus de Deo, ſimiliſque Patri ſecundum Scripturas: ſed exploditur nomen *Uſiæ*, *Subſtantiæ*, tanquam ignotum, & incaute a Patribus poſitum, cujuſque nullum extet in Sacris libris veſtigium. Utique inter Criticos convenit primam, & ſecundam Formulas editas fuiſſe præmemoratis annis 351,&357,aut ſeq.,etſi non conveniat de modo,num videlicet publico in Concilio plurimorum, an in privato Cœtu paucorum, in quod inquirere mea heic nihil intereſt. At non æque convenit de anno, in quo tertia Formula procuſa fuerit. Pagius enim in Crit. Baronii ad an.357. n.12, & Valeſius in Not. ad Sozomenum lib. 4. cap. 15. pugnant anno 358. eam fuiſse editam. Verum editam fuiſse hanc tertiam Formulam an.359.oſtendit Petavius in diſſert. de Photino, ejuſque damnatione, & in Animad. ad S. Epiphanium hær. 73. n. 22. pag. 307, & ſeqq. ex Inſcriptione ipſius Formulæ, regeſtæ etiam a Labbæo tom. 2. pag. 788, & ab Harduino tom. 1. pag. 710, quæ elucubrata dicitur Sirmii 11. Kal. Jun. tum Euſebio, & Hypatio Conſulatum gerentibus, qui procul dubio in an. 359. incidit, uti conſtat ex Faſtis

ſtis emendatiſſimis; tum Conſtantio Imper. præſente, veluti refert Germinius ipſe in epiſt. ad Rufianum, alioſque apud S. Hilarium in Fragm. 15. pag. 706, quem plane præfato anno 359. hibernaſſe Sirmii, melioremque anni partem ibidem tranſegiſſe auctores ſunt Ammianus lib. 21, S. Athanaſius lib. cit. de Synod., & Socrates lib. 2. cap. 37. Itaque Liberius apud Beroeam exul agens, ærumnarum pertæſus, Semiarianorum dolis circumventus, animi, corporiſque procellis fractus, neque omnino affectu liber, veluti loquitur S. Athanaſius in hiſt. Arian. n. 41, ex præfatis tribus Formulis uni ſyngrapham appoſuit, quo pacto libertatem priſtinam, locumque recuperavit. Id jam vero inquiſitioni duplici locum, diſputandique Eruditis præbet.

Atque primo quidem inquiritur, quænam ex his tribus Formulis a Liberio fuerit ſubſignata: ſecundo vero inquiritur, utrum ex ſubſignatione illa rite inferri poſſit circa fidem lapſum fuiſſe Liberium. Quo ad 1. trifarias in ſententias Eruditi ſcinduntur. Nam 1. ſecundæ Sirmienſi formulæ an. 357, aut ſeq. procuſæ, quam Oſii, & Potamii Blaſphemiam S. Hilarius appellavit, ſubſcripſiſſe Liberium communior opinio Hæreticorum habet pro eo, quo occaſionem omnem Pontificibus convitiandi arripere ſatagunt, ſtudio, odioque pluſquam vatiniano. Ita Centuriatores, Heshuſius, Danæus, Chamietus, Surrilius, Sibrandus, Blondellus, Placetæus &c., ex Schiſmaticis olim Benno Card. S. Gregorio VII. infeſtus (cujus ideo opus de Gregorii VII. vita, & rebus geſtis ambabus ulnis amplexi Proteſtantes recudendum plus vice ſimplici procurarunt, ut Orthuinus Gratius, & Eduardus Brovvnius in Faſciculo rer. expetend., & fugiend. pag. 39, ut Flaccius Illyricus in Catalogo teſt. Verit. pag. 315, ut Melchior Goldaſtus in Sylloge opuſc. Anti Gregor., ut Jo: Wolfius Lect. memor. tom. 1. pag. 290, ut Reinerus Reineccius ſeparatim Francof. 1581.) ex Catholicis vero Toſtatus Defenſorii par. 2, & ex parte Petavius in Animad. ad S. Epiphanium hær. 73. pag. 316, putans videlicet Formulam illam fuiſſe non integram, ſed mutilam a Demophilo Liberio exhibitam, ab eoque ſubſcriptam in ea dumtaxat parte, quæ *Homouſion* ſupprimebat, non etiam in ea, quæ Filium Patri ſupponebat. Quomodo Petavius

ab

ab Heterodoxorum opinione longe abeſt, ac proinde immerito a Tournellio eiſdem admixtus eſt. Hanc vero Hæretici perverſam opinionem iſto fulciunt potiſſimum argumento. Formula *Perfidiæ* nomine a S. Hilario donata ſecunda Sirmienſis eſt, expreſsa hæreſi aſperſa, atque ab Oſio, & Potamio ſubſcripta. Atqui formulæ huic Liberius adhuc in exſilio agens ſubſcripſit, ſiquidem formulæ illi ſubſcripſit, quæ Orientalium nomine ipſi a Demophilo fuit exhibita in exſilio, ut ipſemet ſcripſit in Epiſt. ad Orient. verbis hiſce: *Quia jam pervidetis in omnibus me vobis conſentaneum eſſe, dignemini communi conſilio, ac ſtudio laborare, quatenus de exſilio jam dimittar, & ad ſedem, quæ mihi Divinitus credita eſt, revertar.* Jam vero hanc fuiſse ſecundam Formulam a S. Hilario *Blasphemiam* appellatam liquet ex parentheſi in Frag. 6. inſerta, ubi recitatis Liberii verbis illis: *Demophilus, qui dignatus eſt fidem veſtram, & Catholicam exponere, quæ Sirmio a pluribus Fratribus, & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita, & ſuſpſcepta eſt*, hanc ſubjungit ibidem S. Hilarius periocham: (*Hæc eſt perfidia Ariana: Hoc ego notavi, non Apoſtata: Liberius ſequentia*; quin etiam ad ejuſdem calcem Epiſtolæ hæc rurſus S. Hilarii ſubjicitur nota: *Perfidiam autem apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt, qui conſcripſerunt &c.* Neque juvat cum Petavio reponere a Demophilo formulam fuiſse mutilam exhibitam: quippe Liberius ipſe in præm. epiſtola ad Orient. non formulæ partem, ſed integram ſuſcepiſse perhibet, eiſdemque Epiſcopis eſse in ea fide ſe penitus conſentaneum: *Hanc ego*, inquiens, *libenti animo ſuſcepi, in nullo contradixi, conſenſum accommodavi, hanc ſequor, hæc a me tenetur... Jam pervidetis in omnibus me vobis conſentaneum eſſe* &c. Deinde veri haud ſimile fit, ac videtur, a Demophilo Arianorum defenſore acerrimo id committi debuiſse, ut ſecundam hanc Formulam pura, putaque Ariana hæreſi aſperſam mutilaret, probarique Liberio, qua parte dumtaxat probum, Catholicumque præſeferebat ſenſum, curaret.

At enim quam elumbia, & inania ſint iſta, quæ tanta animi contentione ab Heterodoxis ad labefactandam Liberii fidem obtru-

obtruduntur, ſic evidenter oſtendo. Atque principio quidem reponendo cum nonnullis vel *Perfidiam* nunquam a S. Hilario nuncupatam Formulam a Liberio ſubſcriptam, ut in examine 2 opinionis palam fiet; vel Perfidiæ nomine, quam a Liberio obſignatam dixit S. Hilarius, accipiendam non eſse *Blaſphemiam* ab Oſio, & Potamio apud eumdem S. Hilarium ſubſcriptam, ut infra exponetur. Ex quo uno corruit tota vis argumenti; ideoque a Liberio ſubſignatam fuiſse formulam ſecundam nequaquam evincitur. Evincitur e contrario Liberium ſecundæ huic formulæ plane hæreticæ non ſubſcripſiſſe. Et 1. quidem ex S. Hilario in Frag. 6. n. 5. Formula, quam a Demophilo ſibi expoſitam ſuſcepit Liberius, quamque ibidem in parentheſi S. Hilarius *Perfidiam* vocat, Catholicam vero ab eodem Liberio dictam affirmat, ea fuit, quam conſcripſere 22. Epiſcopi, quos ibidem ad calcem Epiſtolæ S. Hilarius commemorat, videlicet Narciſsus, Theodorus, Baſilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Urſacius, Valens, Evagrius, Irenæus, (ſive Hyrenius) Exuperantius, Terentianus, Baſsus, (apud Baronium Buſtus) Gaudentius, Macedonius, Marcus, Atticus, (apud Sirmondum Martius, & apud Baronium Aetius) Julius (forte Severinus) Surinus, Simplicius, (alicubi Junior adjungitur.) Atqui potior iſtorum Epiſcoporum pars non conſcripſit formulam ſecundam, ſed primam; tum quia ſecundæ formulæ præcipui, ſolique conſcriptores fuere Urſacius, Valens, & Germinius, ſubſcriptores vero Oſius, & Potamius, teſtibus S. Hilario lib. de Synod. n. 11, S. Athanaſio lib. de Synod., & Sozomeno lib. 4. cap. 12; atque ex his tres poſteriores, videlicet Germinius, Oſius, & Potamius ſubſcripti certe non leguntur formulæ, cui ſubſcripſiſſe Liberium ſupra dixit S. Hilarius; viciſſimque prioribus triumviris dumtaxat, ſcilicet Urſacio, Valenti, & Germinio pſeudo-Synodus ab Anomœis Antiochiæ eodem anno 357, aut inſeq. habita, poſtquam hanc in Sedem irrepſit Eudoxius, gratulata eſt, & gratias egit, uti refert loc. cit. Sozomenus. Tum quia plerique eorum, qui eidem, cui Liberius aſſenſum præbuerat ſuum, formulæ procudendæ operam ſuam contulerant, ſecundæ Sirmienſi ſane vel edendæ adeſſe, vel editæ adſentiri aut nequiverant, aut no-

noluerant. Non Basilius Ancyranus, qui vix in lucem emissam anathemate confixit in Ancyrano Concilio an. 358, aut seq. apud S. Hilarium lib. de Synod., S. Epiphanium hær. 73, & Vigilium Tapsi. lib. 5. contra Eutychem cap. 3, qui auctor imo Constantio Imp. fuit, ut publico Edicto lato eamdem formulam proscriberet. Non Theodorus Heracleensis, qui biennio ante atque ante Liberii exsilium, hominem exuerat, anno ideſt 355. apud Tillemontium tom. 6. pag. 794, & Fabricium Bibl. Græc. tom. 8. pag. 412. Non Silvanus Tarsensis, qui animo summopere aberat ab Anomœorum blasphemiis, atque a pura, putaque Arianæ hæresi abhorrebat, teste Theodoreto lib. 2. cap. 27. Non Macedonius Mopsvestenus apud Socratem lib. 2. cap. 19, qui eidem formulæ ad se delatæ acerrime est adversatus. Non Eudoxius Germaniciæ, & Cecrops Nicomediæ, qui an. 357, sive inseq., quo præfata secunda formula Sirmiensis evulgata est, Sirmio aberant, Synodo Antiochenæ, quam in Sedem Eudoxius adrepserat, eodem an. 357, aut seq. adstituri, de qua Sozomenus lib. 4. cap. 12. Argumentum hoc porro tanti ponderis Dupinio, & Petavio visum est, ut fassi sint nihil reponi posse, nisi quod nomina illorum 22. Episcoporum addita fuerint ab Auctore, qui S. Hilarii fragmentum compegit, primusque descripsit. Sed id gratis confingitur, nullaque vel levi conjectura suffulcitur: neque enim induci in animum, aut probabiliter indicari potest vel Auctor, qui S. Hilarii fragmentum interpolarit, vel caussa, ob quam additamentum illud factum fuerit: testibus vero doctiss. Monachis Bened. horum Fragmentorum editoribus pag. 679. edit. Veron. illorum 22. Episcoporum nomina nec in Codice Ms. Pithœano, nec in Collect. Crescioniana desiderare est. Neque magis quempiam moveat, quod plerique puræ, putæque Arianæ hæreseos propugnatores, ac patroni in horum 22. Episcoporum album adnumerati sint, sintque formulam Homœusianam, sive Filium Patri simílem, professi. Factum id enim Homœusianorum, sive Semiarianorum præpotentia, qui testibus Socrate lib. 2. cap. 24, & Sozomeno lib. 4. cap. 15. maxima apud Constantium Imp. gratia, & auctoritate pollebant, eumque permoverant, ut Valentem, & Ursacium quoque, tametsi renuentes, ad

ad ſubſcribendum vi compelleret: factumque id perquam facile vel ex eo uno quoque liquet, quod frequens, ac familiare ſive Arianis, ſive Semiarianis fuerit, veluti ſuper. Art. XI. §. II. pag. 183, & ſeqq. præoſtenſum fuſe eſt, pro opportunitate temporis, loci, & ingenii fidei formulas permutare.

Evincitur 2. ex Liberio ipſo, qui in priori Epiſt. ad Orientales, idcirco formulam ab ipſis conſcriptam, & ad ſe tranſmiſſam ſe ſubſignaſſe ſcripſit, ut ipſos apud Imperatorem ſequeſtres demereretur; in Epiſtola vero poſteriori ad triumviros Urſacium, Valentem, & Germinium, etſi nihil omittat, quo ipſos ſibi devincire queat, atque ad ejuſdem pro ſe officii partes apud Imperatorem præſtandas impellat, ne verbo quidem indicat tamen ſe fidei ſubſcripſiſſe formulæ, quæ ab ipſis Sirmii an. 357, vel inſeq., ideſt ſecunda, fuerat elucubrata. Quod plane facere ad eorum aſsequendam gratiam non prætermiſiſſet. Præterea formulam ſecundam Sirmienſem editam fuiſſe ab Occidentalibus referunt Socrates lib. 2. cap. 30, & Sozomenus lib. 4. cap. 12, neque ii plures quinque fuere, ideſt Urſacius, Valens, Germinius, Oſius, & Potamius, teſte S. Hilario lib. de Synod. pag. 464; qui vero formulam, a Liberio poſtea ſubſcriptam, procuderunt, Orientales, potiori ſaltem parte, erant, ad quos propterea litteras ſuas priores Liberius ipſe inſcripſit, eorumque ſe fidem amplexum fuiſſe identidem repetit. Atqui S. Hilarius, ut acute obſervat Coutantius in Not. ad epiſt. 10. Liberii ad Orient. tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. pag. 442, & ſeq., ac tom. 2. Oper. S. Hilarii edit. Veron. pag. 679, toto in libro de Synodis Orientales vocat, non qui Sirmienſem Blaſphemiam an. 357, aut ſeq. conſcripſerunt, ſed qui fidem Antiochiæ an. 341, Philippopoli deinde anno 347, ac deſuper Sirmii an. 351. expoſitam amplectentes, demum Ancyræ an. 358, aut ſeq. prædictæ Blaſphemiæ vehementer adverſati ſunt: Liberius igitur Orientalium fidem Sirmii expoſitam ſuſcepiſſe ſe ſcribens, non ſecundam, ſed primam adverſus Photinum adornatam formulam indicat. Confirmat id Sozomenus lib. 4. cap. 15. affirmans Liberium, quum Sirmium perveniſſet ab Imperatore, antequam Romam revertendi accepiſſet poteſtatem, accerſitus, profeſſionem edidiſſe fidei, qua eos, qui Fi-

Filium ſecundum Subſtantiam, ac per omnia Patri ſimilem differerentur, alienos ab Eccleſia pronuntiavit. Itaque non paullo ante Liberius Subſtantiæ vocabulum, quod in ſecunda formula Sirmienſi proſcribebatur, rejeciſſe præſumendus eſt.

Catholicorum ergo communis opinio eſt Liberium ex formulis Sirmienſibus ſubſcripſiſſe tertiæ, vel primæ. Atque quidem ſubſcripſiſſe tertiæ an. 359. emiſsæ autumant Valeſius in Not. ad Sozomenum lib. 4. cap. 15, & Pagius ad an. 357. n. 12. huic argumento innixi. Ex S. Hilario in prælaudato Frag. 6. n. 5. Liberius ſubſcripſit fidei formulæ, quam Epiſcopi 22. conſcripſerant, quæ ipſi a Demophilo fuerat expoſita, quamque ibidem S. Hilarius *Perfidiam* apud Sirmium deſcriptam vocat, vocatamque e contrario *Catholicam* a Liberio ſubtexit: atqui iſthæc non eſt prima Sirmienſis; hanc enim S. Hilarius in lib. de Synodis n. 38, & ſeqq. pag. 485, & ſeqq. affirmat eſſe *Catholicam*, atque ut Catholicam expoſuit: neque eſt Sirmienſis ſecunda; nam hanc idem S. Hilarius eodem in lib. de Synod. n. 11. pag. 464. *Blaſphemiam* appellat apud Sirmium conſcriptam per Oſium, & Potamium, qui in catalogo illorum 22. Epiſcoporum non referuntur, qui receptam a Liberio formulam procuderunt: ergo tertiam eſſe oportet. Cui difficultati doctiſs. Petrus Coutantius in Not. ad Fragm. 6. n. 6. pag. 678, & ſeq. ſic offendit, ut ſpeciei plus eidem ineſſe, quam ſolidi roboris oſtendat. Præterquam enim, quod in præfat. ad lib. de Synodis n. 12, & ſeqq. ex his, quæ S. Hilarius habet n. 3, 6, 7, 9, 63, 65, & 66. pag. 460, 461, 463, 497, & 499. oſtendit S. Hilario nullam unquam Semiarianorum Ecthefim, neque Sirmienſem primam, fuiſſe probatam, quamvis primam iſtam Catholico ſenſu expoſitam quodammodo ferri poſſe ſignificaverit, rite obſervat Sirmienſem formulam primam a S. Hilario potuiſſe appellari in Frag. *Perfidiam*, & in lib. de Synod. exponi tanquam *Catholicam*, quo nomine appellatam pariter a Liberio affirmat. Enim vero prima Sirmienſis Ecthefis ſecundum ſe, & verbis tenus ſpectata, ſenſum pati Catholicum poterat; quo pacto in lib. de Synod. a S. Hilario expoſita eſt; atque ideo Semiarianis illis Dei Filium ex Dei ſubſtantia, Subſtantiaque Patri ſimilem prædicantibus hæreſis infligere no-

tam abſtinuit: ſpectatis tamen ipſius Auctoribus, ipſorumque animo, ſiquidem Semiariani erant, eamque ediderant *Homouſion* abolendi cauſsa, Ariana erat; qua ratione *Perfidiam* Arianam jure optimo nuncupare in Frag. potuit: quemadmodum eamdem inter Formulas Arianas recenſuit S. Athanaſius in lib. pariter de Synodis: quam perinde ob cauſsam, ideſt ut habet lib. de Synod. n. 74: *Nec me fallit quoſdam eſſe, qui ſimilitudinem confitentes, æqualitatem negant*, S. Hilarius in lib. adverſ. Conſtantium n. 24. hoc ipſo Perfidiæ nomine quamcumque formulam a Nicæna aberrantem ſugillare non dubitat: *Quidquid præter fidem unam eſt, perfidia, non fides eſt*; atque Synodum ideo Sirmienſem, in qua hæc prima formula procuſa fuit, æque ac ceteras Arianorum pſeudo-Synodos perſtringit, & proſcribit. Ideoque Liberio *Homœuſii* confeſſione *Homouſii* fidem ſupprimere viſo perfidiæ dicam conſcribere S. Hilarius non eſt veritus. Quo perinde ſenſu dicere S. Hieronymo de Script. Eccleſ., & Auxilio lib. 1. de Ordin. cap. 25. licuit Liberium hæreſi ſubſcripſiſse.

Eidem offendendi difficultati breviorem alteram inivit viam Natalis Dupinio, qui S. Hilarii Fragmenta abſolute more ſuo inficiatur, in hoc haud morem gerens, ſed magis Spondano ipſi in hac conjectura præeunti, cui in ſententia etiam Baronius præceſserat, ad an. 357. n. 49, & ſeq. edit. Luc., nempe vero habet ſimillimum hanc periocham, qua apud S. Hilarium in præcit. Fragm. 6. n. 6. Liberii epiſtolæ ad Orient. ſeries interturbatur, quæque parentheſi intercluditur: *Hæc eſt perfidia Ariana: hoc ego notavi, non Apoſtata. Liberius ſequentia*; hanc, inquam, periocham in præcit. fragm. irrepſiſse, neque a S. Hilario fuiſse conſcriptam, ſicuti neque ſequentes in Frag. Anathematiſmos, qui in Liberium ab eodem ejaculati leguntur, neque Appendicem n. 7. epiſtolæ ſubjunctam ejuſdem fœtum eſse, ſed alienæ manus additamenta. Conjecturam exinde conficit, tum quod Liberius a ſuo lapſu jam ſurrexiſset, præteritæque ignaviæ labem abunde deleviſset, adverſus pſeudo-Synodum Ariminenſem Nicænam fidem ſtrenue, fortiterque propugnando, Orientalesque ad ejuſdem fidei profeſſionem compellendo, antequam ſua communione cohoneſtarentur, uti ſuperius ex Socrate, & Sozomeno, ex SS. Siricio, & Damaſo demonſtratum

ſtratum eſt. Itaque iniquior perperam in Sanctum Pontificem videri potuiſset S. Hilarius, ſi Pontifici veluti prævaricatori, atque Apoſtatæ dixiſset anathema, infamiæque dicam conſcripſiſſet in Fragmentis, quæ poſt Ariminenſem pſeudo-Synodum adornavit, aut numeris abſolvit, ut fert communis opinio, de qua Nicolaus Faber in præfat. ad hæc Fragm. n. 15, & ſeqq., Petrus Coutantius in præf. ad eadem Fragm. n. 13 pag. 610, & ſeq., & Maurini in hiſt. litter. Gall. tom. 1. par. 2. pag. 151. Tum quod Fragmenta iſta, quamvis genuinus S. Hilarii ſint fœtus, mutila tamen, multis in locis violata, & lacunis undique intercepta locum facile fecerunt ab aliena manu factis additamentis, adeoque ut fieret additamentum illud, quo Liberii litteræ interturbantur. Eoque vel maxime de iſta interpolatione litterarum Liberii a S. Hilarii mente aliena manu facta ſuſpicari fas eſt, quod poſt alteram Liberii epiſtolam, quæ incipit, *Studens paci*, relatam in Fragm. 4, quaque pridem refertur S. Athanaſius a Liberio in judicium accerſitus, & ab ejuſdem communione an otus, viciſſim autem in Sacrorum conſortium a Liberio Semiariani leguntur admiſſi, Appendicis veluti loco hæc veluti S. Hilarii periocha immediate ſequitur: *Quid in his litteris non Sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens eſt?* Quæ plane verba pugnare cum verbis parentheſi illa ad ſequentem Liberii epiſt. in Fragm. 6. intercluſis nemo non videt, nemoque, opinor, æqui, juſtique æſtimator in animum inducet ſuum digno elogio iſto S. Hilarium mactare voluiſſe Liberii Epiſtolam, qua S. Athanaſio ſeparato, ſuam viciſſim Semiarianos in communionem ſuſcipit. Qua reſponſione pariter, penituſque refellitur potiſſimum Acatholicorum argumentum ad probandum aſſumptum a Liberio ſubſcriptam fuiſſe formulam Sirmienſem ſecundam, de qua ſuperius actum eſt. Verum, quamvis difficile captu ſit, quì fieri potuerit, ut S. Hilarius, qui cumprimum Liberii lapſum reſcivit, haud catholico Præſule indignum diris Pontificem M. excipere duxit, poſtquam tamen Liberium a lapſu relevatum accepit, dira hujuſmodi in publicum emittere non prætermiſerit, eaque e tabula non eraſerit, omninoque ſuppreſſerit, quum tamen in duplici Collect. Creſconiana, & in Mſs. Codicibus cum Pithœano, tum Remenſi ſub S.

Hilarii nomine additamenta iſta habeantur, atque præterea in Pithœano olim ad marginem adſcripta hæc, quæ poſtmodum imperiti alicujus Librarii opera in textum irrepſiſſe putat Coutantius in Not. pag. 680, verba legerentur: *S. Hilarius anathema illi* (Liberio) *dicit*, graviori abſque fundamento additamentis hiſce non adeo facile denegandam fidem opinor. Quamvis autem haud difficilis fatear cum doctiſs. Benedictinis editor. Epiſtolam, quæ incipit, *Studens paci* Frag. 4. n. 1. regeſtam a S. Hilario, de induſtria fuiſſe ab Arianis confictam, Liberiique tum pro fide laborantis nomini ſuppoſitam; neque propterea diffitear, quin Epiſtolæ ſubnexa Appendix incipiens, *Quid in his litteris* &c. aliena manu aſſuta haud fuerit, ſed revera dignus S. Hilarii ſit fœtus irritos enarrantis, irridentiſque Arianorum conatus, Sardicenſemque extollentis Synodum; neque perinde cum Hermantio in Not. ad cap. 25. lib. 6. vitæ S. Athan. opinor hanc Appendicem referrendam fore ad Synodicam Concilii Sardicenſis ad Conſtantium Imp. inſcriptam, ſed potius cum Petro Coutantio ibidem in Not. pag. 669. in hac Appendice S. Hilarium vere reſpexiſſe ad hanc Liberio ſuppoſitam ab Arianis Epiſtolam, epiſtolæque laudes meram eſſe Ironiam, qua Arianorum dolos inanes, arteſque S. Doctor irridet.

Jam vero a Liberio probatam haud fuiſſe Sirmienſem formulam tertiam poſitivo, velut loquuntur, contra Valeſium, & Pagium, invictiſſimoque probatur argumento e ratione temporis petito, quod ſic efformatur. Formula tertia Sirmienſis, uti paullo ſuperius oſtendebam, procuſa fuit anno 359, ſicuti tum ex Conſulari nota conſtat; ſiquidem in epigraphe præfertur exarata Conſulibus Euſebio, & Hypatio apud S. Athanaſium lib. de Synod. pag. 874, Socratem lib. 2. cap. 37, & Sozomenum lib. 4. cap. 16. edit. Chriſtoph., vel cap. 17. edit. Val., quorum Conſulatum certe in an. 359. conjiciendum ex emendatiſſimis Faſtis fit evidens; tum ex Conſtantii Imper. præſentia ibidem prænotata, de qua etiam Germinius in epiſt. ad Ruſianum, quem Sirmii non an. 358, ſed inſeq. 359. moram traxiſſe refert Ammianus lib. 21, liquetque ex Legibus Sirmii hoc anno promulgatis, at præſertim ex LL. 14, & 15. nota 11. Kalend. Junii an. 359. conſigna-

ſignatis, qua ipſa nota inſcripta Ectheſis Sirmienſis tertia legitur, & confirmatur ex S. Epiphanio hær. 73, n. 22, & Socrate lib. 2. cap. 29. Atqui Liberius ante exactum annum 358. jam ab exſilio fuerat revocatus, ſuoque reſtitutus loco: nam Conſtantii juſſu in exſilium pulſus eſt poſt Concilium Mediolanenſe an. 355. habitum teſtibus Socrate, Sozomeno, Sulpitio lib. 2, & Scriptore vitæ S. Euſebii Vercell. apud Ughellum Ital. Sac. tom. 4. pag. 1038, atque ex pervetuſtis Actis Pontif. oſtendit Panvinius apud Scheleſtratium Antiq. illuſt. diſſert. 2. cap. 9. n. 33 poſt biennium, ut perhibet S. Athanaſius in epiſt. ad Solitar. in exſilio exactum, ideſt an. 357. exſilii tædio, ærumnarumque fractus, miniſque mortis perterritus ſubſcripſit, ut ibidem loquitur S. Athanaſius; eodem vero exeunte anno, ut habetur in libello precum Marcellini, & Fauſtini, atque refert Anaſtaſius in ipſius vita, ſeu verius inſeq. an. 358. ineunte, ut mox oſtendam, Liberius 4. Non. Aug. Romam reverſus eſt. Igitur ſubſcribere neutiquam potuit Ectheſi biennio poſt procuſæ. Deinde, ut ſupra dicebam, ex S. Hilario lib. de Synod., & in Fragm. Liberius formulæ ſubſcripſit, non quæ ac Occidentalibus, ſed quæ ab Orientalibus fuerat conſcripta, quod confirmat ipſius Liberii ad eoſdem Orient. epiſtola inſcripta, atque quidem a duo ſupra viginti numero Epiſcopis. Atqui ab his 22. Epiſcopis Orientalibus non 3, ſed 1. Sirmienſis formula procuſa fuit: primæ igitur huic, non tertiæ Liberius ſyngrapham appoſuit ſuam.

Hoc ipſo equidem argumento utitur Illuſtriſ. Cavalcanti in Vindic. Rom. Pontif. lib. 3. diſſert. 2, illudque valdequam urget, intorquetque ad probandum neque potuiſſe Liberium primæ Ectheſi Sirmienſi an. 351. editæ ſubſcribere. Ea enim ejus exſilium annis 4. anteceſſit; neque veriſimile eamdem poſt ſubſcribendam an. 357, aut ſeq. Liberio fuiſſe oblatam, & quidem ab Epiſcopis illis 22, a quibus fuiſſe conſcriptam, Liberioque expoſitam refert S. Hilarius. Etenim, ut ſupra demonſtratum eſt, Epiſcopi illi 22, majorem ſaltem partem, ſecundo Sirmienſi Conventui an. 357. habito haud interfuerant: quum tamen ab Epiſcopis, qui ſecundo huic Conventui Sirmienſi an. 357, aut inſeq. adfuerunt, Liberio formula ſubſcribenda fuerit oblata, qua ſub-

ſubſignata, ea propter ab exſilio fuerit revocatus, atque inſuper abs veri ſpecie abſit ab his Epiſcopis, qui puræ, putæque Arianæ hæreſi adeo ſtudebant, adeoque pro ſubſcriptione ſecundæ formulæ Sirmienſis erant ſolliciti, propoſitam Liberio fuiſſe primam formulam Sirmienſem, a qua hæreſis Ariana adeo abludebat. Profiteor me hujus argumenti pondere victum Doctiſs. viro manus ultro daturum, ſi aſsumptum ejus undique ſtaret veritate innixum. At enim illud, quod ſupponit Liberium ſubſcripta formula confeſtim exſilio fuiſſe ſolutum, abs vero quammaxime abhorret, uti liquet ex Liberii epiſtolis ingeminatis ad Orientales, atque ad Urſacium, Valentem, & Germinium ſui e loco exſilii exaratis apud S. Hilarium in cit. Frag. 6, quibus etiam ſignificat alias eadem de re ab ſe Epiſtolas ad Imperatorem exaratas, obſecrans, ut poſtquam bono pacis, ipſique morem gerens cum Orientalibus, Athanaſio abjecto, concordiam injiſſet, ſuam regredi ad Eccleſiam ſibi permitteret. Eſto enim oblatam Ectheſim Berœæ ſubſignaſſet, non ideo tamen liber abire obtinuit, ſed Sirmium a Conſtantio Imper. eodem anno 357. accerſitus, ſecundo formulæ fidei ſubſcripſit in Synodo Sirmienſi contra Photinum proeuſæ, ideſt primæ an. 351. editæ non modo, ſed ei etiam, quæ in Concilio Antiocheno in Encæniis an. 341. elucubrata fuerat una cum 25. Canonibus adverſus Sabellium, & Paulum Samoſatenum: quo peracto tandem exſilio ſolutus eſt, cujus rei teſtis eſt locuples Sozomenus lib. 4. cap. 15. Ex quo illud quoque inferre licet iterum Liberium non ſubſcripſiſſe utique ſecundæ Sirmienſi Ectheſi, cæteroquin enim confeſtim ab exſilio liber abjiſſet, nihil enim amplius ab ipſo expetendum Arianis fuiſſet: quo ſuppoſito, jam ad argumentum ſequens hoc apto reſponſum. Liberio exuli Berœæ agenti Ectheſim primam Sirmii an. 351. editam ſubſcribendam fuiſſe propoſitam an. 357, aut inſeq, & quidem non ab Arianis, qui eodem an. 357, aut ſeq. in Conventu Sirmienſi alteram pura, putaque Ariana hæreſi aſperſam confecerant, quæ, fieri nunquam poſſe, ut a Liberio ſubſcriberetur, haud ignorabant, ſed a Semiarianis, qui tum illam in Concilio Sirmienſi cit. an. 351. editam, tum editam in Concilio Antiocheno in Encæniis an. 341. præ ceteris probabant, quique præ Arianis

nis longe apud Conſtantium Imp. gratia, & poteſtate valebant, atque imo in Concilio Ancyrano an. 358. ſecundæ Arianæ Sirmienſi Ectheſi vehementer adverſati ſunt, adeoque ut Arianos ejus Architectos ad eamdem ſupprimendam vel invitos coegerint, & Conſtantium Edicto lato ad eam prohibendam impulerint, Quod ex eo quoque confirmatur, quod ſiquidem toties, ac tot fidei Formulæ qua ab Arianis, qua a Semiarianis in dies adornarentur, non eſset proinde, cur una præ altera Liberio ſubſignanda proponeretur, atque ſiqua eſset, ea præ aliis proponeretur, in quam animo propenſiores ferebantur Semiariani, qui & auctoritate præpollebant. Atqui hanc fuiſse, quæ in Synodis Antiochena an. 341, Philippopolitana, an. 347, Sirmienſi an. 351, & Ancyrana an. 358. procuſa fuerat, hactenus demonſtratum eſt: igitur Liberio Sirmienſem primam ſubſcribendam an. 357, ſive inſeq. fuiſse propoſitam confectum manet. Atque certe non niſi poſtquam Sirmii prænemoratæ formulæ Antiochenæ ſubſcripſiſset, ab exſilio dimiſsus Romam Liberius regreſsus eſt, ideoque non ante an. 358, ut ex S. Hieronymo in Chron. conſtat. Certiſſime vero an. 357. Menſe Decembri nondum Romæ Liberium fuiſse liquet ex Leg. 5. *De Maleficiis* Cod. Theod., L. 9. De *Curſu publico*, & L. 14. *De Epiſcopis, & Clericis* data a Conſtantio Imp. 9. Idus Decemb. Mediolani eodem Conſtantio 9, & Juliano 2. Conſul. ad Felicem Rom. Epiſcopum.

Communiſſima itaque Catholicorum ſententia eſt, quam ſectantur Baronius ad an. 357. n. 46, & ſeqq., Auctor opuſculi Gallice inſcripti: *Remarques ſur le Traité hiſtorique de Maimbourg.* &c. 1688, Morinus de Sacr. Ordin. pag. 346, Sfondratus diſput. 4. §. 3, Tillemontius Monum. hiſt. Eccleſ. tom. 6. annot. 44. in Arianos pag. 319, & 772, Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. IV. diſſert. 32, Boſsuetius ipſe defenſ. Declar. par. 2. lib. 13. cap. 33, Coutantius in Not. ad epiſt. 10. Liberii pag. 442, & in Not. ad S. Hilarium Fragm. 6. pag. 678. edit. Veron., Berti de Theolog. diſcipl. lib. 8. cap. 12, Manſius in diſsert. de Epochis Concil. Sardic., & Sirmien. tom. 1. Suppl. pag. 184, Matthæus ipſe Larroquianus in diſſert. de Liberio Romano pag. 192. aliique indiſcriminatim primæ, vel tertiæ, vel alteri ex hiſce conſarcina-

tæ ipſum ſubſcripſiſſe adfirmantibus Gonzaleſio diſp. 15. ſect. 9, & Aguirrio apud Cavalcanti, Liberium primæ Sirmienſi Ecthesi ſyngrapham appoſuiſſe. Id ſequitur ex dictis: ſiquidem Liberius illi ſubſcripſit formulæ, teſte S. Hilario in Frag. 6, quæ ab Epiſcopis 22. conſcripta fuerat: atqui Epiſcopi 22. illi nec 2, nec 3, ſed 1. conſcripſere; igitur 1, non 2, nec 3. Liberius ſubſcripſit. Præterea, ipſo Liberio teſte in epiſt. ad Orient., eam fidei Liberius acceptam habuit formulam, quæ præ aliis probata, non Occidentalibus quidem, ſed Orientalibus fuerat, ideſt Semiarianis: atqui hiſce probata quammaxime evaſerat fidei Formula in Synodis Antiochena an. 341, in Philippopolitana an. 347, in Ancyrana an. 358, ideoque in Sirmienſi etiam an. 351. ſancita: igitur hanc quoque, ideſt primam, acceptam Liberius habuit. Poſtremo Liberius, Sozomeno teſte lib. 4. cap. 14. edit. Chriſtoph., ſive cap. 15. edit. Val., quum Sirmium pervenit, confeſſionem emiſit, qua eos, qui Filium ſecundum ſubſtantiam, ac per omnia Patri ſimilem non profiterentur, alienos ab Eccleſia pronunciabat: ſed enim id ipſum in prima formula Sirmienſi fuerat expreſſum; itaque primæ huic Liberius antea Beroææ ſubſcripſerat.

Hinc ſequitur Liberii lapſum haud hæreſis nomine habendum eſſe. Eſto enim nonnullam famæ, fideique maculam contraxerit, tum in S. Athanaſium, hominem ſcilicet moribus, fideque integrum, deque Eccleſia optime meritum, ſententiam dicendo; tum ut ſibi fucum hæretici facerent, permittendo, cumque eiſdem Sacrorum fœdus, conſortiumque feriendo, tum vocis *Homouſion* uſu Eccleſiæ univerſæ conſecratæ ſuppreſſioni conſentiendo, unde in hæreticorum luto hærere viſus eſt, quod eſt proprietate ſermonis in Scholis triti hæreticum eſſe *interpretative*, non etiam *formaliter*, hæreſis tamen labe infectum haberi, dicique multa oppido vetant. 1. Quia præfata Ecthesis prima, quamvis vocem utramque ſive *Homouſion*, ſive *Homœuſion*, ideſt *Subſtantialis*, & *Similis* ſive rejiceret, ſive reticeret, ſiquidem tamen Filium eſſe *Deum de Deo* definiebat, atque dicebat anathema iis, qui illum *Ex non extantibus*, aut *Ex altera ſubſtantia* profiterentur, ſenſu vero Catholica in ſe erat, ſenſumque juxta Catholicum a S. Hilario expoſita eſt in lib. de Synod. n. 39, & ſeqq. pag. 488, ac

ſeqq.

ſeqq. edit. Veron. 1730, atque Vigilius Tapſenſis lib. 5. contra Eutychem cap. 3. Sirmienſem ideo Synodum contra Photinum habitam tanquam Catholicam habuit, cujus, inquit, *Sanctiones nullus Fidelium audet reſpuere, aut cunctatur recipere*. Quamvis imo concederetur Liberius tertiam formulam Sirmienſem calculo probaſſe ſuo, neque illi propterea de fide negotium faceſſendum eſſet. Quandoquidem in hac tertia quoque formula Filius decernebatur eſſe *Deum de Deo, ac per omnia Patri ſimilem ſecundum Scripturas*; quo plane nomine Patri Conſubſtantialis intelligendus eſt, probeque intellectum aſſeruere pridem Origenes lib. 1. Περὶ ἀρχῶν cap. 2, ac poſtea S. Athanaſius Orat. 2. contra Arianos, S. Hilarius in lib. de Synod. n. 67, & ſeqq. pag. 500, ac ſeqq., S. Baſilius in epiſt. 41, S. Epiphanius hær. 36, S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 15, & S. Cyrillus lib. 3. cap. 5. in Johan. 2. Quia Formula quoque fidei, cui ſecundo accitus Sirmium Liberius ſyngrapham adjicere ſuam non recuſavit, ſenſu vero ſimiliter erat Catholica: in ea enim anathemate æque damnabantur tam Photinus in Illyrico, quam Aetius in Syria diſſeminantes Filium per omnia Patri diſſimilem; neque vox *Homouſion* damnabatur, niſi in ſenſu hæretico Sabellii, & Pauli Samoſateni, quatenus ea voce ſignificatam olim voluerant aut Hypoſtaſum in Deo contractionem, aut Divinæ abſciſſionem ſubſtantiæ. Idque profecto a Liberio præſtitum, ideſt anathema pronuntiatum in Anomœos, ſive Aetianos, qui ſpargere per calumniam in Uulgus non verebantur a Liberio peræque, atque ab Oſio, damnatum *Homouſion* fuiſſe, atque Filium per omnia Patri ſimilem denegatum, referunt Sozomenus lib. 4. cap. 14, ſive 15, & Nicephorus lib. 9. cap. 37. *Confeſſionis fidei Formulam*, inquit Sozomenus, *a Liberio abduxerunt* (Sirmii ſecundo Semiariani) *quæ illis, qui Filium Patri non Subſtantia, & ceteris omnibus ſimilem aſſeverarent, interdixit Eccleſia*. Quocirca S. Auguſtinus ſimili fidei confeſſioni, in qua nempe in verbis nihil videret fidei eſſe contrarium, ſe paratum eſſe ſubſcribere, etiamſi verbum *Conſubſtantialis* in ea minime reperiret, affirmavit in epiſt. olim 174, nunc 238 ad Paſcentium Comitem Arianum. Quin etiam Maimburgus, dum adhuc

ſaperet, ſanoſque haberet ſenſus, antequam nempe peſſima e re ſua reputaret Romanos Pontifices fallibiles affirmare, in hiſt. hær. Arianæ conſtantiſſime affirmavit Liberium nullo modo Semiarianæ hæreſi aſſenſum præbuiſſe ſuum, atque ſyngrapham apoſuiſſe, quinimo conſtantiſſime Filii conſubſtantialitatem propugnaſſe; idque tam manifeſtum eſſe, ut nemo prudens de hoc dubitare poſſit: quæ ſunt ipſius met verba e Gallico in Latinum ſermonem fideliter verſa.

Quid præterea, quod neque deſunt Viri doctiſs., inter quos Illuſtriſs. Cavalcanti in diſſert. 7, & 8, qui eò progreſſi ſunt, ut Liberium ab hæreſi, vel ab hæreſis ſuſpicione vindicandum ſuſciperent non modo, ſed inſuper ab imprudentiæ nota, in quam impingere, ſubſcribendo ſive primæ, ſive tertiæ formulæ Sirmienſi potuiſſet, abſtergere prorſus adgrederentur? Eo ſcilicet, nec ſane contemnendo momento ducti, in animum inducentes a Liberio Ecthesim ſive primam Sirmienſem adverſus Photinum, ſive Antiochenam adverſus Sabellium, & Paulum Samoſatenum adornatam, ſive Beroeæ, ſive Sirmii calculo fuiſſe comprobatam, idcirco, quod hinc perſuaſum ei fuiſſet ſive a Fortunatiano, alioquin ob fidei Nicænæ conſtantem defenſionem celebri, ſive ab Eleuzio Cyziceno, qui cum Semiarianis aliis Sirmii unam, eamdemque Filii cum Patre ſubſtantiam fuerat profeſſus, teſte Sozomeno lib. 4. cap. 15, tum novam diſſidiorum facem Sabellianis non fore ſuppeditandam, ut qui *Homouſion* voce abuterentur ad confirmandam Perſonarum Divinarum indiſtinctionem, & identitatem; tum publicæ tranquillitati conſulendum fore unius voles *Homouſion* omiſſione, qua ſemel ſuppreſſa, facile futurum, ut Anomœi, qui in eamdem cæteroqui fidem, quoad rei ſubſtantiam, conveniebant, a diſputatione, & diſſidio ceſſarent. Addentes eamdem œconomiam adhibitam olim a Patribus ſive Antiochenis, ſive Nicænis, qui juxta varias temporum circonſtantias variis uſi ſunt vocibus; atque ὁμοούσιον mox rejecerunt, mox retinuerunt, utrumque vero recte, teſte S. Athanaſio lib. de Synod., ac de ſentent. S. Dionyſii, Alex. Eadem œconomia laudabiliter uſos ſive S. Baſilium teſte S. Gregorio Nazian. in Orat. de ejus laudibus, ſive S. Cyrillum Hieroſolym. teſte Theophane in Chron-

Chronog. *Homouſion* reticuiſse. Quæ quamvis probabilia ſint, apud me tamen, fateor, tanti non pendere, ut propterea ab omni vel levis imprudentiæ labe Liberium eximam. Quinimo quamvis Libetium ſive verbis, ſive factis a fide defeciſſe darem, forte ne propterea Pontificis ex Cathedra definientis corrueret infallibilitas? Minime gentium: quandoquidem Pontificem infallibilitate non donandum affirmem, niſi quum ex Cathedra docet: e Cathedra vero docuiſse Liberium, ſive dum Berœæ Sirmienſi, ſive dum Sirmii Antiochenæ ſubſcripſit Ecthesi, inficior, urque inficias eam, id efficit, tum quod animadvertit S. Athanaſius in hiſt. Arian. ad Monach. n. 41. Liberium invitum, & coactum vi tormentorum, metuque mortis feciſſe, quod fecit, nec ejus cenſendam eſſe ſententiam, quam minæ, terrores, & verbera extorſerunt, ſed eam, quam protulit, quum liberos haberet affectus; quod autem ex metu fit, ex Cathedra factum nego; tum quod facto potius peccaſſe, quam in fide prolapſus dicendus eſt, ideſt non docuiſse Liberium ex Cathedra contra fidem, ſed deliquiſse magis circa confeſſionem extetnam fidei: quomodo peccatum a S. Marcellino paullo ſuperius dicebam.

Contra nihilominus pugnant, atque Liberium ab hæreſis lapſu excuſari nullo poſse modo contendunt ex heterodoxis Johannes Placetæus in Obſervat. hiſt. Eccleſ. obſerv. 4. art. 1, ex Catholicis veto Illuſtriſs. Boſsuetius defenſ. Declar. pat. 2. lib. 14. capp. 33, 34, & 35, ejuſque Annotator in cap. 34. argumento 1. petito ex Actis S. Euſebii Presbyteri, & Martyris hauſtis, ut in fine eorumdem Actorum habetur, ex Commentariis Oroſii Preſbyt., Collegæ, & Conſanguinei, quæ Baronius in Annal. tom. 4. edit. Luc. ad an. 357. n. 57. paucis complexus eſt, & in Notis ad Marryrologium Rom. die 14. Aug. remittit ad Boninum Mombritium Mediol., qui eadem Acta fuſe proſequutus eſt (quo loci tamen Epigramma, quod ex antiq. Inſcript. in append. n. 17. Euſebio Presbyt. adſcribit, ad Euſebium Rom. Pontif. referendum potius exiſtimant Tillemontius, & Coutantius ad Epiſt. Rom. Pontif. pag. 319.) Boſsuetius ipſe præcit. loco ex Codice excuſo Remenſis Archiep. tom. 1. deſcripſit, Baluzius Miſcellan. tom. 2. ex quatuor Codicibus Mſs. extraxit, recenſuit, & emendavit, atque ex

eo in Not. Annotator Boſsuetii conjicit Acta iſta circa Juſtiniani Imp. tempora eam in formam, qua heic habentur, fuiſſe redacta, atque prolixi temporis intercapedine probata, nono demum ſæculo in Martyrologiis promulgata ab Uſuardo, & Adone, a quibus verba ipſiſſima uſurpantur. Enim vero eis in Actis legitur, quod juſsu Conſtantii Imp. Romam reverſo Liberio, ejectoque Felice, in partes ſciſſa Plebe, aliis ad Liberium accedentibus, aliiſque pro Felice pugnantibus, Euſebius Presbyter Romanus *Cæpit declarare Liberium hæreticum, & amicum Conſtantii*: quod ejuſdem Euſebii avitæ Religionis puritati tuendæ ſtrenue incumbentis *Doctrina multi in ſancta Confeſſione, & Catholica vitabant communionem Liberii*: quod cum Liberio congreſſus interroganti eidem Liberio: *Nos cujus fungimur vice? Nonne Julii Anteceſſoris noſtri?* Euſebius haud animo deſpondens libere reſpondit: *Sic perſeveraſſes in fide, quam in perſecutione primo tenere viſus fueras*: Quodque eam ob cauſſam, jubente Conſtantio, intra cubiculum clauſus, ibidem Menſibus ſeptem in oratione perſeverans, fame conſumptus mortalitem explevit 19. Kalend. Septemb., qua ſane die ejuſdem memoria nomine Martyris ab Eccleſia recolitur in Martyrologio Rom., in cujus Feſto hæc olim lectio in Romano Breviario habebatur, quæ etiam num legitur eiſdem verbis in Martyrologiis Uſuardi, & Adonis: *B. Euſebius Presbyter, quum præſente Conſtantio fidem Catholicam conſtantiſſime defenſaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe, ab irato Conſtantio Imp. Ariano includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in longitudine pedes quatuor, & ibi multis diebus in oratione perſeverans, incluſus tamen, poſt Menſes ſeptem dormitionem accepit 19. Kalend. Septemb.* Quibus cohæret ad eamdem diem Martyrologium Wandelberti. Igitur, inquiunt, Liberius ab hæreſis labe abſtergi nulla ratione poteſt.

Quod propugnant 2. argumento petito ex confeſſione ipſius Liberii in tribus Epiſtolis ad Orientales, ad Urſacium, Valentem, & Germinium, atque ad Vincentium Capuanum, quos de damnato ab ſe Athanaſio, de fide Sirmii expoſita, ſibique a Demophilo oblata ab ſe ſuſcepta, deque concordiæ fœdere cum Semiarianis inito certiores facit. Ex Teſtimoniis S. Hieronymi, qui

qui cum in Chronico, tum in Catalogo cap. 97. Liberium ad hæreſis ſubſcriptionem tandem inflexum affirmat: *Liberius*, inquiens in Chron., *tædio victus exſilii, in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit*. Et in Catalogo de Fortunatiano Aquilejenſi hæc habet: *In hoc habetur deteſtabilis, quod Liberium Romanæ Urbis Epiſcopum, pro fide ad exſilium pergentem, primus ſollicitavit, ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit*. Fauſtini, & Marcellini, qui in libello precum in præfat. ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium referunt Conſtantium Imperat. rogatum a Populo Liberium ab exſilio revocaſſe, poſtquam ille perfidiæ aſſenſum præbuiſset ſuum: *Poſt duos annos*, inquientes, *venit Romam* (Imperator) *pro Liberio rogatur a Populo, qui mox annuens ait*: Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus eſt, melior revertetur: *Hoc autem de conſenſu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat*. Auxilii Presbyteri denique, qui lib. 1. de Ordinat. Formoſi cap. 25. Liberium Arianæ hæreſi adſtipulatum ſcribit his verbis: *Quis neſciat, quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæreſi ſubſcripſit, & per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa?* Igitur, concludunt, laterem lavat, qui Liberium a lapſu, hæreſiſque labe liberare tentat.

Sed enim levia admodum, & elumbia ſunt hæc, quam tot argumentorum, quibus Liberii vindicata fides eſt, robuſtiſſimam vim infringere valeant, meque a præconcepta de ipſius orthodoxiæ integritate exiſtimatione vel leviter dimovere. Quamobrem reſpondeo ad 1. S. Euſebii Acta mendis, mendaciiſque undique exundare non dubium eſse debere, ideoque eo in pretio haud habenda, ut fidem noſtram omnino obligent, invictiſſimumque inde trahi argumentum queat. S. Martyri præſtitum quidem Cælitum honorem non denegaverim, abſit a me tantum nefas, veluti rite me admonent Motherius in Not. ad Martyrologium Rom. a ſe Gallice redditum, & Sollerius ad diem 14. Aug. tom. 3. pag. 166. advertentes tamconſtantiſſimum eſse, quam univerſalem in Eccleſia S. Euſebii cultum, cujus etiam nomine vetuſtiſſimam, atque Statione olim inſignem etiamnum extare Romæ Eccleſiam, qua nunc gaudent PP. Cæleſtini, adnotant Piazza in Me-

Menologio Rom., & Pancirolus de Templis Roman. pag. 166; iis tamen, quæ de eodem S. Euſebio indigeſtim Acta hujuſmodi habent, dare aſsenſum, ſi me veritas amet, non debeo; ut enim non dem, multa oppido ſuadent. Equidem Illuſtriſs. Cavalcantis conjecturæ non indulgeo exiſtimantis ab aliquo Felicis II. ſtudioſo Acta fuiſse conficta, quemadmodum paullo ſuperius confictas ab aliquo Luciferiano, aut Urſiciniani Schiſmatis promacho Epiſtolas Liberii, quibus de agitur, exiſtimaverat; quia videlicet conjecturas haſce ſuas ſolido ſatis fundamento non fulcit. Attamen, Tillemontio teſte Monum. tom. 6. in Annot. ad hæreſim Arian., hac ultima tempeſtate, atque ab anno præſertim 1704, qua uſu jam venerat ad Criſis incudem diligentius revocare monumenta illa, quæ olim ullo abſque delectu ambabus ulnis vel Doctorum turba amplecti ſolebat, Acta iſta, uti circumferuntur, valdequam perturbata, atque a primigenio Oroſii opere longe diſſita a peritis Criticis multis profecto cenſuris vexata ſunt, jure, an injuria, ſequentia oſtendent. Et certe momenta, meo ſenſu invictiſſima, conjiciendæ eorumdem ſuppoſitionis Acta ipſa ſubminiſtrant, atque unum, vel alterum ſpecimen exhibere ſatius habebo. Etenim 1. ex Commentariis Oroſii excerpta Acta commemorantur, non indicato Exſcriptore: at ignoto Scriptori ignotæ fidei, quis confeſtim prudens fidat, pronaſque accommodet aures? Circa Juſtiniani Imp. tempora conſcripta circumferuntur: quis inde ſtatim Exſcriptoris ſubleſtam fidem, apertiſſimumque partium ſtudium, quo erat affectus, non perſpiciat? Quandoquidem perſpectiſſimum bonis omnibus a præterito jam ævo erat a Liberio labem omnem elutam, atque fidem, famamque, qua laboraverat aliquando, priſtino loco, oprimoque redintegratam, adeout de fide ipſa optime promeritus ab omnibus haberetur. Nihilominus Exſcriptor iſte Liberium adhuc laceſſere, & vellicare, atque tum hæreſis, tum aſſentationis, tum ſævitiæ nomine ſollicitare non eſt veritus. Age - ſis vero 2. Acta ipſa introſpiciamus. Ab Arianis rebaptizationem tum temporis adhibitam comminiſcuntur; Liberium autem hoc ſibi reſervaſse, ne Romani rebaptizari a Conſtantio cogerentur. Eſto enim Ariani quidam, inter quos Auxentius, ut auctor eſt S. Ambroſius lib. 5. epiſt. 32, ſive

ſive in Orat. de tradendis Baſilicis an. 386. dicta, aliique pauci, de quibus S. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 49, & lib. 2. de Symbolo cap. 13, aliquando rebaptizarint, nondum is tamen error communi eiſdem uſu venerat, ſiquidem de eo altum apud SS. Athanaſium, Hilarium, alioſque de Arianorum erroribus diligenter agentes ſilentium. Poſt Liberii vero obitum ab Eunomio, qui & vivendi finem an. 396. fecit, is primum error inductus eſt apud Philoſtorgium lib. 10. cap 4. §. 136, qui & ipſe Eunomii tum partes adjuvit, tum laudes eſt perſequutus; atque perinde apud Arianos invaluit, Vigilio teſte in epiſt. ad Profuturum n. 3, apud Bonoſianos quoque, uti liquet ex Concilio Aurelianenſi III. an. 538. Can. 31, & apud Bogomilos, uti refert Euthymius in Panoplia par. 2. tit. 23. n. 23. 16. Quamvis etiam a Semiarianis nonnullis poſtea rebaptiſmum uſurpatum indicare videatur S. Epiphanius in in fine oper. de hæreſ., & in Anacephaleoſi n. 8, (quibus tamen locis de Eunomianis locutum ego quidem exiſtimo) pridem tamen ipſorum Promachis huncce cordi errorem fuiſſe, de eoque quidpiam ipſorum in Paraſynagogis ſancitum nullibi adpiret; neque Imperatori, apud quem præ Arianis gratia, auctoritateque valebant, ut Liberium ad anabaptiſmum cogeret, auctores ſe præſtitiſſe, neque a Liberio, ut in anabaptiſmum concederet, expetiviſſe leguntur, eo uno contenti, tum ut ſuppreſſioni *Homouſion* adquieſceret, tum ut S. Athanaſio diceret anathema.

Eſt & aliud, quo turpis errati coarguatur Actorum iſtorum ineptus conſarcinator. Euſebium enim cum Liberio congreſſum ipſo coram Impetarore Conſtantio in Urbe Roma poſt ejuſdem ab exſilio reditum comminiſcitur. Quod utique falſum, nam ex Ammiano Marcellino auctore coævo lib. 16. liquido conſtat Conſtantium Roma egreſſum anno 357. 4. Kalend. Junias, eo tempore ſcilicet, quo adhuc Beroeæ in Thracia exſul Liberius agebat, nunquam poſtmodum Romam pedem retuliſſe. Neque Boſſuetii Annotatorem juvat reponere, a Theodoreto lib. 4. cap. 6. etiam referri, dum ordinaretur S. Ambroſius, Mediolani adſtitiſſe Valentinianum Auguſtum; qui tamen eodem Ammiano teſte lib. 30. tum temporis longe aberat, Treviris, aut in Rheni vicinia hyemem agens: neque propterea Theodoreto fidem in ceteris abnegan-

negandam. Quid enim juvat eum, qui errat, videre alios erraſse? Certe ſi hoc modo argumentari liceret, nullus eſſet profecto vel mendaciſſimus Scriptor, qui eo modo excuſari nequiret. Deinde longe diſpar ratio. Theodoretus Græce, atque longiſſime a Latio ſcribebat, Latini ſermonis nunciis, aut ſcriptis uti debebat: excuſatione igitur dignus, ſi in hiſce aliquando hæſit, aut lapſus eſt etiam. At Exſcriptori Actorum S. Euſebii homini, uti liquet, Latino, atque e Latinis Oroſii Commentariis deſcribenti, ac veriſimillime in Urbe ipſa Roma, vel in Italia ſaltem degenti, nulla venia danda, nullaque præterea fides præbenda. Vel enim ei fuit exemplaris Oroſii anceps, ambiguaque poteſtas; atque fœda ignorantia eſt notandus: vel perſpecta fuit, ſed perturbare voluit; atque ſubleſta de fide objurgandus eſt. Scriptori jam vero hujuſce genus, vel ignorantiæ fœda labe, vel fraudis gravi laboranti ſuſpicione, quis prudens fidem adhibeat? Quis etiam æqui, juſtique æſtimator in animum inducere queat, quod fabulator ille ſubjungit, a Liberio ſcilicet rogatum, atque ſollicitatum Conſtantium Imperat. juſſiſſe, ut in cubiculo incluſus Euſebius inedia necaretur; quin etiam una cum eodem Conſtantio Liberium perſecutione deſæviſſe in Chriſtianos quotquot, qui in partes Liberii deſcendere detrectaſſent, adeoque ut in plateis, in vicis, in balneis, in Templis ipſis turmatim gladio interficerentur, ingentique cæde loca ubique complerentur? Quis, inquam, non de Liberio dicam, ſed de quolibet eo longe, ſi fuit unquam, deteriore Pontifice alio dira iſta, & inhumana cogitare vel poſſit, quæ tam oppido falſa, quam impia de Liberio Pontifice ſanctiſſimis moribus prædito, ingenioque procul dubio mitiſſimo, ut ex hiſtoriis fide omni dignis oſtendimus, Exſcriptor iſte effutivit? Fatis denique functo Liberio, qui ipſius in locum levatus eſt, S. Damaſum Concilio ex Epiſcopis 28, ac Presbyteris 25. coacto publico decreto Liberium damnaſſe idem Scriptor ſubtexit. Ecce novam Liberio, & Damaſo, ingeminatamque iuſtam injuriam? S. Damaſus proculdubio perſpectiſſimum habuerat a Liberio illico a reditu, invictiſſimeque Nicænam fidem propugnatam fuiſſe, & Ariminenſem formulam, Synodumque proſcriptam, id enim totum ipſe teſtatur in Epiſt. ad Illyricos. Non igi-

igitur ingenti abſque invidia, atque injuria dicetur vel Liberius a Damaſo damnatus, vel Liberii damnator Damaſus. Mitto alia minoris momenti apud Criticos videnda, atque inter alia ductum argumentum e ratione Schiſmatis ea occaſione vigentis, in ſchiſmate autem verum non eſſe Martyrem; nam de hoc paullo poſt. Verum etiam Actorum ſinceritate admiſsa, ſuo adhuc loco ſtare integram Liberii fidem pugno, conciliari facile dicta poſſe cum iis, quæ pro defenſione ipſius paullo ſuperius prolata ſunt, ſatiuſque demum aptari idem reſponſum, quod objectis ex teſtimonio Liberii, Hieronymi, Fauſtini, Auxilii &c. mox erit aptandum.

Quamobrem, ut præteream, quod Dupinio, Natali, & Cavalcanti placuit dicere, putareque ſive S. Hilarii Fragmenta eſſe fictitia, prodiiſſeque ex figlinis, ſive Fragmentis aſsutas fuiſſe perperam Liberii Epiſtolas, ſive Epiſtolis ipſis, prout in Fragmentis S. Hilarii proſtant, additamenta pleraque fuiſſe facta, reſpondeo Liberium libenti animo primæ Formulæ Sirmienſi ab ſe accommodatum aſsenſum ideo dixiſſe, quod formulam illam nihil præferre fidei Nicænæ abſonum probe dignoviſset: quemadmodum revera Nicænæ fidei minime adverſatam Sirmienſem Ectheſim illam ad oculum ſuperius eſt demonſtratum. Ideoque in S. Athanaſii damnationem conſenſiſſe, atque Semiarianis Sacrorum conſortio ſe conjunxiſſe, quod graviſſimis illum flagitiis irretitum, hos vero in fide puros, integroſque reputaret. S. Hieronymum eo ſenſu dixiſſe Liberium hæreſi ſubſcripſiſſe, quod ſubſcripſiſſet formulæ fidei ab hæreticis conflatæ; quod hæreticorum conſortio, ac communione ſe polluiſset; quod S. Athanaſio, cujus cauſſa cum cauſſa fidei videbatur conjuncta, dixiſſet anathema, quod eſt hæreſi adſtipulari, hæreticis adſcribi, & hæreticum audire, non equidem formaliter, & expreſſe, ſed interpretative, & præſumpte, favore, protectione, ſuffragio, non interiori conſenſione, affectu, & affirmatione. Ad hæc ſcite animadvertunt eruditi Critici Chronici Hieronymiani textus in emendatiſſimis Codicibus deſiderari; obſervant autem Scaliger, & Tillemontius ejuſdem Chronici exemplaria ſive edita, ſive Mſs. multis mendis ſcatere, de quibus etiam Dodvvellus in diſſert. 3. ad S. Irenæum §. 2. Unde Pighio

visum est, communem Auctorum calculum alleganti, verba in objectione laudata vel dolo, deque industria asuta fuisse, vel inadvertentia irrepsisse. Faustini, & Marcellini hominum, qui Ursicini Schismatici partes adversus S. Damasum pro virili adjuvabant, nutare omnino fidem, ubi de Pontificibus agitur, ac praesertim in Praefatione, e qua locus objectus haustus est, velut animadvertunt Tillemontius, ac doctiss. Benedictini Monachi. Ut ut sit tamen, commode verba illa interpretamur de adjecta syngrapha formulae Sirmiensi, non de haeresis ipsius professione, sive de perfidia ipsa probata; atque ratio plane ita interpretandi satis patet ex supradictis. Auxilii Presbyteri simili modo periocham accipiendam dicimus: scilicet eo sensu dixisse Liberium haeresi subscripsisse, quod Ecthesi ab haereticis procusae, inque sensu haeretico haereticis probatae assensum suum praebuerit, cum haereticis Sacrorum foedere se copulaverit, atque haereticis gerendi morem gratia, iniquum in S. Athanasium se exhibuerit. Caeterum Auxilium in pleraque admodum a veritate aliena saepius abjisse, plurimumque, praetextu honoris defendendi Apostolicae Sedi debiti, in eamdem Apostolicam Sedem deliquisse, habenasque laxasse Pontificum convitiatoribus, atque posthabendi facile illorum decreta ansam dedisse, dum ut Formosi Ordinationes defenderet, in Stephanum VI. immoderate desaeviit, recte admonuit doctiss. Morinus in praef. ad duos libellos Auxilii de Ordinat. suis Commentariis de Sacr. Ordinat. adnexis. Haec luculenter de Liberio, quem a lapsu ita liberasse, ipsiusque fidem tuto, firmoque statuisse loco putaverim, quo profecto magna perfundor laetitia, mihique plaudo pro eo, quo, & quammaxime quidem Pontifices falli, & fallere nescios demonstrandi studio deferveo, & adnitor: quod primo demonstrandum loco proposueram.

Quod nunc secundo conciliandum loco proposui, est S. Felicis II. Pontificatus; donec enim id praestetur, grave exinde, difficileque Liberii fidei negotium facessitum ibit. Si enim Felix legitimus Pontifex fuit, Pontificatum vero gessit Liberio adhuc in vivis agente, Liberium a Pontificatu decidisse oportet. At legitimus Pontifex Felix fuit: igitur reapse a Pontificatu Liberius decidisse erit dicendus. Sed enim nonnisi ob haeresim decidis-

cidiſſe dici poteſt: igitur reapſe hæreſim fuiſſe profeſſus Liberius dicendus erit. Si vero ajas legitimum Pontificem non fuiſse Felicem: igitur ajere neceſſe erit eumdem fuiſſe Schiſmate infectum: ſi autem infectus ſchiſmate, Martyris nomine haberi non poterit: errabit itaque Eccleſia hoc eum honore recolens? Ecce tibi undique anguſtias! Ingenti igitur animorum æſtu de tam gravi argumento, ideſt de Liberii, & Felicis Pontificatu, diſputatur in utramque partem, qua ab Heterodoxis, ut a Baſnagio in Annal. Polit. Eccleſ. ad anum 355. §. 15, & ſeq., qui ut Liberium a fide lapſum, deviumque revincant (quibus hac in re manus imprudenter dedere noſtræ communionis homines nonnulli haud dubitarunt) Felicem II, Liberio ſuperſtite, legitimum Pontificem fuiſſe propugnant; qua ab Catholicis, e quibus alii e contra ut Liberii fidem integram tueantur, inque tuto ponant, Felicem tanquam pſeudo-Pontificem traducere non verentur; alii vero marte meliori, alterutrius abſque injuria, componi utriuſque Pontificatum poſſe arbitrantur. Difficillima in hac porro, atque quidem graviſſima proculdubio quæſtione, quid veri mihi videatur ſimilius, aperiendum, atque, ſi Superis placet, uterque Pontifex ab invidia vindicandus. Itaque Felicem II. inter pſeudo-Pontifices referendum jubent Panvinius, Baronius, qui poſtea ad an. 357. n. 62, & ſeqq. a prioti receſſit opinione, Ciacconius, Lupus par. 5. ad Dictatum S. Gregorii VII. pag. 794, Tillemontius Monum. tom. 6. Annot. 60. in hiſt. Arian., Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. IV. diſſert. 32. art. 3, Fleurius hiſt. Eccl. lib. 13. §. 21, Bailletus ad diem 29. Julii, Coutantius ad Epiſt. Rom. Pontif. pag. 470, aliique. Illuſtriſſimo Sommier hiſt. dogm. lib. 3. cap. 5. ea inſedit ſententia, quod illegitimus quidem Pontifex Felix fuerit, ſed bona fide aliquando veluti legitimus habitus, poſtquam ſcilicet Liberium S. Athanaſii damnationi, Eccleſiaque Sirmienſi ſubſcripſiſſe innotuit, perſuaſumque fuit a Nicæna fide deſciviſſe. Quum vero de integra Liberii fide conſtitit, eumdem Liberium reducem uti legitimum Romæ fuiſſe receptum, Felicem vero tanquam ſpurium ejectum vir Eruditus exiſtimat. Ex adverſo S. Felicem legitimos inter proculdubio Pontifices referendum putant Genebrardus in Chron., Perronius in reſponſ.

ad Jacobum Angliæ Reg., Baronius ad an. 357. n. 62, & ſeqq., Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 9, Binius tom. 1. Concil., Gretzerus in defenſione Bellarmini, Gordonius, & Gualterus apud Jodocum Coccium in Theſ. Cathol. lib. 7. art. 12, Henſchenius in Append. tom. 3. April., Papebrochius in Conat. Chron. hiſt. diſſert. 15, alias 9, Pagius uterque, Senior ad annum. 357. n. 16, & ſeq., Junior vero in Breviar. in S. Felice II, Auctor Obſervat. Theolog. hiſt., & Crit. in hiſtoriam Fleurii tom. 1. lib. 14. pag. 215, Blanchinius in Not. ad Anaſtaſium to. 3. ſect. 53. pag. 28, & ſeqq., Sollerius tom. 7. ad diem 29. Julii, Roncalia in Animad. ad cit. diſſert. Natalis, Annotator Boſſuetii ad cap. 34. in Acta S. Euſebii defenſ. Declar. part. 2. lib. 14, Illuſtriſſ. Franciſcus Anton. Cavalcanti in Vind. Rom. Pontif. lib. 3. diſſert. 9, Benedictus XIV. de Canoniz. SS. lib. 4. par. 2. cap. 27. num. 14, ſive Diſſert. volum. 1. diſſert. 34. n. 14. de S. Felicis II. Sanctitate, & Martyrio nullam amplius ſupereſſe dubitationem affirmans, ſed diſputari ab Eruditis dumtaxat de qualitate, rationeque Martyrii, de qua Papebrochius fuſe in Conatu diſſert. 16, alias 10, & in reſponſ. ad exhibit. error. art. 11. §. 16, aliique apud ipſos. Poſtremæ huicce ſententiæ utroque ſubſcribendum pollice duco, remque, poſtquam a Viris eruditione eximiis tanto ſtudio eſt exagitata, non amplius difficilem adeo, impeditamque, componendam adgredior, Liberii videlicet, & Felicis II. Pontificatum.

Itaque S. Felicem II. legitimes inter Pontifices fore computandum, tantumque abeſſe, ut vel leve ſchiſmatis in ipſum cadere crimen potuerit, veteres cum Scriptores fide digni, tum venerandæ antiquitatis Monumenta nos edocent. Ita Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 17. refert Liberio ſucceſſiſſe Felicem fidelem ejus Diaconum: cui quidem crimini datum obſervat, quod cum Arianis communionem injiſſet, ut propterea Romanorum nemo in Eccleſiam, dum intus Felix adeſſet, ingredi vellet, fidei tamen Nicænæ retinentiſſimum fuiſſe affirmat. Socrates lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 19. etſi in Felicem non admodum æquus, perhibet tamen non defuiſſe, qui dicerent illum nedum hæreſim Arianam haud amplexum, ſed nonniſi vi, & neceſſitate adactum fuæ

tan-

tandem ordinationi consensisse, scilicet jubente Liberio, ut communiter explicatur. Sozomenus lib. 4. cap. 10. postquam relationes varias, quæ de Felice circumferebantur, expendisset, ei demum adhæsit, qua tradebatur Felix integerrimæ fuisse Religionis, ac fidei: id unum excipiendum monens, quod ante Ordinationem cum Arianis Episcopis communionis fœdere aliquando fuerit conjunctus; Ordinationem tamen non suggillat, sicuti neque ejus ingressus fuerat a Theodoreto reprehensus. Sed enim S. Felicis Pontificatum illustrare ex Latinæ Ecclesiæ documentis magis juvat, in quibus etsi plurimo haud in pretio habenda paullo superius dixerimus Acta S. Eusebii Presbyt., & Mart., atque quam maxime hoc loci, ubi a Felice Concilio Episcoporum 48. habito damnati referuntur duo Presbyteri Romani Ursacius, & Valens, damnatusque Constantius secundo rebaptizatus ab Eusebio Nicomediensi, cujus periochæ falsitas, ac figmentum vel in oculos insilit, in eo tamen, quod tradunt a S. Eusebio, ejusque Sociis S. Felicem loco, ac in honore legitimi Pontificis habitum fuisse, nihil est, quod prohibeat, quominus eisdem fidem Actis tuto adhibere quis possit. Faustinus, & Marcellinus Ecclesiæ Rom. Presbyteri in præfat. libelli precum Imperatoribus oblati perhibent a Clero, etsi contra fas, neque gravi absque perjurii scelere, Felicem Archidiaconum, ordinatum in locum Liberii, fuisse receptum, atque Damasum prius cum eodem Liberio profectum in exsilium, Romam postea regressum ita deinceps Felici adhæsisse, ut propterea ab ejus partiariis quammaxime in locum ipsius post Liberii fata in Pontificem fuerit postulatus. Audis Rom. Clerum, ac S. Damasum Felici adhæsisse, quorum similia tradidit Scriptor Actorum S. Eusebii? Id sane intelligi, nisi de legitimo Felicis Pontificatu non potest, quem legitime Felix alioqui consendere, vel administrare, nisi legitime se abdicante, vel adnuente Liberio, atque legitimis Clero votis adstipulante, non potuisset. Quod qua ratione factum fuerit, paullo infra exponetur. Verum est quidem, quod ii Duumviri schismati Ursicini studentes propterea Clero, Felici, ac S. Damaso infamem perjurii, ac schismatis notam appingere non sunt veriti, ideo quod, ipsis referentibus, Romanus Clerus, Felix, ac Damasus

jura,

juramento se obstrinxissent de Pontifice altero non eligendo, donec in vivis Liberius egisset, subdentes eam ob rem a Senatu, Populoque Romano, Liberii partes consectante, Felicem ejuratum, Urbeque pulsum, bina vice nihilominus conatum, vimque omnem impendisse, ut Sedem usurpatam sive retineret, sive recuperaret, sed demum exulem abire coactum privatam deinceps vitam suo in prædiolo ad annos octo traduxisse. Nam in iis quæ S. Damaso crimini dant, illis fidem non adhibendam, ut qui in contrarias Ursicini partes concessissent, nemo prudens dubitabit, uti recte admonet Papebrochius. Fieri deinde, ut inferius dicetur, potuit, ut Liberius aut sponte juri suo cesserit, aut qui suas obiret vices, mature curaverit, aut lapsus e loco excidisse creditus fuerit, ac proinde, ut soluto ei præstito juramento, legitime præfici Felix, aut Pontificatum gerere, aut legitimi Pontificis loco coli potuerit. Quo pacto tam S. Damaso, quam Romano Clero violatæ jurisjurandi religionis impacta nota, omnino dispungitur. Neque pariter illis prædendum assensum in iis, quæ de S. Felice referunt viribus omnibus enixo, ut Sedem semel, ac bis invaderet, quam tamen dimittere compulsus tranquillam deinceps vitam in prædiolo ad octennium, ad Valentiniani videlicet tempora, transegerit. Siquidem, ipsismet testibus, Clero, Senatu, Populoque Romano pro Liberio stantibus, ideoque Felice omnino impare, quid contra obniti ex Clero nonnullus valuisset? Præterea quum post Liberii reditum brevi tempore supervixisse Felicem auctores sint Sozomenus lib. 4. cap. 15, & Nicephorus lib. 9. cap. 37, atque plerique Catalogi Rom. Pontif. confirment, in re quoque Chronologica turpiter illos lapsos liquet: ut propterea Sollerius ad diem 29. Julii Præfationem illam libello præfixam valdequam suspectam habuerit, atque spuriis in odium Rom. Pontificum sive ab hæreticis, sive a schismaticis confictis deputandam fore non dubitaverit.

Age vero certiora hujusce rei documenta, in quibus dubii nihil, aut longe minus subsit, e Romana ipsa Ecclesia desumere licet. Atque in his quidem præcipuum occupant locum Veteres Picturæ via Ostiensi in Basilica S. Pauli una cum Inscriptionibus, opereque Musivo S. Leonis M. expressæ, magnaque diligentia descrip-

deſcriptæ, & illuſtratæ a Cl. Blanchinio Anaſtaſii tom. 2. pag. LXXXVII, & ſeqq., in his vero ſuum poſt Liberium, atque legitimos inter Pontifices locum habet Felix, aſſignatis ei ſeſſioris an. 1. Menſ. 3, dieb. 2. Succedit liber Pontificalis, ſive geſtorum Pontificalium, in quo de Liberio agente tom. 3. ſect. 51. pag. 11. ſic habetur: *Congregantes ſe Sacerdotes, cum conſilio Liberii, ordinaverunt in locum ejus Felicem Presbyterum Epiſcopum Vener. Virum* &c. Ex quibus proinde Liberii vacantem locum ſive Pontificatum, legitime a Felice re, vel nomine ſuiſſe occupatum fit conſequens; qua vero recta fieri ratione potuerit, fuſius infra explicabitur. Non me fugit libro Pontificali fidem a Criticis paſſim detrahi, neque detrahendam plane fore in pleriſque multis diffiteor. Atque in his quidem, quæ hoc ipſo loci ſubjungit tam de Concilio ex 48. Epiſcopis collecto a Felice, in eoque damnatis duobus Presbyteris Urſacio, & Valente, quam de damnato Conſtantio Imp. ob hæreſim Arianam, ſuſceptumque ſecundo Baptiſmum ab Euſebio Nicomedienſi, qui error cum Scriptore Actorum S. Euſebii ei fuit communis. Ut enim nihil de errore maniſeſtiſſimo dicam circa Urſacium, & Valentem, qui nuſpiam Romanæ Eccleſiæ inter Clericos cooptati, ſed Epiſcopi Pannonii fuere, ille Murſiæ, hic Singidonis, ex hiſtoria de Conſtantino M. Nicomediæ ab Euſebio baptizato translatam huc periocham ad rebaptiſmum Conſtantii patet. Quamvis enim a Felice damnatum Conſtantium ob hæreſim defendi poſſit, eumque revera rebaptizatum autumet Blanchinius in Not. hiſt. pag. 29, attamen, præterquam quod de rebaptiſmo Conſtantii nihil habent neque S. Hilarius, qui in lib. adv. eumdem nondum regeneratum ait, neque S. Athanaſius, qui in lib. de Synod. ab Euzojo eum baptizatum ſcribit, quod ſcribunt quoque Socrates lib. 2. cap. ult., Nicephorus lib. 9. cap. 10, & Philoſtorgius, qui lib. 6. cap. 5. eum baptizatum Antiochiæ ab Euzojo an. 361. referens, rebaptizatum certe referre non omiſiſſet, ad confirmandum inductum de rebaptiſmo errorem ab Eunomio, cui ipſemet impenſe ſtudebat, ex eiſdem Scriptoribus certe conſtat Conſtantium in Ordine Catechumenorum hæſiſſe uſque ad an. 361, quo anno Tauro, & Florentio Conſul. eum-

eumdem fini conceſſiſſe ſuo ex S. Hieronymo, Socrate, Sozomeno, Idacio, Victore, Theophane, & Chronico Alex. oſtendit Pagius ad an. 361. n. 4, & ſeqq., qui annus poſt Felicis expulſionem eſt ſecundus: quique Felix, ſi uſque ad an. 365. pervenit, uti legitur apud Fauſtinum, & Marcellinum, neque a Conſtantio quadriennio ante vita functo Martyrio affici potuit: qua de re poſtea. Nihilotamen minus, quod ad rei caput pertinet, ad Felicisnempe Pontificatum, non eſt cur Pontificali libro fides denegetur, quam ipſi luculenter confirmant innumeri Catalogi alii venerandæ antiquitatis, in quibus Felicis Pontificatus omnem prorſus extra dubitationis aleam ponitur, ut in Catalogis Colbertinis ſeptem apud Pagium in Appar. tom. 1. pag. 310, & ſeqq. nov. edit. Lucen., qui a Sæculo XIII. ad Sæculum IX. pertingunt; ut in Catalogo Sæculi VI, qui ſub S. Felice IV. adornatus creditur apud Scheleſtratium; ut in Lucenſi an. 600, & in Bergomenſi annor. 800. apud Blanchinium tom. 2. pag. xviii, & ſeq.; ut in Belgico ante annos 600. ex Vetuſtiori deſcripto apud Papebrochium; ut in Cavenſi, & Farfenſi Sæculi XI. apud cit. Blanchinium tom. 1. pag. 4, & tom. 2. pag. cxv. A quibus nec abludunt, nec longius abſunt Codices duo Freheriani, & Thuanus ubi legitur: *Congregans Sacerdotes cum conſilio eorum Liberius in locum ſuum ordinavit Felicem* &c., Codices Regius, Mazarinus, & Thuanus alter, ubi ſic habetur: *Congregatis itaque Sacerdotibus cum conſilio eorum ordinaverunt Epiſcopum Felicem* &c. Cui lectioni tamen ea præferenda, quam ex Lucenſi S. Anſelmi, ex duobus Florentinis, & ex Regio hiſce conceptam verbis: *Congregantes ſe Sacerdotes, cum conſilio Liberii, ordinaverunt in locum ejus Felicem* &c. ſuppeditant viri doctiſs. Holſtenius, Scheleſtratius, Papebrochius, & Blanchinius tom. 1. Anaſtaſii pag. 46.

Documento, argumentoque ſunt etiam antiquiſſimæ Litaniæ, quas e Codice Mſ. Bibl. S. Genovefæ annorum 700, aut 800. deſcripſit Johannes Fronto Canonicus Regul. S. Auguſtini, in quibus S. Felix II. in Pontificum numerum cum *Sancti*, *& Confeſſoris* nomine refertur. Ubi obſervare juvat Confeſſoris notam nihil obeſſe nomini Martyris. Nam veluti recte animadvertunt Viri doctiſſ. Fronto ipſe, Pamelius in Schol. ad Epiſt. 9.

S. Cy-

S. Cypriani, Theophilus Raynaudus tom. 18. in tract. de Martyrio per peſtem par. 2. pag. 565, Guyet de Feſtis propriis SS. lib. 2. cap. 7. quæſt. 9, & ſeq., Papebrochius in reſp. ad exhib. error art. 11. §. 16, Galeſinus in Nor. ad Martyrolog. 17. Kalend. Febr. ad S. Felicem Confeſſ., Pouget in Cathol. Inſtit. par. 2. Sect. 4. cap. 2. §. 22, Sollerius ad diem 29. Julii, Joſephus Maria Pezzius in defens. libr. Liturg. V. Card. Thomaſii cap. 5. §. 3. n. 12, & ſeqq., & Benedictus XIV. in Append. ad lib. 3. de SS. Canon. cap. 12. §. 2. Martyris, & Confeſſoris nomen olim pro eodem promiſcue quandoque acceptum legitur, ut a Tertulliano in lib. ad Martyres, & in Scorpiaco cap. 8, ubi de tribus Pueris hebræor., a S. Chypriano in epiſt. 58, ubi de iiſdem tribus Pueris, a S. Jo: Chryſoſtomo in Orat. de S. Euſtathio Antioch., a S. Auguſtino in Pſal. 127. verſ. 4, ubi de S. Felice, a S. Hieronymo lib. adv. Jovinian. tom. 2. pag. 280, ubi de S. Johanne Evang., de quo etiam Sacramentarium Gallic. apud Mabillonium Muſæi Ital. tom. 1. pag. 294, a Ruffino lib. 10. hiſt. Eccl. cap. 36, ubi de S. Theodoro, de quo præterea Theodoretus lib. 3. cap. 9, & Ruinartius in Act. ſincer. pag. 515, a S. Paulino in Natal. 3, & 11. de S. Felice Nolano apud Muratorium Anecd. Latin. tom. 1. pag. 24, de quo etiam Florentinius in veteri Martyrolog. ad diem 24. Jan., & Ruinartius in Act. ſincer. pag. 214. Atque ideo Martyris nomine paſſim inſigniti feruntur S. Marcellus P. M. in libro Pontif., & in Breviar. die 16. Jan., S. Johannes Papa ad 27. Maji, S. Martinus item P. M. in Collectan. Anaſtaſii apud Sirmondum in fin., S. Gregorius Armenus, dictus *Illuminator* in Martyrologio Rom. ad diem 30. Septemb., & in Menologiis Orient., de quibus Bonuccius in ipſius hiſtor. edit. Rom. 1717, S. Zeno Veronenſis apud Henſchenium tom. 2. April. pag. 69, & Ballerinios tom. 1. ipſius Oper. edit. 1739, S. Juvenalis Narnien. ad 3. Maji, SS. Martyres 20. Monachi in Laura S. Sabæ apud Henſchenium tom. 3. ad diem 20. Martii, SS. Martyres in Bulgaria ſub Nicephoro in Menologio Græcor., & Martyrolog. Rom. ad 23. Julii, Martyreſque alii plures, de quibus Gallonius lib. de Cruciatibus SS. Martyrum. Nihil igitur mirum, quod S. Felix II. in Litaniis illis Frontonis nedum, ſed etiam in

Sacramentario S. Gregorii M., in Martyrologio Mſ. Corbejenſi, a S. Auguſtino lib. de cura pro Mortuis cap. 5, & a S. Gregorio Turon. Confeſſoris nomine nuncupetur, qui aliis in Monumentis Martyris titulo condecoratur; quo de titulo fuſius paullo infra.

Quod nunc intereſt, ad legitimum S. Felicis II. Pontificatum confirmandum, atque ſartum, tectumque ſervandum faciunt, conferuntque S. Gregorii M. cum Antiphonarium, tum Sacramentarium ab Hugone Menardo an. 1642. evulgatum, ubi Officium, & Miſſa exhibentur S. Felicis Martyris, & Confeſſoris. Kalendarium Romanum ejuſdem Frontonis ad diem 29. Julii, & Sacramentarium Toloſanum apud Sollerium ad eamdem diem, in quibus prætermiſſa ſive Confeſſoris, ſive Martyris appellatione, Felicis Papæ memoria recolitur. Quæ pariter, appellato Martyris nomine, celebris occurrit paſſim in Martyrologiis; ut in antiquiſſimo Romano parvo edito a Roſveido, a quo Martyrologia cetera ortum habuere, ubi ad cit. diem 29. Julii legitur: *Romæ Felicis Papæ, & Martyris ſub Conſtantio*: atque ita in Martyrologiis V. Bedæ, Rabani, Uſuardi, Adonis, Notkeri, Wandelberti, Maurolici, Galeſini, Menardi, Florentinii, Mſ. Corbejenſi &c. S. Felicis Martyrium die 29. Julii conſignatur, ipſeque capitis obtruncatione Martyrium ſub Conſtantio compleviſſe commemoratur. Haud me fugit ab adverſæ opinionis patronis hæc teſtimonia accipi dicta, explicarique de S. Felice I, qui ſub Aureliano Imp. Martyrio affectus legitur. Unde emendari volunt Martyrologia, quæ Felicem II. ſub Conſtantio paſſum memorant. Reſponſionem hanc utique funditus uno ictu evertere ſibi viſus eſt Pagius ad an. 357. n. 17. argumento ducto ex duobus Indiculis Bucherianis, ſedente Liberio elucubratis, quibus ideo de SS. Pontificibus nihil habemus antiquius, nempe quod S. Felix I. in Indiculo Depoſitionis Epiſcoporum memoratur, non vero in Indiculo Depoſitionis Martyrum. Sed enim conjectura hæc vel ex eo concidit, quod in eodem Indiculo Depoſitionis recenſetur etiam 3. Non. Martii S. Lucius, quem tamen, ut advertit Coutantius pag. 292, Martyrio affectum fuiſſe diſerto S. Cypriani teſtimonio in epiſt. 67. edit. Pamel., 68. Oxon. n. 5. indubitatum eſt; cui non ſatis, mea quidem ſententia, Pagius facit

ad

ad an. 353. n. 5. lato a S. Cypriano modo ibidem Martyris nomen acceptum reſpondens. Neque perinde ejuſdem Pagii opinio S. Felicem II. multa quidem pro Chriſto perpeſſum atentis, negantis tamen poſtea ſub Conſtantio ejus cauſſa interfectum, ac proinde Martyrologiis hac in re fidem detrahendam affirmantis, tanti mihi videtur, ut Felicem abſolute negem revera Conſtantii juſſu Martyrio vitam abſolviſſe, de quo paullo poſt. Repono igitur potius tam Martyrologiis, quam Monumentis aliis Eccleſiaſticis ſupra congeſtis ſtare ſuam debere auctoritatem, donec in adverſum manifeſta nos cogant documenta, quæ hactenus ab adverſæ opinionis partiariis in medium producta non ſunt. Nam Felicis II. obitus unanimi conſenſione die 29. Julii illigatur; S. Felicis I. vero an. 274. 3. Kalend. Junii, ut habent Liber Pontif., & Martyrologia Romanum, Bedæ, Uſuardi, & Adonis, ſeu verius 3. Kalen. Januarii, ut ex Indiculo Bucheriano, & Catalogis Reginæ Sueciæ, ac Foſſatenſi obitum conſignandum oſtendunt Pagius ad an. 274. n. 2, Papebrochius in Conatu §. 27, & Blanchinius in Not. Chronolog. tom. 3. pag. 238: quibus Monumentis, ac Bucheriano præſertim Indiculo longe poſtponendos docent Catalogos alios pleroſque, ut Bucherianum, ut Belgicum, ut Colbertinos duos, ut Catalogum Felicis IV. &c., in quibus in an. ſeq. 275. S. Felicis I. obitus rejicitur. Accedit, & illud, quod ſi S. Felix II. nomine Pontifex non fuiſſet, quæque ipſi tribuuntur, ad S. Felicem I. referenda forent, perperam S. Felix Papa S. Gregorii M. atavus a priſcis Scriptoribus Felix IV. dictus fuiſſet, velut a Johanne Diac. lib. 1. cap. 1. vitæ S. Gregorii M. hortatu Johannis VIII. conſcriptæ, & a Leone Oſtienſi lib. 1. Chron. Caſſin. cap. 1. in fine; quam opinionem amplexi ſunt Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9, atque Monachi Maurini in S. Gregorii vit. tom. 4. Oper. inſerta, juxta quam olim in Martyrologio Rom. ad diem 25. Febr. S. Felicis IV. cum hoc adjuncto, quod S. Gregorii M. atavus fuit, memoria fiebat; non enim niſi duo Felices fuiſſent, præter hunc II, ante Felicem IV. Si autem, ut veri longe ſimilius viſum eſt Baronio ad an. 492. n. 1, & in Not. ad Martyrolog. Rom. 5. Kalend. Martii, Bollando ad diem 25. Febr. §. 1. n. 4. pag. 503., Papebrochio in Conat. §. 50. n. 2. pag. 156, &

Pagio Jun. in S. Felice IV, ideo quod neque genus, neque ætas ferant, ut Felix IV. natione Samnis, ex Urbe Beneventana natus, atavus fuerit S. Gregorii M. genere Romani, ipsoque Felice IV. Pontificatum gerente nati, aut etiam ante, unde sufficiens generationibus quinque, quot ab Atavo ad Atnepotem statuendæ sunt, explicandis tempus inter utrumque non interceſſit, siquidem a Felicis IV. obitu usque ad electionem S. Gregorii anni 60. vix interponuntur, quum alioqui circiter anni 100. ab obitu S. Felicis III. ad S. Gregorii Pontificatum interfluxerint, si, inquam, S. Felicem III, sicut ex S. Gregorio ipso hom. 38. in Evang. n. 15, & lib. 4. Dialog. cap. 16. haud obscure infertur, S. Gregorii atavum fuisse velis, integrum stat adhuc Bellarmini argumentum, siquidem ante S. Gregorium M. quatuor Felices dinumerantur, in quorum censum nisi Felix II. veniat, non essent reliqui nisi tres, contra Scriptorum fidem de Rom. Pontificum serie, & numero.

Rem denique conficere videtur, omnemque dubitandi locum deinceps de legitimo S. Felicis II. Pontificatu sustollere, ejusdem tam Sarcophagi inventio, & inscriptio, quam antiquissimi in Ecclesia Cærensi cultus memoria. Enim vero sub Gregorio XIII. an. 1582, dum de Romani Martyrologii emendatione a viris Eruditis ad id operis delectis tractaretur, atque de S. Felice II. quæstio non levis incidisset, de ejusdem nempe nomine e Martyrologio nove emendato expungendo, an non; ex viris Eruditis vero, ac Baronio ipsi quammaxime, ipsomet teste ad an. 357. n. 62. edit. nov. Lucen., contraquam plerisque cum aliis pugnaret Card. Sanctorius, delendum S. Felicis II. nomen fore visum fuisset, Dei providentia factum procul dubio est, ut dum in Diaconia SS. Martyrum Cosmæ, & Damiani, in Foro ad Templum Pacis posita, a maleferiatis quibusdam clam Altare unum ad latus dextrum positum suffoderetur, reperiendi Thesauri caussa, in marmoream Arcam offenderent, in cujus altero latere, tabulæ lapideæ interstitio ab altero distincto, repositæ invenirentur Reliquiæ SS. Martyrum Marci, Marcelliani, & Tranquillini, in altero vero Arcæ latere Corpus S. Felicis cum hac inscriptione in lapideo laterculo antiquis characteribus incisa: *Hic jacet Corpus S. Felicis, & Martyris, qui damnavit Constantium*. Hæc vero

vero revelatio facta eſt pridie diei feſti ipſius S. Felicis 4. Kalend. Auguſti, quo ejus Natalis dies in Eccleſia agi conſuevit. Quapropter tanti Monumentum hoc jure factum eſt, quanti profecto fieri debuiſſe recte docent adverſus Baſnagium, Gronovium, & Burnetum, Prudentius in hymn. 11. S. Hippolyti, Ruinartius in præf. ad Acta SS. Martyr., Aringhius Romæ ſubterr. lib. 3. cap. 22, Dominicus Georgius in diſſert. de Monogram. Chriſti D. cap. 11, Mabillonius in Epiſt. de Cultu SS. ignotorum pag. 43. nov. edit., Boldettus de Cœmet. Urbis lib. 1. cap. 47, & Benedictus XIV. de SS. Canon. diſſert. 34. n. 14. Vol. 1, ut Baronius ipſe, aliique plurimi a priori ſententia receſſerint, atque diſputatione omni ſemota S. Felix Martyrologio Rom. die 29. Julii fuerit adſcriptus. Juxta hæc, quæ invicem concurrunt, lucemque mutuam accipiunt, atque ſibi affundunt, vetuſtiſſimus eſt Cærenſis Eccleſiæ erga S. Felicem cultus, cujus ea in Urbe Martyrium contigiſſe fertur in libro Pontificali, eaque ideo ab Eccleſia S. Felix tanquam Patronus priſca ab ætate colitur, Baronio referente n. 58. Eſt autem Cære Urbs in Faliſcis via Aurelia 17. ab Urbe lapide, olimque erat Sedes Epiſcopalis, dicta etiam Cora in lib. Pontif., unde apud Plinium lib. cap. 5. illius Oppidani dicuntur Corani, & Florentinius in Martyrologio poſuit: *In Oppido Cora, & Romæ via Portuenſi Natalis S. Felicis Epiſcopi &c.* Inde corpus ejus raptum, a S. Damaſo primum ſepultum eſt in Baſilica ab ipſo S. Felice conſtructa via Aurelia, non longe ab Eccleſia S. Pancratii, & a Cœmeterio Calepodii, de qua Panvinius, Aringhius, Boldettus, & Blanchinius tom. 3. pag 30, indeque demum traslatum intra Urbem ad Titulum SS. Coſmæ, & Damiani, in quo, uti dicebam, Gregorio XIII. repertum eſt; Reliquiarum vero pars aliqua ſub S. Gregorio VII. Eccleſiæ S. Pudentianæ tributa.

Non me latet quidem laudatum ex Sarcophagi inventione, & inſcriptione momentum a pleriſque adverſæ opinionis patronis Natali, Tillemontio &c. floccifieri, eamque falſitatis inſcriptionem argui, ideo quod ait a S. Felice damnatum Conſtantium, veterum nemine id teſtante, non Athanaſio, non Lucifero, non Hilario, non Hieronymo: quum nec imo veri habeat ſpeciem ejuſ-

ejuſmodi ſeveritatem adverſus Imperatores exercendam ſibi Eccleſiam ſumere voluiſſe, ac temere tum utique, ubi ſe in majora incommoda conjeciſſet; maxime autem in Conſtantium tum adhuc Catechumenum. A Cærenſi autem Eccleſia S. Felicem I. coli cenſent, non hunc ſecundum, quem in pſeudo-Pontificum album referendum contendunt. At vero tanti iſta non ſunt, ut ab invito extorquere aſſenſum valeant, ne vero iis ego aſſentiar id efficit, quod paucis ſilentibus, longe plura eloquantur Monumenta, atque teſtibus potius diſerte loquentibus, quam tacentibus, auſcultandum tum maxime ſit, quum nihil eſt, quo ſatis illorum elidi teſtimonium, elevarique poſſit. Atque in Conſtantium quidem, etſi Imperatorem, etſi Catechumenum, (quamvis puerum baptizatum nec levi, nec contemnenda conjectura affirmat Cl. Blanchinius in Not. hiſt. tom. 3. ſect. 53. pag. 29, & ſeq.) a S. Felice potuiſſe animadverti haud difficile ſibi perſuaſerit, qui recogitet Liberium Mediolani cum eodem congreſſum nefariis ejuſdem votis obſtitiſſe non modo, ſed liberis, acerbisque verbis iniquam agendi rationem objurgaſſe, ut auctor eſt S. Athanaſius in epiſt. ad Solitar., ubi hæc inter alia ad illum Liberii verba refert: *Deſine perſequi Chriſtianos, nec tenta me Hæreticam impietatem in Eccleſiam introducere*: quibus approbe congruunt, quæ ex Dialogo cum eodem Conſtantio a Liberio habito regerit Theodoretus lib. 2. cap. 16. Luciferum Calaritanum duobus libris Conſtantii ſævitiam erga Catholicos acerrime inſectatum, magnaque dicendi libertate uſum, neque diris peperciſſe, quibus eum proſcinderet, & apud probos omnes traduceret cum præfatis in libris, tum in libris paſſim de Regibus Apoſtatis, de moriendo pro Filio Dei, de non conveniendo cum Hæreticis, de non parcendo delinquentibus in Deum &c. Oſium Cordubenſem bis, ac ter, S. Athanaſio teſte in præcit. Epiſt., eidem Conſtantio viriliter obluctatum, pectuſque adamantinum objicientem, ejus tum duritiem, qua in Epiſcopos deſæviebat, tum audaciam, qua ſe rebus ingerebat Eccleſiaſticis, graviſſima epiſtola exprobrare non dubitaſſe: *Deſine quæſo*, inquiens, *& memineris te mortalem eſſe, reformida diem Judicii: ſerva te in illam diem purum; ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis hoc in genere præcipe*,

cipe, ſed potius ea a nobis diſce &c. S. Hilarium Pictav. lib. adverſ. Conſtantium edito aſperrimo eum ſtilo, proque dolore, quo intime excruciabatur, amariſſimo ſale aſperſo exagitaſſe, atque ejuſdem lævitiam, impietatem, ſuperſtionem, aliaque ſcelera multis nominibus, nigerrimiſque traduxiſſe. Quorum ſimillima pleraque, atque peræque antiqua Eccleſiaſticæ magnanimitatis exempla reperire paſſim eſt apud Syneſium, & SS. Cyrillum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum &c. Catechumenos vero precum Eccleſiæ participes fuiſſe conſtat ex S. Jo. Chryſoſtomo hom. 3. in Epiſt. ad Philipp., qua de re Thierrius de Expoſit. Sanctiſſ. Sacram. cap. 8, & Morinus de Pœnit. lib. 6. cap. 1. Quin imo pro Catechumenis oblatam Euchariſtiam fuiſſe teſtis eſt locuples S. Ambroſius de obitu Valentiniani Imp. Quid igitur prohibet affirmare (ſi affirmare cum Blanchinio nolis Conſtantium ætate adhuc infantem baptiſmo ablutum) fuiſſe a S. Felice (fuerit etſi aliquando Conſtantio addictus, Arianiſque fœdere adſtipulatus, fidei Nicænæ tamen retinentiſſimus, Pontificatum adeptus, tum ab horum partibus decedere, tum illius perfidiam deteſtari, religioni, officioque duxerat,) fuiſſe, inquam, Conſtantium Eccleſiæ precibus, & Euchariſtiæ oblatione privatum, atque prohibitum, ne ſacris in Diptychis Imperatores inter Chriſtianos illius memoria recoleretur, quin affirmare cogamur hodie uſitatam ferendæ Excommunicationis formam ab ipſo fuiſſe uſurpatam? Quid tamen ſi uſurpaſſet? Primum audiret ejaculatæ ab Eccleſia in Imperatores Excommunicationis exemplum. Neque proinde dicere quidpiam prohibet, S. Felicem Conſtantii, quem ſpe ſua patronum Sectæ ipſum futurum habendi fefellerat, offenſionem incurriſſe, eoque graviorem, quod in eum præterea Excommunicationis intorquere tela non deſtitiſſet, ipſius propterea juſſu Martyrio fuiſſe affectum, velut etiam affirmare non dubitavit Anſelmus Havelburgenſis in Dialogis Eugenio III. dicatis lib. 3. cap. 21. apud Dacherium Spicileg. tom. 1. pag. 207. Quo profecto honore S. Felicem haud ſpoliat veterum Scriptorum ſilentium; certis Monumentis cæteroqui teſtantibus, ut mox ex reſp. ad object. magis, magiſque patebit.

Veterum itaque Scriptorum initio opponunt Adverſarii ſilentium,

lentium, Luciferi, SS. Athanaſii, Hilarii, Hieronymi &c., qui in rebus ſuorum alioqui temporum, Rom. Pontificum, & Arianorum diligenter erant verſati, apud quos de Pontificatu Felicis II. ne lève quidem adparet veſtigium, rem alioqui tanti momenti haud facile prætermiſſuros, ſi veritate conſtitiſſet. In oppoſitum quinimo plurium illorum pugnare teſtimonia inquiunt, a quibus tantum abeſt, ut Felix II. legitimi Pontificis honore fuerit habitus, ut odio potius bonis omnibus habendus propinatus ſit. Enim vero, præterquam quod tam S. Optatus lib. 2. adverſ. Parmen., quam S. Auguſtinus in epiſt. 165. nunc 53. Romanorum Pontificum texentes Catalogum, ut ex illorum perenni ſucceſſione Eccleſiæ Catholicæ unitatem probarent, Felici II. nullum fecere locum, S. Athanaſius in Epiſt. ad Solit., ſive in hiſt. Arian. ad Monach. n. 75. pag. 389. Felicem II, ceu monſtrum quoddam in S. Petri Sede collocatum, Arianaque communione magis, quam fœderatum, ignaviter, turpiterque fœdatum adſpexit, nigriſque depinxit coloribus: *Hoc Miniſtro*, inquiens (Epicteto ideſt Epiſcopo Centumcellenſi Conſtantius Imp.) *utens incredibile facinus deſignavit, & quod vere referat imaginem Antichriſti: ut qui in locum Eccleſiæ Palatium ſuum ſuccedere voluerit, & pro Conventu Populi, & jure Comitiorum, tres Eunuchos præſentes eſſe juſſerit, tres item κατασκόπους, hoc eſt Exploratores (non enim Epiſcopos dixeris) ut ipſi Felicem quemdam Epiſcopum in Palatio crearent, dignum profecto talibus Suffragatoribus*. Neque diverſum huic adſpectum induxit S. Hieronymus, cui alioqui penitus exploratæ Romanorum res eſſe debebant, ſic enim in Catalogo Scriptor. de Acacio Cæſareenſi in Palæſtina Epiſcopo loquens, *Acacius*, inquit, *in tantum ſub Conſtantio Imp. claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret*. Et in Chron. ad an. 352, quæ hac occaſione Romæ geſta fuerant, hiſce refert: *Romanæ Eccleſiæ 34. ordinatur Liberius, quo in exſilium ob fidem truſo, omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium ſuſciperent. Verum quum Felix ab Arianis fuiſſet in Sacerdotium ſubſtitutus*, (Quod & confirmat Ruffinus lib. 10. cap. 22.) *plurimi pejeraverunt, & poſt annum cum Felice ejecti ſunt, quia Liberius tædio victus exſilii, & in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit*. Quorum

rum plane ſimillima in præfat. libelli precum ad Imp. pag. 2. habent Marcellinus, & Fauſtinus. At enim in eo potiſſimam vim faciunt Adverſarii, quod ſi ſemel Felix legitimus fuiſſe Pontifex admittatur, ipſum e Pontificatu deturbare legitime non potuiſſet Liberius, etſi emendatus; qui imo Felice defuncto opus habuiſſet novis, legitimiſque Cleri votis in Pontificem adlegi. Viciſſim Liberius neque a Deo degradatus æſtimari debuit, neque degradari ab hominibus potuit. Sed & duos ſimul in Cathedra S. Petri legitimos Pontifices conſediſſe mens abhorret credere, audire refugiunt aures, ulloque dici modo vetat etiam Sozomenus lib. 4. cap. 14. Præterea ſub S. Gregorio VII, dum a Benedicto Card. reſtauraretur Eccleſia S. Pudentianæ, ibidem repoſitum cum aliis Reliquiis corpus S. Felicis II. Papæ, & Martyris legitur in veteri Tabula Marmorea apud Panvinium lib. de Septem Eccleſiis pag. 268. Quì igitur fieri potuit, ut ſub Gregorio XIII. in Baſilica SS. Coſmæ, & Damiani ejusdem Felicis II. Corpus reperiretur?

Atqui tantum profecto in his, in quibus adverſæ opinionis Patroni vim potiſſimam faciunt, roboris pondus non ineſt, ut propterea S. Felicem II. e legitimorum albo Pontificum expungere cogar. Atque principio Scriptorum, ut ſæpe dixi, ſilentium, qui non omnia ſane, quæ vel ipſorum extra inſtitutum vagabantur, vel ætate, ſub qua ſcribebant, non equidem evènerant, vel loco, ubi agebant, longe diſſita ignorari facile poterant, ſermone, ac ſcripto complexi ſunt, argumenti negativi eſt genus, cui parum deferendum viri Critices peritiores jubent tum maxime, quum eorum ſilentium documentis aliis, idoneiſque teſtibus abunde ſuppletur. Alia fieri præterea ratione potuit, ut inter Pontifices a SS. Optato, & Auguſtino S. Felix II. non referretur. Nempe tot ob diverſas de Felicis electione narrationes, rei veritate haud ſatis ipſis comperta, ſatius videri potuit ſilentio Felicem præterire, quam Pontificum undequaque legitimam ſucceſſionem hæreticorum probris laceſſendam, dilacerandamque imprudenter exponere. Facile illos quoque Felicis Pontificatus effugere potuit, fierique, ut totum illius Regiminis tempus in Liberii Pontificatu incluſum non perſpexerint, ideoque probe diſtinguere nequiverint, velut appoſite obſervant Baronius ad an. 357.

n. 66, & Bellarminus. Multo vero minus mirari ſubit, veluti ſcite admonent Boſſuetii Annotator, Henſchenius, & Papebrochius ad diem 25. Aprilis, ſi in illa rerum humanarum, Divinarumque perturbatione, confuſa pariter, atque petturbata rerum Romæ geſtarum notitia in Ægyptum pervenerit ad S. Athanaſium: unde factum perquamfacile, ut a diverſis diverſa litterarum monumentis mandata animadverterit Socrates lib. 2. cap. 37, fierique potuit, ut dum Socrates relationibus, quæ Felici favebant, æquam utramque præbuit aurem, S. Athanaſius viciſſim relationes, quæ favebant Liberio, qui tum amicus ei adhuc erat, ipſique ſummopere ſtudebat, acceptas potius habuerit, proindeque falſis de Felice rumoribus, quos tum amplificabat eundo fama, tum exaggerabant mentiendo Ariani, facilius, quam par fuiſſet, auſcultarit. Ad hæc vero S. Athanaſius nihil aliud reprehenſione dignum animadvertere in Felicis Ordinatione viſus eſt, quam quod Arianorum artibus, operaque præſertim Epicteti, peracta fuerit, ac per Palatii Eunuchos promota, adhibitum quoque pro Eccleſia Palatium, vocatique demum ad rem omnem peragendam, non e vicinia, uti ferebat mos, puri, inculpatique fuerint Præſules, ſed e longinquo potius, qui ſibi Cataſcopi magis, quam Epiſcopi nominandi erant. Interea tamen nihil habet de Schiſmate, deque perjurio, quæ duo magis objeciſſet, ſi de iis revera ei conſtitiſſet. Denique etſi demus S. Athanaſio Felicem ab Arianis in Pontificem inauguratum, non propterea continuo illum ceu pſeudo-Pontificem concedendum conſequitur. Electioni etiam S. Cyrilli pro Eccleſia Hieroſolymitana, etiam S. Meletii pro Antiochena ſuffragati Ariani ſunt, præcipuaſque egere partes, quin ii tamen e legitimorum numero Epiſcoporum ſint ideo expungendi, utpote qui poſtea a Catholicis pro legitimis habiti ſunt, poſtquam ſcilicet ipſiſmet Arianis infeſtos, proque Catholica fide ſtrenue, fortiterque ſtare illos perſpectum fuit. Quid igitur dicere id ipſum de Felice prohibet, quem fidei Nicænæ egregium aſſertorem, ac vindicem acerrimum nihil non probat?

Venio ad S. Hieronymum, alterum, quem fruſtra profligatæ cauſſæ ſuæ patronum Adverſarii adſciſcere tentant, conſtanterque pronuntio non eſſe profecto, cur in his, quæ de Felicis rebus denar-

denarrat, fides omnino noſtra obligetur. Eum tunc temporis in Syria egiſſe, longe a Roma ſepoſitum, Romanas proinde res minus calluiſſe, perſpectaſque habuiſſe, ac propterea vix quidpiam retuliſſe a Marcellini, & Fauſtini relatione diverſum, quam potius exſcripſiſſe videbitur utramque invicem conferenti. Eumdem videri pleriſque non magis vera ſcripſiſſe de Felice, & Liberio, quam quæ de Meletio, & Cyrillo ex ſparſis ut plurimum inter Adverſarios rumoribus Chronico ſuo inſeruit: neque magis, quam Euſebius, cujus Chronicon Latine reddebat, accurate de Romanis rebus tunc temporis egiſſe. Certe S. Athanaſio non congruit: iſte enim Epicteti, ipſe autem Acacii opera Felicem intruſum affirmat. Antequam Liberius regreſſus ſit, annum dumtaxat regiminis unum Felici tribuit, cui S. Athanaſius duos ad minus adſignat. Siquidem vero, uti ſolerter animadvertit Sollerius, apud alios legitur, ut apud Marium Victorinum lib. 1. de Trinit. adverſ. Arian., de quo Sixtus Sen. Bibl. Sanc. tom. 5, apud Auctorem libri Pontific., dequo Blanchinius tom. 3. ſect. 52. pag. 12, & apud Scriptorem Actor. S. Euſebii, de quo Baluzius Miſcell. tom. 2. pag. 142, vim a Conſtantio Romanis inferri debuiſſe, ut in Urbem Liberius, priſtinumque dignitatis in locum reciperetur, Clero, Populoque Felici tanquam Catholico, tumque maxime probato tenaciſſime adhærentibus, ut propterea cum Semiariani tunc Sirmii agentes, teſte Sozomeno lib. 7. cap. 15. edit. Valeſ., tum Conſtantius ipſe, teſte Theodoreto lib. 2. cap. 17, ad Felicem, Clerumque Romanum litteras dederint jubentes, ut Liberium admitterent, ſic tamen, ut ambo ex æquo Eccleſiam adminiſtrarent, Sacerdotioque una ſimul defungerentur, atque Felix demum vi adhibita fuerit Urbe expellendus, teſtibus Marcellino, & Fauſtino, quì fieri potuit, ut Liberius quaſi Victor Romam intraret? In Catalogum Scriptor. denique vocem illam de Felice *Arianum* irrepſiſſe aliunde ſcite adnotarunt Marianus Victorius in hunc locum, Baronius ad an. 357. n. 55, & Bellarminus loc. cit., ut pote quæ in antiquis Codicibus Mſs. deſideretur, neque habeatur in Græca translatione Sophronii, neque lecta fuerit a Freculpho lib. 4. cap. 8, neque ab Adone Vienn. in Chron., alioqui locum illum integrum referentibus. Quamquam vox illa ſen-

ſum accommodum pati, ac ſuſcipere poteſt, quo ſignificetur ſcilicet Felix Arianus fœdere, non fide, non confeſſione, ſed communione, non expreſſe, ſed interpretative. Quemadmodum eodem acceptam ſenſu a Ruffino ex ipſo met patet, ubi poſtquam dixiſſet in Liberii locum ab Arianis Felicem ſubrogatum: *Et non tam Sectæ diverſitate*, ſubjungit, *quam Communionis, & Ordinationis conniventia* (ut habent Codices Vaticani, non *Convenientia*, uti legitur in Editis) *maculatur*. Quia nempe mente approbe Catholicus, etſi communione cum Arianis conjunctus, ab iis ordinari non detrectaſſet. Quæ hejc dicta de S. Hieronymo, dicta pariter de Marcellino, & Fauſtino, quorum longe inferior auctoritas, tam commode accipi poſſunt, qua m recte debent; quin his refellendis operam fruſtra majorem ludam, ac perdam.

Operæ longe præſtantioris eſt pretium utriuſque Liberii, & Felicis Pontificatum conciliare, quem conciliandi graviori, fateor, difficultate premor, ingenſque mihi faceſſiri negotium ingenuus haud inficior. Quam tamen conciliationem peragere, ſi Superis placet, non deſpero, atque, ſi meus non me fallit amor, nec adeo, ut vulgo æſtimatur, difficilem reputo. Quod, ut meliori, quo poſſit, modo præſtetur, haud parum intereſt prius in Epocham diligenter intendere, qua Pontificatum Felix aſsumpſit, ac dimiſit, & qua reaſsumpſit Liberius e loco exſilii redux. Liberio generatim Pontificatus annos 10. Menſes 7. dies 3. tribuunt Picturæ veteres Baſilicæ S. Pauli apud Blanchinium to. 2. Anaſt. pag. cv. Catalogus ſub S. Felice IV. editus an. 5. Menſ. 3. dies 3. Codex Anaſtaſii Palatino-Vaticanus ann. 6. Menſ. 3. dies 4. Colbertinus 4, & 6, ac Bergomenſis an. 10. Menſ. 7. dies 3. Belgicus, Cavenſis, Farfenſis, & Lucenſis an. 10. Menſ. 3. dies 4. Codex Mabillonii an. 6. Menſ. 4. dies 8. Colbertinus 1, & 5. an. 16. Menſ. 7. dies 3. Florentinus S. Marci an. 6. Menſ. 6. dies 3. Colbertinus 2. ann. 6. Menſ. 3. dies 4 Colbertinus 3. ann. 6. Menſ. 6. dies 3. Colbertinus 7. an. 5. Menſ. 7. Index Creſconianus apud Baronium ad an. 367. n. 2. annos 10. Menſ. 7. dies 3. Nicephorus in Chron. an. 6. Menſ. 6. dies 4. Ciacconius an. 15. Menſ. 10. dies 7. Baronius loc. cit. an. 15. Menſ. 4. dies 1. Papebrochius in Conat. an. 14. Menſ. 4. Pagius ad an. 367. n. 4. an. 14. Menſ. 3. dies

3. dies 3. Blanchinius in Not. Chronolog. tom. 3. pag. 15. an. 14. Menſ. 4. dies 2, cui adhæret Coutantius pag. 419. Igitur juxta probabiliorem Chronologiam ſic Liberiani Pontificatus epocham conſtruere licet. Liberius an. 352. die 21. Junii, juxta Pagium, ſeu verius die 22. Maji, juxta Blanchinium, Pontifex inauguratus; poſt annos 3. Menſ. 2. dies 21, ideſt an. 355. Idib. Aug. pulſus in exſilium eſt, veluti cenſet Fanvinius apud Scheleſtratium diſſert. 2. cap. 9. Biennio ſolido, atque, ut putat Blanchinius, Menſibus 5, & diebus 27. in exſilio exactis, hoc eſt an. 357. lapſus, an. inſeq. 358. circa initium Romam regreſſus, locum recupetavit, retinuitque uſque ad an. 366. diem 24. Septemb., quo hominem demum exuit. Quo vero certior hæc de Liberio epocha videri poſſit, eò incertior evadit, quæcumque de Felice iniri, texique queat: cujus quando, & qualis fuerit cum ingreſſus, tum exitus, in obſcuro latet, atque ſub Judice lis adhuc eſt, in utramque partem digladiantibus viris Doctiſs. Sed enim diverſis, quæ de hac re feruntur, documentis, hominumque opinionibus in medium productis, invicemque collatis, e tenebris eluctandum, eaque ſtatuenda nobis eſt epocha, cui uberior lux veritatis affulgeat. Felicem igitur, tertio ab exſilio anno ideſt 358. Liberio reduce, a Senatu, Populoque Romano Urbe pulſum, ſed paullo poſt regreſſum, quorum, dam ope, Tranſtiberinam occupaſſe Regionem, e qua ſecundo expulſum, poſtquam annis 8. in prædiolo ſuo exegiſſet, demum Valentiniano, & Valente Conſul. an. 365. defunctum affirmant Marcellinus, & Fauſtinus in præf. libelli precum. Liberio ſuffectus poſtquam ab an. 355. ad an. 358, quo Romam Liberius rediit, Pontificatum tenuiſſet, clam Roma ſubductus ad aliam Urbem pedem retuliſſe refertur a Theodoreto lib. 2. cap. 17, & a Caſſiodoro hiſt trip. lib. 5. cap. 18. Adveniente Liberio, a Populo Romano ſeditione facta, Felicem Roma pulſum tradunt S. Hieronymus in Chron., & Socrates lib. 2. cap. 29. Haud diu poſt Liberii reditum fatis functum Felicem integrum Liberio locum feciſſe perhibent Sozomenus lib. 4. cap. 14, ſive 15, & Nicephorus lib. 9 cap. 37. *Quod quidem*, ſubdit Sozomenus, *non ſine Divina providentia factum eſt, ne Sedes Petri a duobus Præſulibus* (ſiquidem ex æquo ſimul a Liberio, & Felice adminiſtrati Semiariani, & Con-

Conſtantius juſſiſſent) *gubernata ulla infamiæ macula aſpergeretur*. Liberio regreſſo, loco depulſum Felicem, Urbeque expulſum, in prædiolo ſuo reliquum vitæ tempus tranſegiſſe referunt Scriptor Actorum S. Euſebii, & Philoſtorgius lib. 4. cap. 3. Ado Vien. in Martyrolog. auctor eſt Felicem depoſitum habitaſſe deinceps in prædiolo ſuo, exinde vero poſtmodum, Arianis agentibus, ductum ad Urbem Cora, ibidem capite obtruncatum, Martyrem occubuiſſe. In Auctiori Catalogo Felix diebus quatuor ante Liberii ingreſſum in Urbem, qui die 2. Auguſti an. 358. contigit juxta Pagium, Epiſcopatu depoſitus in prædiolo ſuo a die 3. Kal. Aug. legitur habitaſſe. In libro Pontificali ſub nomine Anaſtaſii Bibl. tom. 3. ſect. 51. pag. 11. poſt biennium a Liberio exactum in exſilio, Felix ordinatus dicitur: ſect. 52. pag. 12. Conſtantii juſſu (qui certe tum Romæ non erat) Arianorumque opera de Epiſcopatu depoſitus in prædiolo ſuo via Portuenſi exegiſſe, ibique in pace 4. Kalend. Aug. requieviſſe: & ſect. 53. pag. 27. poſt exactos in Pontificatu an. 1, & Menſ. 2. in Urbe Corana Martyrio affectus memoratur. Apud Cl. Blanchinium tom. 2. Anaſtaſii in Proleg. pag. xv., & cv. Picturæ veteres Baſilicæ S. Pauli, pluresque libri Pontificalis Catalogi recenſentur Pontificatus Felicis II. annorum calculum exhibentes. Atque in Picturis illis quidem tribuuti habentur an. 1. Menſ. 3. dies 2. Catalogus ſub Juſtiniano, ſive ſub S. Felice IV. elucubratus adſcribit an. 3. Colbertinus 7. adſignat an. 2. Catalogi Palatino-Vaticanûs annor. 865, Florentinus S. Marci, Bergomenſis, Cavenſis, Belgicus Papebrochii, Farfenſis, Lucenſis S. Anſelmi, & Colbertini 1, 2, 3, 4, ac 6. tribuunt an. 1. Menſ. 3. dies 2. Colbertinus 5. dat an. 1. Menſ. 3. dies 36. Ex quibus Catalogis 15, ut vides duodecim S. Felici Pontificatus an. 1. Menſ. 3. dies 2. adſcribunt, quot nempe in Picturis Baſilicæ S. Pauli exprimuntur. Baronius ad an. 357. n. 66. tribuit etiam an. 1. Menſ. 3, ſed dies 3. Scheleſtratius Antiq. illuſt. diſſert. 2. cap. 9, & Blanchinius in Not. Chronolog. ſect. 53. tom. 3. pag. 29. numerant an. 1. Menſ. 3. dies 2, a die vide licet 8. Aug. an. 358. ad diem 10. Decemb. an. 359, die ſeq. occiſus, ſive dignitate ſe abdicans. Papebrochius in Conat. §. 38. ſed iſſe Felicem autumat ab anno 355. annos circiter 3. uſque ad

diem

diem 29. Julii an. 358, ex quo deinceps in prædiolo ſuo ad an. 365. diem 20. Novemb. vitam tranſegerit, quod etiam ex Marcellino, & Fauſtino confirmat in reſp. ad exhib. error. art. 11. §. 16. nu. 136. pag. 375. Pagius vero ad an. 357. n. 16. huic Papebrochii calculo utroque pollice ſubſcribit, eodem Marcellini, & Fauſtini teſtimonio ſuffultus.

Quibus præhotatis, jam utriuſque Pontificatum componere non admodum difficile ſuccedet, juxta diverſas ſententias, ex quibus quæ alteri præferenda ſit, integrum Lectori relinquam, a judicio promendo me temperans, ſatiuſque habens Doctorum hominum opiniones retuliſſe, quæ inoffenso, tutoque ſequi pede quis poſſit. Primo itaque Baronio ad an. 355. n. 58, & Papebrochio in Conat. diſsert. 15, alias 9. n. 7. pag. 142. valde probabile illud viſum eſt, quod Liberius, more Majorum in perſecutionibus frequentiſſimo, priuſquam exſul abiret, Felicem pro ſe Epiſcopum Vicarium ordinari curaverit, juſserit, aut conſenſerit, cum jure ſucceſſionis, ſi in exſilio ipſum mori contingeret, ut ſuo nempe loco, dum ipſe exſul vitam ageret, Eccleſiam adminiſtraret. Ad id vero facile adductum præterea Liberium, ne in Apoſtolica Sede Arianus Epiſcopus a Conſtantio, ut in ceteris Orientis egerat, collocaretur. Idque quin imo tanto libentius præſtaſse Liberium, quanto Felicis, cujus integra alioqui fides approbe ipſi erat perſpecta, electionem Conſtantio Imp., Arianiſque fore, ut quammaxime accepta evaderet, compertum habebat. Cætera Liberium Italicam profectionem ad Conſtantium adornantem, animum plane exſilio præparatum prægeſſiſse, indicant liquido verba illa, quibus Mediolani cum Imperatore congreſsus eidem exſilii minas intentanti reſpondit: *Fratribus, qui Romæ ſunt, jam valedixi*. Quæ perinde indicio ſunt haud obſcuro illum, antequam Roma abſcederet, futurorum præſcium ideo tempeſtive curaſse pariter de homine, qui Eccleſiæ præeſſet, dum ipſum procul exſulatum pergere, ac mortem oppetere contingeret. Quo pacto Felix non re quidem, ſed agendi ratione Pontifex fuit: quamvis fortaſse poſt Liberii lapſum a Populi Romani plerique tanquam verus, legitimuſque Pontifex haberi cœperit. Reduce itaque Liberio, Regiminis adminiſtrationem ipſi integram

gram reſtituit Felix, atque in prædiolum, ſibi uni deinceps victurus, receſſit, ubi paullo poſt obiit, vel ſi velis, exinde elatus ab Arianis Martyrio fuit affectus. Simile habetur exemplum de S. Eugenio I. Quum enim S. Martinus I. juſſu Conſtantis Imp., ob anathema dictum in Heraclii Ecthesim, ejuſdemque Conſtantis Typum, Roma violenter abductus 13. Kal. Julii an. 653, captivus in Græciam ductus fuiſset, Romanus Clerus veritus, ne daretur invitis ab Imperatore Pontifex alter, qui ejuſdem cum ipſo hæreſis Monothelitarum eſset aſſertor, Eugenium 6. Idus Septemb. an. 654. in Pontificem elegit, ſeu verius ad Pontificias implendas vices, cum jure ſucceſſionis in Pontificatu, ipſo S. Martino inſcio: qui poſtquam Cherſonam deportatus Eugenii ſuum in locum electionem intellexit, ea ratione peractam, quod ita poſtulaſset Eccleſiæ neceſſitas, ne cui nempe Monothelitarum fautori Pontificatus traderetur, ac ita procul Imperatoris inſidiæ, & Monothelitarum machinationes amoverentur, eam electionem probaſſe fertur Epiſtola 17. an. 655. ad Quemdam ſibi Cariſſimum de exſilii ſui calamitate exarata apud Baronium ad an. 652. n. 7, Labbæum tom. 6. pag. 76, & Harduinum tom. 3. pag. 686. ex edit. Sirmondi tom. 3. Oper. pag. 506. Atque Eugenium quidem a die Ordinationis ſuæ legitimum fuiſse Pontificem, utpote cui S. Martini, ideo dignitati ſe abdicantis, conſenſus acceſſerit, propugnant Pagius ad an. 652. n. 3, & ſeq., & ad an. 654. n. 4. teſtimonio præſertim ſuffultus præfatæ Epiſtolæ 17. S. Martini, ubi hæc habet: *Deus per interceſſionem S. Petri ſtabiliat corda eorum in orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticum, & adverſariam Eccleſiæ noſtræ perſonam, & immobiles cuſtodiat, præcipue Paſtorem, qui eis nunc præeſſe monſtratur*; ac Cennius in Not. Chronolog. ad Anaſt. tom. 4. ſect. 134. pag. 65. argumento potiſſimum Chronologico, quo ex Codicibus ferme omnibus Anaſtaſii Freherianis duobus, Ambroſianis tribus, Regio-Mazarino, Palatino-Vaticano, Thuano, Bergomenſi, Lucenſi, Corbejenſi, Farſenſi, Ceronenſi &c. Eugenio Pontificatus annos 2. Menſ. 9. dies 24. tribuendos oſtendit, incipiendoſque a die 10. Aug. an. 654, quo tempore S. Martinus in Naxo Inſula demorabatur. Contra tamen verius Baronius ad an. 652. n. 11, & ad

& ad an. 654. n. 6, Papebrochius in Conat. §. 77. pag. 191, Bencinus in Not. ad Anaſt. pag. 63. *Paſtoris* nomine, de quo S. Martinus in præcit. epiſt. 17, non Eugenium Rom. Pontificem, ſed Pyrrhum Conſtantinopolit. Patriarcham accipiendum arguens, & Blancus de polit., & poteſt. Eccl. tom. 6. pag. 75, & ſeq. Eugenium toto eo tempore, quod a ſua Ordinatione ad obitum S. Martini interceſſit, ideſt ab anno 654. die 8. Septemb. uſque ad diem 16. Septemb. an. 655, non niſi Vicarium Epiſcopum geſſiſſe exiſtimant, qui tamen extincto S. Martino, novo Cleri accedente conſenſu, verus, legitimuſque ſedere Pontifex cœperit uſque ad diem 2. Junii an. 657. Adi-ſis etiam Fleurium hiſt. Eccleſ. lib. 39. §. 9. Cæterum etſi moris eſſet, quem tum etiam exſilii ſui tempore ſervatum memorat S. Martinus in epiſt. 15. poſt diem 17. Septemb. an. 654, quo ipſe Conſtantinopolim appulerat, ad Theodorum exarata apud Labbæum pag. 65, & Harduinum pag. 676, ut Pontificis exſulantis, vel exſtincti vices gererent Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius, nihil impedit tamen, quin ab hoc aliquando diſceſsum more ſit, Eccleſiæ nempe neceſſitate urgente, ut ad graviſſima avertenda pericula, a Clero eligeretur, qui perſonam abſentis, vel defuncti Pontificis ſuſtineret: quo pacto in exſilium pulſis Liberio, & Martino deſignatos fuiſſe Felicem, & Eugenium ad ipſorum vices implendas fit veri valdequam ſimile.

Alteram componendæ difficultatis ingreſſi ſunt viam Baronius ipſe ad an. 357. n. 56, Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 9, Berninus hiſt. Hær. ad Seculum IV. cap. 7, Auctor Obſervat. hiſt. Crit. Theolog. in hiſt. Eccleſ. Fleurii tom. 1. lib. 14, aliique. Nempe id perſuaſum habentes, quod Liberio in exſilium ob fidem Catholicam deportato, Romanus quidem Clerus jurejurando prius ſe obſtrinxerit nullum ſe alium, Liberio in vivis agente, in Pontificem admiſſurum; quumque Arianorum opera, atque præſertim Acacii Cæſareenſis Epiſcopi, Felix in locum Liberii ſuffectus fuiſſet, quamvis ab Ariana hæreſi abhorreret, quia tamen Arianis communione ſe conjunxiſſet, cum ipſo Romanorum Catholicus nullus jungi Sacrorum conſortio voluerit; fieri potuiſſe tamen poſtea arbitrantur, ut poſt biennium lapſus Liberius

rius Romano Clero, cui interea Felicis integra fides perſpectiſſima evaſerat, locum fecerit, ut mutata ſententia, Liberio Pontificia abrogata dignitate, ad Felicem utroque ſe conferret pede, ex quo perinde Felix tanquam legitimus Pontifex haberi, colique cœperit. Porro Liberius, quamvis ab hæreſis labe immunis prorſus interius abiret, ut plurimis demonſtratum eſt, hæretici tamen nomine haberi idcirco potuit, quod Arianorum fœdere ſe polluiſſet; quod a S. Athanaſio, cujus cauſſa fidei affinis admodum erat, communione ſe ſeparaſſet; quod Semiarianorum Ecthesi Sirmienſi, & Antiochenæ ſubſcripſiſſet: ut propterea cenſeri potuerit a Catholicæ Eccleſiæ communione ſe ultro abſtraxiſſe, ſchiſmateque conflato a Chriſtifidelium unitate ſe voluntarie divulſiſſe, atque proinde Eccleſiæ Caput eſſe deſiiſſe. Et certe in cauſſa hæreſis, aut ſchiſmatis Pontificem notorie, palamque ſchiſmaticum, aut hæreticum Pontificatu excidere, & ab Eccleſia Pontificatu vel amoveri poſſe, vel exciſum pronuntiari non infimi ſubſellii Theologi adfirmant. Ea propter Liberio delapſo, aut depoſito, Felix legitime ei ſuffici potuiſſe videbatur, qui proinde ab eo tempore, quo Liberii lapſus conſignari ſolet, ideſt ab an. 357. uſque ad an. 358, Pontificatu defungi letime potuerit. Quo tandem tempore Liberius Romam regreſſus, ac reſipiſcens, Felice vel ſponte ſe Pontificatu abdicante, atque ad privatam vitam in prædiolum ſe recipiente, vel, ſi malis, Martyrio non multo poſt, Arianis procurantibus, affecto, Liberius, inquam ex novo Cleri, Populique conſenſu, cui probe integra ipſius fides perſpecta jam fuerat, Pontificatum iterum conſcenderit, quem ad an. 366. diem 24. Septemb. juxta Blanchinium in Not. ad Anaſt. tom. 3 pag. 16, vel ad an. 367. diem 5. Septemb. juxta Baronium ad eumdem an. n. 2, quem emendat ibidem Pagius n. 2, vita protracta adminiſtrarit, poſtquam ob integratam cum S. Athanaſio communionem, ob damnatam Sirmienſem tertiam Ecthesim in Synodo Ariminenſi reſtitutam, & ob Nicænam fidem ſuo fortiter redintegratam loco, diverſam, adverſamque fuiſſet ab Arianis fortunam expertus, juſſuque Conſtantii ab Urbe expulſus an. 359. juxta Baronium uſque ad an. 361, ideſt obitum Conſtantii, aut an. 358. die 10. Martii poſt Menſes 7. dies 9.

dies 9. a redita numeratos, juxta Blanchinium pag. 16, (qui tum Liberio Pontificatu cedente, legitimis ſuffectum votis Felicem eodem an. 358. die 8. Auguſti dignitatem tenuiſſe uſque ad diem 11. Novemb. ſeq. an. 359. autumat) uſque ad an. 359. die 21. Decemb., quo Liberium ſecundo ad Pontificatum aſſumptum exiſtimat, fatis functus anno, dieque, quo ſupra, velut habent S. Hieronymus in Martyrologio, atque Martyrologium antiquum S. Cyriaci ad diem 23. Septemb.

Tertia, quæ mihi quidem probabilior videtur, aptiorque enodandæ difficultati ſe aperit ratio, quam ultro citroque amplectuntur Perronius in reſp. ad Regem Angl., Henſchenius in Append. tom. 3. April., Boſuetii Annotator ad lib. 14. cap. 34, Pagius Jun. in Felice II, Cavalcanti in Vindic. Rom. Pontif. lib. 3. diſſert. 9, Roncalia in Animadv. ad Natalem diſſert. 32. art. 3, aliique perſuaſum habentes, quod Liberio tres poſt annos ab inito Pontificatu in exſilium exturbato, ejuſdem conſilio, & conſenſu, a Clero Romano ejus in locum S. Felix fuerit ſubrogatus, ab anno ideſt 355. ad an. 358, totidem ſcilicet annos, quot a Liberio occupata pridem fuerat Sedes. Vel, ſi velis, Arianis agentibus, illum ſibi propitium futurum putantibus, Felicem inauguratum fuiſſe Pontificem facultatem putandi ultra tibi facient, ita tamen, ut ejuſdem inaugurationi Liberius conſenſum accommodaſſe ſuum putetur, ea ratione permotus, quod in gravi Eccleſiæ diſcrimine, ne videlicet Eccleſiæ Romanæ Pontificem Ariana pece a capite ad talos inquinatum præfici nefaſte contingeret, Felicem præ aliis, utpote qui probatiſſimæ fidei ſibi compertus, gratiaque conjunctiſſimus erat, eoque quin etiam conſilio, quod ipſius electioni Conſtantium, Arianoſque repugnaturos haud fore, falſa opinione de Felicis fide ductos, quem facilioris animi reputabant, neque ſecum adeo gravate fore communicaturum, perſuaſum haberet, præfici, ſufficique ſibi pati oporteret, eoque libentius ſit paſſus, quod nondum inordinato retinendi loci affectu teneretur. Ita S. Euſtathius Antiochenus ſua ab Eccleſia fugatus omnino judicavit non reſiſtendum vi majori, quæ alterum ſibi Epiſcopum ſubſtituere deſtinaſſet, etiamſi a ſuſpectis Epiſcopis, & ip ſe ſuſpectus ordinandus eſſet, periculoſius

losius existimans Ecclesiam sine Episcopo remanere, aut sui caussa in Schisma discindi. Qua de re fuse Baronius ad an. 324. n. 144, & seqq., Pagius ibidem n. 26, & seqq., Tillemontius tom. 7. in Not. ad S. Eustathium, Boschius in hist. Chron. Patriarch. Antioch. §. 24. pag. 346, & seqq, & Sollerius ad diem 16. Julii. Agendi ratione haud absimili cum Maximo Cynico usus legitur S. Gregorius Nazianzenus, Sedi Constantinopolitanæ sponte cedens, eumque illi suo loco præfici passus potius, quam illa in partes, ipso obnitente, divideretur. Quo de egregio pacis studio plurima ipsemet in Carmine de vita sua, Theodoretus lib. 5 hist. Eccl. cap. 8, Cardonus tom. 2. ad diem 9. Maji pag. 436, & seqq., & Cuperus in hist. Chronolog. Patriarch. Constantinopolit. in Parergo 1, & §. 9. pag. 568, ac seqq. Hac igitur haud dispari de caussa Liberius juri cessisse suo, seque Pontificatu abdicasse præsumendus est, dum Felicis ordinationi consensum præbuit, adeoque ut soluto Liberio præstito juramento, legitimis Cleri votis in ejus vacantem locum Felix assumi potuerit. Quamquam ex Clero, Populoque, ut fieri solet, plerique non defuerint, qui Felicis ordinationi obluctati sint, ut pote quem partium Arianarum fautorem inficiarentur; cui postmodum tamen, integra ipsius fide perspecta, atque vicissim Liberii a fide delapsu percepto, ab iisdem paritum est. Postremo Romam regresso Liberio, perlectisque in Circo litteris Constantii, quibus præcipiebatur, ut a Liberio, & Felice una simul ex æquo administraretur Ecclesia, audita tum vox Populi uno conclamantis ore apud Theodoretum lib. 2. cap. 17: *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus*. Igitur forte ipse Felix sponte se Pontificatu abdicavit, in prædiolum secedens, Deo, sibique deinceps vacaturus, quod significare videtur Philostorgius lib. 4. cap. 3 de eo inquiens: *Episcopi quidem dignitatem retinens, sed nulli jam Civitati præsidens*: ne scilicet Schisma in Ecclesia crearet, vicemque Liberio rependens, qui locum sibi reliquerat. Forte ab Arianis, quibus infensus jam venerat, ideo quod Nicænæ fidei addictissimus illorum spem fefellisset non modo, sed illis fœdere jungi summopere aversaretur, in Urbem Cærem raptus, ibidem Martyrio fuit affectus; atque ipsius demum Corpore translato ad

Basi-

Basilicam SS. Cosmæ,& Damiani, Reliquiarum pars quædam, ut dixi|jam, Ecclesiæ S. Pudentianæ concessa fuit. Forte a Clero, Populoque Romano rei veritate demum comperta,videlicet a Liberio contra fidem Nicænam nihil subscriptum, fuisseque peccatum, Felix,qui Arianorum communione se aliquando polluerat, e gradu deturbatus,Urbeque fuit expulsus. Igitur Liberius Felice aut exturbato,aut morte defuncto, aut cedente,aut Martyrio sublato,inauguratus denuo Pontifex est,Pontificatumque gessit usque ad obitum, idest iterum per annos ferme 7, ideoque usque ad an. 366. juxta Eusebium, V. Bedam, Ciacconium, Pagium, Coutantium, & Blanchinium, etsi Baronius, Spondanus, Victorellus, & Sandinus usque ad inseq. an. 367. extendant. Ejus memoria cum in Synaxariis, ac Menæis Græcorum ad diem 27. Aug., tum in Catalogis, & Martyrologiis ad 8. Kalend. Octob. veluti S. Pontificis recolitur. Atque de implicatissima hacce Liberii, & Felicis historia jam satis, superque.

DE SS. INNOCENTIO I, ZOSIMO, SIXTO III, LEONE M., GELASIO I, ET ANASTASIO II.

§. IV.

MIrari satis non subit, quanta S. Innocentius I. Pontifex alioqui, siquis alter, quò avitæ Religionis, ac Disciplinæ retinentior, eó a novitatibus inducendis aversior, temeritate in gemini erroris culpam vocetur. Primo nempe, quod in Epistola 2. ad Victricium Rotomag. cap. 12. in Collect. Dionys., Hadrian., Isidor., & Hispan. statuerit Deo Sacratam Virginem jam velatam (Velata autem Virgo appellabatur, quæ integritatem publico testimonio professa, a Sacerdote prece fusa benedictionis velamen acceperat, veluti loquitur S. Siricius in epist. 10. ad Galliar. Episcopos cap. 1, cuique similia pridem habuerat Liberius Papa in serm. ad Marcellinam Sororem suam apud S. Ambrosium lib. 3. de Virgin. cap. 1: velamen autem Virgo accipere olim ante annum ætatis 40. vetabatur a Conciliis Cæsaraugustano an. 381. Can. 8, & Agathensi an. 506. Can. 19. relato a Gra-

Gratiano Can. 13. *Sanctimoniales* 20. Q. 1, ſed perperam ex Concilio Carthag.; quod poſtea tempus limitatum fuit ad an. ætatis 25. a Conciliis Carthaginenſi III. an. 397. Can. 4, Milevitano II. an. 416. Can. 26, ſive Cod. Can. Eccleſ. Afric. Can. 126, Arelatenſi II. an. 452. Can. 52, Francofordienſi an. 794. Can. 46, Turonenſi III. an. 813. Can. 28, & Capitulari Aquiſgranenſi Ludovici Pii an. 816. cap. 26.) quæ propoſiti pœnitens nupſerit poſtea, vel fuerit fornicata, nequaquam recipiendam fore ad pœnitentiam, donec in vivis ille ageret, cum quo peccati labe ſe coinquinavit. En Innocentii verba: *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & a Sacerdote velari meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de Mundo receſſerit,* ut habent Collect. Dionyſ., & Hadrian., ſive *De hac vita receſſerit*, uti legitur in Codic. Colbertino Langob., Iſid., & Hiſp. Iniquum vero videtur Virgini pœnitentiam aut petenti, aut peragenti denegari vel pœnitentiam; vel abſolutionem, donec vixerit ejuſdem criminis conſors. Ex eo autem Canone id etiam exſculpit Tillemontius in Annot. ad S. Innocentium art. 12. juxta Eccleſiæ Romanæ diſciplinam veterem Conjugium ſolemni Virginum conſecratione non iviſſe ſolutum, etſi S. Baſilio alia ineſſet ſententia, aliaque diſciplinæ ratio apud ipſum invaluiſſet. Quin imò exinde S. Innocentio obtrectandi licentia arrepta projecti pudoris Proteſtantes, inter quos Pictetus Theolog. Chriſt. lib. 14. cap. 38, & poſt ipſum Franciſcus Bruys hiſt. Rom. Pontif. tom. 1. pag. 162, & ſeq. Pontificem propriæ auctoritatis fines prætergreſſum, Cœlibatus legibus adeo arcte Puellas obſtringendo, effutire non erubeſcunt, affirmare nec veriti Virgines Deo ſacras continentiæ voto arcte non adeo obligari, quin ſponte quidem ſua a propoſito reſilire poſſint; atque hanc libertatem quidem præoſtendi in veteris Eccleſiæ diſciplina, etiamque num præſumi ex nova Evangelica lege. Atque ita appoſite utique ad Proteſtantium ingenium, qui Eccleſiæ, morumque reformationem meliori altera inducere ratione neſciere, niſi eam ad Epicurri diſciplinam exigerent.

Alterius in erroris ignominiam arceſſitur S. Innocentius, quod

quod nempe in Epist. 18. edit. Concil. ad Alexandrum Episcopum Antiochenum cap. 3. de Arianis agens, eorumdem Baptismum ab eorum Ordinationibus distinguens, sicut illum ratum, & validum, sic istas vicissim nullas, & irritas declararit verbis hisce: *Non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut Ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. perficitur, nec S. Spiritum eos habere ex illo Baptismate, illisque Mysteriis arbitramur: quoniam quum a Catholic fide eorum Auctores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt. Nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius, quam fidem dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri potest, ut eorum profanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum Laicos imperfectos, ut dixi, ad Spiritus S. percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?* Quorum simillima repetit in Epist. 22. edit. Concil. ad Episcopos Macedoniæ, ubi cap. 3. de Clericis ab hæreticis ordinatis generatim agens propria, quæ S. Cypriani olim fuerant, verba facere non dubitat, sic effatus: *Quum nos dicamus ab Hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput; & ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, ut possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit: atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus... Sed e contrario asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquod accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Aquiescimus, & verum est &c.* Et Cap. 5. de Ordinationibus distincte loquens a Bonoso Episcopo olim Sardicensi, ac per Illyricum Photinianæ hæreseos propagatore impie peractis, nullas, irritasque easdem decernit sic loquens: *Ad summam certe, qui nihil a Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod de his nulla fuerat regulari ratione concessum.* Atque ita quidem apud Jo. Sbaraleam in disput. de pravorum Ordinat. cap. 8. n. 12, & seqq. de invalidis Aria-

Arianorum Ordinationibus S. Innocentii locum in epiſt. 18. ad Alexandrum Antioch. interpretatus fertur S. Petrus Damiani in Opuſc. 6. pro Simoniacis cap. 22; deque invalide collatis a Bonoſo Ordinibus ejuſdem Pontificis locum in Epiſt. 22. ad Macedoniæ Epiſcopos acceptum fuiſſe ab Auctore Epiſtolæ 5. de Chorepiſcopis S. Damaſo tributæ apud Harduinum tom. 1. pag. 770, a Leone III. in epiſtola ad Epiſcopos Synodi Ratiſponenſis ann. 803, & ab ipſa Synodo relata inter Capitularia Caroli M. lib. 7. capit. 187. tit. 4. de Chorepiſcopis apud Harduinum tom. 4. pag. 948, a Synodo Sueſſionenſi II. an. 853. adverſus Ebbonis ordinationes Act. 4. apud eumdem Harduinum tom. 5. pag. 50. contenditur. Atque ita omnino Innocentianum accipiendum teſtimonium inde confirmatur, quod ſiquidem Bonoſiani Paulianæ Sectæ germen eſſent, teſte Vigilio in Conſtituto pro tribus Capit. apud Harduinum tom. 3. pag. 39, fuiſſe quoque Bonoſianos Photinianorum Gregales tradat Gennadius Maſſil. de Script. Eccleſ. in *Audentio*, Photinianos vero a Paulianis non diſcernant Ruffinus lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 6. edit. Cacciari tom. 2. pag. 16. ex Concilio Nicæno Canonem 21. allegans hiſce verbis: *Ut Paulianiſtæ, qui ſunt Photiniani, rebaptizentur*, & Concilium Arelatenſe II. an. 452. Can. 16, quum ex Nicæno Can. 19, & Arelatenſi mox cit. Can. 16. Paulianorum Ordinationes, ſicut Baptiſmum, invalidas fuiſſe liquido conſtet, de invalidis proinde Bonoſianorum Ordinationibus ut loquutus ſane S. Innocentius I. fuerit, inde neceſſario conſequi concluditur.

At enim, ut iis veri quædam ineſſe ſpecies videri poſſit, inania eſſe tamen iſta, nec abſque injuria appingi S. Innocentio, atque longe rationem eos fugere, qui fucum iis facere inſtituunt, eo facilius, quo evidentius demonſtrandum aſſumo. Atque quod ad 1. loco objectum attinet, non inficias ibo equidem alicubi, ut in Africana Eccleſia, & Hiſpanica, & Gallicana ſeveriorem aliquando, arctioremque viguiſſe diſciplinam, cujus haud obſcura veſtigia deprehendere licet apud S. Cyprianum in epiſt. 52. ad Antonianum, ac in Conciliis Eliberitano Can. 6, & ſeqq., & Arelatenſi I. Can. 22, juxta quam ejus genus criminibus talis imponebatur pœnitentia, ut eſſe propemodum abſque expiatione vide-

viderentur; quin etiam hujuſmodi durioris, rigidioriſque diſciplinæ ſpeciem obtinuiſſe in Eccleſia Mediolanenſi, atque ſub hac ætate in Romana ipſa Eccleſia adpareat ex S. Ambroſio lib. de lapſu Virginis conſecratæ cap. 8. n. 38, ubi ſic eam alloquitur: *Inhære pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humana die veniam dari; quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim propriè in Dominum peccaſti, ab ipſo ſolo te convenit in die Judicii expectare remedium*; atque ex ipſo S. Innocentio in epiſt. 3. edit. Concil. ad Exſuperium Toloſ. cap. 4, ubi de adulteris Mulieribus a viris ſuis ad Sacerdotes delatis loquens: *Ideo*, inquit, *Mulieribus, prodito earum crimine, Communio denegatur.* Univerſim tamen, atque in Eccleſia præſertim Romana, etſi denegaretur Communio, ad huc tamen pœnitentiæ factum locum fuiſſe liquido patet ex eodem S. Innocentio in mox cit. epiſt. ad Exſuperium cap. 2, ex Clero Rom. in epiſt. 3. ad S. Cyprianum, ex S. Hieronymo in epiſt. 11. ad S. Damaſum edit. Cout., ex S. Cæleſtino in epiſt. 11. edit. Concil. ad Epiſcopos Provin. Vien., & Narbon. cap. 2, & ex S. Leone M. in epiſt. 108. edit. Ballerin. ad Theodorum Forojul. cap. 2, & ſeqq. Atque ita intelligendum locum illum S. Innocentii in epiſt. ad Victricium cap. 12, ideſt ut Virginibus Deo dicatis, præſertim vero, ubi peccandi periculum continuo immineret, difficile quidem pœnitentia, ob indiſpoſitionem, concederetur, non etiam ut penitus denegaretur, evidenter oſtendunt ii ipſi, ad quos S. Innocentii Reſcriptum fuerat directum, Epiſcopi Gallicani. Nam in Concilio Valentino an. 374. Can. 2, in Arelatenſi II. an. 452. Can. 52, in Aurelianenſi V. an. 549. Can. 19, in Turonenſi II. an. 567. Can. 20, in Matiſconenſi I. an. 581. Can. 12, & in Duziacenſi II. an. 874. Can. 6, allegata S. Innocentii auctoritate in præcit. Epiſt. ad Victricium, Virgines Deo dicatas Communione quidem privandas, pœnitentiæ locum tamen eiſdem non denegandum decreviſſe leguntur. Atque hanc juxta S. Innocentii mentem Patres præterea Concilii Toletani I. an. 500. Can. 16, relato a Gratiano Can. 27. *Devotam* 27. Q. 1, Toletani IV. an. 633. Can. 55, & Toletani VI. an. 638. Can. 6. lapſis Virginibus Deo ſacris, ubi pœnitentiam egiſſent, Communionem in vitæ extremo indulgen-

dam duxerunt. Quin etiam ipſemet expreſſe S. Innocentius I. Can. 1. inter eos, quos ſub nomine Synodi Romanorum, ſive Epiſtolæ Synodicæ ad Gallos Epiſcopos ex tribus Exemplaribus Tiliano, Pithœano, ac Foſſatenſi deſcripſit, ipſique tribui Innocentio poſſe jure conjecit Sirmondus, quoſque deinde ad gemini, & antiquiſſimi Colleg. Pariſ. Codicis fidem exegit Harduinus tom. 2. pag. 1031, de Virgine velata propoſitum non ſervante loquens, eidem poſt emiſſum ſolemne Continentiæ votum lapſæ pœnitentia expiandi flagitium locum adhuc facit: *Annis quamplurimis*, inquiens, *deflendum ei peccatum eſt, quo dignæ fructu pœnitentiæ facto, poſſit aliquando ad veniam pervenire*. Sed & S. Zacharias P. M. in epiſt. 7. ad Pippinum Majorem Domus apud Harduinum tom. 3. pag. 1904. & cap. 20. præm. S. Innocentii verbis ad Victricium deſcriptis, cap. 26. prolato S. Siricii decreto, lapſis Virginibus, etſi Deo dicatis, longa pœnitentia defunctis, ex humanitate Communionis gratiam, in morte ſaltem, largiri poſſe decernit.

Neque vero magis recte inde ſubinfertur a Tillemontio Eccleſiæ olim Romanæ ritu, ſolemni Caſtitatis voto in irritum minime iviſſe Matrimonium, atque ab S. Innocentio Sacrarum Virginum Conjugia improbata quidem, diſſoluta non etiam, conficitur. Enim vero in eadem Epiſtola, eodemque ipſo Cap. 12. S. Innocentius jubet par ferendum de Virginibus Deo dicatis judicium, quæ poſt emiſſum votum Matrimonio ſe junxerint, atque de Mulieribus Matrimonio copulatis, quæ priori vivente Viro, cum altero conjugium iniverint, ut neutri nempe pœnitentiæ licentia concedatur, donec peccati conſors vita fuerit functus. Atqui peſſime quis argueret inde ſecundo Conjugio primum diſſolvi in ſententia S. Innocentii; igitur perperam inde paritet infertur Conjugium voto Caſtitatis ſolemni non infringi. S. Innocentii ſententiam illuſtrant, atque bono in loco, apertiſſimoque collocant prælaudata Concilia Toletanum I. Can. 16, & 19, Arelatenſe II. Can. 52, Aurelianenſe V. Can. 19, Turonenſe II. Can. 20, Matiſconenſe I. Can. 12, Toletanum IV. Can. 55, Toletanum VI. Can. 6, & Duziacenſe II. Can. 6., ubi Sacrarum Virginum conjugia irrita proculdubio, atque S. Innocentii quidem decreto, intelligunt, & declara-

clarant. Quin etiam Turonenſe eodem loci apud Harduinum tom. 3. pag. 362. S. Innocentii laudaſſe decretum haud ſatius habuit, ſed & laudare non abſtinuit cum L. 2. Cod. Theod. tit. 25. *de Raptu*, qua Jovinianus Imp. edicit: *Si quis non dicam rapere, ſed attentare, Matrimonii jungendi cauſsa, ſacram Virginem auſus fuerit, capitis ſententia feriatur*; tum Legem olim Ethnicis ipſis ſacram, juxta quam Virgines Deæ Veſtæ ſacratæ, quæ poſtmiſſo propoſito, Virginalis pudicitiæ gratiam fœdaſſent, jacturamque feciſſent, capitali ſententia, alta in humo defodi abſque miſericordia debebant. Quibus ſi jungas, quæ paſſim de laude, & obligatione Virginalis, aut Vidualis etiam Caſtitatis Deo voto nuncupatæ habent Patres Nicæni Can. 79. Arabico de Diaconiſſis, quas ſacra Continentiæ lege obſtrictas videre licet apud Aſſemanum Bibl. Orient. tom. 3. par. 2. cap. 13. §. 10, Concilii Carthaginenſis IV. Can. 104, S. Baſilius de vera Virginit. circa medium, & in epiſt. 17, S. Ambroſius in lib. de Virgin., Euſebius lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 17, S. Jo: Chryſoſtomus hom. 8. in S. Matth., S. Hieronymus in lib. adverſ. Jovinian., & S. Auguſtinus in Pſal. 99. ſub finem, habebis profecto, quibus Croxæo, Picteto, Brujo, &c. impudentiſſimis Virginalis continentiæ obtrectatoribus duriſſimum os obſtruatur.

Ad ea nunc accedendo, quæ ex S. Innocentii I. Epiſtolis 18. ad Alexandrum Antioch., & 22. ad Epiſcopos Macedoniæ ſecundo objecta ſunt loco, graviorem, fateor, hinc de Sacrarum Ordinationum validitate difficultatem oriri, quam data heic opportunitate dirimere oportet, quandoquidem in eumdem quoque errorem Pontifices alii longe plures rapi ſolent. Ita enim S. Innocentius I, uti dictum eſt, a Bonoſo Ordinationes peractas irritas declaraſſe contenditur. Atque ita poſt ipſum S. Zoſimus in epiſt. 5. ad Galliar., & ſeptem Provin. Epiſcopos *Sacerdotio carere* declarat, qui abſque Metropolitæ Arelatenſis conſcientia ordinaſſet, fuiſſetque ordinatus; atque ideo ordinatos a Proclo Maſſil. *Suſcipi nullatenus poſſe* in epiſt. 10. ad Patroclum Arelat., & Proclum ab ſe damnatum non amplius Epiſcopum eſſe ſcribens in epiſt. 11. ad Clerum, & Plebem Maſſil. Ita S. Leo M. in epiſt. 92. edit. Queſn. 2. Baller. 167. cap. 1. ad Ruſticum Narbon. inter *Epiſcopos haberi* prohibuit,

qui nec a Clericis electi, nec a Plebibus expetiti, nec a Provinciæ Episcopis cum Metropolitæ consensu fuissent consecrati. Ita S. Felix III. in libello Synodico ad Zenonem Imperat. contra Acacium transmisso Ordinationes a Petro Moggo, & a Timotheo Æluro peractas, ut pote ab hæreticis, *Illicitas, & irritas* ab Acacio rite judicatas asserit; quod & repetit in Tractatu olim S. Gelasio adscripto, nempe ab hæreticis ordinatum Moggum *Episcopalis dignitatis substantiam* non accepisse. Ita Pelagius I. in epist. 2, 3, & 4. ad Narsem Patricium, & apud Gratianum Can. 44. *Quali nos* 23. Q. 5, Can. 33. *Pudenda*, & Can. 34. *Schisma* 14. Q. 1. Schismaticos Episcopi nomen, non honorem, nec meritum habere denuntiavit; quin etiam subjungens: *Non est Christi Corpus, quod Schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur*. Ita S. Gregorius M. lib. 3. epist. 15. ut is, qui sua absque consecutia a Dalmatiæ Episcopis Salonitanæ præfectus fuisset Ecclesiæ, *Nec habeatur Episcopus*, edixit; eodem lib. 3. epist. 26. ad Januarium Calarit., & lib. 4. epist. 5. ad Venantium Lunensem eos, qui post Ordinationem Cælibatus legem infregissent, atque incontinentiæ flagitio se inquinassent, *Sacro Ordine carere*, sive *Ad Sacrum Ordinem revocari nec debere, nec posse* decrevit. Ita S. Martinus I. in epist. 5. ad Johannem Philadelph., & 11. ad Ecclesias Antiochenam, & Alexandrinam, utriusque Ecclesiæ hujusce pervasores Monothelitica hæresi a capite ad talos asperfos Macedonium, ac Petrum *Episcopatus sibi falso nomen* affinxisse, ac *Sacerdotii fictam ipsis appellationem* fuisse impositam affirmare non dubitavit: non secus atque *Ordinationes vacuas* in Concilio Lateranensi an. 649. Can. 20, quas celebrare hæretici attentassent. Ita Stephanus III, aliis IV. Romæ Synodo an. 769. habita apud Holstenium Collect. Rom. pag. 257, Dacherium Spicileg. tom. 2., & Cennium edit. Rom. 1735. pag. 11, & seq., atque ex ipso apud Mansium Suppl. to. 1. pag. 648. sancivit, ut Episcopi a Constantino pseudo-Pontifice ordinati *Consecrationem ab Apostolico suscipiant, ac si prius fuissent minime ordinati*. Atque præterea, quæcumque in sacris Officiis ab eodem pseudo-Pontifice fuissent peracta *Præter tantummodo Baptismum, omnino iterentur*. Quorum simillima habet Anastasius tom. 1. edit. Blanchinii §. 96. pag. 183, & seq., ubi de Episcopis

copis a Conſtantino ordinatis loquens a Concilio ſancitum ait: *Ut Epiſcopi illi . . . ſi placabiles fuiſsent . . . denuo facto decreto electionis . . . ab eodem Sanctiſſ. Stephano Papa benedictionis ſuſciperent Conſecrationem*. Quod perinde circa Presbyteros, & Diaconos ab eodem pſeudo-Papa ordinatos ſervari decretum ſubjungit, ac demum: *Ut omnia, quæ iſdem Conſtantinus in Eccleſiaſticis Sacramentis, ac Divino cultu egit, iterari debuiſſent, præter Sacrum Baptiſma, atque Sanctum Chriſma*. Ita S. Nicolaus I. in epiſt. 10. ad Clerum Conſtantinopolit. n. 6. de Photio a Gregorio Syracuſano pſeudo-Epiſcopo verba faciens: *Igitur*, inquit, *nihil Photius ex Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit*. Quibus plane, ut præſeferunt verba, invalidam Photii Ordinationem indicare videtur. A quo nec videtur ſententia diſsentire Hadrianus II. in epiſt. ad Baſilium Imp. Act. 1., & ad Ignatium Conſtantinop. Act. 3. Synodi VIII. inſertis, ubi facta Photii mœchi comparatione cum Maximo Cynico, Epiſcopatus honorem edixit *Nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum*. Atque ideo Epiſcopalem dignitatem fruſtra aliis a Photio, atque *uſurpative*, & *ficte* datam fuiſse ſubjungens: *Quia Photius . . . nihil habuit, præter damnationem, quam ſe ſequentibus propinaverit*. Ita Iohannes VIII, poſtquam in epiſt. 103. edit. Harduini ad Carolum Craſsum Regem ſignificaſſet Anſpertum Mediol. ab ſe gradu dejectum, ab eo in Vercellenſem Epiſcopum ordinatum Joſephum *Ab Ordine Epiſcopatus* pariter depoſitum, locoque ab ſe conſecratum, Eccleſiæque Vercellenſi præfectum Conſpertum, in epiſt. 112. ad Anſpertum Mediol. ejuſdem Regis opera priſtinæ dignitati reſtitutum, eidem indulſit, ut præfatus Joſephus, *Qui nihil ab Ordinatore prius acceperat, nova electione, vel ordinatione in Epiſcopum crearetur*, atque præficeretur Eccleſiæ Aſtenſi. Ita Stephanus VI, aliis VII, teſtibus Sigeberto in Chron. ad an. 902, atque Luitprando Ticinenſi lib. 1. cap. 8. apud Muratorium tom. 2. Script. Ital. pag. 430, Synodo an. 897. Romæ celebrata in Formoſum deceſſorem ſuum deſæviens, cunctos, quos ille ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit. Cujus veſtigiis deinde hærens Sergius III., uti ſcribunt Anxilius Presbyter lib. 2. cap. 12, & Sigebertus ad an. 907, Synodo ſimiliter

liter coadunata Ordinationes a Formoſo celebratas irritas, & inanes decrevit, in eoſque, qui ab illo ordinati ſacra Munia obire auſi fuiſſent, excommunicatione animadvertit. Ejuſmodi errata Stephani VII, & Sergii III. Boſſuetius defenſ. declar, par. 2. lib. 14. cap. 31. exagitare, urgere, & amplificare non abſtinuit exemplo Auxilii, qui a Formoſo ordinatus, etſi a Sergio exauctoratus, in Miniſterio ſtare non dubitavit, aliiſque, ut ſtarent, auctorem ſe dedidit ea de cauſſa, quod Pontifici a recta deflectenti parendum haud eſſet; ideoque Conciliigeneralis judicium deſiderans ſuperbis hiſce verbis cap. 40, & in Dialog. capp. 29, 30: *In Sacro Ordine, quo conſecrati ſumus, permanentes, præſtolamur univerſalis Concilii æquiſſimum examen*. Ita Agapetus II. in epiſt. ad Leonem, & Benedictum ſimoniace, ac fraudulenter in Eccleſias Triventinam, & Termolenſem intruſos, apud Ughellum Ital. Sac. tom. 8. pag. 51, & Manſium Suppl. tom. 1. pag. 1126. eoſdem *Irrationabiliter* ordinatos, *furtive, ut Fures, & Latrones, irrupiſſe, & indebite Epiſcopale miniſterium uſurpaſſe* ſcripſit; quos ideo anathemate perculſos *Epiſcopale aliquod officium peragere* vetuit. Ita Johannes XII. in Synodo Romana an. 964. Act. 3. de Ordinatis a Leone VIII. pſeudo-Pontifice agens, *Eos*, inquit, *Apoſtolica, atque Canonica auctoritate, & Synodali decreto in priſtinum revocamus gradum: quia Ordinator eorum nihil ſibi habuit, nihil illis dedit*. Quod decretum exemplo communivit deceſſoris ſui Stephani VII, a quo ordinati a Conſtantino pſeudo-Papa fuerant iterum conſecrati. Ita S. Leo IX, teſte S. Petro Damiani in Opuſ. 5, ſive epiſtola de ſuis apud Mediolanum actis, pleroſque Simoniacos, maleque promotos *tanquam noviter ordinavit*, atque univerſim Simoniacas ordinationes ſimoniace peractas ſuſtulit, irritaſque eſſe juſſit, eodem referente in Opuſc. 6, ſive epiſt. ad Henricum Raven. cap. 35. Cui decreto cohærenter a Nicolao II. in Synodo Roman. an. 1059. ſancitum, ut Simoniaci a Simoniacis Simoniace ordinati *Nihil penitus deberent ex ea promotione lucrari, & ſic miniſtrandi jura deponerent, tanquam ſi hæc nullatenus percepiſſent*, auctor eſt locuples, qui eidem Synodo interfuit, prælaudatus S. Petrus Damianus in Opuſc. 30, ſive in Epiſt. ad Florentinos cap. 1. Juxta quæ inter Nicolai II. decreta apud Baluzium Miſcell. tom. 7. pag. 67.

pag. 67, & in noviſſ. Concil. Collect. tom. 12. hæc habentur n. 8: *Ut Eccleſiæ per pretium a Simoniacis conſecratæ denuo conſecrentur*: & num. 9. *Ut Presbyteri, & omnes a tempore Nicolai Papæ uſque nunc, & deinceps ſcienter ordinati a Simoniacis ſciant ſe non eſſe ordinatos; & deinceps non fiant*. Ita S. Gregorius VII. in Synodo Romana IV. an. 1078. in Decreto Ordinationes ab Excommunicatis celebratas SS. Patrum juxta ſententiam *irritas fieri* ſtatuiſſe legitur; in Synodo V. eodem anno Can. 4. Ordinationes pariter a Simoniacis peractas *Infirmas, & Irritas* dixit, & in Synodo VII. an. 1080. Can. 1. Inveſtituras de manu laica accipientes *Nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates haberi* decrevit. Cujus omnino ſimile decretum edidere deinde Victor III. in Concilio Beneventano an. 1087, & Paſchalis II. in epiſt. 22. ad Henricum V. Imper., Urbani II. etiam decreto allegato. Ita vero Urbanus II. in Synodo tam Placentina an. 1095. Capp. 2, 4, & 8, quam in Romana III. an. 2099. Can. item 2, 4, & 8. Ordinationes tam a Simoniacis ſimoniace, quam a Guiberto hæreſiarcha celebratas *Irritas eſſe, & nullas unquam vires obtinere* ſancivit. Sed & irritas, iterandaſque ſtatuit Ordinationes ab Excommunicatis, Schiſmaticis, & Hæreticis peractas. Nam in epiſtola ad Petrum Piſtor. Epiſcopum, & Ruſticum Valliſumb. Abbatem apud Gratianum Can. 24. *Daibertum* 1. Q. 7. Daibertum a Wezilone Epiſcopo Moguntino Simoniaco, Schiſmatico, & Hæretico Diaconum ordinatum iterum ordinavit: *B. Innocentii Papæ*, inquiens, *ſententia conſtat declaratum, quod Wezilon, quem conſtat ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus impoſuit. Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, & Damaſi P. teſtimonio roborati, qui ait*: Reiterari oportet, quod male actum eſt: *Daibertum ab hæreticis corpore, & ſpiritu digreſſum, atque utilitatibus Eccleſiæ pro viribus inſudantem, ex integro, Eccleſiæ neceſſitate ingruente, Diaconum conſtituimus. Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantum integram Diaconii dationem; quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit*. Ita Paſchalis II. in Epiſt. ad Gebehardum Conſtantienſem Epiſcopum apud Martenium Anecd. tom. 1. pag. 336, & Manſium Suppl. tom. 2. pag. 167. de poteſtate conficiendi Chriſma apud hæreticos ita loquitur, quaſi ſi nulla prorſus eſſet: *De confecto*

facto ab hæreticis Chrismate, vel Oleo ratio suggerit, ut pro Divinæ invocationis reverentia inter Ecclesiam debeat concremari. Ita Callistus II. in Concilio Lateranensi I. Can. 6. Ordinationes a Burdino pseudo-Pontifice, ab ipsoque ordinatis pseudo-Episcopis peractas *Irritas esse* decrevit. Quam perinde in sententiam ingressi Innocentius II. in Concilio Lateranensi II. Can. 30, & Eugenius III. in Remensi Can. 17. Ordinationes factas a Petro Leonis, aliisque schismaticis, & hæreticis infregere, & *Irritas esse* pronuntiarunt. Juxta quæ pariter Alexander III. in Concilio Turonensi an. 1163. Can. 9, ac Lateranensi III. an. 1179. Can. 2. Ordinationes ab Octaviano, a Guidone, & Johanne Strumensi, aliisque a Schismaticis ab ipsis ordinatis celebratas vi omni carere, & *Irritas esse* judicavit. Ita Lucius III. in Rescripto ad Archiep. Spalat. Cap. *Super eo* tit. de Bigamis Bigamos ordinandi *Potestate, & officio* Episcopos privandos, ordinatos vero in sacris Ordinibus *Remanere* non posse respondit. De quo præterea refert Robertus Flamesburiensis apud Morinum de Sacr. Ordinat. exercit. 5. cap. 1, quod ordinatos a Schismaticis *Reordinari*, atque ex Cardinalium quidem consensu, jusserit. Mitto alios plures, quibus eadem præponere sententia appingi solet.

Neque vero opinio hæc Rom. Pontificum adeo peculiaris fertur, quin Conciliorum, Patrum, Scriptorumque longe plurium etiam propria evaserit. Atque principio Apostolicos inter Canones, quipræclaro hocce circumferuntur nomine, Canon 62. edit. Herveti collatum ab hæreticis, acceptumque vel Baptismum, vel Ordinem nihil valere hisce declarat verbis: *Qui ab hæreticis Baptizati, & Ordinati sunt, ut Fideles, vel Clerici sint, fieri non potest*. Concilium Nicænum Can. 6. Episcopum ordinatum absque Metropolitæ conscientia *Episcopum esse non oportere* definit juxta vers. Dionysii, sive *Ordinationem irritam esse*, uti legit Can. 4. Ruffinus lib. 10. hist. Eccl. cap. 6. Can. 8. Clericis indulget, ut ordinati a Novatianis in Clero maneant *Impositionem manus accipientes*, ut habet Dionysius, sive ut habet Gelasius Cyzic., & ut reddidit Isidorus: *Ut ordinentur, & sic maneant in Clero*. Can. 16. in vers. Dionysii, & Gelasii Cyziceni, & apud Gratianum Can. 3. *Siquis* dist. 71. ab alieno Episcopo ordinati Clerici *Ordinatio irrita*

vita declaratur. In Epiſtola quoque Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam apud Socratem lib. 1. cap. 19, Theodoretum lib. 1. cap. 9, Epiphanium Scholaſt. lib. 1. cap. 12, & Gelaſium Cyzicen. lib. 2. hiſt. Concil. Nicæn. cap. 33. ſancivit, ut qui in Ægypto a Meletio Lycopolitano Epiſcopo Schiſmatico ordinati fuerant, nulli Eccleſiæ miniſterio adhiberentur, niſi prius *Sanctiore Ordinatione confirmati* fuiſsent Μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντες. Unde in vim hujuſce decreti Theodorus Oxyrinchi in Ægypto Epiſcopus Diaconos, & Presbyteros ordinatos ab Apollonio Meletianarum partium Epiſcopo iterum ordinaſse legitur apud Marcellinum, & Fauſtinum in libello precum. Quod argumentum tanti momenti viſum eſt, ut avide illud arreptum maxime adhibeant Valeſius in Not. ad Theodoreti loc. indic., Dupinius in Bibl. Cent. 4, & Binghamus Anglo-Calvin. in Origin. Eccleſ. tom. 2. ad ſuadendum Ordinationes Schiſmaticorum Eccleſiæ ſententia irritas eſſe, & inanes. Ab Antiocheno an. 341. Can. 13. *Vacuæ, & inanes*, velut vertit Iſidorus, ſive *Irritæ*, ut habet Dionyſius, declarantur Ordinationes, quas Epiſcopi in aliena Provincia celebrare præſumpſerint. Can. 19. Epiſcopi abſque Comprovincialium adſiſtentia, ac Metropolitæ conſenſu Ordinatio *Nihil valere*, ſive *Nullas vires* habere decernitur. Can. 22. *Irrita* pronuntiatur Ordinatio Presbyteri, aut Diaconi, quam in aliena Eccleſia Epiſcopus uſurpaſſet. Et Can. 22. prohibetur Epiſcopus, etſi morti proximus, ne ſibi ſucceſſorem deſignet: ita vero deſignati *Irrita ordinatio* decernitur. Sardicenſe Can. 19. ut ejus, qui ex aliena Parochia abſque proprii Epiſcopi licentia ordinatus fuerit, *Non ſit rata ordinatio* juxta verſ. Dionyſ., ſive ut reddidit Hervetus, *Irrita, & infirma exiſtimetur*, decrevit. In Epiſtola Synodica ad Eccleſ. Alexand. Gregorium *illegitime* ab Arianis in S. Athanaſii locum intruſum, *Revera nunquam pro Epiſcopo* habitum fuiſſe ſcripſit; atque ita quidem illum pro Epiſcopo a Patribus Sardicenſibus nunquam habitum confirmavit S. Athanaſius in epiſt. ad Solit. Et in Encyclica ad univerſas Eccleſias loquens de Gregorio, qui Alexandrinam, de Baſilio, qui Ancyranam, & de Quintiano, qui Gazenſem invaſerant Eccleſiam, *Neque nomen habere Epiſcopi*, addit Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 6. *Neque Chriſtiani*, declaravit. At-

que denuntians gradu detrusos Theodorum, Narcisum, Acacium, Stephanum, Ursacium, Valentem, Menofantum, & Georgium Arianæ Sectæ Antesignanos, *Judicavimus*, inquit, *non solum illos Episcopos non esse, sed neque Communionem cum fidelibus habere.* In Constantinopolitano I. Can. 3. aliis 4. de Maximo Cynico, qui Constantinopolit. in Ecclesiam irrepserat, definitum legitur eum *Neque Episcopum esse, vel fuisse; nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati* Clericatus gradum obtinere. A Concilio Regiensi an. 439. Can. 2. Armentarii Ebredunensis Antistitis Ordinatio a duobus dumtaxat Episcopis celebrata cum multiplici Canonum transgressione secundum Canones *Irrita* definita est, & *Evacuanda.* Et Can. 3. eidem aut Chorepiscopi nomen indultum, aut Peregrina dumtaxat Communio concessa, quæ juxta probabiliorem Albaspinæi, & Sirmondi opinionem reductio ad eum locum erat, & statum, quo poni solebant Clerici, qui Commendatitiis absque litteris peregrinabantur, qui etsi benigne excepti, Clericali tamen Communione interdicebantur, ullo sui Ordinis officio defungi prohibiti, de quibus vide-sis Card. Bonam rer. Liturg. lib. 2. cap. 12. In Turonensi I. an. 461. Can. 10. illicitæ Ordinationes, cujusmodi erant, quæ in aliena Provincia ab Episcopis peragebantur, de quibus super. Can. 9, *in Irritum* revocantur, *nisi satisfactione* compositæ fuerint. Aurelianense I. an. 511. Canone 10. cum Arianorum Ecclesias denuo *Consecrari* jubet, tum ab eis ordinatos Clericos ad Ecclesiam regredientes ab Episcopis *Cum impositæ manus benedictione* recipi indulget. Nihil hinc abludens Concilium Cæsaraugustanum an. 592. Can. 1. sancivit, ut Presbyteri ab Ariana Profeucha ad Ecclesiam se recipientes, si probatæ fidei, & castimoniæ fuerint *Accepta denuo benedictione Presbyterii* ad Sacrum Ministerium admittantur. Et Can. 3. pariter Ecclesias ab Arianis Episcopis consecratas denuo consecrari decrevit. In Hispalensi II. an. 619. Can. 3. decernitur, ut Clericus propriæ Ecclesiæ desertor *Cingulo honoris, atque Ordinis sui exutus* in Monasterium detrudatur. Et Can. 4. Bigamorum Ordinationes *In irritum* revocantur. A Toletano IX. an. 655. cap. 2. Rectorum, quos Ecclesiis Patronorum absque consensu præfecisent Episcopi, *Ordinationem irritam* declaratam legimus. Concilium

Ver-

Vermerienſe I. an. 753. Can. 14. Epiſcopis peregre ambulantibus Presbyteros ordinandi poteſtatem ademit, adeoque ut ejusmodi Ordinationes robore omni deſtituerentur: *Si autem*, ſubjungit, *boni ſunt illi Presbyteri, iterum conſecrentur*. De Ordinationibus ſive a Monothelitis, ſive a Conſtantino pſeudo-Pontifice celebratis a Synodis Romanis ſive an. 649. ſub S. Martino I, ſive an. 769. ſub Stephano III, aliis IV. abrogatis dictum ſuperius eſt. A Cabilonenſi II. an. 813. Can. 43. Presbyterorum, & Diaconorum a quibusdam Scotiæ, & Hiberniæ Epiſcopis Simoniaca labe, aliiſque erroribus laborantibus attentatam *Ordinationem irritam fieri debere ſancitum fuit*. In Concilio Sueſſionenſi II. an. 853. ſub Hincmaro Remenſi Act. 4. Ordinationes Ebbonis e gradu Epiſcopali depoſiti irritæ dictæ ſunt, ideo quod *Ab eodem, quod idem non habuit, nemo eorum* (qui fuerant poſt ipſius depoſitionem ordinati) *accipere potuit*. Et Act. 5. *Ut præter Sacrum Baptiſma, quod in nomine Sanctæ Trinitatis perfectum eſt, quidquid in Ordinationibus Eccleſiaſticis idem Ebbo egerat, irritum, & vacuum habeatur*, communi ſuffragio declaratum legitur apud Flodoardum lib. I. cap. 43. Photii, qui in Eccleſiam Conſtantinopolit. irrepſerat, Ordinationes irritas, & inanes Synodus VIII. Can. 4. decrevit, & declaravit. A Moguntino an. 888. Can. 14. Clerici alterius Diœceſis Ordinatio *Irrita* dicta eſt, quique ordinare præſumpſiſſet, Epiſcopus increpatione dignus judicatus Can. 15. Similia contra Ordinationes Formoſi decreta fuiſſe in Synodo Romana an. 897. a Stephano VI, aliis VII, atque contra Ordinationes Leonis VIII. pſeudo-Pontificis in Romana Synodo an. 963. a Johanne XII. ſancita paullo ſupra adnotare non deſtiti. Sic etiam in Synodo Romana altera ſub Gregorio V. an. 998. Can. 5. Stephanus Vellavenſis, nunc Anicienſis, ideo quod a Widone prædeceſſore ſuo adhuc in vivis agente, abſque Cleri, Populique voluntate, electus fuiſſet, atque a duobus dumtaxat Epiſcopis, neque Comprovincialibus, ordinatus, *Ut omni Ordine Sacerdotali careat*, ſancitum eſt. Concilium Bituricenſe an. 1031. Can. 11. nullius valoris eſſe Ordinationes eorum, qui e Presbyteris, Servis, & Collibertis procreati fuiſſent, decrevit: *Quia*, inquiens, *irrita eſt, & illicita Ordinatio, ſicut SS. Patres dixerunt*. In Toloſano an. 1056. Cap. 1. Clericus

Simoniace ordinatus declaratur *Alienus ejus dignitatis, & Ordinis* : & Cap. 2. Clerici extra legitimam ætatem, & ſtatuta tempora ordinati *Irrita Ordinatio* denuntiatur. De ſimilibus decretis adverſus Simoniacas Ordinationes latis in Synodis Romanis a Nicolao II, a S. Gregorio VII, & Urbano II. jam actum eſt. Concilium Gerundenſe an. 1078. ſub Amato Olorenſi Epiſcopo, & S. Gregorii VII. Legato habita apud Martenium tom. 4. Anecd. pag. 1187. poſtquam ſtatuiſſet, ut Eccleſiæ Simoniace, vela Simoniacis conſecratæ a legitimo rurſus Epiſcopo conſecrentur, ſic de Clericis Simoniace, vel a Simoniacis ordinatis ſancivit : *Ut eodem modo a Catholico ordinentur Epiſcopo. Non enim in his*, inquiens, *fit reiteratio, ſed ipſa Conſecratio : quoniam nihil præceſſerat, quod ratum haberi queat*. In Northuſenſi an. 1105. decretum, ut Ordinati a pſeudo-Epiſcopis Simoniaca nempe labe infectis *Minus impoſitionem a Catholicis* reciperent, ſive ut *Per Catholicam manus impoſitionem* reconciliarentur, referunt Echardus Annal. Saxo apud Manſium Suppl. tom. 2. pag. 220, & ex ipſo Conradus Urſperg. in Chron. ad hunc an., & Chronographus Hildeſheimenſis apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1878, & ſeqq. De ſimilibus decretis circa Ordinationes a Simoniacis, aut Schiſmaticis attentatas editis a Calliſto II, Innocentio II, Eugenio III, & Alexandro III. in Conciliis Lateranenſi I, & II, Remenſi, & Lateranenſi III, dixi ſuperius, quantum operæ ferebat pretium.

In hanc quoque de Ordinationibus quó illicitis, eò ipſo invalidis opinionem pedibus, manibuſque ex Patribus, veteribuſque Scriptoribus quamplures, atque doctrina præſtantiſſimi conſpiraſſe videntur. In quibus S. Cyprianus familiam ducit, qui in priſcam deceſſori ſuo Agrippino probatam ingreſſus ſententiam de invalide collatis, ſuſceptiſque a Schiſmaticis, & Hæreticis tam Baptiſmi, quam Ordinis Sacramentis, in epiſt. 52. ad Antonianum de Novatiano loquens, quem utique vereque ſchiſmaticum, & hæreticum nuncupat : *Qui nec unitatem Spiritus*, inquit, *nec conjunctionem pacis obſervat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, atque a Sacerdotum Collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem valuit tenere, nec pacem*. Cui intimæ perſuaſioni inhærens in epiſt. 76. ad

ad Magnum, poſtquam eamdem ipſi de Novatiano ingerere opinionem ſtuduiſſet, *Novatianus*, inquiens *in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt ... Habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui Ordinatus in Eccleſia non eſt*; eamdem ſententiam, eumdemque ſermonem ad alios Schiſmaticos, & Hæreticos æque transferens, & extendens ſubjungit: *Dicimus omnes Hæreticos omnino, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac juris in Eccleſia*. Quorum ſimilia repetit in lib. de Unit. Eccleſiæ. Quæ vero S. Cypriano, Afriſque in Conciliis tribus Carthaginenſibus, de quibus ejuſdem S. Cypriani epiſt. 70. ad Januar., & 72. ad S. Stephanum, accepta fuerat, probatam valdequam pariter evaſiſſe Firmiliano, Aſianiſque patet ex ipſius epiſt 57. ad S. Cyprianum, ubi ſic loquitur: *Cæteri quique hæretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis, aut gratiæ poſſunt: quando omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident Majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem*. Quod ipſum definitum in Synodo Iconienſi ex Epiſcopis Phrygiæ, Galatiæ, & Ciliciæ ſubjungit. Definitum etiam in Synodo Synnadenſi auctor eſt S. Dionyſius Alex. in epiſt. ad Philemonem, & ad S. Sixtum II. apud Euſebium lib. 7. capp. 4, & 6, utriuſque Synodi vero meminit etiam S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 3. Neque ab hac S. Cypriani opinione diſceſſiſſe viſus eſt Cæcilianus, qui a Felice Aptungitano ordinatus traditionis crimine accuſato, ideoque ejus ordinationem inficiantibus Donatiſtis ſic apud S. Optatum lib. 1. adverſ. Parmen n. 19, & S. Auguſtinum in Brevic. Collat. 3. cap. 16. directe offendit: *Si traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant* (Donatiſtæ) *& ordinent me*. Significans ſane eam ſibi inſediſſe ſententiam, ut Ordinationes ab Excommunicatis collatæ invalidæ eſſent. Unde Cæciliani verba hæc Catholicis olim Donatiſtæ objeciſſe leguntur apud S. Auguſtinum in cit. Collat. diei tertiæ cap. 16. Qui Donatiſtæ ideo an. 311. Carthagine 70. numero congregati dignitate Cæcilianum abrogaſſe, memorantur apud S. Optatum lib. 1., S. Auguſtinum in Brevic. Collat. cap. 14, in epiſt. 162, lib. adverſ. Donatiſtas poſt Collat. cap. 3, & lib. de unico Bapt. cap. 16, & in Concilio Zertenſi an. 412,

412, de quo S. Auguſtini epiſtola 152. Atque hac ductos perſuaſione, quod Baptiſmi, & Ordinis Sacramenta ab indignis collata robore omni carerent, ad ſe venientes indiſcriminatim baptizaſſe denuo, & ordinaſſe liquet ex S. Auguſtino in epiſt. 23, & 108. Qua de re Noriſius in hiſt. Donat. par. 2. cap. 4. Sed & idem S. Optatus lib. 1. hæreticos *Vana, & falſa habere Baptiſmata*, lib. 2. Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos a Donatiſtis factos *Laicos, & honore occiſos*, & lib. 5. Hæreticos *Legalibus ſacramentis* carere conſentiens, eidem de invalidis hæreticorum Ordinationibus inſtitiſſe ſententiæ videtur. Quin & juxta deceſſoris ſui Firmiliani opinionem S. Baſilius in epiſt. Can. ad Amphilochium cap. 1. Hæreticorum tam Baptiſmum, quam Ordinationes nullam habere vim docuit: *Qui autem*, inquiens, *abrupti ſunt* (ab Eccleſia) *Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem*. Et in epiſt. 10. in addit. ad Nicopolitanos ab Arianis pro fide exagitatos, ubi de Phortano pſeudo-Epiſcopo ipſis præfecto ab Arianis, a quo vexabantur, pulſique Urbe fuerant, loquens: *Non agnoſco*, inquit, *Epiſcopum, nec Chriſti illum Sacerdotibus adnumeraverim; qui a profanis eſt manibus ad fidei deſtructionem Præſul electus*. In epiſtola, quæ extat lib. 4. Jur. Orient. ad Martyrium Antioch. inſcripta, eamdem ipſi, quæ ſibi inerat, ſententiam inſinuat ſane S. Gennadius Conſtantinopolit. de iterandis hæreticorum Ordinationibus, ſiquidem de hæreticis ad Eccleſiam reducibus loquens: *Tanquam egregii Laici*, ſcribit, *ad eum gradum ordinentur, in quo prius apud ſuos erant*. Hanc etiam ob cauſſam, quod plures in hæreſes prolapſi Armeni fuiſſent, neque Ordines, ut par erat, a Metropolita Cæſareenſi ſuſciperent, nullas apud ipſos fuiſſe Ordinationes ſcripſit in Invect. 1. cap. 13. Iſaac Catholicus: Inde, inquiens, *Quod Armenii neque Ordinationem habeant, ſed ab omni Sacerdotio ſint alieni liquet*, apud Combefiſium Auct. Bibl. PP. tom. 2. pag. 318. Atque Presbyteros quidem apud Græcos generatim, & Moſchos, qui ſecundo nupſerint, Græcæ Eccleſiæ ſententia e Presbyteratu excidere, atque inter Laicos deinceps computari auctor eſt M. Veiſſierus Crozæus in hiſt. Chriſt. Indiar. in Adnot. ad Synodum Diamper. Act. 7. Decret. 16. Theodorus Cantuar. in ſuo Pœnitentia-

tentiali, ſive Capitulis circa an. 688. apud Dacherium Spicileg. tom. 9, edit. nov. tom. 1. pag. 486, & apud Harduinum tom. 3. pag. 1771. Capit. 80. præſcripſit, ut Ordinati a Scotis, & Brittonibus Schiſmaticis *Iterum ab Epiſcopo Catholico manus impoſitione confirmentur*. Qui a Gislardo Nannetenſis Eccleſiæ invaſore ordinati fuerant, ab Actardo legitimo ejuſdem Cathedræ Epiſcopo denuo ordinatos fuiſſe, auctor eſt locuples S Nicolaus I. in epiſt. 22. ad Salomonem Brittonum Regem Append. 1. apud Harduinum tom. 5. pag. 346. Ab Hincmaro Remen. in Synodo Sueſſionenſi II. ſancitum, ut Ordinationes ab Ebbone celebratæ iterum repeterentur, ſuperius jam indicatum eſt. Atque demum in hanc ipſam de iterandis Ordinationibus habitis ab Epiſcopis Simoniacis, Excommunicatis, Schiſmaticis, Hæreticis &c. opinionem deſcendiſſe feruntur S. Anſelmus Lucenſis in lib. adverſ. Guibertum Raven. Sacerdotum Simoniacorum ſacrificia, & Sacramenta irrita exiſtimans; S. Petrus Damiani in Opuſc. 6. pro Simoniacis cap. 22. ab Hæreticis collatas Ordinationes robore carere ſcribens; Gofridus Vindoc. in tract. de Ordinat. Epiſcop., & Inveſtit. Laicor. nullam, invalidamque judicans Epiſcoporum intruſorum Ordinationem; Bernardus Conſtantienſis, qui idem putatur cum Bernaldo, ſive Bernoldo, ſive Bertholdo Conſt., atque fertur Auctor quoque Apologetici pro Decretis S. Gregorii VII, in tract. de Sacramentis Excommun. apud Gretzerum tom. 6. Oper, & Roccabertum Bibl. Pontif. tom. 5; Laurentius Abb. S. Vitoni Virdun. in Apolog. ad Canonicos Virdun. apud Mabillonium tom. 5. Annal. Bened. in Append. n. 80; Rupertus Tuitienſis lib. 12. in Matth.; Gratianus in Can 3. *Presbyter*, 45. *Viliſſimus*, & 97. *Quod quidam* 1. Q. 1, Baptiſmum quidem valide ab hæreticis conferri agnoſcens, ab Epiſcopo vero, ſive Sacerdote degradato invalide cetera Sacramenta confici, & adminiſtrari affirmans; Petrus Lombardus in 4. Sent. diſt. 25. qui ob Doctorum opiniones diverſas anceps, dubiuſque in hac quæſtione hæſit, a Simoniacis tamen ſcienter Ordinatorum irritam Ordinationem autumans; Alexander Alenſ. par. 4. Q. 8. memb. 5. art. 1. §. 6. in ea opinione verſatus, quod in ordinatione Epiſcopali non imprimatur Character, ſicut in Sacerdotali, ideo-

ideoque a Sacerdote non quidem conſecrandi poteſtatem auferri poſſe, bene vero ab Epiſcopo poteſtatem conferendi Ordines; atque ita in eorum ſententia, qui Epiſcopatum haud Ordinem eſſe cenſent, ab Epiſcopo depoſito Ordines haud valide conferri reſpondet Scotus in 4. diſt. 25. Q. 1. art. 2; Johannes Semeca in Gloſ. ad Gratianum, ſive Bartholomæus Brixien. in Not. ad Can. 10. *Accedens* diſt. 50; Raynerius apud Auctorem Gloſſæ ad Decret. Gregorii IX. Cap. *Siquis Presbyter de Clerico excom.*; Guillelmus Pariſien. de Sacram. Ordin. cap. 7, Rodulphus, & Jo: Faventinus apud S. Raymundum in Summa lib. 1. cap. 1; Guillelmus Rubion Ord. Min. in 4. ſent. diſt. 25. Q. 2; Aſteſanus in Sum. lib. 6. tit. 3. art. 4; aliique. Quibus permotus Johannes Morinus de Sacr. Ordinat. par. 3. Exercit. 5, cujus poſtea in partes manibus, pedibuſque deſcenderunt Cabaſſutius in diſſert. eodem de argumento, ac Jo: Hyacinthus Sbaralea in diſput. de Sacr. pravorum Ordinat., Ordinationes ab Epiſcopis Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Excommunicatis, & Intruſis celebratas ex decreto Eccleſiæ illicitas non modo, ſed etiam invalidas propugnare adnixus eſt. Nec hinc prope, vel procul abfuit Herbertus Thorndicius Anglo-Epiſcopalis de Originibus Eccleſ. cap. 20. duo in Sacrorum Miniſtrorum Ordinationibus requiri arbitratus, primum auctoritatem in Ordinante, præterea ſolemnitatem Ordinationis, cujus poſterioris etiam defectu Ordinationem irritam evadere exiſtimat, ita tamen, ut iterum convaleſcat, ſi Eccleſiæ deinde conſenſus accedat, ſive ab Eccleſia ratihabearur.

At vero, præterquamquod perſuaſum mihi ſemper fuit quæſtionem hancce, quamvis ambagibus undique implicatam, aleæque valdequam plenam, aut nihil, aut parum diſtare a quæſtione celeberrima de Baptiſmo, quem valide profecto ab hæreticis conferri Eccleſia ſemper agnovit (quod idem de Confirmatione parem ob cauſſam ferendum judicium) atque affinem admodum eſſe illi errori, quo generatim Sacramenta ab improbis Miniſtris accepta nihil valere docuerunt olim Donatiſtæ apud S. Auguſtinum lib. 2. contra Creſconium cap. 28, & apud S. Optatum lib. 5. adverſ. Parmen., quo in errore poſtea ad eos accedere non dedirectarunt ex Albigenſium propagine Apoſtolici apud S. Bernardum

in

in Cant. ſer. 66; Huſſitæ, & Wicleffiſtæ in Act. Concilii Conſt. ſeſſ. 8. Artic. 4, & ſeſſ. 15. Art. 22, & 30; Zuvingliani, pro quibus Oecolampadius in epiſt. Canon., Anabaptiſtæ, contra quos pugnam inſtituerunt vel ipſi Kemnitius, & Bullingerus; quodque propius ad errorem pertinet de Ordinationibus iterandis, Donatiſtis adhæſere Eutychiani, a quibus Dioſcorum Juniorem Timothei Aeluri Nepotem iterato ordinatum refert Theophanes in Chronog. ad an. 509, Græci etiam Schiſmatici, a quibus nedum olim collatas ab hæreticis Ordinationes nullas, & irritas judicari conſueviſſe affirmant Harmenopolus, & Balſamon lib. 5. Jur. Orient., ſed a Latinis etiam collatas nullius haberi roboris, atque iterandas æſtimari, reque ipſas iterari, ſi quando Latinum aliquem ad ipſos transfugere obtingat, teſtes ſunt liquidi Humbertus S. Leonis IX. Apocriſarius in libello Excommunic. irrogatæ Michaeli Cerulario, & Leoni Acridano apud Baronium ad an. 1054. n. 23, & ſeqq., Nilus Cabaſila lib. 5. Jur. Orient., & Martinus Cruſius in Turco-Græcia lib. 2; quinimo Schiſmatici ſub ætate S. Gregorii VII, horumque Promachus Guibertus pſeudo-Pontifex, qui eò progreſſi impudentiæ leguntur in epiſtola ab eodem Guiberto ad univerſam Eccleſiam inſcripta, cujus meminit Venericus Vercell. in lib. de unitate Eccleſ., atque refertur cum aliis ab Udalrico Bamberg. in Codice epiſtolari n. 168. apud Eccardum in corpore Scriptor. medii ævi tom. 2. pag. 176, & 184, ut flagitii, cui ipſimet operam dabant, Hugone Flavin. in Chron. Virdun. ad an. 1085. teſte, Catholicos, ideſt a legitimi Pontificis partibus ſtantes, ideo arguere non deſiſterent, quod in vulgus ſpargerent Sacramenta, atque Epiſcopalia, & Sacerdotalia officia ab aliis quibuſque, qui cum ipſis conſortio Sacrorum conjuncti non eſſent, inania prorſus eſſe, & invalida; præter hæc, inquam, arcte perſuaſum habeo aliunde Ordinationes ab Epiſcopis quacumque labe pollutis celebratas, modo recta intentione procedant, atque legitimam materiam, & formam præſtent, validas omnino eſſe, firmiſſimo eo fundamento ſuffultus, quod ſiquidem in tribus Sacramentis Baptiſmo, Confirmatione, & Ordinatione indelebilem imprimi Characterem (quidquid is tandem ſit, de quo diſputant Theologi,) qui deperdi nullo poſſit modo, certa in Eccle-

ſia, conſtanſque doctrina ſit, quam tradunt S. Paulus in epiſt. 2. ad Corinth. 1. verſ. 21, & Epheſ. 1. verſ. 13, & 10. verſ. 30, atque de Baptiſmo loquentes S. Ambroſius de Myſter. cap. 7, S. Baſilius Orat. 13, S. Gregorius Nazian. in exhort. ad Baptiſ., S. Jo. Chryſoſtomus hom. 3. in 2. ad Corinth., S. Cyrillus in præf. ad Catech., S. Epiphanius hær. 5. n. 6, S. Auguſtinus tract. 6. in Johan. n. 13, & lib. 1. adverſ. Creſcon. cap. 30. n. 36; de Confirmatione vero tractantes Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 40, S. Cyprianus in epiſt. 73. ad Jubajan., S. Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 2. apud Gratianum Can. 92. *Accepiſti de Conſecr.* diſt. 4, S. Auguſtinus lib. 2. contra litter. Petiliani cap. 104, S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 22. n. 7, & Theodoretus in Cantica tom. 1. pag. 1002; unde iterari Sacramenta iſta nequeunt, velut egregie arguebat S. Auguſtinus de Baptiſmo lib. 1. adv. Creſcon. cap. 30, lib. 5. de Bapt. cap. 15, epiſt. 98, olim 23, epiſt. 185, & de Ordinatione lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 17, atque iterati vetuerunt, Baptiſmum quidem Innocentius III. Cap. *Majores de Baptiſ.*, Eugenius IV. Conſt. *Exſultate*, Concilia Carthaginenſe ſub Grato an. 348. cap. 1, Conſtantinopolitanum I. Can. 7, Carthaginenſe III. ſub Aurelio Can. 38. & 48., in Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 47, & 67, Ilerdenſe an. 524. Can. 14, Aurelianenſe III. an. 538. Can. 31, Florentinum in decreto Union., & Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 9, a quibus non abludunt ex Græcis Gabriel Philadelph. apud Arcudium lib. 2. de Sacram. cap. 23, Hieremias Conſtantinopolit. in Cenſura adverſ. errores Lutheri apud Allatium de Conſenſ. lib. 3. cap. 8, & Spondanum ad an. 1574. n. 16, ac Synodus Hieroſolym. ſub Doſitheo an. 1672. adverſus Calviniſtas capit. 16. apud Harduinum to. 11. pag. 251: Confirmationem quoque iterari prohibuere S. Gregorius M. lib. 14. epiſt. 17. alias 32. ad Felicem Meſſan., S. Gregorius II. in epiſt. 2. ad S. Bonifacium Mogunt. cap. 4. apud Gratianum Can. 9. *De homine, de Conſecr.* diſt. 5, Innocentius III. Cap. *Paſtoralis, Extra de Sacram. non iterandis*, & Eugenius IV. cit. Conſt. *Exſultate*, Concilia Arauſicanum I. an. 441. Can. 2, Toletanum VIII. an. 653. cap. 7, Cabilonenſe II. an. 813. Can. 27, Florentinum in decr. Union., & Tridentinum cit. ſeſſ. 7. Can. 9; quibus moram injicere nequit Eucho-

chologium Græcor. S. Methodio adſcriptum, in quo Apoſtatæ ad frugem regredientes iterato confirmari jubentur: nam Euchologium iſtud Methodio Schiſmatico acceptum referendum docet Arcudius lib. 2. de Confirm. cap. 18; accedunt viciſſim Hieremias, & Doſitheus in Cenſuris adverſ. Lutheranos, & Calviniſtas; quod ſiquidem, inquam, Character in Ordinatione impreſſus ſit omnino indelebilis, juxta Trident. ſeſſ. 23. Can. 4., a Charactere vero indiviſibilis ſit Ordinis poteſtas, ſive idem cum ipſo ſit; qui vero Ordinis poteſtate iſta operatur, non propria virtute, ſicut agens principale, ſed Dei poteſtate, ſicut ipſius Dei Miniſter agat, ſive ut agens inſtrumentale, veluti Scholæ loquuntur, atque habet S. Paulus in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 4. verſ. 1, docentque S. Auguſtinus tract. 5. in Johan n. 13, & lib. de unit. Eccleſ. cap. 21, ac S. Optatus lib. 4. adv. Parmen. n. 4. Cui firmiſſimo plane fundamento ſuperſtructa a Summis Pontificibus, & Conciliis decreta ſua, ſuaque dogmata a SS. Patribus, ac Theologis brevi nunc, quoad ejus fieri poterit, ſermone demonſtranda ſuſcipio.

Atque a Pontificibus MM. exordium, ut par eſt, capiendo, ut taceam de S. Felice II, quem in Liberii locum ab Arianis ſubrogatum plerique ajebant; de Vigilio, quem ejecti S. Silverii ſedem invaſiſſe ferunt, etſi Coutantius apud Mopinot in epiſt. prodroma n. 13. apud Blanchinium Anaſt. tom. 3. pag. 278. Vigilio pleraque non modo perperam ab Africanis trium Capitulorum defenſoribus, Facundo, Victore, & Liberato, Iſidoro etiam, & Anaſtaſio afficta fuiſſe, ſed imo eum a Pontificatus initio legitimum fuiſſe Pontificem teſtimoniis e Clero Rom., Hiſpanis & Gallis Epiſcopis, Orientalibus, & Vigilio ipſo deſumptis demonſtrandum egregiæ operæ pretio ſibi ſumpſerit, de Stephano VI, aliis VII, Sergio III, Johanne X, Johanne XI, Stephano VIII, aliis IX, Johanne XII, Johanne XVII, Johanne XIX, Benedicto IX, Gregorio VI. (qui poſtremus tamen egregie a Papebrochio defenditur in Conat. diſſert 36. alias 21.) intruſis, aut ſchiſmaticis aliquando, aut Simoniacis, qui tamen ab Eccleſia dein albo legitimorum adcenſiti ſunt, ut de his, inquam, verba non faciam, S. Cornelius Maximum Presbyterum, alioſque plures e Novatianis partibus ad Eccleſiam regreſſos ulla abſque reordinatione ſuis gradi-

bus ſtare permiſit in epiſt. ad S. Cyprianum edit. Pamel. 46, Oxon. 49. Quod indicium eſt Ordinis Characterem, ejus judicio, ſchiſmate non extingui. S. Melchiades in Romana Synodo an. 313. ordinatos a Majorino Donatiſtarum partium pſeudo-Epiſcopo ſuo, ad quem in ſchiſmate promoti fuerant, loco conſiſtere paſſus eſt. Qua de moderatione digno ipſum propterea mactarunt elogio S. Optatus lib. 1. circa fin., & S. Auguſtinus in epiſt. 162, ſive 43. ad Glorium, & Eleuſium, lib. adverſ. Donat. poſt Collat. cap. 23, & lib. 2. adverſ. Parmen. cap. 13. *Non ſunt*, inquiens, *rurſus ordinati* (qui prius in ſchiſmate ordinati fuerant) *ſed ſicut Baptiſmo in eis, ita Ordinatio manſit integra*. S. Siricius in epiſt. 5. ad Epiſcopos Africæ, quam ei multis vindicat Coutantius in Monito prævio, cap. 8. a Novatianis, vel Montenſibus, ideſt Donatiſtis (a quibus utriſque rebaptizandi morem uſurpatum fuiſſe hinc, & ex S. Innocentio I. in epiſt. 2, S. Cypriano in epiſt. 73, S. Auguſtino lib. 3. de Baptiſ. cap. 10., & Ambroſiaſtro in epiſt. 1. ad Corinth. 1. liquet) venientes, *Ut per manus impoſitionem*, de qua poſt erit dicendum, *ſuſcipiantur* indixiſſe legitur. Eidem S. Siricio, ſive ejus ſucceſſori S. Anaſtaſio I. Flaviani Antiocheni Ordinationem probatam denique evaſiſſe, quum alioqui Sedis Antiochenæ legitimus poſſeſſor haberetur Evagrius in Paulini locum ſubrogatus, atque Pacificas ad Flavianum litteras ab eo exaratas teſtis eſt locuples S. Bonifacius I. in epiſt. 15. ad Epiſcopos Illyrici n. 6, indicatque Sozomenus lib. 8. cap. 3. Oppoſita perperam S. Innocentio I. opinio appingitur: quippe qui in epiſt. 14. edit. Concil. ad Bonifacium Presbyt., 17. ad Alexandrum Antioch., & 19 ad Acacium Beroeu. Orientalibus ea lege pacem indulſiſſe demum legitur, ut Evagrii Ordinationem in Epiſcopum Antioch. ſuo loco a Paulino adhuc in vivis agente contra Canones peractam, ut affirmare non dubitat Theodoretus lib. 5. cap. 23, nec diffiteri videtur S. Ambroſius lib. 10. epiſt. 78. ad Theophilum Alex., acceptam haberent. Sed enim magis, quæ eidem ineſſet ſententia, eluceſcit ex epiſt. 23. ad Epiſcopos Synodi Toletanæ I, ubi cap. 1. viciſſim ipſe acceptum habuit Synodi judicium, quo e Priſcilliana hæreſi regredientes Sympoſium, & Dictinium ad Eccleſiaſticum gradum redintegrandos duxerat. Et cap. 4. Ordinationes quasdam

dam, veluti Ruffini, & Gregorii, contra Canones celebratas, pacis cauſſa tolerandas exputavit, id fieri deinceps prohibens alioqui, lege hac indicta, ut ita contra Canones ordinati *Ordine, & honore priventur*. Quam ſane periocham de Ordinis exercitio intelligi oportere ex antecedenti facta indulgentia fit evidens. Quin etiam in eadem 22, quæ objecta epiſtola eſt, ad Macedoniæ Epiſcopos cap. 5. quod a Bonoſo ordinati, neceſſitate exigente, allegato in exemplum Nicæno Can. 8. de Novatianis, cujus de recta intelligentia paullo infra, aliquando recepti, non iterata utique Ordinatione, fuerint, nominatimque Germanion,& Lupentius, aliique plures,non improbat. Cæterum cap.8. Romana in Eccleſia receptæ legi (de cujus deinde ſeveritate nonnihil ſibi remitti, ut ob Clericorum inopiam regredientes ab hæreſi cum gradibus recipere ſibi liceret, S. Anaſtaſium I. rogatum miſiſſe Africani Præſules leguntur in Cod. Can. Afric. Eccl. Can. 56.) ſe arcte inhærere profeſſus, juxta quam profecto ab hæreticis redeuntes cum manus impoſitione recipi, & ad laicam dumtaxat Communionem admitti ſolebant, planiſſimum facit hacce manuum impoſitione novam Ordinationem ab ſe minime fuiſſe intellectam,quia nempe eadem lege ita receptis laicam ſolummodo Communionem tribuendam edicit. S. Leo M. in epiſt. 1. edit. Baller. ad Aquilejenſem (ſive is ſit Januarius, ut multi habent Codices, ſive Nicetas, ut Lovanienſibus viſum,ſive Adelphus,ut exiſtimant Ballerinii) Epiſcopum cap. 2, & in epiſt. 2. ad Septimium Altinenſem cap. 1. Clericos a Pelagianis caſtris ad Eccleſiam regredientes abſque prævia hæreſis ejuratione,fideique profeſſione recipi quidem prohibet, quin tamen priſtinum in gradum recipiantur, non prohibet. Quod documento eſt nihil, quod ad validitatem pertinet in illorum Ordinatione a Pontifice reprehenſione dignum fuiſſe deprehenſum. In epiſt. 12. ad Epiſcopos African. cap. 5. ex Laicis ad officium Epiſcopale,etſi contra Apoſtolicæ Sedis ſtatuta,& SS. Patrum regulas, aſſumptos *Suſceptum Sacerdotium tenere* permittit, ne impoſterum id fiat, diſtricte prohibens. Et cap. 6. Donatum Salicinenſem ex Novatiano ſchiſmate cum plebe ſua ad Eccleſiam converſum, ſicut etiam Maximum ex laico Ordinatum,, & a Donatiſtis ad frugem ſe recipientem, ſi exhibito fidei libello

ſe

ſe Catholicos eſſe manifeſtarent *Ab Epiſcopali*, *quam quoquomodo* adepti ſint, *dignitate* non repellendos affirmat. Lucem indulgentiæ huic confert epiſtola 18. ejuſdem edit. Baller. ad Januarium Aquilejen., qua cujuslibet Ordinis Clericis, qui deſertis hæreticorum Caſtris ad Eccleſiam regreſſi fuerint, edita fidei profeſſione, in eo gradu, in quo fuerant, abſque promotionis ſpe tamen, permanere concedit: *In quo inveniuntur Ordine*, inquiens, *ſtabilitate perpetua maneant*. Cujuſmodi inter alia œconomiæ exemplo, auctoritatiſque ſubſidio commoti, & communiti SS. Anſelmus Lucenſis, & Petrus Damiani, & poſteriori iſto teſte in epiſt. ad Hildebrandum, poſtea in Pontificatu S. Gregorium VII, in Conventu Mediol. an. 1059, de quo Manſius Suppl. tom. 1. pag. 1321, Clericos Simoniæ, Incontinentiæ, ac Schiſmatis labe inquinatos, ad bonam ſe frugem accipientes, ad pacem cum gradibus priſtinis admittendos eſſe duxerunt. Ad hæc in epiſt. 104. ad Marcianum Auguſt. cap. 2. ejus, ac Pulcheriæ precibus inflexus Anatolii in locum S. Flaviani a Dioſcoro, atque pſeudo-Epheſina Synodo Conſtantinopolit. in Eccleſiam intruſi Ordinationem abſque iteratione ratam fecit: *Quum ſecundum*, inquiens, *Juæ Conſecrationis Auctores ejus initia titubarent*, *beniguiores circa ipſum*, *quam juſtiores eſſe voluimus* &c. Quin etiam cap. 5. ea cum Anatolio benignitate ſe egiſſe ſcribit, ut Antiocheni Epiſcopi Ordinationem ab eo contra Canones uſurpatam diſſimulandam, tolerandamque duxerit: *Quod Nos*, inquit, *amore reparandæ fidei*, *& pacis ſtudio retractare ceſſavimus*. Denique in eadem ipſa 167, quæ objecta epiſtola eſt, ad Ruſticum Narbon., eodemque ipſo cap. 1, poſtquam ab Epiſcoporum cenſu expungendos illos edixiſſet, qui contra Canones ad Epiſcopalem dignitatem fuiſſent evecti, neque ipſis fore tribuendum, quod non conſtaret fuiſſe collatum, ſubjungit: *Si qui autem Clerici* (atque a Gratiano quoque refertur Can. 40. *Si qui Clerici* 1. Q. 1.) *ab iſtis pſeudo-Epiſcopis ordinati ſunt*, *qui ad proprios Epiſcopos pertinebant*, *& Ordinatio eorum conſenſu*, *& judicio Præſidentium facta eſt*, *poteſt rata haberi*, *ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent*. Ex quo liquido patet Epiſcopos præfatos Ordinis poteſtate quidem præditos fuiſſe, quamvis poteſtatis uſu exſpoliati eſſent, neque Charactere Epiſcopa-

copali caruisse, etsi officio exercendo impares fuerint denuntiati. Sub hac indulgentiæ specie S. Hilarus in epist. ad Episcopos Provinc. Tarracon. capp. 1, & 4. ordinatos a Silvano Calaguritano Episcopos nonullos absque Ascanii Metropolitæ conscientia, nonnullisque Ecclesiis admotos suo stare loco, officioque defungi permisit, habita temporis ratione: *Hac ratione*, inquiens, *decernimus ad veniam pertinere, quod gestum est*. Et infra. *Ordinatos ergo Episcopos, qui . . . meruerunt submoveri, hac ratione firmamus* &c. Neque hacce ratione faciliorem, expeditioremque abruptæ in Ecclesia Orientali concordiæ redintegrandæ viam adinvenit S. Felix III, quam pleraque Ordinationes a Petro Moggo pseudo-Episcopo Alexandrino, hæretico ab hæreticis intruso, atque ab uno dumtaxat Episcopo ordinato, nec non ab Acacio gradu depositio, Censurisque perstricto contra fas, parique temeritate peractas, ratas habere, veluti memoriæ prodidit Metrophanes Smyrnensis in Synodo VIII. Act. 6, & observavit Lupus in Schol. ad Canon. tom. 2. pag. 1526, explicate vero ipsemet S. Felix affirmat in epist. 12. ad Flavitam n. 4: *Deo inspirante*, scribens, *provisuris rationabiliter . . . Ut eorum, quos ordinavit, vel baptizavit Acacius, salva Confessione Catholica, pro Caritatis Ecclesiæ redintegratione, nihil pereat*. Cujus perinde in vestigia ingressus S. Gelasius in epist. ad Euphemium quó paratissimum se exhibuit ad redintegrandos, suisque cum gradibus recipiendos, quos baptizasset, & ordinasset Acacius, si id solum impedimento esset, quominus a Schismate convalescerent, eò persuasissimum se ostendit, atque persuasionem istam Prædecessoribus suis insedisse, tam Baptismum, quam Ordines valide ab Acacio fuisse collatos: *De his*, inquiens, *quos baptizavit, & quos ordinavit Acacius, Majorum traditione confectam, & veram, & congruam præbemus sine difficultate medicinam*. At enim explicatior hac in re, quam desiderari queat, S. Anastasii II. est sententia in epist. ad æquivocum suum Imperat. capp. 7, & 8. affirmantis ob damnationem Acacii nihil ab eo administratis Sacramentis sive Baptismi, sive Ordinationis deperiisse roboris, nec ullum ideo baptizatis ab eo, ordinatisque faciendum esse negotium: *Agnoscat*, sic Imperatorem alloquitur, *quod nullum de his, vel quos baptizavit*

zavit Acacius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas ſecundum Canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingat, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur. Quod late proſequitur docens Baptiſmi, & Ordinationis efficaciam non a Miniſtro conferente ſed a Deo efficiente pendere. Atque periochæ hujus Anaſtaſianæ uſum fecit utique S. Nicolaus I. in epiſt. 46. ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis in gratiam eorum, qui ab Ebbone Rem. Ordinibus fuerant inſigniti, de quo poſtea; eamque quin etiam fecerunt quammaximi Auxilius lib. 1. cap. 19, & S. Petrus Damiani Opuſc. 6. cap. 25, ut Ordinationes a Formoſo, & a Simoniacis habitas robore haud carere commonſtrarent. Atque ideo approbe a Coutantio pag. 329. adnotatum eſt fruſtra, & perperam S. Anaſtaſium apud Hincmarum tom. 2. pag. 278. eo haud optimo efferri nomine, quod Deceſſorum ſuorum decretis non convenerit, neque concordarit: ſiquidem non alteram ab hac de Ordinibus valide collatis ab Epiſcopis Hæreticis, Excommunicatis, Schiſmaticis &c. ſententiam eis inſediſſe hactenus oſtenſum eſt. Neque ab hac ſane diverſam induit S. Gregorius M., qui lib. 2. epiſt. 32. ad Johannem Raven. generatim docet ſicut Baptiſmum rite collatum, ſic Ordinationes rite celebratas, a quocumque demum id fiat, iterandas non fore: *Sicut baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet: ita qui Ordinatus eſt ſemel, in eodem Ordine iterum conſecrari non debet*. Itaque lib. 3. epiſt. 13. ad Maximianum Syracuſanum Presbyterum ejus in locum ordinatum, ſiquidem non intervenerit Simonia, vacanti alteri Eccleſiæ admoveri concedit, ſin autem, Sacerdotio exſpoliari jubet. Cujus ideo ſententia is Presbyteratu inſignitus, etſi Simonia intercedente, fuerat, quo nempe ob culpam privari mandat. Et lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum ind. 4., ut Neſtoriani etiam ab hæreſi reſipiſcentes *Servatis propriis Ordinibus in ſuo Cœtu ſuſcipiantur*, diſertis verbis indulget. Ex quibus fit palam, quo recto demum, proboque accipi debeat ſenſu, dum lib. 3. epiſt. 20, & lib. 5. epiſt. 3, & 7, & lib. 7. epiſt. 110. male ordinatos Ordine indignos, nomineque tenus dici ſcripſit, quod ſcilicet ab Ordinis exercitio ſuſpenſi eſſent, ſive officio, uſuque interdicti. A S. Benedicto II. Macario hæretico Monothelitæ a Synodo

do VI. depoſito veniam, cum pollicitatione quoque priſtini reſtituendi gradus, exhibitam fuiſſe, modo ille ad frugem regredi vellet, diſcimus ex Synodo VII. Act. 1. apud Harduinum tom. 4. pag. 63. S. Zacharias in epiſt. 17. ad Auſtrobertum Vienn., quam ſuppoſitionis quidem arguit Pagius ad an. 742. n. 13, vindicat tamen, germanumque ejus fœtum exiſtimat Manſius ibidem in Not. tom. 12. nov. edit. Lucen. pag. 486, apud Johannem a Boſco in Bibliot. Floriacenſi cum aliis tom. 3. pag. 43, de Epiſcopis Simoniace ordinatis ita ſcribit: *Ut ſi utiles ſint, pro tali facto ſeveriſſime corrigantur, non tamen penitus deſiciantur a ſuo Ordine* &c. Sed enim valida eſſe Sacramenta nedum a Simoniacis, ſed etiam ab Excommunicatis, graduque detruſis collata tradit expreſſe S. Nicolaus I, qui poſtquam in epiſt. ad Bulgaros cap. 15. S. Anaſtaſii II. auctoritate in cauſſa Acacii docuiſſet non iterandum Baptiſmum rite, etſi extra Eccleſiam, collatum, in Epiſt. ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis III, & increpatoria ad Hincmarum Remenſem in medium, productis ex S. Leone M. in præcitat. epiſt. ad African., ejuſdemque S. Anaſtaſii in epiſt. ad homonymum Imper. teſtimoniis, Clericos ab Ebbone Remen., etiam poſt depoſitionem ordinatos valide fuiſſe affirmare non dubitavit: *Qualiſcumque*, inquiens, *fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebbo, a ſe ordinatis .... nullum prorſus intulit offendiculum*. A Johanne VIII. Photii Ordinationem, qui temere in S. Ignatii Sedem Conſtantinopolit. irruperat, atque a Photio Ordinationes peractas, Eccleſiæ bono exigente, approbatas fuiſſe manifeſtum fit ex ipſius epiſtola 93. edit. Hard. ad Baſilium, Conſtantinum, & Alexandrum Imperatores, ubi S. Innocentii I, qui ordinatos a Bonoſo recipi indulſerat, allegato exemplo, propterea *Photium miſericordiam coram Synodo poſtulantem in Pontificali officio comminiſtrum, & in Paſtorali magiſterio conſacerdotem, pro Eccleſiæ Dei pace, & utilitate* ab ſe recipi, & haberi ſcribit. Ex quibus patet falſo, & perperam ſcripſiſſe Morinum, propterea a Lupo refutatum, Photii Ordinationes repetendas Iohannem VIII. juſſiſſe. Et ſane cum ordinatis a Photio diſpenſare potuiſſe Rom. Pontificem, ideoque Ordinationes a Photio peractas validas fuiſſe, vidit Stephanus V. in epiſt. 2. ad Orien-

tales apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 372. Vidit & Formoſus in epiſt. ad Stylianum Neocæſar. Epiſcop. ibidem pag 423. Vidit perinde JohannesIX. in epiſt. ad eumdem Stylianum eodem loci pag. 479, quam perperam vexare, ſollicitareque Græcus Scholiaſtes apud Baronium ad an. 905. n. 12. adgreſsus eſt, quaſi pugnantia in eadem ſcripſerit epiſtola Pontifex: neque enim pugna inter Pontifices intervenit ulla, ſiqui cum Photio rigore Canonum, ac ſiqui ex indulgentia agendum ſibi ſumpſere. Ne vero præter rem in hac re prolixior evadam, compendio perſtringam, quæ ex Pontificibus Summis præcipua hoc de argumento ſuppetunt adhuc documenta. Itaque Formoſi Ordinationes validas fuiſse decreviſse leguntur Romanus, Theodorus II, & Johannes IX. apud Sigebertum in Chron. ad an. 903, Auxilium lib. 2. cap. 4, & in Synodo Romana an. 904. ſub Johanne Can. 4, & 5. Clemens II. in Romano Concilio II. an. 1047, teſte S. Petro Damiani in epiſt. ad Henricum Raven., quæ eſt Opuſc. 6. cap. 35, ſancivit, ut a Simoniaco ignoranter ordinatus, quadraginta dierum peracta pœnitentia, *Sic in accepti Ordinis officio miniſtraret*. De S. Leone IX. refert Laurentius Virdun. Monach. in Chron. S. Vitoni, quod in Remenſi Synodo an. 1049. ob Simoniacum ingreſſum gradu moto Hugoni Lingon. Epiſcopo, eidem poſtmodum in Romana Synodo an. ſeq. Ordinatione haud iterata priſtina dignitas fuerit reſtituta. Ex quo plane concidit ſiniſtra eorum interpretatio, qui ingenio præpoſtero invalidas propugnandi Ordinationes a Simoniacis peractas, ita diſtinguendum putant, ut tamen invalidæ, niſi poſt Eccleſiæ ſententiam, non evadant, Magiſtri Sentent. in 4. diſt. 25. teſtimonio abutentes de Simoniacis ajentis, quod *Ante ſententiam degradationis & ordinant, & conſecrant*. Quo loci eum loqui de Ordinatione, & Conſecratione nedum valida, ſed etiam licita nemo non videt, ideoque Simoniacos ab Eccleſia proſcriptos haud quidem Ordinis poteſtate ſpoliari, ſed ab uno poteſtatis uſu ſuſpendi. Sed ad S. Leonem IX. regrediendo, auctor eſt S. Petrus Damiani præcit. Opuſc. 6. cap. 35. Oper. tom. 3. ab eo Decretum Clementis II. de Simoniacis poſt 40. dierum pœnitentiam in accepti Ordinis gradu manere per miſſis fuiſse in Conciliis Romæ celebra-

lebratis, cum I. an. 1049, tum III. an. 1051. confirmatum, atque insuper cap. 27. refert ab eodem Pontifice indultum, præceptumque, ut Clerici indiscriminatim omnes ab hæreticis regredientes, in his, quos adepti fuissent, Ordinum gradibus admitterentur: *Omnis*, inquiens, *cujuslibet Ordinis Clericus, qui Catholicam deserens, hæreticæ Communioni se miscuerit, si ad Ecclesiam fuerit reversus, in eo gradu, in quo erat, sine promotione permaneat*. Ideſt quin ad altiorem permitteretur ascendere. Refertur etiam a Gratiano Can. 112. *Omnis cujuslibet* 1. Q. 1, quo aperte significatur hæresi sane Ordinis Characterem non extingui. Juxta hæc Nicolaus II. quoque in Synodo Romana an. 1059. decreto edito apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1063. ordinatos a Simoniacis, non tamen Simoniace, *Non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis Ordinibus manere* permisit, ideſt eisdem perfungi, quod Simoniace ordinatis denegavit. Verbo, eodem sensu, & consensu Ordinationes a Simoniacis celebratas ceu illicitas damnarunt quidem, pro validis tamen habuerunt, atque haud Simoniace ordinatos muneribus defungi suis indulserunt Alexander II. in Synodo Romana I. an. 1063. Can. 2, & in Epist. ad Clerum, & Populum Lucensem, de qua Mansius Suppl. tom. 1. pag. 1351, & seqq., S. Gregorius VII. lib. 6. epist. 39. ad Raynaldum Cumanum Episcop., Urbanus II. in Synodo Placentina an. 1095. Capp. 3, 7, 9, & 10, da qua Bertholdus Constant in Chron., in Romana an. 1099. Can. 3, 7, 9, & 10, epist. 17. ad Lucium S. Juventii Præpos., & in Append. epist. 17. ad Pibonem Tullensem cap. 4. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1646, & 1662, de quibus Lupus 3. par. in dissert. procem. Ad quos accessit Paschalis II. in Synodo Guastallensi an. 1106. cap. 1. SS. Patrum sententia, a quibus diversis temporibus Novatiani, & Donatistæ, aliique Hæretici cum Ordinibus suis susceptisunt, se permotum *Episcopos in Schismate ordinatos in officio Episcopali* suscipere professus. Quo decreto quæstionem diremit, de qua negotium ei fuerat a Rothardo Mogunt. factum, ad quem legenda hac ipsa de re epist. 49. ex Picardo in Not. ad S. Anselmum lib. 3. epist. 73. ab Harduino descripta pag. 1811. Cæterum quod habet in objecta epist. ad Gebeardum Const. de Chrismate,

& Oleo ab hæreticis conſecrato comburendo potius arguit, ſi perpendatur attente, illud valide fuiſſe confectum. Quorſum enim illud mere profanum igni comburendum devoveri oportuiſſet? Quæ fuerit perinde germana Alexandri III. opinio de Ordinationibus qua a Simoniacis, qua a Schiſmaticis celebratis abunde patet ex Cap. 2. *Conſuluit* in Append. ad Concil. Later. III. par. 26. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1800, & par. 50. Cap. 3. *Extuarum*, & Cap. 51. *Latores*. Ordinatis Simoniace officii ſuſpenſionem dumtaxat indixiſſe legitur Innocentius III. lib. 14. epiſt. 11, & lib. 15. epiſt. 218. Confer & Caput *Cum deteſtabile*, de Simon. extr. Com. Explicatiſſime Gregorius IX. Cap. *Cum Clericis* tit. de Ordinatis ab Epiſcopo Excom. declaravit Clericos ab Epiſcopo cenſuris perculſo, & Sacrorum conſortio privato ordinatos ignoranter diſpenſari poſſe, ut ſuſceptis defungantur Ordinibus. Quem in locum confer Gloſſam. Ab Urbano VI. ad Martinum V. Ordinationes Schiſmaticorum validas habitas fuiſſe nemo ambigit. A Julio III. copiam Reginaldo Card. Polo factam ad gradus Eccleſiaſticos redintegrandi Epiſcopos Anglicano in Schiſmate ordinatos refert Sanderus lib. 2. Liquido demum, atque locupleti documento, & argumento eſt Clemens VIII, qui Conſt. 34. *Sanctiſſimus* an. 1595, ſive Inſtructione ſuper Ritibus Græcorum §. 4. ſic habet: *Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, alias rite ordinatis, ſervata debita forma, recipiunt quidem Ordinem, ſed non executionem.* Cui Inſtructioni conformis ſemper viguit cum Rom. Pontificum praxis, juxta quam quoties de Græcis a ſchiſmate revocandis egerunt, nullum unquam iis de Ordinationum validitate faceviſſe negotium leguntur, tum ſupremæ Romanæ ſacræ Inquiſitionis Stylus, juxta quem ordinati ab Epiſcopis Hæreticis, aut Schiſmaticis ab executione Ordinum ſuſpenſi quidem ſunt, cum ipſis tamen ad Eccleſiam regredientibus nova abſque Ordinatione diſpenſari ſolet. Atque ita ſæpius ab eadem S. Congregatione decretum die 2. Aug. 1708, die 29. Sept. 1666, die 13. Mart. 1669, & die 28. Aug. eodem an. legitur apud Card. Petram in Comment. ad Conſt. 29. *Inter cetera* Eugenii IV. tom. 4. n. 18. & ſeq. pag. 313.

Gradum ad Concilia faciendo, hanc ipſam de validitate Ordi-

Ordinationum, a quocumque demum hæc celebrentur, his adhæsisse sententiam reperiemus. Enim vero in Concilio Ancyrano circa an. 314. Clericis vi ad sacrificandum adactis graduum honorem restituendum quidem, sed officiorum exercitium denegandum decretum legitur Can. 1, & 2. apud Gratianum Can. 32. *Presbyteros* dist. 50. A Concilio Nicæno. Can. 8. de Catharis, sive Novatianis definitum est, ut si quando ad Ecclesiam redierint Ὥστε χειροθετουμένους αὐτους, μένειν οὕτως ἐν τῳ κλήρῳ: quæ Græca verba Dionysius sic reddidit: *Ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant*: qui in secunda pariter Canonis parte de Lapsis, qui reperirentur in Vicis loquens: *Ubicumque ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent*. Equidem ibidem loco χειροθετουμένοις legendum sibi visi sunt χειροτονουμένους, ideoque reddendum: *Ut Ordinentur*, sive *Ordinationem denuo recipiant*, Josephus Ægyptius, Martinus Bracar., Isidorus Mercat., Gratianus, Longolius in vers. Synodi VII, Balforeus Gelasii Cyzic. interpres, & Codex Can. Eccl. Univ. a Quesnello editus Capit. 1. §. 14. edit. Baller. tom. 3. pag. 54. Ar enim locum illum accipiendum non de iteranda utique Ordinatione, sed de sola manuum impositione, non quæ in Ordinatione, ut Morino, nec quæ in Confirmatione, ut nonnullis visum est Theologis, nec quæ in Pœnitentia imponenda usurpari solebat, sed quæ Cæremonialis erat dumtaxat, atque Presbyterii Benedictio dicebatur, plurima oppido invicte suadent. Ita enim pro manuum impositione Canonem illum intellexere S. Siricius in epist. 1. ad Himerium cap. 1, & in epist. 5. ad Episcopos Africæ cap. 8, S. Innocentius I. in epist. 2. edit. Cout. ad Victricium cap. 7, & in epist. 17. ad Rufum cap. 5, S. Leo M. in epist. 167. edit. Baller. ad Rusticum cap. 18. (ex quibus appositæ Coutantius arguit in monito prævio ad epist. 17. S. Innocentii n. 8. pag. 823. Codicem illum Can. a Quesnello jactatum Romanæ utique Ecclesiæ usu nequaquam venisse, siquidem diversimode Can. 8. Nicænus a SS. Innocentio cap. 22. n. 3, & cap. 24. n. 9, ac Siricio cap. 29. n. 1, & cap. 62. n. 8. lectus fuerit, quam præferat ejusdem Canonis lectio cap. 1. n. 14. ejusdem Codicis) Ita etiam legendum pro impositione manuum exputavere Ruffinus lib. 10. hist. Eccl. cap. 6. sic Can. 7. reddens:

Ut

Ut Catharos, .. confessos Ecclesiastica dogmata, Clericos in Ordine quidem suo suscipi debere, sed Ordinatione data. Ubi *data* ait, non *danda*. Gelasius Cyzic. hist. Concil. Nicæni lib. 2. cap. 31. Græce ad cit. Can. 8, Auctor Collect. Arabicæ in vers. Turriani Can. 18, Ecchellensis Can. 20, & S. Hieronymus in Dialogo adv. Luciferianos. Atque ita quoque Patres Concilii Carthaginensis VI. an. 419. cap. 8. Nicænum illum cum aliis 19. a SS. Cyrillo Alex., & Attico Constantinopolit. ad se transmissis ex versione Theilonis, & Thearisti, sive Filonis, & Evaristi legerunt: *Si aliquando venerint ad Catholicam Ecclesiam Cathari*, (Novatiani nempe apud S. Ambrosium de Pœnit. lib. 1, Eusebium lib. 6. cap. 33, S. Epiphanium hær. 59, & S. Hieronymum in Cap. 13. Oseæ) *placuit, sicut & magnæ Synodo* (Nicænæ) *eos ordinatos sic manere in Clero*. Ferrandus etiam Diac. in Brev. cap. 172. sic habens: *Ut hi, qui nominantur Cathari, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in Clero*. Ita pariter Nicænum Canonem 8. accepisse leguntur Monachi Studitæ in Synodo VII, quorum interpretatio eidem Synodo Act. 1. apud Harduinum tom. 4. pag. 50. accepta evasit. Atque ita concorditer de manuum impositione Cæremoniali, non Sacramentali, locum illum interpretati sunt Balsamou, Zonaras, Aristenus, Gentianus Hervetus, Christophorus Justellus, & Guillelmus Beveregius tom. 2. pag. 67. Quibus omnibus concordat Codex Corbejensis medio Sæculo VI. exaratus apud Contantium pag. 826. Quam lectionem quidem confirmare adhuc juvat ex Can. 19, quo Nicæni Patres de Paulianistis loquentes, quorum Baptismum ceu invalidum habebant, Clericos admitti prohibent, nisi baptizati prius, ordinatique fuissent, Ἀναβαπτισθέντες χειροτονεῖσθαι, idest *Baptizati Ordinentur ab Episcopo Catholicæ Ecclesiæ*. Ubi plane vides duobus illis in locis diverso uti Patres Nicænos verbo, nempe Can. 8. χειροθετουμένοις ad significandam manus simplicem impositionem, & Can. 19 χειροτονεισθαι ad denotandam proprie Ordinationem. Atque ex his utique patet, quo pariter sensu accipi debeant Nicæni Patres, dum in epist. Synod. ad Ecclesiam Alex. de Ordinatis a Meletio verba facientes, *Illi*, inquiunt, *qui ab eo in sacrum Ordinem lecti sunt, simul atque* Sanctiore Ordinatione confirmati *fuerint, ad Communionem*

al-

admittantur, & *permittatur illis quidem honoribus frui*, & *Sacris muneribus fungi*, prout Latine reddidit Balforeus, vocibus nempe illis Μυστικωτέρα Χειροτονία βεβαιωθέντας non proprie Ordinationem, ſed manuum impoſitionem ſignificare voluiſſe, ideoque potius fuiſſe vertendum : *Sacra manuum impoſitione firmati* &c. Qua profecto de interpretatione confer Doctiſſ. Ballerinios in Adnot. 13. ad Epiſt. 167. S. Leonis M. tom. 2. pag. 1598. Emendanda igitur eſt lectio Gratiani Can. 8. *Siqui voluerint* 1. Q. 7, ubi ex Iſidoro Mercatore decepto, non ſecus ac Martino Bracar. forſitan ex interpretatione ſiniſtra Græci Canonis ad Africanos tranſmiſſa, Canonem iſtum Nicænum 8. deſcripſit iiſdem verbis : *Placuit, ut ordinentur, & maneant in Clero*; emendanda, inquam, atque ad verſionem Dionyſii Exigui ſupra deſcriptam exigenda. Equidem Morinus teſtimonio innixus Theophili Alex. in epiſt. ad Ammonium, a Balſamone relati, a quo interrogatus de Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus reſpondit Nicænæ inhærendum Synodo, quæ ordinandos juſſit, ſiqui regrederentur, contendit laudatum Canonem 8. de proprie dicta Ordinatione accipiendum. At enim præterquam quod Balſamon adeo a Theophili ætate diſſitus tanti non eſt, ut fidem omnino noſtram obliget, neque adeo heic ejuſdem Theophili auctoritas urgebat, ut Juveninus propterea illum perperam cogeretur interpretari loquutum non de Clericis, ſed de Laicis a Novatianis partibus ad frugem ſe recipientibus. Etſi enim Latinus Interpres apud Harduinum tom. 1. pag. 1199. legerit *Ordinentur*, & *Ordina*, Græcus attamen Theophili textus habet χειροτονεισθαι, & χειροτονεῖν, quibus peræque manuum impoſitio importatur. Ratum ſtat ergo fixumque a Concilio Nicæno χειροθετήματι pro manuum impoſitione acceptum fuiſſe, atque ita quidem fore accipiendum exputat vir Græcæ linguæ peritiſſimus Cornelius Schrevelius in Lexico Græco-Lat. pag. 563. edit. Patav. 1752. Quare & Petrum de Marca, ſequutum Ducæum, contendentem vocem χειροτονίαν apud Scriptores Eccleſiaſticos ſemper pro Conſecratione uſurpatam jure refellit vir Doctiſ. Joſephus Motta in diſſert. de Metropolitico jure n. 76. pag. 101, ibidem, & n. 8. oſtendens ſæpe etiam ſæpius pro Electione uſurpari conſueviſſe; de qua nunc acceptione:

tione non eſt ſermo. In Concilio Alexandrino an. 362. ſub S. Athanaſio, ut ex Synodica ad Occidentales, ex epiſtola S. Athanaſii ad Rufinianum, & Act. 1. Synodi VII. edit. Hard. tom. 4. pag. 58. fit manifeſtum, ſancitum eſt inter Clericos in locum recipiendos eſſe, ſive qui a Meletii partibus ad Eccleſiam regrederentur, ſive qui Arianam, aut qualemcumque hæreſim, ad quam violentia quadam tracti fuiſſent, modo hæreſis Auctores non extiterint, deteſtati, poſtea veniam ſuppliciter petiiſſent; iis nempe *Placuit, ut venia detur, & habeant Cleri locum.* Atque Romæ hæc ipſa ſcripta, a Romana Eccleſia recepta fuiſſe ſubjungitur. Liquida eſt hac de re Synodi Valentinæ an. 374, aut inſeq. Can. 1. ſententia, quæ hiſce nihil obſcuris effertur verbis: *Placuit etiam de eorum ſtatu, qui prius ordinati ſunt* (loquitur de Clericis illegitime ordinatis, ac ſignatim Digamis) *nihil revolvi, ſi nulla extrinſecus cauſſa procedat, qua indigni Miniſterio comprobentur.* Ut erant vero Africani Præſules Sedis Apoſtolicæ obſervantiſſimi, ab eaque decretorum retinentiſſimi, in Synodo Leptenſi circa an. 386. Canones, ac in his Can. 8. de Novatianis, & Donatiſtis ſola manus impoſitione recipiendis, a S. Siricio ſuæ ad Africanos epiſtolæ 5. inſertos amplecti religioni habuerunt. Eos Canones Ferrandus Synodo Zellenſi tribuit, ſed Manſius Suppl. tom. 1. pag. 251. ex Codice Ms. Lucenſi tribuendos Leptenſi arguit. A Synodo Capuana, quam in an. 341. veriſimilius rejicit Tillemontius in adnot. 41. ad S. Ambroſium, de quave Noriſius in hiſt. Donat. par. 2. cap. 8, tam Flaviani Antiocheni in parte Meletii Ordinationem, dum eidem præeſſet Eccleſiæ in parte Paulini Evagrius, quam Ordinationes a Bonoſo ſive Naiſſitano, juxta Sirmondum, & Holſtenium, ſeu verius Sardicenſi Epiſcopo, juxta Garnerium, & Coutantium, tum poſt depoſitionem, tum in aliena Parochia celebratas ratas fuiſſe habitas, vetitaſque Rebaptizationes, atque iteratas Ordinationes abunde liquet ex S. Ambroſio in epiſt. 56. ad Theophilum Alex., & Codice Can. Eccl. Afric. Can. 48. Quam certe Synodi Capuanæ ſententiam acceptam habuere tum Theophilus, Ægyptiique Epiſcopi, quibus Flaviani cauſſa cognoſcenda fuerat demandata, uti liquet ex cit. epiſtola S. Ambroſii, tum Anyſius Theſſal., & Illyrici Epiſcopi, quibus pariter de Bonoſo cognitio com-

commiſſa fuerat, ut adparet ex epiſtola 9. S. Siricii ad Illyricos. Placuiſſe quoque SS. Siricio, & Innocentio (quorum poſtremi judicio tam Flaviani, quam Bonoſi cauſſam fuiſſe reſervatam ſit manifeſtum ex præcit. epiſtolis S. Ambroſii, & Siricii) eloquuntur utriuſque litteræ, atque S. Siricii quidem mox laudata ad Anyſium, & Illyrici Epiſcopos, S. Innocentii vero tam 21. edit. Concil. ad Marcianum Naiſſit., quam 22. ad Rufum, & Epiſcopos Macedoniæ. Probatam evaſiſſe perinde Africanis Patribus argumento, documentoque eſt Concilium Carthaginenſe III. an. 397. Can. 38. relato in Codic. Afric. Eccl. Can. 48, & a Gratiano Can. 107. *Non licet* de Conſecr. diſt. 4, ubi *Mandatum nobis*, inquiunt, *quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum: Non liceat fieri Rebaptizationes, & Reordinationes, vel Translationes Epiſcoporum*. Arriſiſſe demum Gallicanis Epiſcopis dubitare non ſinit Arelatenſis Synodus II. an. 452. Can. 17, ubi Capuenſis Synodi in conſpectu ſane habentes ſententiam, *Bonoſiacos*, inſiunt, *ex eodem errore* (quo infecti nempe erant Photiniani, ſive Paulianiſtæ, quos ſuperiori Can. 16. baptizandos ſecundum Can. 19. Nicænum indixerant) *venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt* (modo Catholicam fidem ex corde puro, integroque profiterentur) *cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*. Quamvis igitur circa impia dogmata Bonoſiaci non differrent a Paulianiſtis, & Photinianis, uti referunt Marius Mercator pag. 165. edit. Baluzii, S. Auguſtinus in epiſt. 242, S. Gelaſius in epiſt. 33. n. 4, Gennadius de Script. Eccleſ. cap. 14, & lib. de Dogmat. Eccleſ. cap. 22. alias 52, S. Gregorius M. lib. 11. epiſt. 67, & Arelatenſis Synodi Epiſcopi præcit. Can. 17, ex utriuſque tamen Canonis 16, & 17. collatione liquet, quo ad diſciplinæ hoc caput a Paulianiſtis diſcrepaſſe Bonoſiacos, quod illi rite non baptizarent, iſti vero ſicut Ariani Baptiſmum rite adminiſtrarent, ideoque juxta Can. 19. Nicænum Paulianiſtas quidem iterum baptizari, & ordinari a Synodo Arelatenſi recte juſsum Can. 16, Bonoſiacos vero Can. 17. iterum ordinari diſtricte vetitum juxta Can. 9. Nicænum de Catharis, ſive Novatianis. Quod ſi e Bonoſiacis aliqui Baptiſmum recte non conferebant, uti inſinuare videntur Gennadius, & S. Gregorius M.,

eo in caſu profecto eorum Ordinationes invalidæ erant, ideoque iterandæ. Ex quibus patet ab adverſæ opinionis patronis, atque a doctiſs. alioqui Sbaralea præſertim in diſput. de pravorum Ordinat. c. 8. n. 15, quæſtionem hancce perturbari, neque bona fide pertractari, dum nempe ex errorum conformitate Paulianiſtas inter, & Bonoſiacos inferre non dubitant utrorumque Ordinationes invalidas fuiſſe, atque ideo ex decreto Eccleſiæ iterandas. Nec prope, nec procul hinc aberant Patres Concilii Taurinenſis circa an. 398. juxta Coutantium, aut verius 401. juxta Manſium, qui Can. 3, relato a Concilio Toletano XII. Can. 4, Ordinationes ab Octavio, Urſione, Remigio, & Triferio contra Patrum ſtatuta peractas confirmare, & probare non dubitarunt; & Can. 6. Felicis quidem Trevirenſis Epiſcopi, in Synodo Trevir. an. 385. ab Ithacio ordinati, communionem abjecerunt, S. Siricii litteris admoniti, & juſſi, Ordinationem tamen tanquam invalidam non improbarunt, ſicuti neque Can. 8. Ordinationem illorum irritam habuerunt, qui alioqui contra Canones ordinati fuerant. Qui perinde Canon 8. Taurinenſis in Concilio Arauſicano I. an. 441. Can. 24 inſtauratus legitur. Neque pariter Hiſpanis defuit S. Siricius Epiſcopis, quominus ipſis auctorem ſe dederet cum gradibus recipiendi, qui e Priſcilliani hæreſi ad Eccleſiam regrederentur. Cujus in vim juſſionis in Concilio Toletano I. an. 400, aut inſeq. Sedibus reſtituti ſuis ſunt Symphoſius, Dictinius, & Anterius Epiſcopi, qui poſtquam aliquando in Priſcilliani caſtris demeruiſſent, iis deſertis, ejuratiſque ad Eccleſiam ſe contulerant: quod beneficium pariter ad Vegetinum, & Paternum extenſum legitur, ea conditione adjecta, ſi Apoſtolicæ Sedi id probatum, acceptumque fieret, quod plane acceptum, probatumque S. Innocentio I. obtigiſſe augurari licet ex ipſius Epiſt. 23. edit. Concil. ad ejuſdem Synodi Toletanæ Epiſcopos cap. 1. Juxta ſententiam pridem a S. Melchiade in cauſſa Donatiſtarum prolatam, in Collatione Carthaginenſi an. 411. Cognit. 1. cap. 16. Donatiſtis per Epiſtolam, quæ apud S. Auguſtinum epiſt. 128. extat, Africani Epiſcopi polliciti ſunt, ut ſi ad Eccleſiæ unitatem redire vellent, ſic recipiendos eſſe: *Ut non ſolum viam ſalutis inveniant, ſed nec honorem Epiſcopatus amittant*. Quam perpetuam fuiſſe Præſu-

lum

lum Africanorum ſententiam de validis Donatiſtarum Ordinationibus perpetuo confirmat S. Auguſtinus in Brevic. Collat. diei 1. cap. 5, lib. de geſtis cum Emerito, lib. 2. adv. Parmen. cap. 13, pluribuſque in locis aliis, de quibus paullo infra. Confirmarunt & ipſi perinde in epiſtola ad Johannem II. numero ducenti ab ipſo requirentes: *Quomodo Arianorum Sacerdotes ad Catholicam fidem ſuſcipi oporteat; utrumne in ſuis honoribus, an in laica Communione*. Quæ plane ſupponunt perſuaſiſſimum ipſis fuiſſe validas eſſe apud Arianos Ordinationes. Retro nunc flectendo veſtigia, a Concilio Epheſino generali III. an. 431. in Decreto poſt Can. 6. relato Meſſalianos, ſive Euchitas, hæreticorum genus Enthuſiaſtis apud Anabaptiſtas ſimillimum, admittendos eſſe, modo fidei profeſſione ſcripto exarata hæreſim prorſus omnem exſecrarentur, ſancitum eſt, videlicet, ut *Si Clerici fuerint, maneant Clerici, ſi Laici, ad Communionem admittantur. Quod ſi renuerint anathematizare, ſi Presbyteri, vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Eccleſiæ, excidant & a Clero, & a gradu, & a Communione; Laici vero anathematizentur*. Quibus plane apertiſſimam eſt vim inferre, pugnare velle cum Sbaralea cap. 11. n. 10. Meſſalianos nec Baptiſmo ablutos, nec Ordinibus inſignitos, ideoque ſine iterata Ordinatione, imo Baptiſmo collato Meſſalianos ab Epheſino Concilio non fuiſſe receptos. Equidem S. Epiphanius hær. 40, Theodoretus lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 10, & Nicephorus lib. 11. cap. 14. referunt Meſſalianos in eo erraſſe, quod nullam utilitatem ex Baptiſmo provenire dicerent, ſicuti neque Euchariſtiam quidquam prodeſſe, vel obeſſe. At præterquamquod ne leviter quidem indicant, ſicuti neque S. Auguſtinus de hær. cap. 57. eorumdem errores deſcribens, Meſſalianos propterea a Baptiſmo abſtinuiſſe, ſiquidem expreſſe affirmant Euchariſtiæ operam dediſſe, fit inde veri admodum ſimile Baptiſmum pariter adhibere non deſtitiſſe, etſi neque Euchariſtiam, neque Baptiſmum prodeſſe, quum neque obeſſe putarent. Et certe Encratitas etſi a Baptiſmo abhorrerent, velut auctor eſt S. Baſilius in epiſt. ad Amphiloch., ut dignos tamen ſe exhiberent, qui in Eccleſia reciperentunt, Baptiſmum uſurpare conſueviſſe, quem num in iis iterare oporteret dubitat ibidem S.

Doctor. Archonticos quoque Baptiſmum contemptui habuiſſe perhibet S. Epiphanius hær. 40, quos tamen baptizari ſe ultro citroque permiſiſſe advertit. Accedit & illud, quod inter Canones 39. in Synodo Seleucienſi a Neſtorianis an. 576. adverſus Meſſalianos habita, quos memorat Elias in Nomocanone Arabico, deſcripſitque Aſſemanus in Bibl. Orient. tom. 3. par. 2. pag. 183, Can. 1, quo Meſſalianorum errores, quibus Euchariſtiam, Jejunium, & Pſalmodiam deſpiciunt, Fornicationem licere dicunt, bonorumque præmia denique, pœnaſque ſcelerum pernegant, de negato, ſive neglecto Baptiſmo ne leve quidem veſtigium adparet. Procedendo ad Concilia alia, a Chalcedonenſi Act. 4. Epiſcopis Ordinatis a Photio Tyrio, amotis vero ab Euſtathio Berythenſi, nihil de Ordinis dignitate, & honore deperiiſſe declaratum legitur. Et Can. 2. Simoniace ordinati a dignitate, gradu, & officio detruduntur quidem, at eorum Ordinatio haud invalida habetur. Refertur quoque ex Capitularibus Caroli M. a Cabaſſutio in Not. Concil. Sæculi IX. cap. 19. pag. 322. Conferendi etiam Canones 6, & 10. In Agathenſi an. 506. Can. 1. confirmatus legitur Canon. 2. Valentini Concilii, de quo ſuperius, ut Digami nempe ab Ordinum executione abſtineant, nomen tamen obtineant. Quod non eſt aliud, quam illos Ordinis Charactere reapſe fuiſſe inſignitos. Hujus eſt perquam ſimilis Canon 43. de Pœnitentibus Clericis, ex quo præced. Can. 1. probam tenere interpretationem licet. Atque huic poſtremo Can. 43. conformes plane ſunt Concilii Carthaginenſis IV. an. 398. Can. 68. relatus a Gratiano Can. 55. *Ex Pœnitentibus* diſt. 50, & Aurelianenſis III. an. 538. Can. 6; atque ex his intelligendus Canon 4. Concilii Hiſpalenſis II; priori vero Can. 1. congruit Synodi Aurelianenſis IV. an. 541. Canon 10, de quo Ivo par. 8. cap. 301. Ab Hiſpalenſi II. an. 619. quidam ex Acephalorum hæreſi Epiſcopus ad frugem redux cum gradu receptus legitur Can. 12. Toletani VIII. an. 653. Concilii explicitiſſima ſententia eſt, quod Ordinis Character a quocumque Epiſcopo rite collati recipiatur, neque ab ullo, qui receperit, quacumque ex cauſſa amitti poſſit, quæ Can. 7. ſic effertur: *Sicut Sanctum Chriſma collatum, & Altaris honor evelli non queunt: ita quoque ſacrum decus honorum*

(Ordi-

(Ordinum) *quod his compar habetur, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus modis inconvulsum*. Ex quo rite interpretari est Canones 3, & 4. de Simoniæ, & Incontinentiæ labe inquinatis gradus amissione mulctandis. Atque ita quidem valide ordinatos supponebat Clericos, quos ob crimina quædam ibidem recensita gradu abigi decernit Egbertus Eborac. in suis Excerptis, sive Pœnitentiali lib. 2. cap. 15. ex Vauraeo regestis ab Harduino tom. 3. pag. 1983. Sed enim ex Synodo VII, sive Nicæna II. an. 787. certo certior nostra de valide celebratis ab Hæreticis, Schismaticis &c. Ordinationibus evadit sententia. Nam Actione I. relectis Nicæno Can. 8, Ephesino Can. 3, & Decreto de Messalianis; atque Epistolis S. Basilii ad Amphiloch. de Encratitis, ad Evaisenos de Galatis, ad Occidentales de Eustathio Sebast., & ad Terentium de eodem Eustathio, S. Cyrilli Alex. ad Maximum, & Gennadium, ac S. Athanasii ad Rufinianum, quibus decretum legebatur hæresum dumtaxat Auctores perpetuo ab Ecclesiasticis gradibus excludendos, reliquos vero ut Novatianos, Encratitas, Arianos, & Nestorianos ad Ecclesiam regredientes cum pristino gradu fore recipiendos, Iconoclastis reducibus dignitatis venia facta est, atque in suo Ordine iidem admissi. Cujus in rei confirmationem productum fuit exemplum præterea Marcelli Ancyrani suo loco redditi, Meletii ab Arianis ordinati, Cyrilli ab Acacio in locum Maximi Hierosolym. suffecti, Anatolii a Dioscoro consecrati, Johannis II. Ecclesiæ Hierosolym., Elia expulso, a Severo subrogati, eorumque, qui a Monothelitarum Promachis Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro fuerant ordinati. Actione 8. demum lectis Canone Apostol. 29, Chalcedonensi Can. 2, Synodica Gennadii Constantinopolit. an. 460, Trullano Can. 22, editisque Canonibus 4, & 5, quibus omnibus Simoniace ordinati dignitate abdicantur, S. Tarasius Constantinopolit. Antistes in Synodica ad Johannem Hegumenum indulget nihilosecius, jubetque sic Ordinatos, modo facti pœniteant, in Sacerdotio, quod sortiti fuerint, suscipi, & permanere. Synodus Suessionensis III. an. 866. S. Nicolai I. P. M. sacra jussione compulsa a præcedentis Suessionensis II. Synodo an. 853. decedere sententia officio, religionique ducens in epist. Synodica ad eumdem Pontificem apud Harduini-

duinum tom. 5. pag. 623, & seqq., testimoniis etiam ibidem descriptis S. Innocentii I. in epist. ad Exuperium, S. Leonis M. in epist. ad Rusticum, S. Gelasii ad Episcopos Lucaniæ, & Concilii Carthaginensis Cap. 35. (in Codic. Eccl. Afric. Can. 68.) tandem edocta, *Secundum, quod Synodus Nicæna in Epistola* ad Egyptios *de ordinatis a Meletio Episcopo damnato decrevit, videlicet, ut Mystica ordinatione firmati haberent honorem, & ministerium*, ita paratissimam, si id Pontifici alluberet, ad recipiendos cum gradibus suis ordinatos ab Ebbone, & ad majores Ordines promovendos se se exhibuit. In Synodis Gallicana incerti loci, Romana sub Theodoro II. an. 898, cujus utriusque expressa mentio occurrit in Fragmento Actorum Synodi II. sub Johanne IX. Romæ habitæ eodem anno, quod ex Mabillonii Musæo Ital. tom. 1. par. 2. descriptum exhibetur in Collect. nov. Concil. Labb. edit. Ven. tom. 11. pag. 699, atque in Romana I. & II. Can. 3, 4, & 5, sub Johanne a Formoso præstitas Ordinationes vindicatas fuisse, admissasque ex parte jam superius indicavi: non secus atque a Martino V. in Concilio Constant. sess. 43. Const. *Multæ* Simoniace ordinatos ab Ordinum executione suspensos fuisse quidem, non etiam Ordinibus exspoliatos; necnon ab Eugenio III. in Florentino Const. *Exsultate* fuisse definitum tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Ordine indelebilem imprimi Characterem, ideoque in eadem persona reiterari ea non posse. Quæ definitio postea a Concilio Tridentino confirmata legitur Sess. 7. Can. 9, & Sess. 23. Cap. 4, & Can. 4.

Suffragantur huicce sententiæ SS. Patres, Scriptores Ecclesiastici, deque Schola Theologi; atque ex Græcis quidem S. Athanasius in epist. ad Rufinianum Arianos ad Ecclesiam reduces nec reordinandos rescripsit; quin illis, qui hæresis Auctores non fuissent, *Ut venia detur, & habeant Cleri locum*. Quod ipsum Romanæ Ecclesiæ probatum evasisse subjungit, atque ab ipso perinde an. 362. in Synodo Alexandrina (quam Concilium illud fuisse plenarium, de quo S. Augustinus loquitur lib. 2. de Baptis. cap. 9, de quove ingens inter Eruditos quæstio exagitata est, quod fuisse Constantinopolitanum I. quidam putant, Capuanum alii, Arelatense I. Launojus, Sirmondus in præfat. tom. 1. Concil. Gall.,

Gall., Albaſpinæus in Obſervat. 10. ad S. Optatum, & Petrus de Marca lib. 4. Conc. cap. 17, Nicænum viciſſim Bellarminus de Sacram. lib. 1. cap. 26, Thomas Hauzeur tom. 2. Anotom. oper. S. Auguſt. ad libros de Baptiſ., Bail tom. 2. ad Concil. Areſat., Pagius ad an. 314. n. 17, & ſeq., aliique, pugnat Hallier de Sacr. Elect., & Ordinat. ſect. 3 art. 2. cap. 2. §. 2.) ſancitum paullo ſuperius adnotabam, cujus rei teſtis etiam accedit S. Hieronymus in dialog. adv. Lucif. S. Baſilius in epiſt. Canon. ad Amphiloch. cap. 1. Izoem, & Saturninum Encratitarum hæreſi olim adfectos cum gradu priſtino Epiſcopi, quo apud hæreticos illos fuerant inſigniti, fuiſſe ſuſceptos affirmat. In epiſt. ad Nicopolitas ex interpretatione S. Taraſii in Synodo Nicæna II. Act. 1. Arianos cum Ordinibus difficile quidem recipiendos fore ſcripſit, Eccleſiæ tamen bono exigente, recipi poſſe non negavit. Ad hæc in epiſt. 76. ad Epiſcopos ſuffraganeos ſuos Ordinationes Simoniacas exſecratus equidem eſt, loco tamen permanere ſuo permiſit: *Poſthac*, inquiens, *non fiant, ſed emendentur.* Et in epiſt. 196. ad Theodorum, quo teſtimonio utitur adverſus Photium Nicætas in vit. S. Ignatii, ingenti Euſtachio Sebaſteno flagitio vertit: quod *Quibuſdam manum denuo imponere præſumpſit.* Paulino Antiocheno, qui an. 389. Evagrium ſibi ſucceſſorem conſtituere, ſuiſque manibus, atque ſolus Epiſcopum conſecrare ſuſtinuerat, etſi multiplex Canonum interveniret tranſgreſſio, valide tamen id ab ſe peragi intime perſuaſum fuiſſe nemo negaverit. Et certe ab Evagrio præſtitæ ſubinde Ordinationes Romanæ Eccleſiæ probatæ evaſerunt. Atque ſimili plane in ſententia verſatos SS. Meletium, & Cyrillum ab Arianis in Sebaſtenum, & Hieroſolymitanum ordinatos Antiſtites exputare valdequam pronum eſt. S. Jo: Chryſoſtomus Simoniace ordinatos ab Antonino Metropolita Epheſino ab Altaris communione arcendos quidem fore affirmavit apud Palladium in ipſius vita, perlectus in Nicæno II. Synodo Act. 1, irritas tamen propterea non habuit ab eodem peractas Ordinationes. Atque ſiquidem valide Sacramenta ab indigno, cujuſque ſit is genus, Miniſtro confici, & adminiſtrari S. Doctori arcte inſitum erat, uti docet hom. 8. in epiſt. 1. ad Corinth., & hom. 11. in epiſt. ad Theſſal., qua in ſententia pares eidem ſtetere S. Gregorius Nazian. in

in Orat. de Baptiſ., ac perinde S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 304, Euthymius in cap. 11. Johan., & Theophylactus in Johan. cap. 20. inde conſequitur tam iſtis, quam illi perſuaſum fuiſſe validas eſſe Ordinationes a quocumque celebrentur Epiſcopo. S. Cyrillus Alex. in Synodo VII. Act. 1. etiam laudatus paratum ſe ad recipiendos cum gradu, qui partibus Neſtorianorum ſtuduerant, atque ſuo detruſi propterea fuerant loco, modo ſincere ad frugem regrederentur, in epiſt. ad Maximum ſe exhibuit; & in epiſt. ad Gennadium Proclum laudat, quod Ælienſem Epiſcopum ſuam in communionem admiſiſſet. Theodoretus quoque in hiſt. Relig. cap. 13. Reordinationes abſolute reprobat dilucidis hiſce verbis: *Fieri non poteſt, ut bis fiat eadem manuum impoſitio.* Quam pariter in ſententiam concurriſſe cum S. Taraſium in Synodo VII, tum Metrophanem in Synodo VIII. paullo ſuperius animadvertebam. Ex Latinis jam vero S. Hilarius Pictav. in lib. adverſ. Conſtantium n. 2. in ſuam admittere Communionem Saturninum, Urſacium, & Valentem Arianæ ſectæ Anteſignanos detrectavit, non etiam alios eodem a Grege ad Eccleſiam regredientes cum gradibus ſuis abſque cunctatione recipere. S. Hieronymus in Dialogo adverſ. Luciferianos in fin. a Synodo Nicæna hæreticos omnes indiſtinctim, Paulianiſtis exceptis, admiſſos obſervans: *Et quod his majus eſt*, ſubjungit, *Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyterii gradum ſervat.* Cujus rei hanc reddit rationem, quod Sacramentorum validitas non a Miniſtro, ſed a Deo dependeat: *Sicut hic eſt*, inquiens, *qui baptizat, Chriſtus; ita hic eſt, qui ſanctificat*; quam ſententiam parum diverſis effert verbis in Aggæum tom. 3. pag. 1697: *Malus*, inquiens, *Dei Sacramentum miniſtrat, non de ſuo miniſtrat.* Explicatiſſimus, atque perpetuus S. Auguſtinus eſt in docendo neque Baptiſmum, neque Ordinem rite collatos etſi ab Excommunicatis, Hæreticis, Schiſmaticis, Improbis, Officioque privatis iterandos fore. Ita prætermiſſis de Baptiſmo locis, de Ordinationibus haud repetendis loquens lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13. n. 28, & ſeqq. *De iis*, inquit, *qui ab Eccleſiæ unitate ſeparati ſunt, nulla jam quæſtio eſt, quin & habeant, & dare poſſint* (ſicut Baptiſmum, ſic Ordinationem), *& quin pernicioſe habeant, pernicioſeque tradant extra vinculum*

culum pacis. Audiſtin' ſua jam ætate S. Auguſtinum dicentem jam nullam ſuperfuiſſe hacce de re quæſtionem? Non id utique proprio ex ſententriæ privatæ ſuæ penu deprompſiſſe putes, ſed id, *Quod in ipſa totius Orbis unitate diſcuſſum, atque conſideratum, perfectum, atque definitum eſt*, ut ipſemet ſe proferre teſtatur. Quid hoc autem, quæres iterum, eſt, in quod Orbis totius conveniſſe vota S. Doctor affirmat? Tam Baptiſmum, quam Ordinationem, tam in Eccleſia licite, ac legitime, quam legitime, etſi illicite extra Eccleſiam conferri: *Utrumque enim*, inquit, *Sacramentum eſt, & quadam Conſecratione* (Characterem imprimente indelebilem) *utrumque homini datur, illud quum baptizatur, iſtud quum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari*. Ex quibus converſo ad Donatiſtas in Eccleſiam recipi poſtulantes ſermone, permiſsos eos fuiſse air eadem officia gerere, quæ pridem gerebant, atque ſicut rurſum baptizari non fuiſsent, ſic *Non ſunt rurſum ordinati*: *Sed ſicut Baptiſmus in eis, ſic Ordinatio manſit integra*. Horum ſimillima habet lib. 1. de Baptiſ. contra Donat. cap. 1, ubi iterum comparatione inſtituta inter utrumque Sacramentum, *Sicut baptizatus*, inquit, *ſi ab unitate receſſit, Sacramentum Baptiſmi non amittit, ſic etiam ordinatus* &c.; lib. 2. contra Creſcon. cap. 11, in Brevic. Collat. cap. 8, in Pſal. 54. n. 19, lib. de Bono Conjug. cap. 24, ubi loquens de Clericis improbis, ideoque officio privatis: *Manet tamen*, air, *in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis*; in Epiſt. 43., alias 162, 50., alias 161, & 185, alias 47; lib de geſtis cum Emerito, & alibi ſæpe adverſus Donatiſtas diſputans. S. Optatus, qui Donatiſtis piaculo deputat, quod rebaptizarent, lib. 4. n. 4, lib. 5. pag. 87, lib. 6. n. 3, & lib. 7. n. 4; quique lib. 1. Donatiſtas in Synodo Romana a S. Melchiade pro legitimis habitos Epiſcopis agnovit, atque lib. 7. n. 4. Chriſma a Donatiſtis conſecratum a Catholicis Epiſcopis ſervari ſcripſit, validas quoque exiſtimaſse Ordinationes ab Hæreticis collatas putandus eſt, ideoque benigne, ut par eſt, accipiendus, ſi quando lib. 1. Schiſmaticorum Baptiſmum ſuſcipere, Hæreticorum vero excludere viſus eſt. In hanc ipſam perinde de validitate Ordinationum, a quocumque ex celebrentur Epiſcopo, ſententiam manibus, pedibuſque conſpirarunt Auxilius Pres-

byter in libris duobus de Ordinat. Formoſi. Fulbertus Carnot. in ep. 25. ad Leuthericum Senon. laudatus a S. Petro Damiani in ep. ad Hildebrandum, qui interrogatus de quodam Presbytero ſimoniace ordinato reſpondit ex decreto Concilii Toletani XI. Can. 9. eum depoſitum non eſse reordinandum, ſed ei per Inſtrumenta, & Veſtimenta, quæ ad gradus pertinent, gradus ipſos eſse reddendos. S. Petrus Damiani, qui in præcit. epiſt. ad Hildebrandum hanc ipſam Fulberti propriam facit, adoptatque opinionem, in Opuſc. 5. Mediolani Clericos ſimoniæ, & incontinentiæ vitio inquinatos nova abſque Ordinatione ab ſe ſuſceptos fatetur, atque in Opuſculo 6, quod *Gratiſſimus* inſcripſit, capitibus 39. conſtante, & Henrico Archiep. Raven. nuncupato totus in id incumbit, ut a Simoniacis Epiſcopis conſecratos iterum conſecrandos non eſse oſtendat. Bonizo Sutrinus, qui in Syntagmate decret. Eccleſ. in ſeptem libros diſtributo lib. 1. circa fin. impium, qui ſua ſub ætate irrepſerat, a Schiſmaticis inductus ſane, abuſum improbat, tanquam ſacris Canonibus adverſum, Ordinationes iterum celebrandi, etſi fama ad ſe perlata, ſed falſa profecto, quaſdam Romanæ Eccleſiæ auctoritate peractas ſe audiviſse referat. Algerus, qui de Sacr. Corp., & Sang. Chriſti lib. 3. cap. 10. Sacramenta extra Eccleſiam confecta valida, & vera eſse SS. Auguſtini, Hieronymi, & Leonis M. auctoritate propugnat. Hugo Victor. in Sum. ſent. tract. 6. cap. 9; Gratianus Can. 97. *Quod quidam* 1. Q. 1. deceſpto ex S. Auguſtino lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 13, junctis ibidem Gloſsa, & Berardi par. 3. tom. 4. cap. 19. pag. 359. Henricus Oſtienſis in Sum. lib. 1. de Tempor. Ordinat. n. 5, qui ex Synodo VII. Act. 1. relata Can. 4. *Convenientibus* 1. Q. 7. ab Epiſcopo Schiſmatico Ordines valide conferri docet. Præpoſitivus in Summa Theolog. Ms. par 2. pag. 56. apud Morinum exercit. 5. cap. 1. n. 3, & Cardonum in hiſt. Sacram. tom. 3. lib. 1. c. 13. pag. 81, & ſeq. Robertus Pullus Cardin. in Sum. Theolog. p. 7. cap. 14. apud eumdem Cardonum ibid. Alexander Alenſis in Sum. Theolog. par. 4. q. 10. memb. 5. art. 1. §. 5. S. Thomas in 4. diſt. 25. q. 2, & in Suppl. q. 38. art. 2. S. Bonaventura in 4. diſt. 25. q. 2. Scotus in 4. ſent. diſt. 13. q. 2; & diſt. 25. q. 2. Riccardus Mediavilla in 4, diſt. 25. q. 3. art. 1. Quibus utroque ſubſcribunt

bunt pollice ceteri de Schola Theologi, Vaſquez in 3. par. S. Thomæ tom. 3. diſp. 243. cap. 2; Lupus tom. 3. diſsert. 2. proœm. capp. 16, & 17, relatus etiam a Van. Eſpenio Jur. Eccleſ. univ. par. 2. tit. 30. cap. 6. num. 7; Hallier de Sacr. Elect., & Ordinat. par. 2. ſect. 3. cap. 2. §. 18; Queſnellus in Not. ad epiſt. 2. S. Leonis ad Ruſticum num. 6; Juveninus in Comment. hiſt. dogmat. de Sacram. diſsert. 8. q. 6. capp. 2, & 3; Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. VIII. cap. 1. art. 8; Cardin. Petra in Comment. ad Conſt. unic. *Nullis* Alexandri II. tom. 2. ſect. 3. n. 13, & ſeqq. edit. Ven. pag. 172, & ſeq.; Toutnellius de Sacram. Ordin. q. 5. art. 1; Cardonus in hiſt. Sacram. tom. 3. lib. 1. de Ordin. cap. 13; Carolus Witaſse de Charactere q. 4; Drovinus tom. 2. de re Sacrament. lib. 8. par. 1. q. 6. §. 3; Berti de Theolog. Diſcipl. lib. 36. cap. 14, atque communiter Juris utriuſque Doctores eo ineluctabili momento ducti, quod etſi poteſtas Juriſdictionis auferri poſſit, non ita etiam amitti poteſt, vel amoveri poteſtas Ordinis ſemel collata, atque Characteri indiviſibiliter conjuncta, in quam, quemadmodum in poteſtatem juriſdictionis Eccleſia influit, Deus duntaxat operatur, a quo nonniſi certæ materiæ, & formæ determinatæ ſacræ vis Ordinationis fuit adnexa. Hinc ob paritatem rationis corruere oportet Antonii Auguſtini in Epitome Juris Pontif. lib. 23. tit. 8, Maldonati de Confitm. q. 1, Sirmondi in Antirrhetico 2. cap. 5, & Morini de Pœnit. lib. 9. cap. 7. opinionem exiſtimantium Hæreticis in hæreſi baptizatis, & confirmatis ad Eccleſiam ſe recipiebtibus iterato Confirmationis Sacramentum conferri olim fuiſse ſolemne.

Juvat interea hiſce præhabitis, locoque poſitis, objectis facere ſatis, atque facile quidem fit, verboque uno, aut altero omnibus offenditur, diſtinguendo tum inter Ordinationes celebratas ritu Eccleſiæ ſervato, vel non ſervato, tum inter Ordinationes invalidas, & illicitas, tum inter Ordinis Characterem, & poteſtatem, atque Ordinis effectum, ſeu gratiam, poteſtatiſque uſum, ſive exercitium, tum demum inter Ordinis Sacramentum, & Hierarchicum gradum, ſive Ordinis honorem. Ne tamen difficultatem declinaſſe potius, effugiſseque, quam diſſolviſſe, & expunxiſſe videar, breviter omnibus ſingillatim ſatisfacio. Igitur S. Inno-

centio I. ea ſane inerat ſententia ordinatos ab Arianis, & Bonoſiacis admittendos haud eſſe ſuis cum gradibus, & honoribus, non autem Ordinationes ab Arianis, & Bonoſiacis attentatas invalidas fuiſſe. Quæ ut in apriciſſimo ponatur, quandoquidem aliorum quoque Pontificum eadem fuit, obſervate non pœnitebit, juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam inter Hæreticos diſtinguendos alios, qui in hæreſi baptizati ad Eccleſiam venirent, & alios, qui ab Eccleſia ad hæreſim deſciviſſent, indeque ad Eccleſiam denuo rediiſſent. Priores per ſolam manuum impoſitionem ſtatim Eccleſiæ reconciliabantur; poſteriores per manuum impoſitionem pœnitentiæ ſubjiciebantur, qua demum perfuncti ad Eccleſiaſticam Communionem admittebantur. Per manuum porro impoſitionem Hæreticos omnes ad Eccleſiam recipiendos lex ferebat Eccleſiæ coœva, cujus locupletes accedunt teſtes S. Stephanus in epiſt. ad S. Cyprianum 74. inter Cyprian., S. Cyprianus ipſe in epiſt. 72, & 73, Synodus Arelat. an. 314. Can. 8, & in Synodica ad S. Silveſtrum, Euſebius lib. 7. cap. 2, Synodus Italica in Cod. Eccl. Afric. Can. 56. commemorata, S. Siricius in epiſt. 1. ad Himer. cap. 1, S. Innocentius I. in epiſt. 22. edit. Concil. ad Macedon. cap. 3, S. Auguſtinus in epiſt. 71. ad Quintum, & S. Leo M. in epiſt. 2. ad Ruſticum edit. Queſn. cap. 18, 149. ad Nicetam cap. 7, & 155. ad Neonem. At manuum impoſitio, quantum nunc attinet, de multiplici quippe alia acceptione paullo infra incidet ſermo, duplex in receptione hæreticorum uſurpari conſuebat. Prior nempe illa, qua baptizati in hæreſi ſtatim Chriſtianis Sactis adſociabantur, pœnitentiæ dumtaxat imaginem præſeferebat; poſterior autem, qua ab Eccleſia ad hæreſim tranſfugæ longæ pœnitentiæ adjiciebantur, rem ipſam pœnitentiæ importabat, ſub qua Communio differebatur, neque reſtituebatur, niſi poſt dignos pœnitentiæ fructus. De utriuſque differentia loquuntur S. Siricius in præc. epiſt. 1. ad Himer. cap. 1, S. Innocentius I. in epiſt. 18. edit. Concil. ad Alexand. cap. 3, S. Auguſtinus lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 2, & Vigilius in epiſt. 2. ad Profuturum cap. 4. Sub neutra vero ex duabus hiſce manuum impoſitione Clerici Majores, ideſt Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi, ſive in hæreſi ordinati, ſive ab Eccleſia ad hæreſim

tranſ-

transfugæ, indeque ad Eccleſiam reduces, recipi poterant, ideſt neque ſub ea, quæ pœnitentiæ rem importaret, neque etiam ſub ea, quæ pœnitentiæ dumtaxat imaginem præſeferret, ita ferente Eccleſiæ lege, cujus teſtes ſe præſtant liquidos S. Siricius in cit. epiſt. 1. ad Himer. cap. 14, S. Optatus lib. 2. adv. Parm. circa fin., S. Hieronymus adverſ. Lucifer. n. 13, S. Auguſtinus lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 1, Africani Epiſcopi in Cod. Can. Eccleſ. Can. 27, & S. Leo M. in epiſt. 2. edit. Queſn. ad Ruſtic. cap. 2. (Ex quibus manifeſtiſſime liquet manuum impoſitione non ſemper importatam Ordinationem iri, ſiquidem ſub præfata duplici acceptione non niſi cum Laicis ab hæreſi regredientibus adhibere ſoleret.) Quocirca Clerici ad frugem ſe recipientes a gradu ſuſpenſi manere perpetuo debebant, Laicæ dumtaxat Communione contenti. Niſi quod, Eccleſiæ bono exigente, diſpenſatum cum ipſis eſt ſæpius, ut ad Eccleſiam remigrantes, vel ſub præmiſſa ſimplici profeſſione fidei reciperentur, ſuiſque gradibus perfrui, officiiſque perfungi miſericorditer permitterentur: quo pacto diſpenſatum legitur a S. Leone M. cum Clericis Pelagianis in epiſt. 1. edit. Baller. ad Aquilej. Epiſcopum cap. 1, & 2. ad Septimum Altin. cap. 1, cum Donato Epiſcopo Novatiano, & Maximo Epiſcopo Donatiſta in epiſt. 12. ad Epiſcopos Maurit. cap. 6, & cum Pelagianis aliis in epiſt. 18. ad Januarium Aquil., atque, ut alios mittam, a S. Gregorio M. cum Clericis Neſtorianis lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum. Vel etiam ſub præſtita manuum impoſitione: quo pacto diſpenſatum vidimus paullo ſuperius cum Novatianis a Concilio Nicæno, cum Bonoſiacis ab Anyſio, cum Priſcillaniſtis a Concilio Toletano I, & cum Donatiſtis a Patribus Africanis: atque facilius quidem diſpenſari ſolebat cum his, qui in hæreſi ordinati fuiſſent, quam cum his, qui ab Eccleſia ad hæreſim tranſmigraſſent. At enim heic manuum impoſitionis nomine, ſub qua cum gradibus recipi aliquando Clerici permiſſi ſunt, accipi certe non debet, ut dixi, manus impoſitio, quæ pœnitentiæ ſive rem ipſam exhiberet, ſive imaginem dumtaxat, ſpeciemque referret, neque Sacramentalis Confirmatio, neque nova ſacra Ordinatio, ut oſtendi, ſed vel Ordinatio prius accepta ſignificabatur, vel Cæremonialis benedictio, de

de qua paullo poſt. Quibus præoccupatis, jam ſuapte prona fluit recta objectum ex S. Innocentio locum interpretandi ratio. Eatenus enim in epiſt. ad Alexandrum Antioch. Arianorum Baptiſmum *Ratum* habuit quatenus, hic prius informis, veluti Scholæ loquuntur, & gratia expers, per pœnitentiam in Laicis reparari poterat, & effectum conſequi, ſive gratiam, qua prius ob culpæ obicem carebat. *Irritas* autem viciſſim Ordinationes ab Arianis habitas dixit, ideo quod ita ordinati, juxta tum obtinentem Eccleſiæ diſciplinam, ad Laicam communionem detrudendi erant, ideoque ab Ordinum exercitio, gradiumque honore ſuſpenſi manere debebant. Quò tota collineabat Alexandri petitio, an videlicet ordinati ab Arianis ſuis cum gradibus, & honoribus ſuſcipi poſſent. Quandoquidem vero Ordinati a Bonoſo, humanitate quadam, gratiaque œconomiæ, ab Anyſio Theſſal. in Eccleſia recepti ita fuerant, ut ipſis etiam proprii gradus, dignitatiſque facta venia fuiſſet, cujus exemplo propterea Epiſcopi Macedoniæ fas ſibi quoſcumque ab hæreſi reſipiſcentes cum gradibus recipiendi fieri poſtularent, denegavit id Pontifex, eoſdemque admonitos voluit, quod ab Anyſio cum Bonoſiacis, & quod a Nicænis Patribus cum Novatianis olim ſingulari de cauſſa factum fuerat, in exemplum facile non fore trahendum, cauſſa publicæ Eccleſiæ utilitatis ceſſante, ſed integram loco manere Romanæ legem Eccleſiæ debere, juxta quam redeuntes ab hæreticis, qui tamen illic baptizati fuiſſent, per manus impoſitionem, eam nempe, quæ pœnitentiæ imaginem præferret, ad Laicam dumtaxat communionem admitterentur; qui vero ab Eccleſia ad hæreſim deflexiſſe, nonniſi per impoſitionem manus, quæ pœnitentiæ rem ipſam præſtaret, recipi poſſent. Quoniam vero pœnitentiæ ſemel addicti ad gradus Eccleſiaſticos promoveri impediebantur; proinde neque baptizatis a Bonoſo licere ad Clericatus honorem aſcendere, neque a Bonoſo Ordinatis fas eſſe propriis defungi gradibus, ſed Laica communione contentos eſſe debere definit. Atque ita S. Innocentii ſententiam illuſtrant Synodi Arelatenſis II. Epiſcopi Can. 17. *Bonoſiacos, ſicut Arianos*, inquientes, *cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*. Sufficere id, inquam, ſtatuunt, quin ad ſuperiores adquirendos gradus adſpirare

re, aut ſuſceptis defungi permittantur. Quamquam non ego repugnabo, ſi per manus impoſitionem hoc loci malis intelligi Presbyteri benedictionem, qua priſtini gradus venia ipſis facta fuerit. Confer interea Gloſſam in Can. 73. *Arianos*, Binium in Not. ad præcit. Epiſtolam S. Innocentii, Bellarminum lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 10, Lupum in diſſert. 2. prooem. cap. 17, Natalem in Synop. hiſt. Eccl. ad Sæculum V. cap. 2, art. 1, Auctorem Obſervat. in Fleurium lib. 23. hiſt. Eccl. n. 28, Berardum in Emend. Gratiani par. 2. cap. 37, atque ea præterea, quæ de germana S. Innocentii ſententia paullo ſuperius expoſita ſunt. Neque urgent ſane loca, quæ ad confirmandam ſiniſtram, quæ S. Innocentio appingitur, opinionem producta ſunt. S. Petro Damiani enim non altera inerat mens, quam quod poteſtatis uſus ordinatis ab hæreticis Eccleſiæ lege ereptus eſſet, non etiam poteſtas Ordinis adimeretur, uti ſuo explicatum eſt loco. Auctor Epiſtolæ I. S. Damaſo falſo tributæ, Leo III, ac Synodus Ratiſponenſis loquuntur de Chorepiſcopis, qui Epiſcopi non erant, ſed Charactere Presbyteri ſimplices, ut liquido adparet ex Capp. 1, 2, & 3. apud Harduinum to. 4 pag. 948, &ſeq. Synodi vero Sueſſionenſis II. ſententiam emendatam a S. Nicolao I. fuiſſe, ejuſque juſſu a Synodo etiam Sueſſionenſi III. jam animadverti; non ſecus atque latum, quod Paulianiſtas inter, & Bonoſiacos intercedebat diſcrimen, adnotare non deſtiti. Neque ex hiſce difficile evadit germanam S. Zoſimi attingere, explicareque ſententiam, quæ alia ſane non fuit, quam quæ Taurinenſis Synodi Patribus inſediſſe oſtendimus ex Can. 3, 7, & 8, ideſt quod Epiſcopi abſque Metropolitæ conſenſu, & Clerici ab Epiſcopo depoſito ordinati a Sacerdotii quidem functionibus ſuſpenſi ſint, Sacerdotali non etiam Charactere ſpolientur. Quæ vero proba, intimaque S. Leoni M. inhæſerit ſententia, abunde, opinor, patefacta ſuperius eſt, non ſecus atque, quæ S. Felici III. animo inſculpta fuerit, quam ut ſcrupulis his inanibus evellendis opera, & tempus fruſtra conterantur. Exinde nempe patet Epiſcopis contra Canones ordinatis a S. Leone honorem, & locum inter Epiſcopos denegari, non Characterem; ordinatis ab hæreticis Epiſcopalis dignitatis ſubſtantiam a S. Felice derogari, Juriſdictionis poteſtatem ideſt, ac poteſtatis

teſtatis uſum, non etiam Characterem, ac Ordinis poteſtatem. Pelagio I. ſcribendi Epiſcopis Schiſmaticis Epiſcopatus nec honorem, nec meritum adhærere juſta ſuberat cauſsa, vigens nempe Schiſma Aquilejenſe in cauſſa trium Capitulorum. At ita ſcribenti mens non erat Characterem etiam Epiſcopalem eiſdem denegare. Chriſti vero corporis nomine, de quo mentio Can. 34. *Schiſma*, in Epiſtola ſcilicet ad Victorem, & Pancratium viros Illuſtres, quam magna ex parte reſtituit Holſtenius, non Euchariſtiam utique, ſed Eccleſiam intellexiſse ex iis, quæ e veſtigio ſubjungit, evidens fit: *Nec enim*, inquit, *diviſum eſſe Chriſtum poterit quiſquam ſine Apoſtoli reprobatione confingere. Unam, ut ſæpe dictum eſt, quæ Chriſti Corpus eſt, conſtat eſſe Eccleſiam.* Atque ita quoque, ut de Eccleſia loqueretur, ratio ipſa ferebat temporis, quo diro eadem nempe ſchiſmate diſcindebatur. Vim manifeſtam vero S. Gregorio M. inferunt, qui eum in oppoſitam invitum rapere partem non verentur. A ſacro Altaris miniſterio amoveri quidem perſæpe juſſit, ſive Epiſcopos ſua abſque conſcientia conſecratos, ſive Clericos incontinentes, maleque ordinatos, quos hoc indignos honore dixit, & habuit, validas tamen eorumdem Ordinationes ab eo dictas, & habitas evidenter oſtenſum eſt. Quæ omnia lucem ampliorem accipient ex lib. 4. epiſt. 5, & 16, nunc lib. 5. epiſt. 3, & 7, quibus Saturninum, alioſque lapſos Clericos a proprii gradus functionibus abigit; quibuſque concordat epiſtola 17. lib. 4, nunc 4. lib. 5; ex eodem lib. 4. epiſt. 51, nunc lib. 5. epiſt. 52, qua Euphemium, & Thomam Simoniace ordinatos ab Ordinum exercitio ſuſpendit; ex lib. 7. epiſt. 82, nunc lib. 9. epiſt. 81, qua Maximo Salonitano ad frugem regreſso gradum reſtituit ac Pallium concedit. Mitto longe plura, quæ ſuppeterent, ne ſim prolixior. Planiſſima hæc ipſa eſt ratio interpretandi S. Martinum I, ut ejus nempe judicio Monothelitæ fictum dumtaxat, falſumque Epiſcopi nomen gererent, quod Epiſcopali charactere indigni eſſent, e dignitate fuiſsent dejecti, officioque defungi interdicti. Nam cætera in Monothelitarum Anteſignanis Paulo, & Macario Epiſcopatus Ordinem agnitum fuiſse ab Africanis Epiſcopis eloquuntur ipſorum Synodicæ ad Conſtantinum Imp., ipſumque Paulum in Synodo Later.

ſub

ſub eodem S. Martino Secret. 2. relectæ, & a S. Benedicto II. teſtatus legitur Petrus S. R. E. Presbyter, & Hadriani I. Legatus in Synodo VII. Act. 1. A Stephano III, ſive IV, atque a Synodo ſub eodem habita manifeſte peccatum, dum Ordinatos a Conſtantino pſeudo-Pontifice iterum ordinandos ſtatutum eſt, affirmare non dubitavit Auxilius lib. 2. cap. 4. Id ſane indulgendum exaſperatioris ingenii Scriptori, qui ſtudio abreptus ſuam, aliorumque a Formoſo ſuſceptas Ordinationes defendendi, a veritate aliquantum deflexit. Veri enim multo videtur ſimilius Stephanum III, ſub eoque Synodi Epiſcopos non adeo deſipuiſſe, ut ordinatos a Conſtantino iterum ordinandos cenſerent. Unde cum Baronio ad an. 769. n. 6, Natali ad Sæcul. VIII. cap. 1. art. 8, & Pagio in Brev. dicere præſtat ab Anaſtaſio *Benedictionis Conſecrationem*, quam Stephani juſſu ordinati jam a Conſtantino ſuſcipere debuerunt, appellatam, non ſacram Ordinationem fuiſſe, ſed Ritum ſacrum, quo depoſiti, graduque dejecti Pontificiæ reconciliationis gratia priſtinis in Eccleſia gradibus reſtituebantur, quo de Ritu paullo infra: quo modo *Conciliati* quaſi rurſus *Conſecrati* reputabantur. Atque ad hanc profecto Anaſtaſii interpretationem exigenda parum hinc abſimilis periocha ex Epiſtola 2. inter Ratherii Veron. epiſt. apud Dacherium Spicileg. to. 2. a Clero Veron. ad Romanum Clerum directa poſt Act. 3. Collect. Holſtenii deſcripta. Quæ plane interpretatio eo confirmatur magis, quod eadem Actione 3, & apud eumdem Anaſtaſium cautum a Stephano, & a Synodo legitur, ne Baptiſma, & Chriſma a Conſtantino collatum, & conſecratum iterarentur: quod judicium pariter ferendum de Sacris Ordinationibus ſuapte conſequitur. S. Nicolao I, Hadriano II, & Johanni VIII. quin ſane proba, legitimaque de valide tum ordinato Photio a Gregorio Syrac., tum aliis a Photio ordinatis, etſi illicite, perſuaſio inſederit, dubitare non ſinunt explicitiſſima, quæ ex ipſis prolata ſunt paullo ſuperius documenta. Juxta quæ proinde illos in locis in objectione productis loquutos de poteſtatis uſu, ſacrique Miniſterii functionibus haud rite uſurpatis, ſive de Ordinibus illicite collatis, non de poteſtate Ordinis, & Sacramentali Epiſcopatus Charactere, ſive de Ordinationibus invalide celebratis intelligere oportet.

tet. Et quidem Johannes VIII, dum Eccleſiæ Aſtenſi Joſephum, antea Vercellenſem deſignatum Epiſcopum, admoveri permiſit, hanc ipſam ſibi inſitam de valida ipſius Ordinatione opinionem pateſecit. Sicut autem Ordinis nomine uſurpatum olim ſæpius non Characterem Sacramentalem, ſed gradum Hierarchicum adnotavi, ſic Ordinationis nomine non ſemper Sacramenti collatio, ſed vel iterata Electio, vel Cæremonialis benedictio ſignificari perſæpe ſolebat. Stephanum VII, & Sergium III. tam in Formoſi memoriam atrociter deſæviendo, quam Ordinationes ab eo peractas iterando, atque Stephanum quidem inſtigante Sergio, Sergium vero ex invidia, qua in Formoſi locum, ipſo vivente, jam pridem inhiaverat, multis erraſſe modis non ego negaverim. Sed error hic nihil fidei nocuit, non enim ex prava opinione proceſſit, qua Ordinationes velut illegitimas revera iterandas exputarent, ſed ex peſſimo affectu in Formoſum, quem pejori quolibet modo laceſſere optabant. Cætera Stephani errorem ſtatim emendarunt Romanus, teſte Sigonio lib. 6. ad an. 897, Theodorus II, teſtibus Sigeberto in Chron. ad an. 903, & Auxilio lib. 2. cap. 4, ac Johannes IX. in Synodis Romanis duabus, & Ravennate an. 904, Stephani acta contra Formoſum reſcindentes. Ex quibus, atque ex Luitprando lib. 1. cap. 8, & Flodoardo lib. de Rom. Pontif. apud Mabillonium par. 2. Sæculi III. Bened., & Muratorium tom. 3. Script. rer. Ital. par. 2. egregias Formoſi laudes exponente liquet minus vere exputaſſe Morinum non adeo culpæ expertem fuiſſe Formoſum, quin Stephanus VI, ſive VII. probabilem in ejus demortui cadaver deſæviendi cauſſam habuerit. Confer & Papebrochium in Con. diſſer. 31, qua Formoſi vindicias exornat. Neque magis ad veri ſpeciem accedere Panvinii opinionem patet, qua in Not. ad Platinam pag. 112. patratum in Formoſum a Stephano ſacinus pernegare non dubitat. Quamquam viciſſim magna probabilitate non caret Ludovicii Du-Meſnil doct., & diſcipl. Eccl. lib. 42. n. 1. conjectura, qua ordinatos a Formoſo iterum a Stephano ordinatos negat, ſiquidem id Sigebertus in Chron. diſerte negarit, deque iteratis a Stephano Ordinationibus illis nihil habeant Synodi tam Romana gemina, quam Ravennatenſis ſub Johanne IX. habitæ; quin imo a Formoſo pri-

dem

dem ordinati in proprium gradum a Johanne reſtituti dicantur, quos plane non reſtituiſſet Johannes, ſi prius eos a Stephano fuiſſe iterato ordinatos conſtitiſſet. Quare ſi poſtmodum nihiloſecius in Formoſum a Sergio III. ſæve debacchatum eſt, id ei vitio dandum utique: quamvis Sergium ad meliorem poſtea frugem ſe recepiſſe, tantique facinoris valdequam pœnituiſſe ex Flodoardo, Johanne Diacono, & ex Sergii Epitaphio non leviter conjecit Pagius; quin etiam Sergium plurima abſtergere a labe haud fruſtra conatus eſt Papebrochius in diſſert. 33. Juſta in Agapeti, & Johannis XII. ſententia Intruſorum Ordinationes, quas ſemper Eccleſia eſt exſecrata, effectu, ſive poteſtatis acceptæ uſu fruſtrantur; ſatiuſque fuerit, ſi ab Intruſis ordinatis ad priſtinum remeandi gradum facultas fiat. Cum quo ſtat tamen, quod Ordinationes hjuſmodi validæ fuerint, veramque Ordinis poteſtatem ita Ordinati acceperint, atque ſacro fuerint Charactere inſigniti. Neque, etſi utriuſque dicta, & facta verſes, & reverſes, exinde amplius licebit extundere. A S. Leone IX. Simoniacas Ordinationes irritas dictas, ſublataſque ſcribens S. Petrus Damiani, intelligendus eſt plane quantum ad Miniſterium, & illarum exercitium, non etiam quantum ad Sacramentum, illarumque validitatem. Atque ut hoc utique ſit accipiendus ſenſu, argumento eſt tum ea ipſa particula *Tanquam*, ſub qua male promotos *tanquam* noviter a Pontifice ordinatos refert; qua ſane particula coarctari ſententiam, ita ut ſignificetur Simoniacos veluti noviter ordinatos ideo fuiſſe, quod jus Miniſterii iis fuerit reſtitutum, non vero quod in iis ſacra ipſa Ordinatio fuerit repetita, nemo non percipit; tum documento ſunt plane, quæ ipſemet ex Clementis II, eodem ex S. Leone IX, ex propriæque ſententiæ penu pro Simoniacis Ordinationibus deprompſit, de quibus ſupra, rurſumque infra. Atque germanam hanc ipſam proculdubio eſſe rationem interpretandi Nicolaum II, S. Gregorium VII, Victorem III, & Urbanum II. liquido oſtendunt, quæ pro noſtra ſententia ex ipſis paullo ſuperius prolata ſunt loca. In quo proſtremo, Urbano II. videlicet, quia potiorem adverſarii vim faciunt, quam perperam aciant, paucis adhuc pateſacere juvat. Ergo is in epiſt. 17. edit. Hard. tom. 6. par. 2. pag. 1646. ad Lucium S. Juventii Præpo-

ſitum ipſi interroganti de pravorum Ordinationibus, poſtquam a Nicolao II, & S. Gregorio VII. pœnas in ita ordinatos ſancitas allegaſſet, de earumdem validitate hoc ſubjungit reſponſum. *Cæterum Schiſmaticorum, & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, juxta SS. Patrum traditiones Pelagii, Gregorii, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur; niſi quum ipſi, vel eorum Sacramentis initiati, per manus impoſitionem, ad Catholicam redierint unitatem.* Quæ perſpicua ſunt adeo, ut nullo prorſus indigeant gloſſemate, neque de germana ejus vel leviter dubitandi locum ſinant ſententia: ad quam perinde, quæ præpoſtere ex ipſo adverſarii conantur exſculpere, ſunt exigenda. Quin etiam objectum ex Gratiano Canonem 24, de Daiberto a Wezilone ordinato exigere juvabit ad ejuſdem Urbani II. epiſtolam ad Petrum Piſtor., & Ruſticum Abb. Valliſum. ex Ms. Bibl. S. Victoris Pariſ. editam a Binio, ac deinde a Labbæo, & Harduino, ubi Pontifex de Wezilone hæretico, & ſimoniaco loquens: *Eumdem*, inquit, *& ipſi nos pro eadem cauſſa, qui ab Excommunicatis conſecratus eſt, in Synodali Concilio excommunicavimus, & ab omni Eccleſiaſtico officio ſine ſpe reſtitutionis aliqua depoſuimus.* Qui ita loquitur, Epiſcopalem profecto Characterem, & Ordinem inter, ac Miniſterium, & Officium latum ſtatuiſſe diſcrimen probe intelligitur. Neque hinc vel latum unguem abfuiſſe ſententia Paſchalem II. manifeſte produnt, quæ ex ipſo in rem noſtram producta ſuo loco ſunt decreta. Quæ uberiorem adhuc lucem accipient ex duabus Paſchalis epiſtolis ad Rothardum Mogunt., & Reinhardum Halberſtad. apud Martenium veter. Monum. tom. 1. pag. 616, & 618, ac Manſium Suppl. tom. 2. pag. 231., & 233, quibus duumvitis ob oculos poſito Canone ab ſe in Trecenſi Synodo anno 1107. condito, quem cum aliis tribus deſcripſit Martenius vet. Monum. tom. 7. pag. 670, & ex ipſo Manſius pag. 235, indicatque Gratianus Can. 17. *Conſtitutiones* 16. Q. 7, velut vidit doctiſs. Berardi par. 2. cap. 86. pag. 469, quo nempe Canone Clericis Inveſtituras de manu Laica accipientibus depoſitionis, excommunicationiſque pœna indicitur, ipſis tamen eo crimine etſi implicatis

catis Episcopalis officii peragendi venia indulgetur ea lege, ut imposterum ab hujus genus flagitiis abstineant. Quæ denique ex Callisto II, Innocentio II, Eugenio III, Alexandro III, & Lucio III. postremo objecta sunt loco, adeo levia sunt, ut ne verbum sit quidem, quod illos a Decessorum suorum decessisse sententia vel leviter suspicari nos cogat. Ut enim paullo durioribus usi sint verbis ad ingens patefaciendum, quo erga Ordinationes a Schismaticis, aut Simoniacis attentatas ferebantur odio, iis tamen id unum dederunt intelligi ita ordinatos indignos se dedisse, qui sacris Altaribus deserviant, ideoque a Sacramentis abstinere debere, sacroque ab Altaris Ministerio abigi. Quam sane intelligentiam ut assequaris magis, probeque teneas, conferre juvabit Concilii Tolosani an. 1119. Canonem 1. in Lateranensi I. Can. 1. instauratum, juncta emendatiori, quam ex Codice Pistorienſi exhibet Mansius, lectione Suppl. tom. 2. pag. 355; Pisani an. 1134. Canonem 2. ex eodem Codice Pistor. a Mansio descriptum pag. 417, ex Remensi an. 1131. Can. 1. repetitum; Remensis an. 1148, Canonem 3, adjuncto Canone 11. ex Codice Ms. S. Michaelis in periculo Maris apud Harduinum to. 6. par. 2. pag. 1305; Turonensis an. 1163. Canonem 9. integrum ex præcit. Cod. Ms. S. Michaelis ab Harduino excerptum pag. 1062, & in Lateranensi III. Canone 2. integratum, & Caput 11. *Ad abolendam* in Collect. 1. lib. 5. tit. 6. Non moror autem, quod de Schismaticis Lucii III. jussu, deque Cardinalium consensu reordinatis refert Robertus Flamasbur., nam tum factum ipsemet improbat, factumque in odium Schismatis reputat, quod verius de reconciliatione potius, quam de reordinatione accipere debuisse non dubito.

Antequam vero ad ea, quæ ex Conciliis secundo objecta sunt loco, diluenda descendo, datam ut liberem fidem, deque Ritu disseram olim in Ecclesia recepto, quo illegitime ordinati, in Clerum, & Officia restitui solebant, operæ est pretium. Fiet hinc etenim, aut ego fallor, ut quo facilius, eo penitius Conciliorum hac de re attingatur sententia. Multis porro modis verbum χειροτονια, sive χειροθεσιαν apud Græcos, *Manuum impositionem* apud Latinos, de qua frequens apud Pontifices, & Patres olim loquutio occurrebat, accipi consueviſse jam indicavi, quod

quod paullo fuſius nunc exponere præſtat. 1. Pro manuum impoſitione Curatoria, de qua Acta Apoſtol. cap. 9. verſ. 17, & S. Innocentius I. in epiſt. 25. edit. Cout. ad Decentium cap. 6: quem S. Innocentii locum haud rite intellectum ab Holſtenio in diſſertat. 1. de Miniſtro Confirmat. cap. 1, & a Morino in diſſert. de Sacram. Confirm. cap. 16, ab Innocentio hoc loco Diaconis, quum neceſſitas urgeret, Confirmationis adminiſtrandæ poteſtatem factam arbitratis, obſervant Moretus ad cit. locum Morini, Coutantius in Not. ad prælaudatam epiſt. S. Innocentii pag. 861, & Benedictus XIV. de Synod. Diœceſ. lib. 7. cap. 7. n. 3: atque Ritus quidem, qui in manuum impoſitione Curatoria ſuper Energumenos uſurpari ſolebat ab Epiſcopis, deſcriptos videre licet ab Edmundo Martenio, præſertim ex antiquo Codice Regio n. 3866, alteroque Vindocinenſi, de antiq. Eccl. Ritib. lib. 3. cap. 9. 2. Pro Electione, de qua plane intelligendi Canones Nicænus 4, Antiochenus 19, Carthaginenſis II. an. 390. Can. 12, Carthaginenſis IV. an. 398. Can. 1, in Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 13, Chalcedonenſis 25, & Trullanus 39, aguntque Beveregius ad Can. 1. Apoſtol., Juſtellus ad Can. 5. Laodic., Zonaras, & Balſamon ad præcit. Can. Nicæn., & Antioch., & adverſus Ducæum, ac Petrum de Marca pro ſola dumtaxat Conſecratione manus impoſitionem accipiendam contendentes doctiſs. Joſephus Motta de Jure Metropolit. n. 76. pag. 101, & ſeq. 3. Pro Confirmatione, quo modo perperam a SS. Cypriano, & Firmiliano in epiſt. 73, 74, 75, & 76, & ab Africanis Epiſcopis in Concilio Carthaginenſi III. ſub S. Cypriano de Bapt. capp. 5, & 24. accepta ea fuerat, de qua ſcripſerat S. Stephanus in epiſt. 74. inter Cyprianicas, atque perperam ab Holſtenio, & Morino ea, de qua S. Innocentium I. effatum ad Decentium mox adnotabam. Formulas porro, quibus in manuum ſupra confirmandos impoſitione uti Epiſcopi ſolebant, plures exhibet Martenius de antiq. Eccleſ. Ritib. tom. 1. pag. 249, & ſeqq., inter quas inſigniores eminent, quas ex Codicibus Bellovacenſi, & Caturcenſi deſcripſit etiam Coutantius tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. pag. 241, & ſeq. 4. Pro Ordinatione, de qua Can. 1. Apoſtol., Laodicenus 5, Carthaginenſis IV. an. 398. Can. 2, 3, & 4, aliique plures, quos modo perſequi non vacat,

vacat, aguntque fuſe Simeon Theſſal. in Opuſc. de ſept. Sacram., Arcudius lib. 6. Concord. cap. 1, & Morinus de Sacr. Ordinat. par. 3. exerc. 1. cap. 2. 5. Pro impoſitione Pœnitentiæ, ſub qua regredientes ab hæreſi recipiebantur, (an vero Clerici etiam majores, ita ut deinde pœnitentia defuncti in priſtinum Eccleſiæ gradum admitterentur, diſputant Eruditi. Immutata deinde circa eos diſciplina videtur, ac pœnitentiæ addicti leguntur a Synodis Arauſicana I. Can. 4, Ilerdenſi Can. 5, Toletana XI. Can. 9, Conſtantinopolitana IV. Act. 2, Rotomagenſi an. 1702. Can. 19, a S. Zacharia epiſt. 10. ad S. Bonif., & Theodoro Cant. cap. 41.) de qua revera S. Stephanus in præcit. epiſt. 74. ad S. Cyprian., S. Cyprianus ipſe in epiſt. 71. ad Quintum, Concilium Carthaginenſe III. ſub ipſo de Bapt. capp. 8, & 22, Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 2, S. Auguſtinus lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 23, & lib. 6. cap. 11, S. Siricius in epiſt. 1. ad Himerium cap. 1, S. Innocentius I. in epiſt. 24. edit. Cout. ad Alexandrum Antioch. cap. 3, S. Leo M. in epiſt. 2. edit. Queſn. ad Ruſticum cap. 18, epiſt. 129. ad Nicetam cap. 7., & epiſt. 135. ad Neonem cap. 2, Synodus Agathenſis an. 506. Can. 15, Vigilius in epiſt. 2. ad Profuturum cap. 4, & S. Gregorius M. lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum. Inter Formulas equidem, quæ ab Epiſcopis in manuum impoſitione ſuper Hæreticos (ut de Lapſorum ſpeciebus aliis modo ſileam) ad frugem regredientes uſurpari ſolebant, eaſdem ipſas perſæpe adhibitas fuiſſe, quæ in Confirmatione uſu Epiſcopis veniebant, ideoque Sacramentum ipſum Confirmationis ab hæreſi reducibus conferri conſueviſſe, indicare videntur Concilia Conſtantinopolitanum I. Can. 7, Arauſicanum I. an. 441. Can. 1, Arelatenſe II. an. 452. Can. 17, Epaonenſe an. 517. Can. 16, Trullanum Can. 95; S. Baſilius in Epiſt. Can. ad Amphil. Can. 1, Fauſtus Regienſis de libero arbitr. cap. 17, Gennadius Maſſil. de Eccleſ. Dogm. cap. 52, S. Gregorius Turon. lib. 5. c. 38. de Gundebaldo Burgundionum, & Leovigildo Hiſpan. Regibus ab Ariana hæreſi converſis agens, S. Theodorus Studita in epiſt. ad Naucratium lib. 4. Jur. Orient. pag. 290, Balſamon in epiſt. ad Marcum Alexand., Walafridus Strabo de reb. Eccl. cap. 26, Euchologium Græcor. apud Goarium, Codiceſque alii Græci Monaſterii Cryptæ Ferratæ, & Bibliot.

bliot. Barberinæ apud Morinum de Pœnit. lib. 9. cap. 9, quibus permoti Theologi complures, quos ſequuntur Queſnellus in Not. ad epiſt. 129. S. Leonis ad Nicetam c. 7, & Cardonus hiſt. Sacram. tom. 1. lib. 2. de Confirm. cap. 5, ab Eccleſia ſive Orientali, ſive Occidentali ab hæreſi reduces abſque Confirmationis Sacramento recipi haud conſueviſſe exiſtimant. Verior tamen eſt ſententia ab hæreſi redeuntes (ſi antea confirmati fuiſſent) ab Eccleſia recipi conſueviſſe non Sacramentali unctione Chriſmatis in fronte, ſed aliquando quidem unctione Cæremoniali, quæ in adminiſtratione Baptiſmi in vertice baptizandi adhiberi ſolebat, quo pacto ex Conciliis, Patribus, & Scriptoribus prælaudata loca commode intelligi poſſunt; frequentiori vero uſu ſimplici manuum impoſitione, de qua mox, quin etiam ſola fidei profeſſione, de qua SS. Leo, & Gregorius re, ac nomine Magni, ille quidem in præcit. epiſt. 1. edit. Baller. ad Aquilej. Epiſcop., 12. ad Epiſcopos Maurit., & 18. ad Januar., iſte vero lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum, ubi tres recipiendorum ab hæreſi regredientium deſcribens Ritus: *Ab antiqua*, inquit, *Patrum inſtitutione didicimus, ut quilibet apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, quum ad S. Eccleſiam redeunt, aut unctione Chriſmatis, aut impoſitione Manus, aut ſola profeſſione Fidei ad ſinum Matris Eccleſiæ revocentur*. Atque quidem alterius ſpeciei fuiſſe ab ejus, quæ fieri in Confirmatione ſolebat, manuum impoſitionem, quæ in receptione Hæreticorum adhiberi conſueverat, fit manifeſtum ex Formulis, quæ in Hæreticorum reconciliatione uſurpabantur, inter quas inſignis eſt illa, quam ex Codice Gellonenſi ſub ætate Caroli M. exarato exhibent Coutantius pag. 241, & Cardonus pag. 159, in qua nulla *Signi*, aut *Conſignationis*, aut *Signaculi* mentio, a quibus ſane haud abſtinebant Formulæ in Confirmatione uſitatæ. Explicatiſſimam quoque ſententiam hancce tradunt Theodulphus Aurelianenſis in libro de Ordine Baptiſmi cap. 17. Bibl. Patrum tom. 14. pag. 13. Presbyteris quidem baptizatos Chriſmate ungere licere docens, non etiam Spiritum S. per manus impoſitionem tradere, atque morem iſtum antiquiſſimum eſſe, Apoſtolicæque coævum Eccleſiæ; ac S. Bruno Signinus in Opuſc. de Sacram. Eccl. affirmans, etſi Unctio adhibeatur, Confirmationis

tamen

tamen Sacramentum haud iterari. Ad quæ confirmanda ſane manifeſta concurrit ratio, qua conſtat veteri Eccleſiæ diſciplina Baptizatis e veſtigio Confirmationis Sacramentum conferri conſueviſſe, veluti teſtes ſunt liquidi Tertullianus lib. de Baptiſ. capp. 7, & 8, S. Cyprianus in epiſt. 73. ad Jubajanum, S. Ambroſius lib. de Myſter. cap. 7, S. Hieronymus adverſ. Lucifer., S. Auſtinus ſerm. 324, S. Leo M. ſerm. 4. de Nativ., ac deinde Magnus Archiep. Senonenſis, ad quem lectu ſane digna Epiſtola Ludovici Pii apud Harduinum to. 4. pag. 1178, in libello de Baptiſmo Caroli M. juſſu concinnato, oſtenditque Martenius de antiq. Eccl. Ritib. tom. 1. pag. 160. 6. Pro Cæremonia ſacra, quæ *Presbyterii Benedictio* nuncupari conſuebat, ſicuti ſupplementum Cæremoniarum Baptiſmi in Eccleſia cum iis, qui domi baptizati fuiſſent, vulgo Baptiſmus apppellabatur, qua nempe Clerici in Eccleſiæ Clerum, & officia Eccleſiaſtica reſtituebantur. Ritus hujuſce veſtigia deprehendere licet in Synodo Cæſarauguſtana II. an. 592. Can. 1, quo Presbyteri, & Diaconi Ariana ab hæreſi redeuntes: *Acceptam denuo Benedictionem Presbyterii ſancte, & pure miniſtrare permittuntur*. Quæ Benedictio plane non iterata Ordinatio erat, ſed Cæremonia, qua ad priſtinas illi Clericatus functiones redintegrabantur. At enim Ritus hic, quem Eccleſia Hiſpalenſis in Clericorum injuſte depoſitorum reſtitutione pariter adhibere ſolebat, clarius in Toletano Concilio IV. an. 633. cap. 28. relato a Gratiano, ſed perperam ex Concilio Moguntino, Can. 4. *Epiſcopus* 12. Q. 3, ex quo reordinationem haud fuiſſe liquido adparet, verbis iſtis deſcribitur: *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus in ſancta Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe, quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram Altario de manu Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt Orarium, Annulum, & Baculum: ſi Presbyter, Orarium, & Planetam: ſi Diaconus, Orarium, & Albam: ſi Subdiaconus, Patenam, & Calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ quum ordinarentur, perceperunt*. Qui Ritus etiam in Gallicana Eccleſia *Impoſitæ manus Benedictio* olim nuncupatus a Synodo Aurelianenſi I. an. 511. Can. 10, ſive *Myſtica Ordinatio* a Synodo Sueſſionenſi III. an. 853. in Synodica ad S. Nicolaum

colau m I, ſolemnis evaſit deinde Sæculo XI, teſte Fulberto Car. not. in epiſt. 25. ad Leuthericum Archiep. Senonenſem Primatem ſuum, a quo interrogatus de Presbytero Simoniace ordinato, ex Synodi Toletanæ ſententia reſpondit, eum non reordinandum utique, ſed eſſe reconciliandum: *Rebaptizationes, & Reordinationes*, inquiens, *fieri Canones vetant.* Atque reconciliationis ei ritum, & formam exponens: *Propterea*, ſubjungit, *depoſitum non reordinabitis, ſed reddetis ei ſuos gradus per Inſtrumenta, & per Veſtimenta, quæ ad ipſos gradus pertinent, ita dicendo*: Reddo tibi gradum Oſtiarii, & te in illum gradum reſtituo &c. in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. *Noviſſime autem benedictione lætificabitis eum ſic concludendo*: Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. ſuper te deſcendat, ut ſis reſtitutus in Ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias Deo laudis pro peccatis, atque offenſionibus Populi Omnipotenti Deo, cui eſt honor, & gloria in Sæcula Sæculorum. Integram periocham iſtam deſcripſit S. Petrus Damiani Nicolai II. legatione defungens in epiſt. ad Hildebrandum Archid., deinde in Pontificatu S. Gregorium VII, qua ipſe ſuffultus, permotuſque Clericis Incontinetiæ, & Simoniæ olim deditis, ad meliorem ſe frugem recipientibus, haud iterata Ordinatione, priſtini gradus veniam Mediolani ſe feciſſe confirmat.

Quibus ſic definitis, locoque poſitis, jam haud difficile ſuccurrit objectis ex ſacris Conciliorum Canonibus offendere. Et quidem ad Canones quod attinet Apoſtolicos, nemo jam hodie ignorat argumentum ex iis petitum infirmiſſimi eſſe genus: ſiquidem, ſi in eorum antiquitatem inquiras, ii ante Sæculum V. Eccleſiæ ignoti fuerunt, quorum nempe ex priſcis nemo Scriptoribus meminit, ut proinde hoc nomine Apoſtolis nullo adſcribi modo poſſint. Apud Græcos, quamvis S. Alexander Alexand. in Synodica ad æquivocum Byzantinum an 321. ad Canonem Apoſtol. 31. Græce, & Nectarius Conſtantinopolit. in Synodo anno 394, apud Harduinum tom. 1. pag. 958. ad Canonem 74. reſpexiſſe videantur, integri tamen 85. primum circa medium Sæculum V. locum habuere in Synopſi Canon., quæ Stephani Epheſini nomen præfert apud Lambecium lib. 3. pag. 66, & in Codice 33. Palatino-Vatic.; atque deinde anno circiter 500. prodiere in Colle-

Collectione Canonum, quæ ſub nomine Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi circumfertur, cujuſce mentio apud Scaligerum in Scaliger. ſecundis pag. 239, & Mſ. apud Salmaſium de Primatu pag. 235, & lib. de Uſuris pag. 633, nec non apud Petrum de Marca de Concord. tom. 1. pag. 152, & tom. 2. pag. 237, quæ tamen alia non eſt, quam Collectio Johannis Scholaſtici circa an. 570. concinnata. Veneratione deinde venere Synodo Trullanæ anno 687. Can. 2. Qui eoſdem laudavit Sæculo VIII. S. Jo: Damaſcenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 17. a S. Clemente concinnatos pariter adſeruit. Sed neutrius id patitur nomen: non Romani, ut fruſtra perſuaſum fuit Antonio de Caſtrovillare, & Guillelmo Wiſthono, eo præſertim, quod ab veri abhorreat ſpecie Canones a S. Clemente Romano litteris conſignatos, promulgatoſque apud Græcos primum adparuiſſe, & non potius apud Latinos uſu jampridem veniſſe, ut a Græcis illos derivare, mutuareque debuerint: non Alexandrini, ut perperam alii putavere, nam Canon illius Eccleſiaſticus ab Euſebio lib. 6. hiſt. Eccl. cap 11, a S. Hieronymo de Script. Eccl. cap. 38, & a Photio Cod. 111, de ſpeciali ritu, ac tempore Paſchatis celebrandi adverſus Judæos agebat: atque quidem in Apoſtolicis Canonibus pleraque reperiuntur, ut Canon 50, quæ utriuſque Clementis ætatem longe recentiorem ſapiunt. Apud Latinos, etſi S. Julius in epiſt. ad Orient. e Synodo Romana an. 342. exarata Apoſtolicos Canones memoraſſe legatur, illorum tamen nullum adparet veſtigium in antiquis Collect. Africanis, Hiſpanicis, Italicis, & Gallicanis, Codic. Eccl. Afric., Ferrandi, Martini Bracar., Queſnelli, Hincmari &c. Primus, qui eos a Græcis derivaverit initio Sæculi VI. Dionyſius Exiguus, ex 85 apud Græcos ſacris 50. dumtaxat deſcripſit, cujus morem imitati nonniſi Canones 50. Collectionibus ſuis inſeruere Creſconius Afer circa an. 570, de quo Pithœus, Juſtellus, Dandinus Altaſerra, Petrus Franc. Chifletius in Bibl. PP. Lugd. tom. 9, Iſidorus Sæculi VIII. initio, Hadrianus I. apud Caniſium antiq. lect. tom. 6, Labbæum tom. 6. pag. 1800, & Harduinum tom. 3. pag. 2033, Burchardus, Ivo, Gratianus, Wendelſtinus &c., atque 50. dumtaxat admiſſos a Stephano IV. fuiſſe in Synodo Later. an. 769. liquet ex Act. 4;

totidemque Romana ab Eccleſia recipi, neque plura ſcripſit Humbertus S. Leonis IX. Apocriſiarius an. 1054. adverſus Nicetam Pectoratum apud Baronium in Append. tom. 11. vet. edit. pag. 798, nov. Lucen. to. 17. pag. 677. Itaque Apoſtolicos Canones ætatem longe Apoſtolica recentiorem præſeferre ultrocitroque conſentiunt ex Proteſtantibus ipſis Dallæus lib. 3. de pſeudo-Epigraphis Apoſtolicis, Larroquanus in Append. ad Obſervat. in Pearſonii Vindic. Ignat., Ittigius in diſſert. de pſeudo-Epigraphis Apoſt. in Append. ad diſſert. de Hæreſiarchis, & Jo: Guillelmus Janus in diſſert. de antiq. Can. Apoſtol. edit. Witemb. 1706. Si vero eorum de auctoritate Canonum quæras, etſi Græcis probatiſſimos non diffitear, Latinis aliter viſum eſt, ex quibus etſi neque deſuerint, qui magno eos in pretio, honoreque haberent, hodie tamen ea univerſim inſidet Eruditis ſententia Canones hoſce nec ab Apoſtolis fuiſſe procuſos, nec ea proinde auctoritate pollere, qua ſcripta vere Apoſtolica prædita ſunt. Eorum auctoritati id officit etiam, tum quod pauca admodum in iis veſtigia deprehendere ſit veteris Apoſtolis doctrinæ uſitatiſſimæ: e contra plurimis in locis ſpecimen potius haud leve præſeferant diſciplinæ longe poſt Apoſtolica tempora in Eccleſiam invectæ; tum quod tam diſciplinam, quam doctrinam paſſim adſtruant, tam Apoſtolicæ, qnam Eccleſiaſticæ doctrinæ, & diſciplinæ adverſam: adeo ut in præfat. Collect. Hiſpan. Canones hi nec ab Eccleſia Romana probati, nec SS. Patribus accepti, ſed ab Hæreticis ſacro Apoſtolorum nomini ſuppoſiti affirmentur: quod dictum tamen omni ego quidem ex parte non probaverim; unde abs vero non abhorreat, qui arbitretur, veluti Albaſpinæus lib. 1. Obſervat. 13, eos Canones indiſcriminatim confectos fuiſſe ex pleriſque quinque priorum Sæculorum Conciliis, atque in unum veluti Codicem redactos, cui Canonum Apoſtolicorum, ideſt a Patribus Apoſtolorum ſucceſſoribus conditorum, titulus fuerit adjectus. Sed de his ſatis, ac ſuper diſputare me memini Parte hac 2. Tom. 4. Artic. 9. in Prolegom. pag. 362, & ſeqq., conferrique, qui de iis egregie diſſerit, ut alios omittam, doctiſs. Berardi in Gratiano emendato par. 1. cap. 1, ſufficit. Ex quibus liquido adparet, quo auctoritatis loco haberi mereatur Canon 67.

in

in objectione laudatus. Nempe præterquam quod unus ex illis eſt, quos Eccleſia Romana reprobavit, Eruditis videtur depromptus ex Decreto Concilii Iconienſis an. 235, in quo non ſecus, atque in Synnadenſi anabaptiſmi error confirmatus eſt, de quibus Firmilianus in epiſt. ad S. Cyprianum, S. Dionyſius Alex. in epiſt. ad Philemonem, Euſebius lib. 7. cap. 6. verſ. Ruffini, & S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 3. Et ſane ſi Canon iſte germanus Apoſtolorum fœtus fuiſſet, putaſne eum fuiſſe prætermiſsuros SS. Cyprianum, & Firmilianum, & cum eis Eccleſiam Africanam, & Aſianam, a quibus contra Romanæ Eccleſiæ ritum ab hæreticis baptizatos novo abluendos baptiſmate pro aris, fociſque pugnatum eſt? Is igitur Canon nullius eſt momenti, niſi de Baptiſmo, & Ordinatione ab hæreticis debita forma haud adhibita collatis intelligi jubeas. De recta Nicæni Canonis 8. intelligentia copioſe jam dictum ſuperius pag. 557, & ſeqq. Eum nempe Canoni ſubeſſe ſenſum, ut manuum impoſitione ſignificetur, non utique Sacramenti repetitio, ſed vel reconciliationis dumtaxat ritus, quo pacto Canonem interpretatos S. Athanaſium, Synodum Alex. ſub ipſo an. 362, & S. Hieronymum, Dionyſium Exiguum, & Studitas Monachos, nec non Collectores Codicis Corbejenſis, Codicis a Juſtello editi, Codicis Vaticani Reginæ 1997. Can. 15, & Cod. Veronenſis apud Ballerinios tom. 3. pag. 569, & 584, indicabam: vel, ſicut veri ſimilius videtur, priſtina ſignificetur Ordinatio, in qua Novatiani poſt emiſsam fidei profeſſionem manere permittebantur: quomodo Canonem acceptum a Rufino, a Ferrando, a Concilio Carthaginenſi VI, a Collectore Can. Arabic., ex his adducta paullo ſuperius perpendenti loca patebit. Quo ſenſu pariter Beveregius in Not. ad hunc Canonem obſervat eo Patres Nicænos haud novam indixiſſe Ordinationem, ſed ad pridem receptam a Novatianis reſpexiſſe: *Patres enim*, inquiens, *de ſolis Clericis Novatianis, qui Canonicam nimirum Ordinationem ante acceperant, per totum hunc Canonem agunt, ſtatuuntque ad Eccleſiam converſos in eodem Clericatus gradu manere, quo inter Novatianos conſtituti fuerant ... Neque enim ita in Clero manere poſſunt, niſi prius in Clero fuiſſent.* Atque hunc utique ſenſum confirmat ejuſdem Canonis 8. pars ſecunda

cunda, qua, juxta verſionem Herveti, Novatiani Clerici, ubi ſoli in Vicis, aut Urbibus reperirentur, in eodem Ordine relinquuntur, non ſecus atque ubi Catholico Epiſcopo exiſtenti Communione adſociarentur. Par ferendum de Synodica ad Eccleſiam Alexand. judicium ſuperius indicabam, eidemque propterea interpretationi accommodanda eſt Confirmationis uſurpatio, qua ordinati a Meletio in Eccleſiam recipi jubentur, videlicet ut Confirmationis nomine deſignetur approbatio præcedentis Ordinationis peractæ a Meletio, proptereaque ſimplici benedictione in Eccleſiam admitti debeant. Quo pacto ſane decretum illud accepit Sozomenus lib. 1. cap. 24. verſ. Valeſ., ubi de ordinatis a Meletio ſic Patres Nicænos ſtatuentes inducit: *Ut hi, qui ab illo prius ordinati fuiſſent, Communionem quidem, ac Miniſterium ſuum retinerent, reliquis tamen Clericis per ſingulas Eccleſias, ac Paræcias honore inferiores eſſent: ita tamen, ut in locum morientium per ordinem ſuccederent, dummodo Plebis ſuffragio judicarentur idonei, Epiſcopo Alexandrino electionem eorum nihilominus confirmante*. Juxta quæ profecto *Confirmationis* nomine, ſive χειροτονία, de qua in præcit. epiſt. Synodica, apertiſſime ſignificatur vel ſimplex *Benedictio*, prout viſum Hermantio in vita S. Athanaſii, vel præcedens *Ordinatio* a Meletio peracta, prout veriſimilius exputant Ballerinii tom. 2. pag. 1598, vel ſubſequens nova *Electio* Populi, & Alexandrini Epiſcopi *Confirmatio*, prout Sozomeni præfert lectio. Theodorus igitur Oxyrinchi Epiſcopus ordinatos ab Apollonio iterum ordinando, non ex Concilii Nicæni ſententia id egit, ſed Georgii Ariani exemplo, ejuſdemque Apollonii Meletiani ſuaſu, uti perhibent in præm. libello precum Marcellinus, & Fauſtinus. Nempe dum in Ægypto partium Arianorum Epiſcopus Georgius eſſet, Meletianorum ageret Apollonius, Catholicorum vero Heraclides, paullo poſt ad Luciferi ſchiſma delapſus, in hunc facta cum Apollonio conſpiratione Theodorus ab Eccleſia Oxyrinchi expulit, quam ipſe confeſtim invaſit. Quamvis igitur a Catholicis pridem ordinatus, a Gregorio ſe iterum ordinari Theodorus conſenſit, Communione cum Apollonio eidem Gregorio communicante ſe conjunxit, atque utriuſque auctoritate, exemploque ordinatos pridem

ab

ab Apollonio iterum ordinavit. Quæ igitur ſive Gregorio, ſive Apollonio perverſa inſidebat, ſententiam non motor. Cur enim moter flagitium tam ingens, facinuſque, quo Ariani, & Meletiani, ideſt Hæretici, & Schiſmatici a Catholicis ordinatos iterum ordinare non exhorrebant? Nec eſt etiam, cur morer Balſamonem in epiſt. ad Marcum Alex. apud Leunclavium to. 1. Jur. Orient. pag. 376, docentem regredientes ab hæreſi iterum ordinandos. Scitum eſt enim Græcos Schiſmaticos turpis hoc in erroris luto hæſiſſe; atque ille quidem errore pari laboravit de iterando Baptiſmo; errore quoque de Confirmationis adminiſtratione Presbyteris permittenda; de Conjugii ob adulterium licita diſſolutione, atque viciſſim de Matrimonii indiſſolubilitate in Infidelitate contracti, etſi Conjugum altero in Infidelitate permanente, ad fidem alter regrederetur. Qui hæc probe tenet, jam plane intelligit Antiochenis Canonibus 13, 19, & 22. majorem vim haud ineſſe, quam ut ordinati contra Canones officiis defungi ſuis nequirent, non etiam ut eorumdem Ordinationes eſſent invalidæ. Fruſtra vero Canoni 23. vis infertur: ibi enim; velut apte obſervavit Auctor Obſervat. in hiſt. Eccleſ. Fleurii lib. 12. n. 12, verba non uſurpantur *Impoſitionis* manuum, quibus apud Græcos Ordinatio ſignificari aliquando ſolet, ſed verbum *Inſtitutionis*, quo ſignificari daretur Succeſſorem ab Epiſcopo deſignatum inſtituendum haud fore; ideſt Eccleſiæ illum præfici prohibuit, qui ab ejus Deceſſore fuiſſet deſignatus. Neque diſpar Sardicenſi inſedit ſententia, videlicet, quod ii quidem, qui in aliena Parochia fuiſſent ordinati, alteriuſque Eccleſiam occupaſſent, ab Altaris miniſterio abigerentur, alienique ab uſurpata dignitate haberentur, non autem, quod Sacerdotii Charactere inſigniti revera non fuiſſent. Atque ita pariter Concilii Conſtantinopolit. I. Canonem 3. intelligo, ut ordinatos a Maximo Cynico gradu, dignitate, & miniſterio utique exutos voluerit, non etiam Charactere Sacramentali eoſdem carere ſuppoſuerit: utque ita intelligam, id efficit ſane, quod ita intelligendum jubeant, ſive Iſidorus ipſe Mercator Canonem illum, ſibi 6, ita legens: *Neque ii, qui ab ipſo ſunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatus obtineant*, ſive Joſephus Ægyptius in Paraphraſi Arabica verſ.

Beve-

Beveregii apud Harduinum tom.1. pag. 819. Canonem illum 3. sic exponens : *Nec ille, qui Ordines ab eo accepit, in quemlibet Sacerdotii gradum admittatur, quoniam fidem erroneam, & Ordinationem injustam introduxit*; quodque priora Canonis verba, nempe : *Nec Maximum Episcopum esse, vel fuisse*, ita pariter intelligere cogar : siquidem is legitime proculdubio a S. Petro Alexandrino una cum tribus aliis, non septem, ut autumavit Baronius, Ægyptiis Episcopis fuerit consecratus, quemadmodum affirmat Episcoporum Italiæ Epistola ad Theodosium Imper. post Baronii obitum a Sirmondo evulgata, legendaque apud Harduinum tom.1. pag.845, ostenduntque Blondellus in Apolog. pro senten. tia S. Hieronymi de Episcopis, & Presbyteris sect.3, & Pagius ad an.379. n. 8. Regiensis Canonis 2, quo Armentarii Ordinatio irrita dicitur, legitimus sensus hauriri debet ex sequentibus Canonibus 3, quo eidem Virginum Consecratio, & Neophytorum Confirmatio permittitur, quæ alioqui nonnisi Episcopali Charactere insignitis licebant, atque de Confirmatione quidem liquet, de Virginum vero Consecratione Episcopis reservata loquuntur Concilia Carthaginense III. an. 390. Can.3, Carthaginense anno 397. Can.36, in Cod.Eccl. Afric. Can.6, apud Gratianum vero Can.1, *Si jubet*, & Can.2. *Presbyter* 26. Q. 6, Parisiense VI. anno 829. lib.1. cap. 41, & Rotomagense an. 878. cap. 9; atque ex Can.4, quo Clericos ab Armentario consecratos, si nulla eis conversationis macula adhæreret, ab Episcopo Ebredunensi in Ministerio retineri conceditur : ex quibus manifeste liquet Canonem 2. intelligendum esse de Ordinatione illicita, non autem invalida. Piget me vero, pudetque eidem sæpius ingestæ difficultati idem sæpe responsum regerere; sed sicuti volunt adversarii, sic habeant. Quæ itaque Ordinationes a Conciliis Turonensi I, Hispalensi II, & Toletano IX. irritæ denuntiantur, atque sic ordinati honore Ordinis denudari jubentur, aptiori nunc vocabulo illicitas nos dicimus, ac sic ordinatos ab Ordinum exercitio remotos. Et certe Turonense, dum Ordinationes in aliena Provincia habitas, modo digna fuissent *Satisfactione* compositæ, tolerandas duxit, eas etiam, quas *in irritum* revocandas indixit, ob satisfactionis defectum, reapse validas ab se habitas haud obscure indicavit.

Atque

Atque probam hanc quoque, veramque interpretandi Hiſpalenſe II. rationem eſſe, inde fit evidens, quod Can. 12. ex Acephalorum hæreſi redux ad frugem Epiſcopus quidam cum gradu receptus legitur. Nefas eſt etiam Toletano IX. alteram affingere ſententiam ab ea, quæ Toletano VIII. ante inhæſerat, a quo Canone 7. explicitiſſime declaratum Ordinis Characterem deperdi nullo poſſe modo ſuperius indicabam. Quæ vero legitima, germanaque fuerit Conciliorum tam Aurelianenſis I, quam Cæſarauguſtani II. ſententia, ſuperius expoſui, eamque tam ex Fulberto Carnot., quam ex Toletano IV. perſpectiſſimam feci: juxta quam proinde intelligi debet Vermerienſe I. Canon. 14, nempe *Conſecrationis* nomine non aliud ei ſenſu veniſſe, niſi *Reconciliationis*, ſive *Benedictionis* ritum, quo ſuis Clerici gradibus reſtituī ſolebant. Prætermiſſis autem, quæ Romanis in Synodis de Ordinationibus a Monothelitis, & a Conſtantino peractis ſub S. Martino I, & Stephano III. decreta obtrudi ſolent, quibus abunde ſuo factum eſt loco ſatis, mirari ſubit Concilium Sueſſionenſe II. objici, cujus ſanctiones reſcidiſſe S. Nicolaum I. in epiſt. ſive ad Sueſſionenſe III, ſive ad Hincmarum actorum omnium auctorem notum eſt, atque Clericos ab Ebbone ordinatos ſuis reſtitui gradibus iuſſiſſe: quæ reſtitutio perinde Tricaſſinæ Synodi, & Hadriani II. P. M. auctoritate roborata fuit. Quamquam Clericos illos Sueſſionenſis II. Synodi judicio a ſolo Altaris miniſterio fuiſſe ſemotos auctor eſt Flodoardus hiſt. Remen. lib. 3. cap. 11. Juxta hæc itaque neque falletur, neque fallet, qui hoc ſenſu dicta a Synodis Moguntina an. 888, a Romana (ut de Romanis ſub Stephano VI, & Johanne XII. nihil retexam) ſub Gregorio V. anno 998, a Bituricenſi an. 1031, & Toloſana an. 1056. de Ordinationibus contra Canones attentatis, ideſt quod ita ordinatos a gradibus, honoribus, & officiis excluſos omnino voluerint, non vero quod eorumdem Ordinationes pro invalidis reputaverint. Etſi vero ego haud admodum ægre conſentiam immani ex odio, quo erga Simoniacas, aut Schiſmaticas Ordinationes ferebantur, haud difficile factum, ut plures in extremam delaberentur partem, pugnandumque ſumpſerint Ordinationes hujuſmodi tam invalidas fuiſſe, quam fuerant illicitæ, atque in hanc forſitan præpoſteram

abiiſſe opinionem Synodum Gerundenſem an. 1078, quin etiam Northuſienſem an. 1105: ne tamen a veteri Synodis intime hactenus inſita duas haſce aberraſſe ſententia dicam, quod dicere certe nihil cogit, præſtat magis voces illas *Conſecrationis*, & *Catholicæ manus impoſitionis*, quibus utraque Synodus utitur, ſub quibuſque a Simoniacis, aut a Schiſmaticis ordinati ad Eccleſiam admitti jubet, ad rectam exigere interpretationem, cui haud invitæ Synodi Cæſarauguſtana II, Aurelianenſis I, Toletana IV, & Vermerienſis I. ſubactæ ſunt, quaque de interpretatione in prænotatis ad objectiones ex Synodis obtruſas paullo ſuperius ſuſe diſſerebam. De rectiſſima Synodorum ſub Nicolao II, S. Gregorio VII, Urbano II, Calliſto II, Innocentio II, Eugenio III, & Alexandro III. ſententia diſputavi ſatis, ab eaque, quæ ſuis Deceſſoribus inſederat, eoſdem nec latum deceſſiſſe unguem oſtendi; unde, ut ad ea, quæ ex SS. Patribus, Scriptoribuſque Eccleſiaſticis objecta ſunt, diluenda properet oratio mea, jam præſtat.

Atque principio quod ad SS. Cyprianum, & Firmilianum pertinet, congregataſque ſub ipſis qua in Africa, qua in Aſia Synodos, ſiquidem Gratiam a Charactere, & a conditione Miniſtri efficaciam Sacramenti diſtinguere neſcientes, eo ipſo quo Baptiſmum ab Hæreticis collatum, non ſecus Ordinationes ab eiſdem celebratas nullo loco habuerunt; ideoque ab eorum opinione, ſive qua Baptiſmum iterandum, ſive qua inſtaurandas Ordinationes reſpicit, tanquam ab Eccleſia reprobata, recedere nobis religio eſt. Quamquam ea tunc temporis pro opinione, quam ad puræ diſciplinæ caput pertinere ipſi putabant, ſtantibus, pugnantibuſque abſit, ut hæreſis dicam conſcribere audeamus. At enim ab utroque S. Cypriani errore longe abfuit S. Cæcilianus, nec Dupinio adſentio cenſenti Cæcilianum bono pacis hanc ultro conditionem, ut iterum a Donatiſtis ordinaretur, Numidis obtuliſſe. Quorſum enim conjecturis ejuſmodi, quæ demum gravem in Cæciliani injuriam cedunt, indulgeam, qui tam integræ agendi rationis a Cæciliano retentæ, quam recti ab ipſo prolati dicti egregios habeo aſſertores, & vindices SS. Optatum, & Auguſtinum? Atque illum quidem lib. 1. n. 19, ubi Cæcilianum conditionate loquutum

quutum refert: *A Cæciliano*, inquit, *mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum*. Qui alioquin optime ſciebat futurum nunquam, ut Donatiſtæ Ordinis Characterem a Felice in ſe collatum non fuiſſe demonſtrare poſſent. Iſtum quoque in Brevic. Collat. diei 3. cap. 16. n. 29, ubi Cæcilianum ironice loco in objectione laudato effatum affirmat: *Dixerunt*, inquiens de Donatiſtis, *ſcripſiſſe Optatum* (a quo paullo aliter ſcriptum mox indicabam) *quod Cæcilianus dixerit*: Si traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant, & ordinent me. *Quod quidem, ſi dictum eſt, ideo dici poteſt, ad illos irridendos, quibus hoc mandaſſe perhibetur: quoniam certus erat Ordinatores ſuos non eſſe traditores*. S. Auguſtino vero parem in ſententia de Baptiſmo, & Ordine valide, etſi illicite ab Hæreticis, & Schiſmaticis collato S. Optatum ſtetiſſe paullo ſuperius oſtendi, qui perinde invite nonniſi, & injuria partem in adverſam pertrahitur. Siquidem eo ſenſu apud Hæreticos non *Legalia*, ſed *Falſa* dumtaxat eſſe Baptiſmata dixit, ſive quod illi fide deſtituti eſſent ad conſequendum Baptiſmi effectum neceſſaria; ſive quod Baptiſmus apud illos effectu deſtitutus, apud Catholicos legalis, veruſque eſſet, ideſt Gratiam efficeret, quam ſignificabat, unde non fuiſſe, cur Donatiſtæ æque a Catholicis, a quibus ſua alioqui Sacramenta hauſerant, atque ab Hæreticis Sacrorum conſortio ſe ſegregaverint. Nam explicatiſſime cæteroqui Baptiſmum in Trinitatis nomine a quocumque collatum a S. Optato validum, ratumque fuiſſe habitum liquet ex lib. 1. pag. 6, ac lib. 5. pag. 80, & 83. Quo perinde loco ab ipſo habitas Ordinationes etiam ab Hæreticis celebratas paritatis ratio demonſtrat. At S. Baſilium viciſſim parum ſibi cohæſiſſe, ut qui aliam de Rebaptizatione, aliamque de Reordinatione opinionem geſſit, haud ego difficilis fatear: qui tamen fateri nunquam cogar, ut eodem, quo collatus ab Hæreticis Baptiſmus ab eo habitus eſt, celebratas ab Hæreticis Ordinationes collocaverit. In Epiſtola ergo ad Amphil. loquitur S. Doctor de poteſtatis uſu, quem baptizandi, & ordinandi Hæreticis, & Schiſmaticis adimit, non de Ordinis poteſtate, quam a Charactere indiviſam in eadem epiſt., non ſecus atque in epiſtolis ad Nico-

polit., ad Suffrag., & Theodorum agnovit. Quo ſenſu Schiſmaticos ad *Laicum* detruſos ſtatum, & Hæreticos a *Sacerdotum* numero excluſos dixit, non quod Ordinis Charactere non inſigniti eſſent, ſed quod ab Ordinum exercitio eſſent interdicti. A S. Gennadio Conſtantinopolit. Patriarcha in Encyclica e Synodo Conſtantinopoli an. 459. e Lambecio lib. 8. pag. 421, Baluzio pag. 1452, & ſeq., & Leunclavio pag. 187. deſcripta ab Harduino tom. 2. pag. 782, ſubſcriptaque ab Epiſcopis 80. Simoniace ordinati *Ab omni Sacerdotali dignitate, & Miniſterio* alieni denuntiati certe ſunt, at eorum Ordinatio nequaquam invalida habita eſt. Quare par urget ratio, ut de ordinatis apud hæreticos loquens in epiſt. ad Martyrium Antioch., dum ait ad eum gradum χειροτονεῖσθαι, in quo prius erant, non de Ordinatione, ſed de redintegratione ad priſtinum Ordinem accipiatur. Quæ optima pariter interpretandi Iſaacum Catholicum ratio ſubit, ut dum Armenos Ordinationem non habere, ſed a Sacerdotio alienos eſſe denuntiat, non de Sacerdotali Ordine, & Charactere dictum accipiatur, ſed de illicita Ordinationum uſurpatione, illicitoque Sacerdotii exercitio. Cæterum enim Armenis (ut de Apocryphis fœderis tabulis Conſtantinum Imp. inter, & Tiridatem Armeniæ Regem, ac S. Silveſtrum P. M. inter, & S. Gregorium Illuminatorem, cui a Pontifice collata Patriarchalis dignitas cum poteſtate Epiſcopos ordinandi fertur apud Galanum Conciliat. Eccl. Armen. cum Rom. tom. 1. cap. 2. pag. 31. nihil referam) quoties de unionis negotio cum eis actum eſt, nuſquam a Romanis Pontificibus de Ordinationum validitate factum negotium legitur, præſertim a Benedicto XII, & Clemente VI. in libello 117. Errorum pro emendatione ad ipſos miſſo apud Raynaldum ad an. 1341. nu. 48, & ſeqq., Martenium vet. Monum. tom. 7. pag. 320, & Manſium Suppl. tom. 3. pag. 446, & ſeqq., a S. Gregorio VII. lib. 8. epiſt. 1. ad Archiep. Synnadenſem, & Eugenio IV. in Concilio Florentino. Alioqui vero Armeni, & quidem Archiepiſcopi 6, Epiſcopi vero 22. in Synodo an. 1344, vel inſeq. ad ſingula errorum ſibi objectorum capita reſpondentes in reſponſ. ad Articulos 72, & 73. ab errore cum Rebaptizationis, tum Reordinationis abeſſe ſe quammaxime, abhorrereque fateri, & profiteri

teri religioni duxerunt. Quamquam autem recentiores apud Græcos, & Moſchos cum Schiſmate, Hæreſibuſque aliis deterrimum de Charactere Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinationis haud indelebili errorem pervaſiſse non diffitear, ideoque illos ſacrilege ab iſtis tribus iterandis Sacramentis haud abſtinere, inde tamen, quod a Græcis, & Moſchis Presbyteri ſecundo nubentes ad Laicorum conditionem dejicerentur, & Laicæ dumtaxat Communioni adjicerentur, haud recte infert Crozæus a Græcis, & Moſchis indelebilem Sacerdotio Characterem haud tribui: ſiquidem Romanæ ipſi ſolemne eſſet Eccleſiæ Presbyteris, in quibus tamen indelebilem Ordinis Characterem jugiter agnovit, dignitate abdicatis locum inter Laicos, & Laicam dumtaxat Communionem indulgere: qua de diſciplina diſerte loquuntur SS. Cyprianus in epiſt. 72. ad S. Stephanum, Cornelius in epiſt. ad Fabium Antioch. apud Euſebium lib. 6. cap. 33, Siricius, ſive Innocentius I. in Canonibus ad Gallos Epiſcop. cap. 6, Innocentius in epiſt. 22. edit. Concil. cap. 4, Felix III. in epiſt. 9. edit. Hard. cap. 2, Synodi Sardicenſis an. 347. Can. 2, Regienſis an. 439. Can. 3, Agathenſis an. 506, Can. 2, & 5, & Aurelianenſis III. an. 538. Can. 6, & 19, ac conferendi Lupus ad cit. Sardic. Can., & Franciſcus de Berlendis de Oblationibus ad Altare §. 3. n. 7, & 8. Quid porro ſit, atque ſignificet illicite ordinatos *Manuum impoſitione confirmare* apud veteres Scriptores Eccleſiaſticos jam ſæpius expoſui. Quo recto proinde ſenſu accipi debent ſive Theodorus Cantuar., dum ordinatos a Britonibus, Scotiſque a Catholico Epiſcopo manuum impoſitione confirmari imperavit, de Benedictione nempe Cæremoniali, ſive iterata ſacratum Veſtium, & Inſtrumentorum traditione, qua ii ſuis reſtituebantur gradibus; ſive V. Beda, dum lib. 4. hiſt. Angl. capp. 2, & 3. loquens de S. Ceadda a Wina Epiſcopo Wintonienſi in Epiſcopum Eboracenſem, S. Wilfrido adhuc in vivis agente, qui eidem antea fuerat Eccleſiæ præfectus, inaugurato, atque ideo quod non fuiſſet *Rite conſecratus*, a Theodoro Cantuar. triennio poſt a Sede Eboracenſi remoto, ſubjungit, quod viſa Ceaddæ humilitate, qua libenter loco cedebat, Theodorus *Ordinationem ejus denuo Catholica ratione conſumavit*, eumque vacanti,

canti, Jarumanni obitu, Lichfeldienſi Eccleſiæ admovit, nempe non de nova Epiſcopali Conſecratione, ſed de Cæremoniali reconciliatione, qua ille dignitati reſtituebatur, alterique adjicebatur Eccleſiæ. Non moror autem, quæ ab Actardo Nannet., & Hincmaro Remen. perperam facta ſunt: ea ſiquidem inficiatum S. Nicolaum I., & pro infectis habuiſſe ſcitum eſt, & conſtans. Ut durius vero, minuſque caute loquuti videri poſſint S. Anſelmus Lucenſis, quin etiam S. Petrus Damiani, quæ tamen poſterioris hujus intima, germanaque fuerit opinio, paullo ſuperius pluribus in aprico poſita eſt, atque quidem apertiſſima fit tum ex Opuſc. 6, quod eſt epiſtola 16. ad Henricum Raven., cap. 30, ubi *Aliud eſt*, inquit, *quamlibet per Synodalem ſententiam in amiſſi Ordinis jura reſtitui; aliud per Conſecrationis myſterium, quod iterari non poteſt, Spiritus S. gratiam promereri: præſertim quum in eo, qui deponitur, quamquam dignitatis utendæ perdat extrinſecus privilegium, maneat tamen nihilominus ſemel adepti Ordinis Sacramentum*: quam ſuam deinde de Simoniacis valide ordinatis ſententiam Clementis II, & S. Leonis IX. decretis confirmat; tum ex Epiſtola ad Hildebrandum, qua Mediolanenſis ſibi, & S. Anſelmo a Nicolao II. demandatæ legationis acta exponens, nova abſque Ordinatione Simoniacos, & Incontinentes Clericos, ideo Excommunicatione innodatos, ſuis cum Ordinibus ab ſe ſuſceptos refert: ex qua poſterioris quoque illius, S. Anſelmi Lucenſis ideſt, qui ejuſdem legationis individuus fuerat comes, explicitiſſima evadit opinio. Dandum quoque, ſiqui alii, uti Gofridus Vindoc., uti Bernardus Conſtat., uti Laurentius Virdun., zelo ferventiori adverſus Schiſmaticos, ac Simoniacos, quorum ea ſub ætate ſupra modum exundabat colluvies, abrepti, in extremam aliquando partem inflecti viſi ſunt, a quibus proinde quiſque prudens ſibi diſcedendum facile, opinor, ex multis, quæ dicta ſunt, eſſe dignoſcet, diſcetque. Quamquam mea quidem ſententia de illis tam juſte, quam optime merebitur, qui bonam illos, ut licet, in partem benigne interpretetur. Certe S. Hildebertus Cenom. in epiſt. 14. de Diacono Simoniace ordinato agens: *Ordinem*, infit, *dum emit, non accepit*, Quod effatum mox temperans: *Fortaſſe*, ſubjungit, *non accepit*. Ita nempe

pe de Ordinationis illius validitate addubitat : ſed deinde de Presbytero etiam Simoniace ordinato loquens , dubitatione omni poſtpoſita, abſolute pronuntiat : *Revera male accepit* . Quo tamen benigno interpretationis officio non indiget Rupertus Tuitienſis , qui loco objecto ex lib. 12. in Matth. explicite loquitur de Sacramentorum non validitate quidem , ſed virtute , ſive effectu: *Sacramentorum* , inquiens , *Miniſter, quandiu in Communione Univerſitatis manet , quiquid adminiſtrat , ratum eſt : ubi autem a legitimo judicio denunciatum fuerit , præciſum illum eſſe , vel damnatum , quidquid deinceps operari videtur, ſpeciem quidem pietatis habere poteſt , ſed virtutem ejus habere non poteſt* . Ex quibus qui a Ruperto indignis Miniſtris Sacramenta valide conficiendi abjudicatam poteſtatem arbitratur , næ is vehementer decipitur, Doctoremque illum eximium in Huſſitarum errorem invitum detrudit . Neque indigere Gratianum ex Can. 97. *Quod quidam* 1. Q. 1. planum feci : quamvis ipſum ſibimet aliquando haud conſtitiſſe non inficiar . Neque indigere Petrum Lombardum exinde ſuadetur , quod ſcienter a Simoniacis ordinatos diſtinguens ab iis , qui a Simoniacis ordinati fuiſſent ignoranter , dum horum Ordinationem ſuſtineri, illorum vero irritam eſſe docet , haud obſcure indicat Eccleſiæ decreto a Simoniacis ſcienter ordinatos ab Ordinum exercitio ſuſpenſos eſſe , non etiam ita ordinatos ignoranter . Neque indigere Alexandrum Alenſ. ex eo fit evidens, quod ex falſa ſuppoſitione , qua nempe in Ordine Sacerdotali Characterem imprimi , non etiam in Epiſcopali exiſtimabat , ipſius opinio proceſſit , juxta quam a Sacerdote poteſtatis uſum , non poteſtatem auferri poſſe, ab Epiſcopo vero tam poteſtatem , quam uſum poteſtatis conſequenter opinatus eſt. Quam juxta opinionem perinde recte Scotus ab Epiſcopo depoſito Ordines haud valide conferri reſpondit . Neque indigere Guillelmum Pariſ. ipſemet declarat de Sacr. Ordin. cap. 7. docens Suſpenſione , & Excommunicatione Officium , ſive Ordinem haud auferri ; ſed ejus dumtaxat executionem inhiberi . Siqui denique ſunt alii , ſicuti Jo: Semeca , Bartholomæus Brix. , Raynerius , Guillelmus Rubion, Aſteſanus &c. , quos benigne ſic interpretari non liceat , benigna , per me licebit , interpretario denegetur , dum illis

illis ego interea de Schola Theologos quotquot, uno vel altero dempto, qui quinquentis abhinc annis longe præ ipsis doctrina, auctoritateque præstarunt, quorumque præstantiores indicavi, pro me stantes opposuisse satius habebo. Atque hacce de quæstione hactenus, in qua si forte longius, quam par fuisset, pervagata oratio est, veniam facile, opinor, a frugi viro, liberalique ipsa rei gravitas impetrabit.

In lineam ut redeam, quandoquidem eò sermo meus evasit, ut juxta temporis ordinem incideret in S. Zosimum, cui sane vitio dupliciter vertitur, neque ab heterodoxis dumtaxat, quod haud doleo, sed vel ab his, qui inter Catholicos bene audiunt, velut a Bossuetio defens. decl. par. 2. lib. 14. cap. 36, quo dolore ex animo afficior, vitio, inquam, vertitur, sive quod Cælestii erroribus patrocinatus fuerit, sive quod ab hæretico, versipellique homine fucum sibi fieri passus sit; ut proinde Cælestii, Pelagiique subleſtam fidem ipsi placuisse, fuisseque probatam affirmare præ. fidenter haud dubitent, quam præposterе, tam perperam, atrocemque per calumniam totum id S. Zosimo affingi, eumque ab omni prorsus impacti erroris labe abstergere operæ pretium esset. Quoniam vero paucis quidem, sed quantum opus erat, provinciam hanc explevi, Parte hac 2. Tom. 3. Artic. 5. §. 1. pag. 435, & seqq., præstat ad eos transgredi errores, qui temere S. Sixto III. affingi solent. Atque quidem illum, antequam Pontificatum adipiscereturr, dum adhuc Presbyterum ageret, Pelagianis immersum erroribus libros tres his erroribus refertos *de Divitiis*; *de malis Doctoribus*, *Operibus fidei*, *& futuro Judicio*; *ac de Castitate* (quem postremum S. Sixto II. pari falsitate tribuunt Turrianus, & Latinus Latinius Bibl. Sacro-profan. pag. 78,) a Jacobo Solanio sub ejusdem Sixti III. nomine primum in lucem an. 1573. productos, ac in tom. 7. Bibl. PP. repetitos, elucubrasse contendit Garnerius tom. 1. in Marium Mercat. pag. 362, & seq.; eumdem tamen annum post 318. meliora a S. Augustino edoctum Hypognosticon, sive Subnotationum libros inter S. Augustini opera obvios composuisse affirmans in dissert. 6. de Scriptis adverſ. Pelag. hæresim. Age vero, qui fieri demum potuit, ut vir doctiss. ingenio in transversum actus tam atrocem Pontifici opti-

optimo, fideique integerrimæ calumniam affingeret? Videlicet S. Auguſtini verbis in epiſt. 191, & 194. innixus S. Sixtum Pelagianis faviſſe, ſuumque illis patrocinium aliquando impendiſſe pro certo ponit, indeque præfatos ab eo compoſitos libros confi-cit. At enim, quænam eſt iſta, quæſo, argumentandi ratio Pelagianæ hæreſeos cumulatiſſimos libros inferre ab eo compoſitos, qui aliquando Pelagianis favore non defuerit, quaſi hæreſim ſit ebibere hæreticos ab ſe non abigere? At enim quam in falſo pedem Garnerius poſuerit facile demonſtratu evadit. Principio namque eo loci S. Auguſtinus Pelagianis faviſſe S. Sixtum non ſcripſit, ſed quod *Fama jactaret Inimicis Chriſtianæ gratiæ favere*. Ex fama vero ſic ferente Garnerio ne fas erat inferre illum Pelagianis revera faviſſe, & Pelagiana quin hæreſi infectum? Fama etiam deferente, de Neſtorio favore impenſo in ſuſpicionem aliquibus idem Sixtus venerat. Ergo ne propterea Neſtorio illum revera faviſſe, ac Neſtoriana fuiſſe labe inquinatum licebit inferre? Sed enim S. Auguſtinus in duabus epiſtolis 191, & 194. ad eumdem Pontificem hæreſim Pelagianam exponens, ac Pelagii argumenta omnia diluens, de ſingulari Pelagiano errore, qui legebatur in libro *de Divitiis*, videlicet, *Divitem manentem in Divitiis ſuis in Regnum Dei non poſſe ingredi*, quem alioquin errorem in epiſt. 157. ad Hilarium exagitat, & refellit, apud Sixtum alte ſilet: quod indicium eſt ſane neque errorem illum Sixto inhæſiſſe, neque librum illum *de Divitiis* Sixtum habuiſſe auctorem. Sed & idem S. Doctor auctorem ſe locupletem exhibet a S. Sixto Pelagianis anathema palam inflictum fuiſſe, egregiumque, ut par erat, decebatque Pontificem M., Divinæ gratiæ defenſorem adverſus illos, ac vindicem ſe præſtitiſſe. Sed etiam S. Proſper hanc procul a S. Sixto maculam, ſuſpicionemque depulit tam in libro adverſ. Collat. cap. 21. certe futuram ſperans, ut S. Sixtus in ſuorum Deceſſorum ingreſſus veſtigia Pelagianis exterminandis ſedulus incumberet: *Confidimus Domini protectione præſtandum, ut quod operatus eſt in Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, & Cæleſtino, operetur in Sixto; & in cuſtodia Dominici Gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervata Paſtori, ut ſicut illi Lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos*; quam in

Chron. ad an. 439. eumdem S. Sixtum vigilantia inclaruiſſe adverſus Julianum Eclanenſem referens, ab eoque hæreticum verſipellem communione ab Eccleſiaſtica, quam appetebat, fuiſſe diſtricte repulſum. Sed & Solanius etſi una motus Exemplaris ſui auctoritate tres libros illos Sixto tribuerit, faſſus eſt tamen titulum Exemplari præfixum recentioris eſſe manus, inſuper non Sixti III. Papæ, ſed Sixti Papæ, & Mart. nomen eo in titulo præferri, ac denique neque Sixto Papæ, & Mart., utpote cujus ætate poſteriores eos eſſe exploratum eſt, tres illos libros haud congruere. Vidit ne hæc Garnerius! Atque ſiquidem vidit, cur diſſimulavit, ſiniſtramque nihilo ſecius de S. Sixto III. induere ſuſpicionem non deſtitit? Poſtremo, quod ad Hypognoſticon reſpicit apud S. Auguſtinum tom. 10. in Append., fruſtra laborat Garnerius, ut libros hoſce pariter S. Sixto adſtruat, cenſura ſiquidem libris illis in nov. S. Auguſtini edit. a doctiſs. Benedictinis præfixa eos ad Marium Mercat. potius, quem ad S. Sixtum III. pertinere demonſtrat; neque magis ab ipſo fuiſſe S. Auguſtino elaboratos, ut olim fuerat Hincmaro Rem. in epiſt. ad Amolonem de cauſsa Gotteſchalchi perſuaſum, quam jamdiu refutarunt Remigius Lugd., & Prudentius Tricaſſinus. Confer ad hæc, qui late argumentum iſtud exagitant, Baronium ad an. 440. n. 6, & ſeqq., in ea opinione verſatum, quod ſicuti Sixti II. nomini ab Origeniſtis ſuppoſitus liber Sexti Pythagoræi fuerat, ita pari fraude ſub venerabili Sixti III. nomine a Pelagianis tres libri illi fuerint venditati; Lindanum apud ipſum Baronium, Bellarminum de Script. Eccl. tom. 7. p. 165; ac diſerte contra Garnerium verſant, Natalem Alex. hiſt. Eccl. ad Sæculum V. cap. 3. art. 6. §. 6, Pagium ad an. 440. n. 3, Tillemontium Monum. tom. 14. pag. 266, & Coutantium in Notit. Scriptorum Sixti III. §. 2. pag. 1273; quibus junge Proſperum Mandoſium in Bibl. Rom. Cent. 1. pag. 67, Ludov. Jacobum a S. Carolo in Bibl. Pontif. pag. 203, Oldoinum in Athen. Rom. pag. 615, & Oudinum tom. 1. pag. 1169; quin etiam ipſum met S. Sixtum III, qui prolatæ a deceſsore ſuo S. Zoſimo in Pelagianos damnationis ſententiæ adquieſcere ſatius nedum habuit, ſed Populo coram adverſus Pelagianos ipſos diſerte anathema pronuntiavit, atque obnixas Pelagianæ excindendæ hære-

hæreſis a Zoſimo indutas curas egregie adjuvit, ut ex S. Auguſtino in præcit. epiſt. 191, & 194. augurari fas eſt, nunquam tamen injectam de ſe Pelagianiſmi famam expurgare, libroſque Pelagiana hæreſi aſperſos ſupprimere cogitavit. Quemadmodum vero S. Sixtus III. a Pelagianis ſuas in partes invitus pertractus fuit, ſic eum pariter a Neſtorianis, quod ſuis faveret dogmatibus, apud Plebem fuiſſe traductum exputare pronum eſt. Atqui Pontificis fidem hac etiam in parte a Neſtorianiſmi ſuſpicione prorſus abſtergere religioni, officioque habuit S. Cyrillus Alex. in epiſt. ad Acacium Meliten. apud Labbeum tom. 3. pag. 1129: *Siqui epiſtolam*, inquiens, *tanquam a Philippo Rom. Eccleſiæ Preſbytero ſcriptam attulerint, perinde ſonantem, ac ſi Sanctiſs. Epiſpus Xixtus depoſitionem Neſtorii moleſte acceperit, eique opem tulerit, ne credat hoc Sanctitas tua. Scripſit enim conſona S. Synodo* (Epheſinæ) *omniaque illius geſta confirmavit, ac nobiſcum ſentit*. Cujuſce quidem rei liquidi teſtes, locupleteſque accedunt ejuſdem Sixti epiſtolæ ad S. Cyrillum, & Johannem Antioch., quibus etſi in damnandis hæreticis nihil agi præpropere vellet, ſed omnia prius experiri patienter, animum tamen Neſtorianæ hæreſi infenſiſſimum apertiſſime præfert. Integerrimæ præterea fidei S. Sixti III. adverſus Neſtorium illuſtre documentum inſpicere licet in Muſivis ab ipſo Baſilicæ Liberianæ poſitis, in quibus Synodi Epheſinæ non ſolum memoria exhibetur, ſed potiora etiam utriuſque Teſtamenti teſtimonia ad Catholici dogmatis contra Neſtorium confirmationem exprimuntur, de quibus legenda elegantiſſima diſſertatio 2. viri Doctiſs. Franciſci Blanchinii Anaſtaſii tom. 3. pag. 123, & ſeqq. De Actis porro purgationis ejuſdem Sixti III, quæ ex figlinis prodiiſſe nemo prudens jam dubitat, atque dubitationi ſupponere veriti ipſimet ſunt Dupinius Bibl. Eccl. tom. 3. par. 2, Blondellus de epiſt. Pontif., Sudorius in hiſt. Eccl., & Imp. ad an. 435, Baſnagius in Annal. Polit. Eccl. ad an. 433, & ſeq., ac Franciſcus Bruys hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 215, recolenda, ſi placet, quæ luculenter tradidi hac Part. 2. Tom. 3. Art. 3. §. 2. pag. 228; & ſeqq., ejuſque occaſione, quæ pari de cauſa S. Damaſi, S. Bonifacii I, S. Symmachi, Leonis III, Johannis XII, Benedicti V, Gregorii VI, Benedicti IX, Alexandri

xandri II, S. Gregorii VII, Paſchalis II, Alexandri III, & Julii II. congeſta ſunt, & digeſta, quibus recoquendis non eſt, cur opera ludatur inaniter, teraturque inutiliter tempus.

Itaque gradum hinc faciendo ad S. Leonem re, nomineque Magnum, ſub quo primum viſum Romana in Eccleſia Antichriſtum ore proferre blaſphemo haud veritus Juriæus Cl. Boſſuetio in admon. 3. ad Proteſt. juſtiſſimas impudentiæ pœnas dedit, ab eo ſuis met adeo valide transfoſſus telis, ut hiſcendi deinceps illi locus ademptus fuerit, velut etiam faſſus eſt Bruejus pag. 242, utque dicere prætermittam de Antelmii viri alioqui doctiſs. reprehenſione digna inconſideratione, qua S. Leoni calamum in epiſtolis conſcribendis accommodaſſe ſuum S. Proſperum ſcripſit, quomodo haudlevem, quæ S. Pontifici ex doctrinæ, eruditionisque copia adhæſit, laudis partem detraxiſſe videtur, præ quo proinde optime de S. Leone meritus eſt Dupinius in nov. Bibl. Auct. Eccleſ. tom. 3. par. 2. pag. 285, & ſeq. Epiſtolas illas non alterum, quam S. Leonem, cujus nomine inſcribuntur, habere parentem affirmans; ut nihil dicam de fictis, refictisque a Beauſobrio, & Bruejo in S. Pontificem querelis, ſive quod Manichæorum flagitia præter modum amplificaverit, ſive quod in perſequendis cum illis qua Pelagianis, qua Priſcillianiſtis modum exceſſerit, ſiquidem obtrectatoribus hiſce duriſſimum jam os obſtruxit Cl. Petrus Thomas Cacciari in hiſt. earum hæreſ. ſuæ Oper. S. Leonis edit. præmiſſa; utque audaciam, temeritatemque nec tangam ſive Simonii, qua in hiſt. Chriſt. Orient. cap. 9, ubi probum in ſenſum propoſitiones Eutychetis inflecti facile potuiſſe affirmare haud dubitans, præcipitis ita agendi rationis S. Leonem inſimulat, quaſi intimam Eutychetis attingere ſententiam non valuerit; ſive Queſnelli, qua in Not. ad epiſt. 1. ad Epiſcopos Mauritaniæ ſcribere haud veritus eſt S. Leonem ingenio ſolerter incubuiſſe omni temporis opportunitati captandæ, quo Sedis ſuæ jura amplificaret, extraque fines efferret: quorum prior ille vel ex his, quæ habet Queſnellus ipſe de cauſa Eutychiana in diſſert. 1. de S. Leonis rebus geſtis abunde refellitur, poſterior vero iſte pro meritis caſtigatur a Duum viris doctiſs., quos præ aliis honoris gratia nominatos heic volui, Balleriniis Fratribus in Obſervat. ad par. 1. diſſert.

diſsert. 5. Apolog. pro S. Hilario Arelat. tom. 2. cap. 3, & ſeqq. pag. 915, & ſeqq., his, inquam præteritis, circa duo, in quibus majus ineſse pondus videtur, ſermonem ſiſto, atque unum quidem eluendum, alterum vero breviter enucleandum mihi propono. Primo igitur circa doctrinam Catholicam de morte Chriſti pro omnibus Queſnello in diſſert. 2. de Auctore libror. de Vocat. Gent. n. 31. S. Leo aliquibus in locis, quorum tamen nullum indicat, viſus eſt aliquid a S. Auguſtini doctrina alienum docere, quem proinde ut ad S. Doctoris concordiam adduceret, Caput 19. ex libro S. Remigii Lugdun. de tribus Epiſtolis adverſus Jo: Scotum Erigenam profert in medium, ex quo nempe penitior S. Leonis ſenſus attingi poſſit. Sed enim mirari ſatis non ſubit ſubleſtiſſimam hominis fidem, qua veluti per cuniculos Catholicam de Chriſti morte doctrinam impetere, germanamque S. Pontificis hocce de dogmate ſententiam perturbare molitur. Enim vero S. Auguſtini doctrina eſt Chriſtum D. oraſſe pro omnibus, ita Serm. 273. n. 2: *Neminem ſingulorum præterit, qui orat pro univerſis.* Chriſtum pro Interfectoribus ſuis ſignatim oraſse, ita Tract. 31. in Johan. n. 9: *Non debebant deſperare, pro quibus in Cruce pendens Dominus eſt dignatus orare &c. Illis jam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat injuriam.* Chriſtum pro iiſdem ſuis Interfectoribus ſanguinem fudiſſe, ita de Symb. lib. 2. cap. 8: *Inimicis ſuis vulnera ſua demonſtraturus eſt &c. Agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam, & per vos, & propter vos apertum eſt; nec tamen intrare voluiſtis.* Chriſtum ipſo pro Juda mortem oppetiiſse, ita in Pſal. 68. enar. 2. n. 11: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipſe a Domino redemptus erat.* Chriſtum denique pro omnibus indiſcriminatim mortuum fuiſse, ita in Pſal. 95. n. 15: *Totum* (Mundum) *judicare habet, quia pro toto pretium dedit*; in Pſal. 129. n. 3. *Pretium tantum redemit omnes Captivos*; & lib. 20. de Civit. cap. 6: *Pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.* Ex quibus proinde quum S. Doctor de Conjug. adult. lib. 1. num. 16. ait: *Sicut omnis, qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, homo eſt, non tamen omnis, qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt, ita &c.*, & quum in epiſt. 269. n. 4. ſcribit: *Non perit*

unus

unus ex illis, pro quibus (Chriſtus) *mortuus eſt*, cum loquutum de mortis Chriſti fructu, ſeu Redemptionis effectu nemo probe non percipit, prout ipſemet ſe ſe explicat in Serm. 345. num. 4: *Sanguis*, inquiens, *Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te, ſi nolueris, non eſt datus pro te &c. Semel dedit, & pro omnibus dedit. Volenti eſt ſalus, nolenti ſupplicium*; prout ipſum approbe exponit quoque S. Proſper in reſp. 9. ad Capit. Gallor. *Quum itaque*, ajens, *rectiſſime dicatur Salvator pro totius Mundi redemptione Crucifixus &c. poteſt tamen dici pro his tantum Crucifixus, quibus mors ipſius profuit*; ac prout ipſum perinde interpretatus eſt recte S. Thomas in Johan. cap. 17. lect. 2. *Dicendum*, inquiens, *quod Chriſtus, quantum eſt de ſe, pro omnibus oravit, quia oratio ſua, quantum eſt de ſe, efficax eſt, ut valeat toti Mundo: ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & Electis Dei, propter impedimentum mundanum*. Germana haec S. Auguſtini doctrina, de qua luculenter Cl. Maffejus in hiſt. Theolog. lib. 3. cap. 2, lib. 14. cap. 5, & lib. 15. cap. 7. Atqui ab hac plane latum neque unguem abluſiſſe S. Leonem M. ab eodem doctiſſ. Viro lib. 16. cap. 5, & a biga Fratrum hoc de argumento optime pariter meritorum, Balleriniis nempe in obſervat. ad diſſert. 2. Queſnelli n. 16, & ſeq. demonſtratum eſt. Scilicet in Serm. 1. de Nativ. edit. Baller. cap. 1. de Chriſti D. adventu loquens S. Leo: *Sicut nullum*, inquit, *a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit*, ita nempe inter reprobos nullum ab intentione Chriſti Redemptoris exceptum tradit. In Serm. 1. de Paſſ. cap. 4. de S. Petro ejus captioni ſe ſe opponente verba faciens: *Contra Sacramentum*, ait, *erat Redemptionis noſtræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet*. Cap. 5. neque, Judas quominus Redemptionis particeps fieret, per ipſum ſtetiſſe ſubjungens: *Quod remedium nec te, Juda, tranſiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ te revocaret ad Chriſtum*. In Serm. 3. cap. 3. de eodem Juda verba retexens: *Expectaſſes*, ſubdit, *donec Sanguis Chriſti pro omnibus peccatoribus funderetur, informis leti ſuſpendium diſtuliſſes*. In Serm. 4. cap. 1. in eamdem ſe ſe exprimens ſententiam: *Paſſio Chriſti*, inquit, *ſalutis noſtræ continet Sacramentum, & de inſtrumento, quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia*

tentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam: quam Dominus Jesus ita ad omnium hominum ſuſcepit ſalutem, ut inter Clavos, quibus ligno tenebatur affixus, pro Interfectoribus ſuis Paternæ clementiæ ſupplicaret &c. In Serm. 8. cap. 1. de Chriſto ultro citroque volente, capi ſe paſſo, & trahi loqui inſtituens: *Occupant*, inquit, *paratum teneri, & trahunt volentem trahi: qui ſi vellet obniti, nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus poſſent, ſed Mundi redemptio tardaretur, & nullum ſalvaret illæſus, qui pro omnium ſalute erat moriturus.* Et cap. 8. prolato in medium S. Pauli 1. ad Timoth. 1. verſ. 15. loco hunc apponit epiphonema: *Hinc mirabilior eſt erga nos miſericordia Dei, quod non pro Juſtis, neque pro Sanctis, ſed pro iniquis, & impiis Chriſtus eſt mortuus.* In Serm. 15. cap. 3. de mirabilibus Chriſti mortis effectibus diſſerens hunc inter alios quam inſignem, tam univerſalem recenſet hiſce verbis: *Nulli infirmorum Crucis eſt negata victoria; nec quiſquam eſt, cui non Chriſti auxilietur oratio.* Mitto horum ſimillima pleraque in Serm. 11. cap. 4, in Serm. 12. cap. 5, in Serm. 16. cap. 3, in Serm. 18. cap. 4, alibique ſæpe, ne ſim prolixior. Quæſo nunc vero, quid in his non approbe S. Auguſtini doctrinæ conforme? Quid in his obſcuritatis vel leve indicium latet, quo permotus Queſnellus lucem ex S. Remigii libro adſciſcere ſatageret, ex libro, inquam, tot undique ambagibus obſito, atque in æquivocum adeo facile intorquendo ſenſum, ut in ſenſum reapſe pravum, & quintæ Janſenii propoſitioni faventem a Janſeniſtis paſſim intorqueri pleraque exinde decerpta loca ſoleant? Quamquam alioqui quæ S. Leonis M. teſtimonia eo in libro S. Remigius de ſolis Electis, qui revera a Chriſto redempti fuerunt, explicat, de Redemptione profecto, & oratione Chriſti, quo ad efficaciam, ſive volontate ſpectata abſoluta, & efficaci, non vero quo ad ſufficientiam Redemptionis omnibus præparatæ, & exhibitæ, ſive volontate antecedenti ſpectata, accipienda fore prælaudato loco Ballerinii demonſtrant. Quorſum igitur permiſcere iſta, & explicatiſſima S. Leonis loca ambiguis, obſcuriſque S. Remigii gloſſematibus perturbare magis, quam explanare Queſnellus inſtituit, quam ut, ſi mea non me fallit opinio, quintæ Janſenianæ propoſitioni affines propoſitiones 30, & 32.

&32. ſuas, Clementina deinde Conſtitutione *Unigenitus* confixas, ſtatuminaret? Sed de his ſatis.

Quod ſecundo enucleandum loco mihi propoſitum eſt, locus eſt unus, vel alter ejuſdem S. Leonis M. in epiſt. 167. edit. Baller. ad Ruſticum Narbon. cap. 4. apud Gratianum Can. 12. *Non omnis* 32. Q. 2. in quo ſic habetur: *Non omnis Mulier juncta Viro Uxor eſt Viri, quia nec omnis filius heres eſt Patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipſum Domino conſtituente, quam initium Romani juris exſiſteret. Itaque aliud eſt Uxor, aliud Concubina; ſicut aliud Ancilla, aliud Libera.* Quibus veluti pro fundamento ſtatutis, ad inquiſitionem Ruſtici, a quo interrogatus fuerat de Presbytero, vel Diacono, qui filiam ſuam virginem illi viro in conjugium dederat, qui jam habebat conjunctam Mulierem, ex qua etiam filios ſuſceperat, reſpondens ita ſubjungit: *Igitur Clericus, ſi filiam ſuam viro habenti Concubinam in Matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam Coniugato dederit: niſi forte illa Mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis Nuptiis honeſtata videatur.* Cap. 5. ejuſdem inquiſitioni de Puellis, quæ viris Concubinas habentibus nupſiſſent, ſatisfaciens in hæc verba reſcribit: *Paterno arbitrio Viris junctæ carent culpa, ſi Mulieres, quæ a viris habebantur, in Matrimonio non fuerunt.* Et Cap. 6, quod in Codicibus nonnullis capiti antecedenti conjungitur, interrogationi de his, qui Mulieres, ex quibus filios habebant, relinquunt, & Uxores accipiunt, hoc aptat reſponſum: *Quia aliud eſt Nupta, aliud Concubina; Ancillam a toro abjicere, & Uxorem certæ ingenuitatis accipere non duplicatio Conjugii, ſed profectus eſt honeſtatis.* Quæ porro Capitibus hiſce de Concubinis S. Pontifex habet, quin in malam, ut a Proteſtantibus, aliiſque peſſimo erga Rom. Pontifices ingenio affectos, partem accipi poſſint, veluti fecit Hondorfius vir Lutheranus a Comite Gkeichen impetratum a Pontifice, ut priore in vivis agente Uxore, alteram ſuperinducere poſſet, commentus; atque Queſnellus in Not. ad hanc epiſt. ſuſpicatus a S. Leone publicarum Nuptiarum conditionem requiri, ut valida ſint Matrimonia: quum longe poſt attamen Matrimonia Clandeſtina rata, & valida Tridentina

tina Synodus habuerit, antequam ab Eccleſia irrita facta eadem fuiſſent, accurata locorum inter ſe collatio non ſinet. Inde enim conſtabit a S. Leone Concubinæ nomine accipi Ancillam, ſive Pellicem, quam ſibi Vir quidam ad individuam quidem vitæ ſocietatem adſciverat, ſed nexu plane ſolubili, ſive ad ſui arbitrium dimittendam. Deterrimum porro, qui apud Paganos invaluerat, ut præter Uxorem ingenuam, quæ ad verum, ratumque conjugium adſcita fuiſſet, Pellex, ſive Ancilla, ſive Concubina ad individuam vitæ conſuetudinem admitteretur, quæque Uxor *Gratuita*, & *Sodalitiaria* dicebatur, atque pro libito abiiciebatur, L. 37. Municip., L. 13. Adult., de qua Hemeccius in Antiq. Rom. append. ad lib. 1. §. 38, abuſum in Chriſtianos fluxiſſe datur intelligi ex L. 1. *de Natural. liberis* Cod. Theod., ex Marculfo lib. 2. de Formul. cap. 30, & Mabillonio tom. 4. Analect. Ad hujus itaque Concubinarum, quæ vere Pellices erant, genus S. Leonem reſpexiſſe, ideoque Clericis permiſiſſe, ut filias ſuas nuptui tradere tam licite, quam legitime quirent Viris hujuſmodi Concubinas habentibus, cum quibus nempe indiſſolubile conjugium haud initum fuerat, ex integra Capp. 4, 5, & 6. lectione haud obſcure liquet. Exſecratione omni etiam dignas ejuſmodi Concubinas ad tempus adhibitas duxere S. Auguſtinus de Bono conjug. cap. 14. relatus a Gratiano Can. 5. *Concubinæ* 32. Q. 2, & Egbertus Eborac. in ſuis Excerption. cap. 125. de *Concubinis*, eumdem S. Auguſtinum laudans. Cæterum autem legitimum olim apud Hebræos non modo, ſed & apud Chriſtianos obtinuiſſe cum Concubinis conjugium, certum, & conſtans eſt, quæ in duplici tamen differentia erant poſitæ; nam aliæ quidem apud Hebræos legitimis Uxoribus & ipſæ legitime ſuperinducebantur; apud Chriſtianos vero legitimæ Uxoris loco etiam ipſæ legitime ducebantur, ut ex dicendis adparebit. Apud Hebræos igitur olim, quibus Polygamia erat permiſſa, duæ Uxorum ſpecies vigebant, utraque ipſarum legitima erat, & utriuſque liberi quoque legitimi æſtimabantur. Ex his ergo aliæ vocabantur Uxores præcipuæ, aliæ ſecundariæ, cujuſmodi leguntur ante Legem Abrahami Geneſ. cap. 16. 1, & ſeqq., cap. 25. 1, & ſeq.; Nachoris cap. 22. 24; Jacobi cap. 35. 22, & ſeqq.; Eliphaſi cap 36. 12: poſt Legem vero Cale-

bi 1. Paralip. cap. 2. 46, & 48; Manaſſis cap. 7. 14; Gedeonis Judic. cap. 8. 31; Davidis 2. Reg. cap. 15. 16; Salomonis 3. Reg. cap. 11. 3; & Roboami 2. Paral. cap. 11. 21. Differentia Uxores primarias inter, & Concubinas, ſive Uxores ſecundarias multiplex erat. 1. Ratione diſparitatis in regimine Familiæ: nam primariæ tamquam heræ Concubina tanquam ſerva deſerviebat, eratque inferior. 2. Ratione deſponſationis: nam Uxor præcipua ducebatur certis donis, ſolemnibus ſponſalibus, & cum inſtrumento dotali; Concubina vero abſque pignoribus contractus, ſine anuli ſubarratione, & abſque dotis ſcriptione, & aſſignatione. 3. Ratione Liberorum: nam Uxoris primariæ dumtaxat Liberi paternorum heredes bonorum erant, ex quibus primogeniti duas accipiebant portiones; Concubinæ vero Liberi dono emittebantur, etſi aliquando ad hereditatem admiſſi legantur. 4. Ratione modi, ſive ritus deſpondendi, de quibus, aliiſque fuſe Elias Levites in Not. ad David Kimchi, David de Pomis in Zenach David, Johannes Pineda de reb. Salom. lib. 2. cap. 3, Druſius in Annot. ad Gen. 25. 1., Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib. 5. cap. 7, & de Succeſs. in bona Defunct. cap. 3, Cattenburchius in Syntag. ſap. Moyſ. lib. 5. cap. 1. §. 22, & ſeqq., Goodvvinus in Antiq. Sacr. Codic. lib. 6. cap. 4, & Carpzovius in Annot. ad hunc locum pag. 626, & ſeq. Apud Romanos Uxorum, & Concubinarum differentia maximo in uſu pariter fuit, atque Concubinas (ut de ſuperinductis ſive ad explendam libidinem, ſive filiorum etiam procreandorum, quærendorumque gratia, de quibus paratam a Julio Imp. legem: *Ut quot, & quas vellent, ducere liceret*, memorat Suetonius *in Julio* cap. 46, pluribuſque agit Briſſonius de Form. lib. 6. §. 122. nihil dicam) tum maxime ſibi jungere conſuevere, vel ubi prohibitum Lege eſſet certæ Mulierem conditionis in Uxorem ducere; vel ubi Liberi jam ex juſto Matrimonio exiſterent, quibus hereditatis portionem demere prohibitum eſſet. Itaque apud ipſos Uxoris, & Concubinæ differentia in eo conſiſtebat. 1. Quod Uxor de familiæ bonis, juribus, ac dignitate participaret, tamquam Materfamilias, familiæque princeps; ſecus vero Concubina L. 1. de Ritib. Nupt. §. 1. 2. Quod Uxor non abſque dote, & nuptiali ſolemnitate ducebatur, L. 144. ff. de Verb. ſignif., L. 32. *Donationes*

tiones ff. de Donat., ſecus vero Concubina. 3. Quod Uxoris Liberi familiæ juribus, bonis, & privilegiis gauderent, Concubinæ non etiam: qua de differentia fuſe Briſſonius de Formul. lib. 6. §. 123. edit. Lipſ. 1754. pag. 518, Merillus Obſervat. lib. 3. cap. 15, Antonius Auguſtinus de Emend. Gratiani lib. 1. Dialog. 15, Heineccius Antiq. Rom. in append. ad lib. 1. §. 40, Gothofredus ad L. 13. C. de Nupt., Grotius de Jur. Belli, & Pac. lib. 2. cap. 5. §. 19, & Coccejus in diſſert. procem. 12. lib. 3. cap. 4. ſect. 6. Apud Chriſtianos quoque Legibus tam Civilibus Novel. Juſtin. 18, quam Canonicis licito, legitimoque uſu Concubinæ venerant, quæ veræ erant Uxores, ductæ tamen abſque dote, ſolemnitateque abſque Nuptiali, quæque rato etſi, indiſſolubilique Conjugii vinculo adſociatæ, in Viri tamen jura, bona, & privilegia nec ipſæ, nec ex ipſis prognati Liberi admittebantur. Quo ſenſu acceptæ ſunt Concubinæ, quibus neque Baptiſmum, neque Communionem denegandam decrevere Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 8. cap. 32, & Patres Concilii Toletani I. cap. 17, apud Gratianum Can. 4. *Is qui* diſt. 34: quo plane modo pſeudo Clementem, Toletanoſque Patres accepiſſe leguntur Gratianus cit. diſt., Correctores Romani ad cit. Can., Bellarminus de Concil. Auctor. lib. 2. cap. 8, Hurtadus Reſolut. Moral. tom. 1. tract. 1. de abſolut. Sacram. cap. 6, Binius in Not. ad cit. Can. Tolet., Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. I. diſſert. 29, Grotius de Jure Bel., & Pac. lib. 2. cap. 5. §. 15, Binghamus Origin. Eccleſ. tom. 4. lib. 11. cap. 5. §. 11., & tom. 7. lib. 16. cap. 11. §. 5, & Coccejus ad cit. locum Grotii. Pertinet huc L. 3. Cod. de *Natural. Liberis*, qua Theodoſius, & Valentinianus Concubinatum quemdam loco inæqualis Conjugii habent, quum nempe vir ſibi Uxorem adſociat ea ſub lege quidem, ut ſibi, ac ſoli perpetuo cohabitet, at non ut in Mariti familiam tranſeat, fortunarumque ſocia pariter fiat, velut explicat Coccejus in Addit. ad cit. §. 15. Pertinet & S. Iſidorus apud Gratianum Can. 5. *Chriſtiano* diſt. eadem 34. unam tantum aut Uxorem, aut Concubinam habere Chriſtiano licitum eſſe docens. Vide ſis de licitis, legitimiſque Concubinis docte, copioſeque diſſerentes Emanuelem Gonzalezium in Comment. novo ad Concil. Illiberitanum cap. 8. ſubjecto Com-

mentario veteri Mendozæ, ac Benedictum XIV. de Synod. Diœceſ. lib. 9. cap. 12. n. 2, & ſeqq.

S. Gelaſio I. geminus a Calviniſtis, ac Lutheranis, a quibus ideo jactabundis in partes ſuas pedibus, manibuſque pertrahitur, error appingitur. 1. Videlicet, quod in libro de duabus in Chriſto Naturis adverſus Neſtorium, & Eutychetem edito in Bibl. PP., ac Lugd. poſtrema tom. 8. pag. 699, in Antidoto adverſ. hæreſ. Baſil. 1528, in Jo: Heroldi hæreſiologia, in Collect. Tigurina de duabus Chriſti Naturis &c., diſerte docuerit in Euchariſtia una cum Chriſti carne panis, vinique ſubſtantiam manere; quin imo neque præſentem in Euchariſtia Chriſtum adeſſe, ſed eam nonniſi Corporis, & Sanguinis Chriſti imaginem, & ſimilitudinem eſſe. En ejus verba. *Certe Sacramenta, quæ ſumimus, Corporis, & Sanguinis Chriſti, Divina res eſt, propter quod & per eadem Divinæ efficimur conſortes naturæ: Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis, & vini. Et certe imago, & ſimilitudo Corporis, & Sanguinis Chriſti in actione Myſteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter oſtenditur hoc nobis in ipſo Chriſto D. ſentiendum, quod in ejus Imagine profitemur, celebramus, & ſumimus: ut ſicut in hanc, ſcilicet in Divinam tranſeunt, Spiritu S. perficiente, ſubſtantiam, permanent tamen in ſuæ proprietate naturæ, ſic illud ipſum Myſterium principale, cujus nobis efficientiam, virtutemque veraciter repræſentant, ex quibus conſtat proprie permanentibus, unum Chriſtum, quia integrum, verumque permanere demonſtrant.* Igitur, inquiunt, in opinione S. Gelaſii in Euchariſtia panis, vinique ſubſtantia permanet; alioquin enim argumento ex Euchariſtia ducto contra Eutychianos haud evicifſet duas in Chriſto poſt Incarnationem permanere naturas. Quinimo ipſius in opinione, ſubjungunt, Euchariſtia imago ſolummodo, ac ſimilitudo eſt Corporis, & Sanguinis Chriſti, ideoque perperam ejus ibidem præſentia a nobis adſtruitur. 2. Quod docuerit inſuper non poſſe inſigni abſque ſacrilegio partem unam Sacramenti Euchariſtici ſine altera ſumi. Ita enim ſcribit in epiſtola ad Majoricum, Serenum, & Johannem Epiſcopos, quam ex Collectione Deuſdedit lib. 3. cap. 98. edidit Lucas Holſtenius in Collect. Rom. tom. 1, ac refertur a Micrologo cap. 19. (qui a

Pame-

Pamelio creditur Rabanus, a Caſſandro Bertholdus Conſt., a Mabillonio Johannes incerti loci Epiſcopus, a Poſſevino Guido Aretinus, auctor quidem Micrologi Muſici, non etiam Micrologi Eccleſiaſtici, ab aliis Berno Augienſis, a Warthono Ivo Carnot.) ab Algero lib. 2. de Corp. & Sang. D. cap. 8, ab Ivone par. 2. cap. 82, & a Gratiano Can. 12. *Comperimus* de Conſecr. diſt. 2, ſcribit, inquam: *Comperimus, quod quidam in eadem Regione, ſumpta tantum Corporis ſacri portione, a Calice ſacri Cruoris abſtineant; qui proculdubio aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius, ejuſdemque Myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Quorſum igitur, inferunt, Romana ab Eccleſia Laici a Calicis, ſacrique Cruoris participatione arcentur, proculque abiguntur? Quamobrem aut S. Gelaſius duobus in his articulis erravit, aut nos potius erramus, qui diverſum ab ipſo ſentimus, & ſequimur.

At enim nec errare nos Eccleſiæ Romanæ doctrinam ſectantes, nec erraſſe ſane S. Gelaſium, in duobus illis veluti diverſum Romanæ ab Eccleſiæ dogmatibus ſenſerit, affirmo, & confirmo; unde 1. objectum loco ſic diluo, diſpungoque. Principio de germano Auctore libri de duabus in Chriſto Naturis non convenit inter Eruditos, S. Gelaſio P. M. illum aliis abjudicantibus, aliis adſcribentibus. Bellarminus opus eſſe opinatur vel Gennadii, qui ad S. Gelaſium librum ejuſdem tituli exaravit; vel Gelaſii Cæſareenſis in Palæſtina Epiſcopi, cujus meminit S. Hieronymus in Catalogo; cui hac in ultima opinione ſuffragatur Melchior Canus loc. Theolog. lib. 6. cap. 8, Gelaſium hunc ad Neſtorii, Eutychetiſque tempora ſuperſtitem exiſtimantes. Verum eorum venia, poſt Gelaſium, qui Cæſareenſi in Palæſtina Eccleſiæ præfuerunt, duo ad minus ad Neſtorii uſque, Eutychetiſque tempus Epiſcopi dinumerantur, nempe Johannes, qui una cum S. Porphyrio Gazenſi legatione ad Arcadium Imp. defunctus legitur, facultatem ab eo petitum celebre in Urbe Gazenſi Marnae fanum evertendi, locoque Templum Deo ſacrum extruendi, teſte Marco Gazenſis Eccleſiæ Diacono in vita S. Porphyrii apud Metaphraſtem, & Surium ad diem 26. Febr., & Eulogius, qui cum eodem S. Porphyrio S. Jo: Chryſoſtomi partes aliquando adjuvit, a quibus poſtea diſcedens

ſcedens in Theophili caſtra conceſſit, quique Dioſpolitanæ adverſus Pelagium Synodo interfuiſſe legitur apud Lucianum Presbyt. in epiſt. de revelat. S. Stephani tom. 10. Oper. S. Auguſt., & ipſum S. Auguſtinum lib. 1. contra Julian. cap. 5: ideo Gelaſio Cæſar., a S. Cyrillo Hieroſol. avunculo Eccleſiæ illi circa an. 367. poſt Euzojum admoto, vitaque an. 394. defuncto, opus adjudicari ratio temporis vetat. Baronius ad an. 496. n. 4, & ſeqq., ad quem accedunt Suffridus Petri, Perronius lib. 2. de Euch., Binius, & alii, conjecturis ſane non contemnendis lucubrationem iſtam S. Gelaſio Papæ abjudicat: tum quod opus a S. Gelaſio noſtro adverſus Eutychetem adornatum, grande, & præclarum Gennadius appellavit lib. de Script. Eccl. cap. 94, & Anaſtaſius Bibl. tom. 3. edit. Blanch. ſect. 74. pag. 195. opus a S. Gelaſio adverſus Neſtorium, & Eutychetem confectum in Libros (quinque legit Baronius, & quinque etiam habent Codices Freherianus inſpectus a Fabrotio, & Codices Regius, Mazarinus, & Thuanus apud Blanchinium tom. 1. pag. 67, duos vero Codices Florentini ibidem) partitum affirmavit; hic attamen Commentarius, quo de controvertitur, unius libelli brevi vix periodo definitur: tum quod Scriptor hic in fine profitetur ſe Catholicorum Patrum teſtimonia afferre, quibus ab ſe dicta confirmet: at teſtimonia inter iſta tria ex uno Euſebio Cæſar. profert; quem tamen Catholicos inter Patres dubio procul germanus S. Gelaſius non habuit, qui ipſius imo Opera ſuo in Decreto de Script. Eccl. inter Apocrypha retulit, quorum nullum foret pretium faciendum: tum quod Scriptor ex Græcis Patribus quindecim laudans plurimis cum Indice locorum, e quibus illorum teſtimonia defloravit, ex Latinis SS. nec Cyprianum, nec Hieronymum, nec Leonem, ſed unum vix, aut alterum, S. Ambroſium ſcilicet, & S. Damaſum, ſed nec horum indicatis locis, memorat: quod profecto a S. Gelaſii Papæ ingenio Latini præ Græcis Latinis ſtudentiſſimi alienum nemo non videt; ideoque Scriptor iſte manifeſto hoc modo ſe Græcum, non Latinum prodiderit, idque ipſum probet Latina phraſis, quam adhibet, ac Latina verſio locorum S. Ambroſii Græcæ Theodoreti verſioni potius, quam Latino S. Ambroſii textui reſpondens; atque ideo e Græco librum fuiſſe converſum veri fiat valdequam ſimile:

le : quod etiam perſuaſum Voſſio fuit, & Caveo, eumque memorari a Photio Cod. 102, ubi Gelaſii Cæſar. Μονόβιβλον adverſus Anomæos laudat. Quo circa Baronio Operis hujus parens Gelaſius Cyzicenus viſus eſt, eo quin etiam quod Gelaſius iſte in præfat. Commentarii ſui in Acta Concilii Nicæni apud Harduinum to. 1. pag. 346. ab Eutychianis exagitatum ſe ſcribit, ſeque eoſdem diſputando confutaſſe. Quæ apprime conveniunt Auctori libri de duabus in Chriſto Naturis, qui opus illud ſe aggreſſum ob recentem altercationem de Incarnatione Dominica affirmat. Accedit & illud, quod Scriptor hic S. Hippolyti Epiſcopi, & Martyris teſtimonium proferens, eum vocat Epiſcopum Metropolis Arabiæ (quod etiam contendit Moynius): at verum Hippolytum Portuenſem in Diœceſi Romana Epiſcopus fuiſſe, ex fide marmoreæ ipſius ſtatuæ cum cyclo Paſchali, cujus ipſe auctor extitit, ad pedes deſcripto in Bibl. Vatic., atque ex teſtimoniis S. Germani Patriarchæ Conſtantinopolit., & antiquiſſimi Codicis Sorbonici Ms. confirmat Marianus Victorius in Not. ad S. Hieronymum. Denique S. Gelaſio nonnulla olim, ac Pelagiani erroris præſertim aſperſa, fuiſſe falſo adſcripta, docemur a Caſſiodoro Divin. lect. cap. 8: ex quibus omnibus S. Gelaſio Opus illud abjudicandum Baronius conficit. Nihilotamen minus librum illum S. Gelaſii Papæ germanum eſſe fœtum non dubitant, ex noſtratibus quidem Spondanus in annot. ad cit. an., Sirmondus, Petavius Theolog. dogm. tom. 4. de Incarn. lib. 2. cap. 3, Chifletius, Labbæus tom. 1. de Script. Eccl. pag. 342, Dupinius, Pagius ad an. 496. n. 3, & Coutantius, teſte Mopinot in epiſt. ad Conradium n. 8, ex Proteſtantibus vero Forbeſius Inſtitut. hiſt. Theolog. lib. 11. cap. 16, Dallæus de uſu Patr. pag. 108, Moynius ad Varia Sacra pag. 28, aliique, ex fide tum Codicum Mſs. optimæ notæ, in quibus indubitatas S. Gelaſii inter lucubrationes recenſetur; tum S. Fulgentii, qui eodem tempore floruit, æqueque Afer genere fuit, a quo in libro de quinque Quæſt. in reſponſione ad 2. Ferrandi quæſtionem apud ipſum cap. 18. librum illum, e quo loco quædam laudat, S. Gelaſio P. M. abſque dubitatione adſcribit; tum S. Johannis II, qui in epiſt. ad Avienum, ceteroſque Senatores fidem de Chriſti Divinitate, & Incarn. teſtimonio inter

alios

alios S. Gelaſii confirmat. Quibus tamen repoſuit Perronius S. Fulgentium longe a Romanis ſcribentem rebus facile nominis æquivocatione fuiſſe deceptum: a S. Johanne vero libri auctorem Gelaſii quidem nomine deſignari, quin tamen Romanus an ne Pontifex fuerit, ſuuſque prædeceſſor indicetur. Ex quo pariter corruit opinio Joſephi Pamphilii Signini Epiſcopi, qui eidem S. Johanni II. Opus tribuendum in Chronic. Auguſtin. pag. 22. exputavit.

Ut ut ſit de libri Parente, S. Gelaſium P. M. ei certiſſime errori non adhæſiſſe, qui a Proteſtantibus ipſi per ſummum appingitur nefas, vel ex eo ipſo uno loco in Epiſtola præcit. manifeſtum evadit; ubi apertiſſimæ veritati de Chriſti D. in Euchariſtia præſentia teſtimonium perhiberi vel obiter legens pernegabit nemo. Quod perinde teſtimonium magis confirmabit, magiſque locus alter ex epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos cap. 19. a Gratiano Can. 5. *Uſque adeo* diſt. 33. deſcriptus, quo acerbe in eos Sacerdotes invehitur, qui ſceleribus irretiti *Miniſteria Sacroſancta tractare* non verentur; alterque ex epiſtola 8. ad Dard. Epiſcopos decerptus, ubi unam dumtaxat in Euchariſtia ſubſtantiam, eamque Divinam diſertis his adſtruit verbis: *Ut ſalutaris alimonia Panis illius, qui de Cælo deſcendit, Fideles hunc ſumentes ad vitam perducat æternam.* Eo ipſo quin etiam loco ex libello de duabus in Chriſto Naturis deſumpto, ubi panem, & vinum, Spiritu S perficiente, in Divinam tranſire ſubſtantiam expreſſis verbis affirmat: at in Divinam ita tranſire ſubſtantiam propoſita dona non poſſe, niſi panis, & vini ſubſtantiam eſſe deſinant, atque ſub panis, vinique ſpeciebus præſens Chriſtus D. adſit, nemo non intelligit. Igitur dum ait in Euchariſtia panis, & vini ſubſtantiam, vel naturam non deſinere, naturæ, vel ſubſtantiæ nomine accipienda ſignificavit accidentia, ſive ſubſtantiæ affectiones, ſive naturæ appendices: quo pacto in epiſt. ad Epiſcopos Picenæ Provinciæ ſubſtantiam hominis peccato Originali depravatam fuiſſe ſcribens, quin explicans, quomodo *Qualitas interior appetendi valet immutare naturam*, palam fecit naturæ, ſubſtantiæque nomen ampliori ſignificatione acceptum ab ſe fuiſſe. Et certe apud veteres

veteres Scriptores ſubſtantiæ, naturæque nomen non eo ſemper ſtrictiori ſenſu acceptum fuiſſe pro accidentibus, ſive rei adjunctis, ita ut res quælibet, quatenus a nihilo diſtinguitur, naturæ, ſive ſubſtantiæ nomine appellaretur, liquet ex Tertulliano, qui lib. 2. adv. Marcion. cap. 40. pro qualitate corporis ipſam ſubſtantiam, alibique duritiem lapidis pro ipſius lapidis natura utique accipit; ex S. Auguſtino, qui in Pſal. 68. gratiam, a qua decidit homo, ſubſtantiam appellat, nullumque diſcrimen agnoſcit inter ſubſtantiam, atque id, quod a nihilo diſcernitur; & ex S. Petro Chryſologo, qui in ſerm. 82. glorioſi Corporis Chriſti poſt reſurrectionem dotes ſubſtantiæ nomine nuncupat, qua de ſimili appellatione a S. Jo: Chryſoſtomo uſurpata docte Cl. Maffejus agit in epiſt. ad Jacobum Baſnagium in Append. hiſt. Theolog. pag. 41; deque ſimili a Theodoreto adhibita dilucide, egregieque diſſerit Cardin. Laurentius Cozza in Comment. hiſt. dogm. in librum S. Auguſtini de hæreſ. cap. 17, quod eſt de *Ophitis* n. 57, & ſeq. Vel ſubſtantiæ, & naturæ in Euchariſtia non deſinentis nomine ſignificare S. Gelaſius voluit non deſinere in Euchariſtia alendi, nutriendique facultatem, quæ pani, vinoque natura inerat, Sacramentis in Divinam ſubſtantiam tranſeuntibus, ideſt in Divinum alimentum, ſive Corpus, & Sanguinem Chriſti. Et ſane ſolemnem veteribus Scriptoribus morem etiam fuiſſe alimentum ſubſtantiæ nomine ſignificare liquet ex S. Ambroſio lib. de Myſter. cap. 8, & lib. de fide cap. 7, quibus in locis ab Euchariſtia *Subſtantiam* accipienti ſubminiſtrari aſſerit, & ex Auctore Serm. 5. de Natali Dom. S. Auguſtino tributi, quo loci alimentum lactis a B. Virgine Chriſto D. ſuppeditati *Subſtantia* appellatur. Neque vero exinde ſequitur, quod ſi una cum Chriſti Corpore, & Sanguine manere panis, vinique ſubſtantiam nequaquam voluiſſet, argumentum ex Euchariſtia adverſus Eutychianos ductum ad duas in Chriſto naturas demonſtrandas nihil valeret. Nam non iſtud erat S. Gelaſii conſilium aſſerere unioni Euchariſtiæ unionem Hypoſtaticam omnino eſſe ſimilem: nam ita cauſſa vel contra Neſtorium, vel contra Eutychetem excidiſſet; in ejus enim ſententia ea unio Euchariſtica vel phyſica fuiſſet, & hypoſtatica; atque ita in Chriſto pariter tres

post Incarnationem adstruxisset Naturas, sicuti tres sunt in Eucharistia; neque de Eutychete triumphum egisset; vel fuisset moralis dumtaxat, mereque affectiva; atque ita de Nestorio victoriam non tulisset utique. In eo igitur comparationem instituit, quod sicut in Eucharistia Sacramentum fit unum cum Christi Corpore, & Sanguine, quia natura interna Sacramenti (panis vinique substantiam intellige) in unam ejus substantiam transit, ac naturalis nihilosecius distinctio, & diversitas manet, quia natura externa Sacramenti (de panis intellige, vinique accidentibus) a substantia Corporis, & Sanguinis Christi diversa, & distincta superstes est: ita in Persona Christi fit unio physica quidem utriusque Naturæ Divinæ, & Humanæ, manet tamen naturalis inter utramque diversitas, & distinctio. Quo ratiocinio de Nestorio non minus, quam de Eutychete victoriam refert. Atque ita sane intendisse S. Gelasium ex ratiocinatione speciatim adversus Eutychianos adhibita fit manifestum: *Si in Deitatem*, arguit, *ut putant, humanitate transfusa, vel in omni parte translata; desiit esse humana substantia: ergo aut humanitatis forma sine sui proprietate cessavit: aut si dicunt in nuda Deitate formæ lineamenta constare, quid aliud, quam Antropomorphitas* (Corpoream Deo formam affingentes) *convincuntur inducere, quos dudum Catholica talia somniantes damnavit Ecclesia? Nam si & substantia, & forma Jesu Christi hac transfusione consumpta est, quis est, quem vidit ad dexteram Virtutis stantem S. Stephanus?* Unde vides similitudinem a S. Gelasio non in qualibet fuisse parte institutam, sed in forma dumtaxat externa Corporis Christi, quæ siquidem non fuerit in Divinitatem transfusa, infert neque Divinam in naturam tranfusam internam fuisse formam, quemadmodum manet idem Christus D. in Eucharistia, remanente pariter externa panis, vinique forma. Neque magis cogitasse S. Gelasius de perneganda Christi D. in Eucharistia præsentia, dum hanc illius imaginem, ac similitudinem dixit, exputandus est. Imaginem etenim, ac similitudinem Corporis Christi Eucharistiam dicere solemne erat vetustis Scriptoribus, vel ratione habita ad diversum ejusdem sacrati Corporis statum; idest vel ut natum de utero Deiparæ Virginis, vel ut oblatum in Ara Crucis. Tum enim Incar-

Incarnationem Chriſti D., tum Sacrificium Crucis multis, variiſque modis Euchariſtia adumbrat. Vel ratione habita ſpecierum panis, & vini, quæ remanent, ſub quibuſque ipſe manet Chriſtus; unde apud Gratianum de Conſecr. diſt. 2. Can. 79. habetur: *Corpus Chriſti, quod ſumitur de Altari figura eſt, dum panis, & vinum extra videtur: veritas autem, dum Corpus, & Sanguis Chriſti in veritate interius creditur.* Quorum ſimilia repetuntur in fine ſubſequentis Canonis 82, deſumptaque fuerunt, non quidem ex S. Hilario ſive Pictavienſi, ſive Arelatenſi, velut indicare videtur inſcriptio, ut advertit Berardi par. 3. cap. 8. pag. 47, ſed ex Paſchaſio Ratberto in lib. de Corp., & Sang. Chriſti cap. 4. ita ſcribente: *Si veraciter inſpicimus, jure ſimul veritas, & figura dicitur* (Euchariſtia): *ut ſit figura, vel character veritatis, quod exterius ſentitur, veritas vero eſt, quidquid de hoc Myſterio interius recte intelligitur, aut creditur*: de quo Mabillonius in præfat. ad 2. par. Sæculi IV. Bened. §§. 2, & 3. Hinc peſſime argumentatos olim Marcionitas oſtendit Tertullianus lib. 5. contra Marc. cap. 20. ex loco Apoſtoli ad Philip. 2. 7. inferentes Chriſtum verum hominem haud fuiſſe, contendens verbis illis *In ſimilitudinem hominum factus* Apoſtolum veritatem aſſumptæ Carnis a Chriſto adſtruere, ſicut ad Coloſſ. 1. 15. dum ait: *Qui eſt imago Dei inviſibilis* Chriſto nequaquam detrahit Deitatem, ſed magis adjudicat.

Jam ad id, quod 2. objectum eſt loco, reſpondent equidem plerique, interquos Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 10, S. Gelaſium loquutum fuiſſe de Sacerdotibus ſacrificantibus, a quibus alterutra dumtaxat ſpecies grandi abſque ſacrilegio omitti nequeat. At interpretationem iſtam velut intortam jure, optimeque reprehendit, rejicitque Baronius ad ann. 496. n. 20, ac ſeqq., aliamque ſolidiorem, quam noſtram facimus, eodem loci ſuppeditat, juxta quam revera ab eo præceptum, ut a Fidelibus indiſcriminatim omnibus Communio ſub utraque ſpecie perciperetur, inficias nemo ibit, qui temporum illorum adjuncta comperta habeat. Scilicet præcepti iſtius occaſionem præbuere Manichæi, qui ſe Catholicos ſimulantes, Catholicis ſe immiſcentes, & ad ſacram accedentes Synaxim de panis quidem, non

etiam de vini Sacramento ſumebant, quia ſacrilega, inaniqué ſuperſtitione vinum tanquam fel Draconum, opuſque Dæmonis habentes ab ejus hauſtu abhorrebant. Manichæos igitur, ut hac ratione detegeret, atque ſacro ab Alrari procul abigeret, Communionem ſub utraque ſpecie a cunctis ſumi, ab alterutra vero abſtinentes ab utraque arceri juſſit. Atque germanum hunc S. Gelaſio adhæſiſſe ſenſum aperte docet ea, quam eadem de cauſſa cum eiſdem Manichæis agendi rationem pridem obſervaverat S. Leo M., qui in Serm. 41. edit. Queſn. 42. Baller. de Quadrag. 4. cap. 5, poſtquam præced. cap. 4. Fideles docuiſſet Manichæos diſcernere ex prava abſtinentia, qua certorum delectum habebant ciborum, quos nempe a Dæmone conditos definiebant, & ex pravo abſtinendi modo, quo in honorem Solis, & Lunæ prima, & ſecunda Sabbati jejunare delegebant, certius deinde eos detegendi, qui ſceleratæ huicce Sectæ nomen dediſſent, indicium præbuit, qui nempe ſub una ſpecie Chriſti Corpus ſumentes, ſub altera vini haurire renuerent. Quó utique ſpectabat S. Gelaſius verbis illis: *Quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi*: quibus haud obſcure Manichæorum ſignificabat ſuperſtitionem, qua a vini ſpecie ſummopere abhorrebant. Quod ſane repertum S. Gelaſio perinde multum profeciſse ad hanc detegendam peſtem, documento ſunt, quæ libri Pontificalis Auctor de ipſo perhibet: videlicet detectos ab eo Romæ Manichæos in exſilium fuiſſe ejectos, eorumque Codices igne concremátos. Mitto alteram eidem S. Gelaſio impactam ab hæreticis calumniam de negato Religionis Antiſtibus rerum Sæcularium uſu, argumento ducto ex his, quæ habet in Tract. de Anathemaris vinculo (qui a Tillemontio quidem art. 6. in Euphemium in dubium revocatur, a Balleriniis tom. 3. Oper. S. Leonis de antiq. Collect. par. 2. cap. 11. §. 4. n. 8, & ſeq. Gelaſio vindicatur, a Bernardo de Rubeis tamen, & Marchione Maffejo in Suppl. Acaciano S. Felici III. tribuitur, de quo legenda præfatio hiſt. Theolog. in Append. pag. 213. inſerta) hanc enim abunde dilutam, & abſterſam a Baronio habes ad cit. annum n. 23, & ſeqq.

Triplici S. Anaſtaſio II. crimini eſt datum, nec modo a Schiſmaticis, qui Laurentii pſeudo-Pontificis partibus impenſe ſtude-

ſtudebant, nec ab Hæreticis ſolum, inter quos a Centuriatoribus, ab Heshuſio, & Bruejo hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 267, ſed a Catholicis etiam, e quibus Anaſtaſius Bibl. in ejus geſtis, Ivo Carnot. par. 14. Decreti cap. 40, & Gratianus diſt. 19. Can. 7. *Ita Dominus*, & Can. 9. *Anaſtaſius*, 1. Quod Acacianorum, qui jam peſſime ſuis a Prædeceſſoribus audierant, Sacrorum fœdere ſe fædaverit: quippe qui Photium, ſive Photinum Theſſalon. Eccleſiæ Diaconum Acacii caſtra ſectantem ſua cohoneſtare Communione, Communicatorias ei litteras nuncupando, haud detrectaſſet. 2. Quod ipſummet erga Acacium, jampridem a SS. Felice III, & Gelaſio damnatum, animo propenſus adeo fuerit, ut de ipſo reſtituendo, revocandoque ſerio cogitaverit, niſi Divino nutu percuſſus ab eo prohibitus fuiſſet facinore. 3. Quod Baptiſmum, & Ordinationes ab eodem Acacio collatas approbare non dubitaverit, & Acacio ullum ea de re negotium fieri, aut quempiam ab eo baptizatum, vel ordinatum rebaptizari, vel reordinari diſtricte prohibuerit. Videlicet in tricis iſtis ingenium terunt, qui quibus Pontifices vellicent, & laceſcant, etſi undequaque inquirant, meliora nec inveniunt, nec habent. Sed enim ſane commenta iſta ſunt vetera, inaneſque calumniæ, quas maligno ex aliquo ſcripto profectas, atque a factioſo aliquo Sycophanta, qui ſicuti pleraque contra S. Symmachum paullo poſt confinxit, ſic pleriſque contra S. Anaſtaſium confingendis, ad invidiam ei conciliandam, operam prius impendit, veluti haud improbabiliter ex pervetuſto Fragmento in quaternione Membranaceo ante annos mille, ut videtur, ſcripto, & in Archivo Eccleſ. Veron. ſervato conjicit Cl. Blanchinius tom. 3. Anaſt. ſect. 75. in Not. hiſtor. pag. 209, imprudenter hauſerunt præcitati Scriptores. Sed enim, qui calumnias iſtas, & commenta obtrudere denuo, & objicere delectantur, eos turpi in errore obverſari levi negotio demonſtratur. Nam 1. Eo nomine Pontifex cum Photino communicare ſuſtinuit, quod ſiquidem a S. Leone M. pridem miſſa ad Eccleſiam Theſſalon. epiſtola a Græco fuiſſet interprete depravata, gravemque apud Clerum Alexandrinum offenſionem peperiſſet, ideoque petiiſſet ille, ut ex prototypo Archivi Rom. Eccleſiæ integritati eadem redderetur, requiſitum hujuſmodi ab hæretico etſi homine officium non dene-

denegandum ratus Pontifex germanum Epiſtolæ direxit exemplar, quo tam S. Leonis famæ, quam Alexandrinæ Eccleſiæ tranquillitati conſuleretur, veluti totum liquet ex libello ſupplici Alex. Cleri S. Anaſtaſii Apocriſariis Conſtantinopoli oblato, a Baronio ad an. 497. n. 14, & ſeqq., & ab Harduino tom. 2. pag. 952. exhibito: in quo, rogo, quid mali fecit Pontifex, ut in culpam propterea vocetur? 2. Acacium jampridem S. Felicis III. tempore, a quo tertius fuit S. Anaſtaſius, ſatis functum auctores ſunt Evagrius lib. 3. cap. 23, Nicephorus lib. 16. cap. 12, & Liberatus in Brev. cap. 18, eumque imo vita jam defunctum, juſtiſſimeque a Deceſſore ſuo S. Felice damnatum ſcripſit idem S. Anaſtaſius in epiſt. ad æquivocum Imp. cap. 3, rogans, jubenſque Acacii nomen ad Altare inter Sacra reticeri, ſive ſacris e Diptychis deleri: cujus etiam juſſionis de Acacii nomine reticendo a S. Anaſtaſio editæ teſtis acceſſit ſubinde Juſtinus Imp. in epiſt. ad S. Hormiſdam apud Harduinum to. 2. pag. 1024. Nonniſi igitur injuria ſumma S. Anaſtaſius de Acacio ſuæ reſtituendo Sedi cogitaſſe, agitaſſeque conſilia confingitur. Qua in re objurganda Anaſtaſii Bibl. oſcitantia (ſi tamen, ut fertur, ipſius genuinus eſt fœtus liber Pontificalis) qui pro eo, quo erga Græcos animo plus æquo propenſior erat, atque præſertim erga Photium affectus, velut ex mutuis utriuſque litteris liquet, potiuſquam ex germanis S. Rom. Eccleſiæ tabulariis, ex Græcorum infectis lacunis Rom. Pontificum res geſtas deſcribere perſæpe maluit, uti vel conferenti Anaſtaſium cum Theophane, ex quo ſua ferme omnia adornavit, facile conſtabit. Eoque vel magis objurgatione ſe dignum præſtitit, quod errandi ceteris occaſionem præbuerit, ut Ivoni, ut Gratiano, qui eadem ex illo deſcripta ceteris propinaverunt. 3. Nec abſque reprehenſione prætereunda venit Gratiani imperitia, qui in epiſt. ad Anaſtaſium Imp. erraſſe S. Anaſtaſium Papam in eo aſſerit, quod ab Acacio collatum Baptiſmum, celebrataſque Ordinationes ratas habuerit: quandoquidem ut perſpectum eſt omnibus, paulloque ſuperius oſtendebam, tam validus eſt Baptiſmus ab Hæreticis collatus, quam validæ ſint ab his celebratæ Ordinationes. Occaſionem denique comminiſcendi S. Anaſtaſium P. M. Divino nutu percuſſum interiiſſe dare potuere vel confictæ, falſæque Schiſmaticorum,

eorum, vel Hæreticorum calumniæ, quibus omnis legitimos Pontifices laceſsendi, eorumque cauſsæ nocendi via erat ineunda: vel veritati, famæque innixæ relationes a V Beda, Paulo Diacono, Theophane, Cedreno, Zonara &c. traditæ de Anaſtaſio Imp. fulmine icto, ex cujus nominis ſimilitudine imperitus Scriptor libri Pontif. occaſionem arripuerit id dictum exputandi de Anaſtaſio Papa, occaſionemque pariter ita credendi aliis in fide adhibenda nimis facilibus præbuerit. Vitium ſane, ſi in quopiam venia indignum, tum præſertim, ubi de Pontificibus Maximis res eſt. Vide-ſis, qui argumentum hoc multis exornarunt, viros doctiſs. Bellarminum lib. 4. cap. 10, Sanderum de viſib. Monarch., Hoſium doctr. Cathol. lib. 3, Correctores Rom. Gratiani in Not. ad cit. Can. 9. diſt. 19, Antonium Auguſtinum de Emend. Grat. dialogo 6, Covarruviam tom. 2. lib. 4. Variar. reſolut. cap. 13, Queſnellum in Not. ad Cap. 46. Cod. Can. Eccleſ., Bencinum in Not. ad Anaſt. tom. 3. ſect. 75. pag. 207, Blanchinium ibid., Pagium in S. Anaſtaſio, ac Blancum de polit., & poteſt. Eccl. to. 5. par. 2. pag. 236, & ſeq.

DE S. HORMISDA, JOHANNE II, VIGILIO, S. GREGORIO M., SABINIANO, ET BONIFACIO IV.

§. V.

VEl Hormiſdam, vel Johannem II. turpiſſime in errorem prolapſum, dubioque procul infallibilitatis privilegio excidiſſe, deprædicare heterodoxi non dubitant, e quibus Bruejus hiſt. Pontif. pag. 304, & Forbeſius Inſtit. hiſt. Theolog. lib. 3. cap. 21. audaciſſime affirmans propoſitionem illam a Scythis Monachis propugnatam: *Unus ex Trinitate Crucifixus eſt Carne* ex Cathedra Pontificali neque ab orthodoxis Patribus uſurpatam, neque alioqui Catholicæ fidei congruentem ab Hormiſda fuiſſe declaratam, atque loquutionis hujuſce defenſores expulſos, damnatoſque. Eamdem propoſitionem e contra, & pariter ex Cathedra, tum ab orthodoxis Patribus uſurpatam, tum Catholicæ fidei optime convenientem a Johanne II. fuiſſe pronuntiatam, & contra-

tradicentes Acœmetas ab Eccleſiæ Communione ejectos; inde concludens perdifficile eſse: *Ut quiſquam iſta conciliet, & lectori cordato veraciter, ac ſerio perſuadeat, & perſpicue oſtendat non pugnare inter ſe adverſis frontibus iſta duorum Pontificum Cathedralia reſponſa.* Pura, putaque calumnia iſta eſt, Pontifices proſcindendi cauſsa conficta; levi ſiquidem negotio unus alteri concilietur. S. Hormiſdas equidem Scythas eam propoſitionem ad Schiſma uſque urgentes male habuit, atque eamdem propoſitionem intempeſtivam, turbandæque potius, quam ædificandæ Eccleſiæ opportunam judicavit, quin imo ſpecietenus ſaltem veluti recens damnato Petri Fullonis pravo dogmati affinem: attamen tantum abfuit, tametſi in utramque partem vehementer ſollicitatus, ut propoſitionem illam damnarit, quod eam nequidem ad examen deduci voluerit, vel ſuam circa eamdem vel indicare ſententiam dignatus ſit, ſatis habens coercere Scythas, ne Schiſma crearent, intactam interea, & indiſcuſsam propoſitionem derelinquens. Johannes II. igitur, ut jam Schiſmatis ingruentis periculum amoveret, infimis precibus a Juſtiniano Imp. rogatus, & ab Epiſcopis Orientalis Eccleſiæ, propoſitionem illam approbavit, damnatis Acœmetis contra pugnantibus. Confer epiſtolas, quæſo, S. Hormiſdæ 70. ad Poſſeſſorem, & 77. ad Juſtinianum apud Baronium ad an. 520. n. 6, 17, & 21, ac Labbeum tom. 4. pag. 1531, & 1549. cum Johannis II. epiſtolis 2. ad Juſtinianum, & 3. ad Senatores apud Labbeum pag. 1746, & ſeqq., ac Harduinum tom. 2. pag. 1148, & ſeqq., liquidoque conſtabit illas ſibi invicem apprime cohærere, nec apparere veſtigium, unde atrocem Forbeſius confingendi calumniam argumentum deſumeret, atque præfidentiſſime adfirmandi non mediocri ſolertia, nec vulgari opus eſse artificio, ut Hormiſdæ Johannes concilietur. Plura in hanc rem, qui proſequuntur egregie, adeas, ſi placet viros ſummos Baronium ad an. 533 n. 26, & 534. n. 29, & ſeqq., Petavium Theolog. dogm. tom. 4 de Incarn. lib. 1. cap. 18, & lib. 4. capp. 6, & 7, Thomaſſinum in diſsert. 18. ad Synodum Rom. an. 532; Noriſium in diſsert. de Uno ex Trinitate in Carne paſſo cap. 8, & ſeqq., in Vind. Auguſt. cap. 3. §. 2, & in Apolog. Monach. Scyth. cap. 1, & Coutantium apud Mopinot in epiſt. ad Con-

Conradium n. 12. Recole & ea, ſi lubet, quæ fuſius hanc in rem adverſus Boſſuetium parte hac 2. Tom. 3. Art. 6. §. 2. pag. 666, & ſeqq. diſputata ſunt, quibus jungenda, quæ contra Dupinium, ac Tillemontium ex S. Hormiſdæ ſententia de Schiſmaticis ab Eccleſiaſtica Communione ſecluſis expoſita ſunt in Proleg. Art. 6. pag. 541, & ſeqq.

Vigilio duplex lapſus turpiſſimi dica conſcribi ſolet, atque mox unum quidem, mox alterum quoque, ac mox utrumque vexant, exaggerant, & urgent Launojus in epiſt. ad Gerbaſium, Maimburgus in tract. hiſt. de prærog. Eccl. Rom., Bruejus hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 316, & ſeqq., Natalis hiſt. Eccl. ad Sæculum V. in Synop. cap. 3. art. 15. §. 8, & ad Sæcul. XV. & XVI. diſſert. 4. §. 4. n. 24, Boſſuetius defenſ. declar. par. 2. lib. 12. cap. 20, aliique apud Tournellium tom. 2. de Eccleſia edit. Pariſ. Primo nempe Vigilius veluti Concilii Chalcedonenſis proditor traducitur, ut pote qui Liberato in Brev. cap. 22, Victore Tunon. in Chron., & Facundo Hermian. lib. adverſ. Mocianum teſtibus, quod pridem Theodoræ Auguſtæ ſpoponderat, ſi ipſius favore Pontificatum adſcenderet, adimplens, epiſtola ad Theodoſium, Anthimum, & Severum Eutychianæ ſectæ Anteſignanos conſcripta, duas in Chriſto D. condemnavit naturas, ex duabus naturis deinde Chriſtum compoſitum eſſe dicendum decernens. Quamobrem affirmare Facundus non hæſerit a Vigilio in Eccleſiam univerſam anathema fuiſſe dictum, quod nempe doctrinam a S. Leone M., Synodoque Chalcedonenſi Eccleſiæ univerſæ traditam, acceptamque condemnaſſet. Secundo idem Vigilius velut in fide varius, & inconſtans reprehenditur in cauſsa trium Capitulorum, quorum damnationi primum obſtitit, ſed illa poſtmodum *Judicato* damnavit; quo deinde recepto, ac veluti ſuppreſſo ſilentium indixit uſque ad Synodi celebrationem. Quæ tamen dum celebraretur, edito *Conſtituto*, Theodori Mopſveſt. impia dogmata quidem damnavit, ipſius nomini tamen, non ſecus atque Theodoreti, & Ibæ parcendum juſſit. Demum Synodi definitionem amplexus, & approbans in epiſt. Decretali ad Eutychium, & *Conſtituto* altero auctorem, quibus potuit, ſe dedidit, ut illa pariter acceptaretur. Nonne fidei prævaricatio, inquiunt, animique pariter inconſtan-

tia ſumma dicenda proinde eſt ejuſmodi Vigilii agendi ratio, qua tria Capitula mox prohibuit, reſpuitque, mox recepit, probavitque? Exinde vero duo ſubinferunt, tam ab Orientalibus, quam ab Occidentalibus Vigilium habitum minime fuiſſe ſive in fide prorſus infallibilem, ſive ſupra Concilia poteſtate præpollentem. Hinc enim Orientales Concilio habito definitiones Vigilii *Conſtituto* plane contrarias edere, triaque damnare Capitula non dubitarunt: tantum vero abeſt, ut Vigilius a Synodo V. ſuam contra ſupremam auctoritatem attentatum conqueſtus ſit, ut potius Synodi ipſius judicio plene adquieverit, ideoque Synodum ipſam poteſtate ſupra ſe præſtare agnoviſſe dicendus ſit. Illinc vero Occidentales, qui quandiu Vigilium pro tribus Capitulis fortiter ſtantem perſpexerunt, ipſius partes egregie adjuvare pro officio non deſtiterunt, illico atque intellexerunt a Vigilio novo *Conſtituto* emiſſo tria Capitula fuiſſe condemnata, ab ipſo ſeceſſione facta, quin imo contra ipſius definitionem palam inſurgere non dubitantes, communi conſilio, qua in trium Capitulorum defenſionem juratum eſt, velut ab Epiſcopis Illyrici, & Iſtriæ, qua Vigilii Decretalis anathemate damnata, Vigiliuſque ipſe valdequam vellicatus, atque ſua a Communione extorris habitus, velut ab Africanis Epiſcopis, Victore Tunon. teſte in Chron. ad an. 550.

Verumtamen non eſſe certe, cur Romani Pontificis ſive legitimi, ſive ex Cathedra loquentis nomine, tantoque minus cur ſive perfidiæ, ſive imprudentiæ Vigilius ad vulgus traducatur, per quam facile, iiſque quammaxime, qui animum a præjudicatis opinionibus, atque a partium ſtudio gerant alienum, ad oculum eſt oſtendere. Atque quidem, ut iis faciam ſatis, quæ primo objecta ſunt loco, non defuiſſe animadverto viros Doctiſſ., quibus perſuaſum arcte fuerit ad fabulas amandanda, quæ de Vigilio flagitia circumferuntur, quique integerrimæ ipſius famæ atroces impactas calumnias amoliri prorſus officio duxerint. In quibus Papebrochius in Conat. Chron. hiſt. diſſert. 19. alias 13. n. 8. in ea opinione verſatur, quod Vigilio cauſsæ non defuerint in ſpeciem juſtæ, ob quas judicare poſſet Ordinationem S. Silvetii nullam fuiſſe, ut pote contra Canones factam, neque per ſubſecutum Cleri conſenſum ſatis certo purgatam, quum neque hic ſatis liber,

ſed

ſed imo metu extortus videri potuerit, ideoque legitimum ſub initio ipſo Vigilii ingreſsum defendi utique poſſit. Baronius quoque ad an. 538. n. 15, & ſeqq. conjecturis utique haud contemnendis Vigilio fuiſse ab Eutychiano quoppiam ſuppoſitam, quæ ipſius nomine ad Theodoſium, Anthimum, & Severum fertur, epiſtolam pugnat: atque ſuppoſititiam plane exiſtimarunt pariter Binius, Labbeus, ac Sommier. Nicolaus Alemannus etiam in ſuis ad hiſtoriam arcanam Procopii Cæſar. annotationibus pag. 4. epiſtolam eamdem ab hæreticis confictam, ab Africanis trium Capitulorum defenſoribus fuiſse evulgatam, a Liberato nempe, ac Victore Tunon., quibus ideo velut hoſtibus Vigilii deneganda ſit fides, indubium habet. Præ his vero impactas Vigilio calumnias propulſandi ſpartam in ſe ſuſcipiens Coutantius, teſte Mopinot in præcit. epiſtola ad Conradium apud Blanchinium Anaſt. tom. 3. pag. 278, & ſeq., Iſidori, & Anaſtaſii narrationibus de Vigilio fidem derogare parum habet, niſi præterea Facundi Herm., Victoris Tunon., & Liberati Carthag. criminationes funditus ſubruere ſatageret. Legitimum itaque Vigilii ingreſsum ſtatuit, Epiſtolam ad Acephalorum Primipilos figlinis adnumerat, quos cum Baronio ejus parentes arguit, idque totum invictiſſimis præſtat ex Clero Rom., ex Africanis, ex Hiſpanis, ex Gallis, ex Juſtiniano Imp., ex Orientalibus, ex Vigilioque ipſo documentis excerptis. Verum quibus res invidioſa contra omnes eniti, ſententiæque communi reclamare videtur, videturque cum Garnerio in Not. ad Liberatum cap. 22, Pagio ad an. 538. n. 7, & ſeqq., Natali, aliiſque (ut de Gottliebo Wernsdorfio in diſsert. de Silverio, & Vigilio edit. Viteb. 1739. adverſus Baronii narrationes nihil dicam) fidem non adeo facile Liberato, Victori, & Facundo detrahendam, nec ideo falſitatis arguendam Epiſtolam ad Acephalos illos exaratam, hoc ii habeant reſponſum, atque in tempora, quibus Vigilius Pontificatum tranſegit, ita obſervare ſaltem ipſos non pigeat, ut poſteriora omnino a prioribus diligenter diſtingui oportere intelligant, eoque uno argumenti vim omnem infringi. Vigilius itaque ex die 22. Novemb. an. 537. uſque ad 24. Jun. an. 538, ideoque Menſium 7, dierum 2. intercapedine, juxta Blanchinii, quibus inſiſto, Notas Chronolog. tom. 3. pag. 275, & ſeq.,

ſive juxta Pagium ex die 22. Novemb. an. 537, ſive ex die 29. Martii ejuſdem anni 537, ut ex Catalogo Blanchiniano cenſet Manſius ibid. in Not., quot in S. Silverii locum adhuc in vivis agentis, atque Theodoræ Auguſtæ cauſſa in exſilium ejecti, ſuffectus fuerat, Pontifices inter legitimos audire nequivit, quo demum nomine haberi tum cœpit ab anno 538. die 28. Junii, quo quatriduo a S. Silverii obitu delapſo, Romani Cleri ſive conſenſu, ſive nova electione Pontificatum legitime adeptus, ad annum uſque 555. diem 10. Jan., ſive ad diem 7. Junii, ut ex Catalogo Mediol., aliiſque duobus apud Muratorium Rer. Ital. to. 3. pag. 133. vult Manſius in Not. ad citat. ann. tom. 10. Baronii nov. edit. Lucen. pag. 153, adminiſtravit. In anteriorem igitur temporis epocham, qua ſuperſtite adhuc S. Silverio, pervaſor magis, quam Pontifex habebatur, injicienda eſt Epiſtola ad Eutychianos exarata: ex quo proinde nullum Pontificibus inferri legitimis præjudicium poteſt; eoque præſertim, quod in ea nihil contra fidem tanquam Pontifex definivit, neque animo plane hæretico eam conſcripſit, ſed ob unam præſidendi cupiditatem, ſiquidem ſcripſit, ut caverent ſummopere, ne illa cujuſpiam in notitiam deveniret: non ignorans ſane, ſi palam Eutychianorum partes ſe ſequi conſtaſſet, paſſuros nunquam Romanos, ut in Petri Cathedra quiete ſederet, ubi ſedendi deſiderio affectus apud Theodoram Aug., eique adhærentes Eutychianos per occultas litteras partiarium ſe ſimulabat. Certo certius enim cæteroquin eſt, quod Vigilius licitis vix, ac legitimis votis Pontificatum aſcendit, ut novo animo indutus ab alto illico apparuit, velut approbe obſervant Baronius ad an. 540. n. 9, Bellarminus lib. 4. cap. 10, Doucinus hiſt. Neſtor. lib. 4. pag. 399, Bencinus, Pagius, Sommier, Blanchinius in Not. ad Anaſtaſium tom. 3. ſect. 102, & ſeq. pag. 275, & ſeqq., in virumque alterum Spiritus S. afflatu mutatus, nihil habuit antiquius, quam quæ contra Synodi Chalcedonenſis fidem, & S. Leonis Epiſtolam ad Flavianum ſacrilege ſcripſerat, ſolemni fidei profeſſione delere, quod præſtitit Epiſt. 4. ad Juſtinianum Imp.; quæque Eutychianis ſacrilege ſpoponderat, S. Agapeti prædeceſſoris in Acephalos decreta confirmando, fortiter, conſtanterque reſcindere, quod perfecit Epiſt. 5. ad Mennam, ei mandans, ut ab

hæreſi

hæreſi reſipiſcentes ea lege reciperet, ut dicto in Auctores, & hæreſim anathemate, a Synodo Chalcedonenſi, & a S. Leone ſacratiſſime conſtituta ſenſu, verbo, & ſcripto confiterentur. Non opus eſt autem, ut ea, quæ ſecundo objecta ſunt loco, diluenda ſuſcipiam, quibus, opinor, quantum operæ quidem pretium ferebat, abs me factum jam ſatis memini par. 1. Art. 2. §. 3. pag. 179, & ſeqq., ac par. 2. Art. 12. pag. 375, & ſeqq., quibus in locis tum Vigilio in fide infallibilitas, ac ſuprema ſupra Synodos ipſas poteſtas ex reciproca Orientalium, Occidentaliumque perſuaſione loco poſita eſt; tum Vigilio imprudentiæ, inconſtantiæque labes omnis, vel levis impacta, niſi mea egregie me fallit opinio, depulſa prorſus eſt; tum a Vigilio nihil de fide definitum fuiſſe, multoque minus quidquam contra fidem attentatum, ſed eum circa perſonas dumtaxat ancipiti, pro diverſitate rerum, aliquando ſententia diſtractum oſtendi. Nec etiam actam rem, etſi vellem, retractare otium ſuppetit, ſuppetant ſiquidem adhuc plurima oppido, neque frigide, neque jejune prætereunda, quæ volumine iſto juſtam ad molem jam auctо capi vix poſſe confidam. Legere interea hac de re præſtabit Lupum in Not. ad Synodum V, Garnerium in diſſert. de Synodo V, Noriſium in diſſert. ſimiliter hiſtor. de hac Synodo, Petrum de Marca in diſſert. itidem de Synodo V, alteraque de Vigilii decreto pro confirmatione Synodi V. §. 5, Papebrochium in diſſert. 20. alias 14, Thomaſſinum in diſſert. 19. in Synodum V, Cavalcantem in Vind. Rom. Pontif. lib. 4. diſſert. 1, & ſeqq., Mopinotum in præcit. epiſt. ad Conradium, & Catalanum in Comment. ad Synodum Chalcedonenſem, alioſque in decurſu laudatos.

Parvam admodum etſi difficultatis ſpeciem præſeferant, quæ nonniſi atrocem per calumniam S. Gregorio re, ac nomine Magno appingi ſolent, neque ab Acatholicis dumtaxat, ſed ſupinam etiam per ignorantiam ab orthodoxis Doctoribus aliquibus, intacta ea tamen, ut titivilitia videri, ac levidenſia poſſint, dimittere nec præſtat, nec decet. Ut igitur de errore circa Euchariſtiam eidem impacto, quem abunde, opinor, ab illo propulſavi ſuper. Tom. 4. Art, 9. §. 1. pag. 444, & ſeqq., nihil impræſentiarum retexam, quadruplici S. Gregorio culpæ, errorique vertitur, 1.

Quod

Quod contra inſtitutum a Chriſto D. in Eccleſia ſeptenarium Sacramentorum numerum tria tantummodo Sacramenta tenenda tradiderit apud Gratianum Can. 84. *Multi* 1. Q. 1. verbis hiſce: *Sunt autem Sacramenta Baptiſma, Chriſma, Corpus, & Sanguis Chriſti*. 2. Quod contra Chriſti D. inſtitutionem Presbyteris poteſtatem Confirmationis Sacramentum conferendi fecerit lib. 4. ind. 12. epiſt. 26. ad Januarium Calarit. apud Gratianum Can. 1. *Pervenit* diſt. 95. ita loquens: *Ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus*. Vetus eſt vero in Eccleſia traditio, inſtitutioni certe Chriſti D. innixa, ut Confirmationis miniſter unus ſit Epiſcopus, cujus locupletes teſtes accedunt poſt Apoſtolos Act. 8. verſ. 17. ex Summis Pontificibus S. Cornelius in epiſt. ad Fabium Antioch. apud Euſebium lib. 6. cap. 33, S. Innocentius I. in epiſt. ad Decentium cap. 3. relatus Can. 119. *Presbyteris* de Conſecr. diſt. 4, S. Leo M. in epiſt. 88. ad Germaniæ, & Galliæ Epiſcopos (quam S. Leonis genuinum eſſe fœtum defendunt quidem Franciſcus Hallerius, Ludovicus Cellotius, Petrus Aurelius, Dionyſius Petavius in Not. ad S. Epiphan., & Petrus de Marca de Concor. lib. 2. cap. 13, abjudicant vero, & inter pſeudo-Epigraphas habent Sirmondus, Morinus, Labbæus, Queſnellus in diſſert. 11, Blondellus in pſeudo-Iſidoro pag. 567, & Oudinus tom. 1. pag. 1273, neque repugnant Ballerinii tom. 2. in Adnotat. pag 1260, quibus jure neque probatur Queſnelli conjectura Leoni III. epiſtolam adſcribendam exiſtimantis, obſervantes epiſtolam hanc nihil aliud eſſe, quam Canonem 7. Concilii Hiſpalenſis II. an. 619, Epiſtolæ vero fragmentum Gratiani decreto Can. 4. *Quamvis* diſt. 68. perperam fuiſſe inſertum, neque iſtud haberi in antiquis Gratianei Decreti Codicibus Regio, Sangermanenſi, Victorino &c., nec etiam in Editionibus Moguntina, Veneta, Pariſienſi an. 1531, Lugdunenſi an. 1548, Democharis, Contii &c., de quibus Baluzius in Not. ad Gratianum diſt. 64. cap. 3, & Queſnellus loco cit.) S. Gregorius ipſe eodem lib. 4. epiſt. 9. ad eumdem Januar., & lib. 10. epiſt. 45. ad Cluſinum Epiſcopum, S. Nicolaus I. in epiſt. ad Hincmarum, Innocentius III. in Cap. *Quum veniſſet* lib. 1. Decret. tit. 15, & lib.

lib. 7. epiſt. 3. ad Trinovitanum Archiep. apud Raynaldum ad an. 1204. n. 37, & ſeqq, Gregorius IX. in Cap. *Quanto* de Conſuetudine, Clemens VI. in epiſt. ad Conſolatorem Armen., Eugenius IV. in Inſtruct. Armen., Innocentius IV. Conſt. 14. *Sub Catholicæ*; Clemens VIII. Conſt. 34. *Sanctiſſimus*, & Benedictus XIV. Conſt. 57. *Etſi Paſtoralis* tom. 1. Bull. pag. 167, & de Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 7. n. 2; ex Conciliis Illiberitanum Can. 38. juxta interpretationem Franciſci de Mendoza lib. 3, Arelatenſe III. an. 455. in Decret., Germanicum an. 742. Can. 3, Synodicum Nicoſienſe cap. 5, Londinenſe an. 1396. contra Artic. 5. Wicleffi, Conſtantienſe Seſs. 8. contra Wicleffi Artic. 28, & Seſs. 15. contra Art. 6. Huſſi, Florentinum in Decr. Union., Tridentinum Seſs. 7. de Confirm. Can. 3, & Senonenſe an. 1528. Can. 38; ex SS. Patribus, & quidem Græcis S. Jo: Chryſoſtomus hom. 18. in Act. Apoſt., S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 450, ad quos accedunt Oecumenius in cap. 8. Act. Apoſt., Georgius Pachymeres apud Allatium de Conſenſ. lib. 3. cap. 13, Matthæus Blaſtares, & Gabriel Philadelph. apud Arcudium lib. 2. Concord. cap. 11, ac Simeon Theſſal. apud Socolovium; ex Latinis vero S. Cyprianus in epiſt. 73. ad Jubajanum, S. Ambroſius de Myſter. cap. 6, & de Sacram. lib. 2. cap. 7, ac lib. 3. capp. 1, & 2, S. Hieronymus adverſ. Lucifer., S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26, quos ſequuntur Auctor Conſt. Apoſt. lib. 3. capp. 16, & 17, Iſaac Lingon. in Capit. tit. 11. capp. 30, & 31, Riccardus Sarisburienſis in Conſtit. cap. 13, aliique de Schola Theologi. 3. Quod S Gregorius in Dialog. lib. 4. cap. 39. contra S. Scripturæ ſilentium, veterumque Patrum Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, & Cæſarii, quibus Purgatorium nihil aliud viſum fuerit, quam ignis quidam ultimum Judicii diem præveniens, traditionem, primus omnium poſt mortem Purgatorium induxerit. Quod tanquam purum, putumque ipſius inventum, figmentorum loco habendum, irrident, irridendumque propinant Dallæus, Petrus Du Moulin in Augment. aquarum Siloe &c., Oudinus in diſſert. de vita, indole, doctrina, & ſcriptis S. Gregorii cap. 5. tom. 1. de Script. Eccleſ. pag. 1493, & ſeqq., Franciſcus Bruys hiſt. Pontif. to. 1. pag. 378, aliique de Proteſtantium grege. 4. Quod lib. 7. epiſt.

epiſt. 10. ad Serenum Maſſilienſem, & lib. 9. epiſt. 9. ad eumdem Epiſcop. Imagines quidem frangendas non eſſe docuerit, ſed neque tamen a Plebe in Eccleſia poſitas fore adorandas. Atque ita atrocem calumniam iſtam adverſus S. Pontificem inſtruere non horreſcunt Dallæus lib. de Imag. cap. 3, Forbeſius Inſtitut. hiſt. Theolog. lib. 3. cap. 9. n. 23, Oudinus cit. diſſert. cap. 7, & Bruejus pag. 374, ut miſsas faciam alias, quas paſſim in eum adſtruit Jo: Petrus Stute S. Pontificem noſtrum libro hoc nomine inſcripto Lipſ. 1715. Lutheranum facere haud veritus, non ſecus atque Du Moulin, qui in vit. SS. Leonis, & Gregorii MM. Seduni 1650. utrumque ex æquo probris afficere, inque Proteſtantium rapere partes non exhorruit.

Miſeret me vero ſummopere Oſorum iſtorum ſtupidiſſimæ inſaniæ, qui ſane, quæ depromerent, meliora non habentes, quam falſa, tam futilia iſta objicienda ſibi ſumpſere, ut quoquomodo obtrectandi libidini, pruriginique maledicendi indulgerent. Quod igitur ad primo loco imprudenter objectum pertinet, iſtud fruſtra germana inter Opera S. Gregorii M. ſane requiras. Locus eſt apud S. Iſidorum in lib. 6. Etymolog. cap. 19. integer, a Gratiano, quem tum craſsæ naris in diſcernendis legitimis ſcriptis a ſpuriis, tum ſupinæ oſcitantiæ in adſcribendis unius alteri ſcriptis jure merito arguas, cit. Can. 84. *Multi* Cauſ. 1. Q. 1. deſcriptus, velut poſt Correctores Romanos approbe animadvertit Vir doctiſs. Berardi in Grat. emend. p. 2. cap. 59. pag. 169, & par. 3. cap. 27. pag. 507. Neque tamen ita accipiendus, etſi ab Iſidoro prolatus, ut tria dumtaxat adſtruere Sacramenta voluiſse præſumi debeat: ſed ideo trium Sacramentorum tantummodo ibidem meminit, quod non deeſsent quidam, qui eó dementiæ, audaciæque devenerant, ut cogitare, ac diſseminare non dubitarent tria illa Sacramenta non eſſe ſanctificata, ſive effectu fruſtrari ſuo, dum eorum officio, operaque conficiuntur, qui improbi eſſent, ac flagitioſi, ſive ut ibidem ſubditur: *Quorum vita aliorum oculis apparet ignobilis*. Atque hanc plane S. Iſidoro mentem hæſiſſe integrum conferenti textum conſtabit: ſiquidem poſt laudata verba hæc immediate de tribus Sacramentis illis ſubſequuntur: *Quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum virtus*

virtus Divina ſecretius ſalutem eorumdem Sacramentorum operatur, unde & a ſecretis virtutibus, vel ſacris Sacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuoſe penes Eccleſiam fiunt, quia Sanctus in ea manens Spiritus eorumdem latenter Sacramentorum operatur effectum; unde ſeu per bonos, ſeu per malos Miniſtros intra Dei Eccleſiam diſpenſetur, tamen quia Spiritus S. myſtice illa vivificat .... nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur &c. Paullo operoſius diſcutiendum, quod 2. objectum eſt loco. Equidem ſolos Epiſcopos Ordinarios eſſe Confirmationis Miniſtros dubitare non ſinunt allegati ex Pontificibus, Conciliis, ac Patribus textus, quibus tamen illæſis, quæſtio eſſe poteſt, an ejuſdem Confirmationis extraordinarii Miniſtri, ex diſpenſatione ſaltem, ſive delegatione ſummi Pontificis, evadere ſimplices Presbyteri queant. Atque quod primo quidem ad S. Gregorii præcit. Epiſtolam 26. pertinet, ſunt equidem, qui locum epiſtolæ apud Gratianum fuiſſe corruptum putant, atque pro illis verbis: *Qui baptizati ſunt, & baptizatos* legendum jubent potius: *Qui baptizandi ſunt, & baptizandos*, quemadmodum habetur in S. Gregorii Oper. editionibus Veneta an. 1505, Pariſienſi an. 1518, 1571, & 1586, Baſileenſi an. 1564, ac noviſs. Maurina, ubi etiam Monachi Editores ita in Cod. Mſs. antiquis numero quatuordecim haberi admonent. Ideoque S. Gregorium intelligendum volunt non de conceſſa unctione Confirmatoria, quæ in baptizatis, non in baptizandis exercetur, ſed de conſignatione mere Cæremoniali, ſive unctione Sacramentali illi ſimili, quæ fit in vertice Infantis baptizati, quaque ad Baptiſmum Catechumeni baptizandi præparari ſolebant. Ita S. Gregorium interpretati ſunt Hadrianus VI. in 4. diſt. 7. art. 3, Durandus in 4. diſt. 6. q. 4, Petrus de Marca in diſſert. ad Can. 24. Concilii Claromontani ann. 1095, licet non inficias eat, quominus a Rom. Pontifice ſimplici Presbytero confirmandi poteſtas delegari poſſit, ac nuper doctiſsim. Berardi in Gratiano emend. par. 2. cap. 59. pag. 93. Ut ut vero ſe habeat S. Gregorii ſententia, hanc Romano Pontifici facultatis Presbytero ſimplici delegandæ, qua Chriſmate ſaltem ab Epiſcopo conſecrato Sacramentum Confirmationis adminiſtrare queat, particulam abjudicare non dubitarunt quamplures, nec infimi ſane ſubſellii Theologi, ut

ut Card. Robertus Pullus par. 5. ſent. cap. 23, Hugo Victor. lib. 2. de Sacr. par. 7. cap. 2, Hadrianus VI. loc. cit., Durandus in 4. diſt. 6. q. 3, & 4, Guillelmus Antiſiod., aliique apud Alphonſum a Caſtro de hæres. V. *Confirmatio*, & Petrum Suave hiſt. Concil. Trid. lib. 2. pag. 279, ad quos perinde acceſſerunt Eſtius in 4. diſt. 7. § §. 21, & 22, Petrus Aurelius, ſive Sangyranus in Anerethico, Sanbovius de Confirm., Duhamelius in tract. 2. lib. 2. diſſert. 3. cap. 4, & L'Herminier tom. 1. de Sacr. tract. 3. cap. 7.

Vera tamen ſententia, cui utroque ſubſcribo pollice, eſt tam a S. Gregorio M. Presbyteris Sardis factam fuiſſe, quam ſimplici cuilibet Presbytero a Romano Pontifice fieri poſſe Sacramento Confirmationis baptizatos conſignandi poteſtatem. Atque de S. Gregorio quidem efficaciſſime exinde evincitur, tum quod eam ipſam facultatem elargitur in Epiſt. 26, quam primo in Epiſt. 9. Presbyteris denegaverat: Ne *baptizatos*, inquiens, *Infantes ſignare in fronte præſumerent, ſed eos ungerent in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte*. Quibus liquido verbis de Sacramento Confirmationis eum loquutum quis neget? Tum quod, ſi loquutus fuiſſet de ſola unctione Cæremoniali, nec adeo ſollicitus fuiſſet de eadem prius abolenda, nec adeo poſtea cautum ſe dediſſet de illius uſu limitando ad ſolam temporis circumſtantiam, quo copia deeſſet Epiſcopi. Tum quod ad eam S. Gregorii Epiſtolam 26. reſpexiſſe haud obſcure videtur Eugenius IV, dum in Decr. Union. aliquando a Sede Apoſtolica diſpenſatum affirmat, ut ſimplex Sacerdos Chriſmate per Epiſcopum confecto Confirmationis Sacramentum adminiſtraret. Quin etiam a quolibet Romano Pontifice hujuſmodi diſpenſatio ſimplici Presbytero demandari poſſit, non amplius dubitare licet poſt expreſſa tam teſtimonia Clementis VI. in epiſt. ad Conſolatorem Armeniæ Cathol. apud Raynaldum ad an. 1351. n. 12, ubi tertio credendum ei loco proponit: *Quod ſolum per Rom. Pontificem plenitudinem poteſtatis habentem poſſit diſpenſatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris committi*; Eugenii IV. in præcit. Inſtructione Armen., ſive Conſt. 19. *Exſultate*, ubi ſimplici Sacerdoti hanc ab Apoſtolica Sede poteſtatem factam refert; & Benedicti XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 7. n. 7, & Conſt. 129. *Eo quamvis* §. 8. Bull. tom. 1.

tom. 1. pag. 514, ubi de hac loquens indulgentiæ ſpecie: *Minime*, inquit, *Nos latet eamdem adminiſtrandæ Confirmationis poteſtatem ex Indulto Apoſtolico ad Sacerdotem, vel Miſſionarium pro modo neceſſitatis quandoque deferri poſſe*: quorum ſimillima repetit Conſtit. *Ex tuis* in Append. Bull. tom. 4. pag. xx; quam exempla, quibus plus vice ſimplici poteſtas hujuſmodi ſimplici Presbytero facta legitur, Abbatibus S. Barbaræ Mantuæ a Pio IV, S. Facundi in Hiſpania a Clemente X, S. Juſtinæ, S. Mariæ Florentiæ, & Cavenſi a Gregorio XIV. Bullar. Caſſin. tom. 1. pag. 159, & 257. apud Card. Petram ad Conſt. 2. *Religioſam* Benedicti XI. n. 8, Montis Caſſini a Sixto V, & Benedicto XIII. Conſt. 8. poſt Concil. Rom., Campidonenſi in Svevia a Benedicto XIV. Conſt. 6. *Suprema* Bullar. tom. 3. pag. 52, Miſſionariis Ord. Minorum a Nicolao IV, Johanne XXII, Urbano V, Eugenio IV, Leone X, & Hadriano VI. (qui ideo a priori deceſſiſſe opinione cenſeri debet) apud Wadingum tom. 11. ad annos 1444, & 1447, ac tom. 16. ad an. 1521, & 1522; Miſſionariis Societ. J. a Gregorio XIII. apud Arcudium Concor. lib. 2. cap. 15; Cuſtodi Terræ S. Ordin. Min. a Clemente XI, & Benedicto XIV. Conſt. 10. *Cum ad infraſcriptam*, & Conſt. 87. *Demandatam* §. 14. Bull. tom. 1. pag. 28, & 294, Præfecto Miſſionum Ægypti Ord. Min. ab eodem Benedicto XIV. Conſt. 30. *Anno vertente* Bull. tom. 3. pag. 286. Quocirca de facultate hujuſmodi, quin fieri Romano a Pontifice queat, ne leviter quidem dubitare ſibi fas putant Card. Jacobus de Vitriaco Serm. in Vigil. Pentec., S. Thomas in 4. diſt. 7. q. 3, & par. 3. q. 72. art. 11; ex Scotiſtis Antonius Andreas, Riccardus Mediavilla, Petrus Aureolus, Maſtrius, Fraſſenus, Henno &c. apud Berti; Fragoſus de Regim. Reip. par. 2. lib. 8. diſp. 18. §. 7, Sotus in 4. diſt. 7. q. 1. art. 11, Hurtadus de Confirm. diſſic. 3, Bellarminus lib. 2. de Conf. cap. 12, Suarez tom. 3. in par. 3. diſp. 36. ſect. 2, Valentia tom. 4. diſput. 5, q. 2. pun. 1, Henriquez de Conf. lib. 3. cap. 6, Rodericus de privileg. Regul., Covaruvias Var. reſol. lib. 1. cap. 10, Navarrus Manual. cap. 22, De Lugo Reſp. Moral. lib. 1. dub. 6, De Lauræa tom. 3. in 4. diſput. 2. art. 2, Verricelli de Apoſt. Miſſion. q. 129. n. 3, & ſeq., Diana par. 8. tract. 1. reſol. 3. exempla proferens diſpenſa-

tionis factæ ab Alexandro VI, & Gregorio XIII, quorum ſimilia referunt Pallavicinus hiſt. Concilii Trid. lib. 9. cap. 7, & Farvacqueſius in opuſc. de Confirm., Holſtenius de Conf. diſſert. 1. cap. 1, Morinus de Confirm.; Fagnanus in Cap. *Cum veniſſet* de Sacr. Unct. n. 3, & ſeq., Gonzales in Cap. 4. *de Conſuet.* n. 14, Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 30. n. 4, Card. Gottus tom. 2. in par. 3. q. 2. dub. 2. §. 1, Juveninus de Sacr. diſſert. 3. q. 5. cap. 2. art. 2. §. 3, Card. Petra in Comment. ad Conſt. 14. Innocentii IV. n 61, & ſeqq., Tournellius de Confirm. q. 3. art. 2, Drovinus de re Sacram. lib. 3. q. 7, Boucatius de Conf. diſſert. 2. art. 4. ſect. 2, Witaſse de Conf. q. 2. art. 5. ſect. 1, Simonetta tract. 13. diſp. 2. art. 2, Berti de Theolog. diſcipl. lib. 32. cap. 7, aliique apud ipſos.

At enim quæſtio eſt, an ita Romani Pontificis propria hæc poteſtas ſit, ut eadem nullo Epiſcopis modo competat: ut neque ab Epiſcopis Græcis impertiri Græcis Sacerdotibus queat: ut eamdem denique poteſtatem extendere poſſit etiam Pontifex ad Chriſma ipſum conficiendum. Quæ tria, prout præſentis operæ fert pretium, paucis expedio. Atque primo quidem Divina ſola inſtitutione inſpecta, ſecluſaque Eccleſiæ prohibitione, poſse ab Epiſcopo ſimplici Presbytero facultatem impertiri Chriſmate ab ipſo Epiſcopo conſecrato fideles confirmandi ex SS. Hieronymo adv. Lucif., & in epiſt. ad Evangelum, & Jo: Chryſoſtomo hom. 11. in epiſt. 1. ad Timoth., ex S. Gelaſio epiſt. 12. cap. 6, S. Gregorio M. loc. indic., ex Ambroſiaſtro in epiſt. ad Epheſ. cap. 4, Auctore quæſt. apud S. Auguſtinum tom. 3. cap. 101, & Martino Bracar. in Collect. cap. 51, & ex Conciliis Toletano I. Can. 20, Arauſicano I. Can. 1, & Epaonenſi Can. 16. inferunt, & affirmant Card. Pallavicinus hiſt. Concil. Trid. lib. 9. cap. 7. n. 16, Lupus in Not. ad Synodum VIII. cap. 5, Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 2. cap. 23. n. 6, Farvacqueſius de Confir. cap. 4. q. 4, & 5, Van-Eſpenius Jur. Eccl. par. 2. tit. 3. cap. 2. n. 5, & ſeq., Juveninus de Conf. diſſert. 3. q. 5. cap. 2. art. 1. §. 3, Coutantius in Not. ad epiſt. 25. S Innocentii I. pag. 857, & ſeq., aliique. Contra quos tamen pugnant S. Thomas par. 3. q. 72. art. 11, longeque plures alii apud Verricellum q. 130. ſect. 1, & ſeqq., id

juris

juris uni Pontifici M. vindicantes, oſtendenteſque SS. Patres locis ind. nihil explicite habere de Confirmandi poteſtate Presbyteris facta, ſed hanc potius ad Epiſcopalem honorem pertinere; duos illos SS. Pontifices ſimplicibus Presbyteris potius hanc facultatem eripuiſſe, ut S. Gelaſius, aut poſtmodum impertiviſſe, ut S. Gregorius; Scriptores geminos illos apud SS. Ambroſium, & Auguſtinum loqui de Presbyteris Ægyptiis, de quibus poſtea; prælaudatas denique Synodos, ac S. Martinum Brac. intelligi oportere non de Unctione Sacramentali, ſed Cæremoniali duntaxat, de qua ſuperius abunde dictum eſt. Cæterum poſt prælaudata Clementis VI, Eugenii IV, & Benedicti XIV, qui & adeundus de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 8. n. 7, explicatiſſimaque teſtimonia omnem prorſus extra dubitationis aleam poſitum eſt, nulli Epiſcopo fas eſſe ejuſmodi facultatem indulgere, ſed uni Romano Pontifici eſſe reſervatam. Quam ſibi reſervare potuiſſe inficias nemo ibit, qui cogitet facultatem hanc ad juriſdictionem pertinere ideoque in Epiſcopis a Pontifice tam coarctari, quam auferri poſſe. Sequitur hinc apud Græcos nonniſi ex Rom. Pontificis delegatione ſaltem tacita licitam, ac validam fuiſſe Confirmationem, quam a ſimplicibus Presbyteris conferri baptizatis conſueviſſe referunt, & affirmant poſt præcit. Scriptores apud S. Ambroſium tom. 2. Oper. edit. Pariſ. an. 1690. in Append. pag. 241, & S. Auguſtinum tom. 3. Oper. in Append. par. 1. pag. 93. Arcudius de Confirm. lib. 2. cap. 10, & ſeqq., Gonzalezius in Cap. *Quanto* de Conſuetud. n. 13, Holſtenius de Miniſtro Confir. diſſert. 1, & Morinus in diſſert. 2. de Confirm., adeoque ut non defuerint, qui a Romanis Pontificibus nunquam Græcis poteſtatem hanc factam arguentes, quinimo expreſſe fuiſſe prohibitam ex S. Nicolao I, teſtibus Photio in epiſt. ad Orient., & Metrophane in epiſt. ad Manuelem apud Harduinum tom. 5. pag. 1114, Synodo VIII. in epiſt. ad Hadrianum II. ibid., ac S. Nicolao ipſo in epiſt. ad Hincmarum apud Baronium ad an. 867. n. 50; ex Innocentio III. in Cap. 4. *Quanto* de Conſuet., ex Innocentio IV. Conſt. 14. *Sub Catholicæ*, ex Clemente VIII. Conſt. 34. *Sanctiſſimus*, Eugenio IV. cit. Conſt. 19. *Exſultate*, ideoque ab Eccleſia Latina improbatam affirmare, atque conſequenter invalide a Presbyteris.

teris Græcis Chriſma adminiſtrari, non dubitant, veluti Card. Pignatellus tom. 8. Conſult. 78. n. 7, & ſeqq., ac tom. 6. Conſult. 41. n. 34, Albitius de Inconſt. in fide cap. 20. n. 33, & ſeqq., Petra in Comment. ad cit. Conſt. Innocentii V. n. 55, & ſeqq., Sanbovius diſput. 7. de Confirm., Duhamelius de Confir. cap. 4, cap. 4, aliique. Contra quos tamen ex diſpenſatione tacita Rom. Pontificum apud Græcos valide Confirmationis Sacramentum a Presbyteris fuiſſe collatum veriſſime oſtendunt Arcudius cap. 15, Goarius in Not. ad Euchologium Græcor. pag. 367, & Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 9. n. 2, ex Concilio Florentino præſertim, in quo hac de re Græcis ab Eugenio IV. faceſſitum haud negotium fuiſſe liquet ex reſponſ. Epiſcopi Mityleni, & epiſt. Gregorii Protoſyncelli ad Marcum Epheſ. apud Harduinum tom. 9. pag. 430, & 641. Oſtenditur etiam ex Synodo Zamoſcienſi a Ruthenis an. 1720. habita, & a Benedicto XIII. confirmata, ubi tit. 3. §. 2. apud Manſium Suppl. tom. 6. pag. 330. Sacramentum Confirmationis a Parochis in Orientali Eccleſia extraordinario jure, & delegata ab Epiſcopo facultate, ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, poſt Baptiſmum adminiſtrari conſueviſſe refertur. Cæterum apud eos, quibus expreſſe facultas ejuſmodi erepta fuit, invalide a Presbyteris Confirmationem fuiſſe adminiſtratam, neque deinceps valide adminiſtrari potuiſſe, non inficias eam. Atque ita ejuſmodi facultatem eripuiſſe exiſtimandi ſunt Bulgaris S. Nicolaus I; Græco-Latinis Conſtantinopoli degentibus Innocentius III. in reſcripto ad Lucium Vicarium ſuum apud Baluzium tom. 1. pag. 480, & Van-Eſpenium Jur. Eccl. par. 2. tit. 3. cap. 2 n. 4; Græcis in Inſula Cypro Innocentius IV; Græco-Italis Clemens VIII, & Benedictus XIV. Conſt. 57. *Etſi Paſtoralis* §. 3. Bull. tom. 1. pag. 171, & Conſt. 129. *Eo quamvis* §. 4. ibid. pag. 513, Græcos tamen Orientales, & Cophtos a Presbytero ſimplici confirmari §§. 5, & 8. permittens; Græcis Albanis Clemens XI. eorum Synodum an. 1703. habitam confirmans, ubi part. 2. cap 3. Confirmationis adminiſtratio ad ſolam Epiſcopalem ſpectare dicitur dignitatem apud Manſium ibid. pag. 234; Maronitis Gregorius XIII. in epiſt. ad Synodi an. 1578. celebratæ Præſidem confirmatos a ſimplici Presbytero confirmari denuo

denuo ab Epiſcopo poſſe ſcribens apud Verricellum de Apoſtol. Miſſion. tit. 7. de Confirm. q. 131, & Thomam a Jeſu de Converſ. omnium Gent. lib. 3. cap. 5, & Benedictus XIV. Conſt. 31. *Singularis* ibid. pag. 74. Synodum an. 1736. in Monte Libano habitam approbans, in qua Cap. 2. de Bapt. Can. 15, & Cap. 3. de Conf. §. 2. ſancitum legitur, ne deinceps Confirmationis Sacramentum niſi ab Epiſcopo adminiſtretur. Dignus etiam, qui adeatur Conſt. 53. *Ex quo* Bull. tom. 4. pag. 365, ubi §§. 57, & ſeq. Euchologium Græcum, quo loci juxta Decretum S. Methodii Apoſtatæ ad Eccleſiam reduces ſacra Unctione, & Crucis ſigno in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, manibus, pectore, & ſcapulis recipi, adjunctis verbis *Signaculum doni Spiritus S.* jubentur, emendari præcipit, delerique præfatam verborum formulam juxta emendatiſſimum Euchologii Card. Beſſarionis, nunc Cryptæ Ferratæ exemplar, in quo verba illa non leguntur; ſicuti neque in pleriſque Euchologiis optimæ notæ antiquiſſimis olim legebantur, teſte Matthæo Cariophylo apud Arcudium lib. 2. de Reform. cap. 18: ex quibus liquet eadem verba ſive Decreto S. Methodii, ſive Græcis Euchologiis poſteriori ab aliquo Schiſmatico aſſuta fuiſſe. Quod demum attinet ad 3. quæſtionis partem, an ſimplici peræque Sacerdoti a Summo Pontifice demandari facultas Chriſma conficiendi poſſit, affirmant quidem Cajetanus in par. 3. q. 72 art. 3, Valentia tom. 4. diſput. 5. pun. 2, Cardin. Lauræa in 4. tom. 3. diſput. 2. art. 3, & Berti lib. 32. cap. 5. prop. 4, quorum ſententiam valde probabilem cenſent Suarez to. 3. in par. 3. q. 72. diſp. 33. ſect. 2., & Bonacina de Sacr. diſput. 7. q. unic. pun. 2; quin etiam a Romano Pontifice hanc Presbyteris Afris poteſtatem olim factam ſcripſit Johannes Diacon. in epiſt. ad Senarium apud Mabillonium tom. 1. Muſæi Ital. par. 2. pag. 69, & ab Eugenio IV impertitam Fabiano de Bachia Ord. Min. ad Indos proficiſcenti refert Wadingus tom. 11. ad an. 1444. Cæterum, hoc uno, vel altero exemplo excepto, quoties a præfatis Rom. Pontificibus ſive Græcis, ſive Latinis facta Presbyteris confirmandi facultas eſt, expreſsa ſemper conditio legitur adhibendi Chriſma ab Epiſcopo conſecrato. Confer præ ceteris, qui egregie hac de re agit, Benedictum XIV. P. M. de Synodo Diœceſ. lib. 7, capp.

capp. 7, 8, & 9, & lib. 13. cap. 15, ubi Archiep. Limano, & Epiſcopo Quitenſi an. 1751. poteſtatem deſignandi, deputandique Sacerdotes, qui Oleo ab ipſis benedicto Confirmationis Sacramentum in locis diſſitis adminiſtrarent, ab ſe factam, ad decennii ſpatium duraturam, memorat.

Ad S. Gregorium nunc gradum reflectendo, non opus quidem eſt multis eniti, ut tam falſitas de Purgatorio a S. Gregorio M. primum excogitata, quam ejuſdem Purgatorii veritas ab ipſo poſt alios Eccleſiæ Patres conſtanter propugnata in aperto ponatur. Enim vero per quingentos amplius, aut etiam ſexcentos annos, ad ætatem videlicet uſque S. Gregorii, Apoſtolicæ doctrinæ puritatem Romana in Eccleſia fuiſſe retentam diffiteri non audent, veritate nempe apertiſſima adacti, Proteſtantes ipſi quamplures, in quibus agmen, familiamque ducunt Calvinus Inſtit. lib. 1. cap. 11. ſect. 13, Magdeburgenſes Centur. 7. cap. 1. ſub Phoca demum Romanam in Eccleſiam Antichriſtum inductum ſomniantes, Theodorus Bibliander in Tabul. Chronolog., Gaſpar Peucerus lib. 4. Chron. cap. de reb. Eccleſ., Bullingerus par. 1. adverſus Brentium, Auctor Opuſc. de Concordia doctrinæ Bernenſis an. 1650. cap. 1, Georgius Hornius in Compend. hiſt. Eccl. pag. 325. edit. Francof. 1655. poſt S. Gregorium M. ſedere in Cathedra S. Petri Antichriſtum cœpiſſe fingens, Jo: Georgius Rhetiæ Proſeuchæ olim moderator, ac demum ad Romanam Eccleſiam redux in Opuſc. de rationibus ſuæ Converſ. rat. 3. eamdem ſententiam Danzio inſediſſe affirmans, Kekermannus lib. 3. Syſtem. Log. cap. 14, Breitengerus in Opuſc. de Sectis apud Card. Laurentium Cozza in Comment. hiſt. Dogm. in lib. S. Aug. de hær. cap. 1, ſive 23. de *Apelle* n. 74, & ſeqq. A S. Gregorio igitur non aliam de Purgatorio, quam quæ vetus in Eccleſia Romana viguiſſet, quamque ſuis a Prædeceſſoribus accepiſſet, doctrinam integram propinatam fuiſſe quis ambigat? At enim eorum oppido plurium, qui ante, & poſt ipſum Catholicam de Purgatorio doctrinam qua Græci, qua Latini tradiderunt, litterarumque monumentis demandarunt, Patrum, quique perennis, antiquiſſimæque in Eccleſia praxis pro Defunctis preces ad Deum fundendi, Suffragia, ac Miſſas pro Defunctorum expiatione Deo offerendi teſtes adhiberi

beri idonei tam debent, quam tuto poſſunt, longus, qui exhibitus eſt Par. 1. Tom. 2. Art. 7. in Proleg. Not. 34. pag. 101, & ſeqq., Catalogus abunde demonſtrat. Quin etiam veterem in Eccleſia univerſa eamdem de Purgatorio doctrinam eſſe a SS. Patribus traditam, ſignatimque a Tertulliano lib. de Corona Milit. cap. 7, Epiphanio hæreſ. 35, Auguſtino ſerm. 32. de verb. Apoſt., & Auctore Eccl. hier. cap. ult. nec inficiantur Calvinus Inſtit. lib. 3. cap. 5, Forbeſius Inſtit. hiſt. Theolog. lib. 13. capp. 3, & 10, ac Svicerus Theſaur. Eccl. tom. 1. pag. 92. Quæ inſania eſt igitur veritatem tot Veterum teſtimoniis innixam in deriſionem vertere, ac dubium, veritatiſque tam antiquæ, Eccleſiæque coævæ primum auctorem S. Gregorium agere? Nec eſt vero, cur diutius immorer duabus eluendis contradictionibus, quas in S. Gregorii dictis ſe deprehendiſſe jactat Oudinus, nempe quod 1. Purgatorium pro levibus expurgandis peccatorum maculis induxerit lib. 4. Dialog. cap. 39, qui ſeq. poſtea cap. 40. ſui velut oblitus a Paſchaſio Diac. grave Schiſmatis crimen in Purgatorio expiatum refert: quod 2. Purgatorii ignem corporeum quidem ſtatuerit cit. cap. 39, qui alias de Inferni igne contrarium definit lib. 15. Moral. cap. 14. Siquidem ſparta iſta defunctus jam ſit Doctiſs. Jo. Hieronymus Gradonicus in diſſert. epiſtol. cap. 8. oſtendendo 1. Paſchaſium Schiſmati pſeudo Laurentii olim implicatum aut gravi a peccato ob ignorantiam fuiſſe excuſandum, aut certe ante obitum pœnitentia grave illud crimen expiaſſe. 2. Corporeum utrumque ignem utroque in loco poſitum a S. Gregorio fuiſſe: quod pridem a doctiſs. Maurinis Editoribus probatum eſt ex melioris notæ Codicibus Vaticanis quinque, antiquiſſimo Barberino, duobus Chiſiis, aliiſque Gallicanis, & Anglicanis longe pluribus, quos præferendos utique duobus aliis Vaticanis, atque uni, alterique Uticenſi, & Germanico ibid. in Not. admonent, atque ita plane *Corporeus* legiſſe præfato in loco, qui vice plus ſimplici S. Gregorii Moralia contraxerunt, uti S. Paterius, uti Tajus, uti Alulfus, uti S. Odo Clun., uti Adalbertus, uti Simon Aſſigemienſis, uti Bruno, uti Guarnerus, uti Rupertus &c. Quod ad Imagines attinet, quarum a cultu alieniſſimus S. Gregorio affingitur animus, ejuſdem longe æquius mentem ex præcit. epiſtola ad Serenum ex-

preſſit S. Thomas 2. 2. q. 94. art. 2, ita nempe, ut Sanctorum Imagines non abſoluta quidem adoratione etiam inferiori, ſed reſpectiva dumtaxat adorari poſſe, ac debere ſcripſerit. Atque ita pariter S. Gregorium approbe interpretatus eſt Natalis Alex. in hiſt. Eccl. ad Sæculum VIII. diſſert. 6. §. 4, ut videlicet adorationem Latriæ, quæ uni Deo debetur, SS. Imaginibus deferendam negaverit, non etiam alterius honorariæ adorationis ſpeciem, quæ reverentiam noſtram, amoremque erga Sanctos eorum coram Imaginibus exprimat. Rectèque proinde Dionyſius San Marthanus hiſt. S. Gregorii lib. 4. cap. 1. ejuſdem doctrinam circa Imaginum cultum ab univerſæ Eccleſiæ doctrina in Concilio Trident. ſeſſ. 25. in Decreto de Invocat., Vener., & Reliq. SS., & SS. Imagin. tradita, de qua præter Catechiſmum Rom. Cl. Boſſuetius in ſua Doctrinæ Chriſt. explicatione pag. 16, nec latum aberraſſe unguem oſtendit. Neque deſunt imo, qui explicatiſſimam S. Gregorii circa Imaginum cultum facere mentem non dubitant ex ipſius Epiſtola 52 lib. 9. alias 54. lib. 7. ad Secundinum Incluſum, in qua utique S. Pontificis mens probe orthodoxa deprehenditur, quod præſtare inter alios non prætermiſere Du-Meſnil doctr., & diſcipl. Eccl lib. 30. n. 35, & Gradonicus cit. diſſert. cap. 9. n. 56. Quia tamen emunctioris naris Criticis Guſſanvillæo, Maurinis ipſis Editoribus, & Berardi Grat. emend. par. 2. tom. 2. cap. 59. pag. 77. Epiſtola hæc plurimo ex capite, ex eoque præſertim, tum quod variam præferat in variis Codicibus Mſs. lectionem, tum quod doctrinæ capita quædam tradat tam toti retro Antiquitati, quam ipſimet Gregorianæ paſſim adverſam, ſuppoſita, plurimoque ſuppoſitionis laborare morbo viſa eſt, incerto nolim, inerpolato ſaltem, monumento inniti, & inſiſtere. Cæterum autem Catholicum de SS. Imaginum cultu dogma luce plurima aſperſum, optimoque conſtitutum loco, niſi meus me fallit amor, videre licet par. 1. tom. 2. Art. 7. in Proleg. Not. 27., & ſeqq. pag. 83, & ſeqq., quam etiam in rem conferre juvabit, qui hoc de argumento optime meriti ſunt, Gonzalezium in Appar. de Orig., & progreſ. Jur. Can. pag. 17., Bellarminum tom. 2. Controv. lib. 2. de Imagin. SS. cap. 9, Vaſquezium in tract. de adorat. Imag. lib. 3. diſput. 3, Albaſpinæum in Not. ad Can. 36.

Illi-

Illiberit., Antonium Auguſtinum in Epitom. lib. 16. tit. 16, Lupum in Schol. ad Synodum VII. par. 2. pag. 1083, Dartis in Decret. par. 3. de Conſecr. pag. 4, Thomaſſinum in Theolog. Dogm. de Incarn. lib. 12, cap. 8, & ſeqq., Cabaſſutium in Diatriba de Imag. pag. 314, Capiſucchium in Controv. Theolog. de Cultu Sacr. Imag., Card. Gottum de vera Chriſti Eccl. tom. 2. par. 2. art. 16, & Card. Petram in Comment. ad Conſtit. 1. *Divini* Innocentii II. tom. 1. edit. Ven. pag. 288, & ſeqq., alioſque de Schola Theologos.

In Sabiniani Ordinatione gravis exſurgit difficultas, quæ ſiquidem ad quamplurium aliorum Pontificum Ordinationes pariter extendi poteſt, arrepta heic proinde opportunitate expendenda, atque paucioribus, quoad ejus fierit poterit, expedienda venit. Sabinianus igitur ex Ordine Diaconorum aſſumptus, ac Pontifex ordinatus, quin antea Presbyteratus Ordine inſignitus legatur, inquirendi locum præbet, an Pontifices aliquando ex Diaconis, quin etiam ex Subdiaconis inaugurati, prætermiſſo Presbyteratus gradu, ideſt per ſaltum, ut dici aſſolet, Pontificali, ſive Epiſcopali Ordine fuerint conſecrati. Atque quod primum ad Subdiaconos reſpicit, ex ipſis aliquando Pontifices inauguratos, atque ita S. Silverium affirmat Liberatus Brev. cap. 22; S. Deuſdedit etiam ex fide Anaſtaſii exputavit Baronius ad ann. 614. n. 1, quod primo tamen factum, ut ex Subdiacono Pontifex inauguraretur, atque Bibliothecarii alteram ferri ab hac diverſam lectionem in nov. edit. Luc. adjectione obſervat. Quin imo Pagius Junior in Deuſdedit in ea opinione verſatur, ut duo illi nedum, ſed ex aliis quoque Subdiaconis potuerint eligi in Pontifices ad tempus uſque Stephani III, ſive IV, a quo demum in Synodo Romana an. 769. decreto cautum legitur Act. 1: Ut nullus, niſi ex *Sacerdotibus*, vel *Diaconibus juxta Apoſtolicæ Sedis traditionem* Pontifex eligeretur. At enim adverſus Pagium recte doctiſs. Cennius in præfat. ad hanc Synodum n. 8. pag. xvi, & ſeq. pugnat Subdiaconos a Pontificatus apice, quandiu Subdiaconatus ſacros inter Ordines non eſt dinumeratus (quem demum ſacris Ordinibus dinumeratum ab Alexandro II. contendit Jo: Hyacinthus Sbaralea Quæſt. 3. de Subdiaconis in Append. diſ-

put. de pravor. Ordinat., ab Urbano II. cenſent alii; qua de re dictum par. hac 2. tom. 4. Art. 9. §. 1. pag. 442, & 498.) ſemper fuiſſe remotos, argumento ducto ex præfato decreto Stephani III; quod longe gravioris præ Liberato autoritatis loco habendum eſſe nemo non videt; ex eoque confirmatur, quod eadem in Synodo Act. 1. Conſtantinus pſeudo-Pontifex, antequam in Pontificatum irrumperet, Diaconus Forenſis (ideſt extra corpus Rom. Eccleſiæ, quod ex ſeptem tum plenum erat) ordinatus refertur. Quum vero ante Pelagii II, a quo primum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconis ſacra continentiæ lex indicta legitur, & S. Gregorii M., quo ad alios pariter Eccleſiæ Occidentalis Subdiaconos eadem lex Cælibatus extenſa fuit, ætatem Subdiaconis conjugium permitteretur, inde fit plane, videreque quis facile poteſt Subdiaconi nomen in SS. Silverio, & Deuſdedit, aliiſque quotieſcumque occurrat, Patri Electi, non Electo ipſi eſſe tribuendum. Atque quidem *S. Deuſdedit ex Patre Stephano Subdiacono* legendus potius, quam *Filius Stephani ex Subdiacono*, ex melioris notæ Codicibus Anaſtaſii oſtenditur a Blanchinio to. 1. pag. 95, & a Cennio tom. 4. Anaſtaſ. pag. 21. Nec opinioni huic id officit, quod teſte Leone Oſtienſi in Chron. Caſſin. cap. 98, S. Gregorius VII, dum adhuc Subdiaconi defungeretur officio, in Pontificem cum a Romani Cleri pleriſque fuerit poſtulatus, tum Romano ipſi Clero præ aliis a Friderico Juniano, qui ipſe paullo poſt electus eſt ſub Stephani IX, aliis X. nomine, propoſitus. Quoniam hoc conciliari hac ratione poſſit, quod ſi ex Subdiacono electus is fuiſſet, non antea tamen Pontificiam aſcendiſſet Cathedram, quam Diaconus, & Presbyter fuiſſet ordinatus. Quod pariter factum quin putetur de SS. Silverio, & Deuſdedit, nihil, ut video, prohibet, ut primo nempe Diaconi, ac Presbyteri, ac deinde Pontifices fuerint inaugurati.

Ad Diaconos modo ſermonem convertendo, ex his potius, quam ex Presbyteris ad Eccleſiæ regimen Pontifices more Romana in Eccleſia receptiſſimo, primis octo præſertim Eccleſiæ Sæculis, aſſumi conſueviſſe, ſive quod Diaconi Eccleſiæ res non temporales tantum, ſed etiam ſpirituales, penitius haberent perſpectas, ſive quod Diaconos penes ſiquidem rerum temporalium

ſumma

ſumma conſiſteret, facilius in ſe Cleri, Populique gratiam, & ſuffragia inflectere, ſibique animos devincire poſſent, obſervant Queſnellus in Not. ad epiſt. 12. S. Leonis ad Anaſtaſium Theſſal., Papebrochius in Conat. §. 47. de S. Leone M. n. 3, & Garnerius in Not. ad lib. Diurnum cap. 3. tit. 3. Quæ conjectura ex eo confirmatur, quod qui facto ſchiſmate ad Pontificale faſtigium adrepere ut plurimum adnixi ſunt, ii ex ordine Diaconorum erant; atque hinc forte fieri facile potuit, ut ad præcavenda deinceps ſchiſmata potius ex Diaconis Pontifices deligerentur. Cæterum falſum eſt plane, quod Photius Cod. 182. ex Eulogio Alex. Sæculi VI. ſcriptore in lib. contra Novatum de diſpenſatione Eccleſiaſtica refert, Romana in Eccleſia ſtatutum, ut decedenti e vita Pontifici Diaconus ſuccederet, ideoque Novatum ex Diacono creatum a S. Cornelio Presbyterum fuiſſe, ut ita ad Pontificatus apicem perveniendi ſpem omnem præcideret: ſicut enim fallitur is circa Novatianum, quem cum Novato confundit, quique jam ante Presbyteratu fungebatur, quam S. Cornelius Pontifex fuiſſet electus; ſic fallitur circa Pontificis ſucceſsores, quos ex decreto Rom. Eccleſiæ ſemper Diaconos ſtatuit: ſiquidem certum ſit antea ex Presbyteris eligi Pontifices conſueviſſe, atque deinde, ut ex Diaconis aſſumerentur, tum demum conſuetudinem cœpiſſe, quum rerum temporalium potiri Eccleſia inchoavit, earumdemque adminiſtrationem in poteſtatem Diaconorum tranſcribere operæ pretium duxit, veluti ſcribit S. Leo in epiſt. 84. edit. Queſn. ad Marcianum Aug., quod nonniſi poſt S. Silveſtri ætatem, qua nempe diteſcere Eccleſia incepit, factitatum eſt. Jam vero an ex Diaconis aſſumpti per ſaltum, impertranſito Presbyteri gradu, in Pontifices inaugurati fuerint, ideſt Epiſcopali Ordine inſigniti, res in ambiguo eſt, nec ex Monumentis, quæ ſuperſunt, eliquari ſatis poteſt, ancepſque hæret Eruditorum opinio. Affirmat tamen Mabillonius in Comment. ad Ordinem Roman. tomo 2. Muſæi Ital. cap. 18. pag. 119, qui poſtquam cap. 16. obſervaſſet a Photio inter alia, quæ adverſus Rom. Eccleſiæ ritus objecerat apud S. Nicolaum I. in epiſt. 70. ad Galliar. Epiſcopos, id quoque objectum fuiſſe, quod apud Romanos Diaconi in Epiſcopos inaugurarentur, Presbyteratus Ordine non prius acceptos; atque

atque objectionem hanc quidem etsi Ratramnus Corbejensis lib. 4. cap. 8. respons. ad object. Græcor. calumniæ meræ deputaverit, uniusque conflandæ in Latinos invidiæ caussa confictam dixerit, Æneas tamen Paris. in suo libro adverss. eadem objectiones Græcor. cap. 210. apud Dacherium Spicileg. tom. 7. pag. 148. non eam ivit inficias, sed magis respondendum duxit ex sententia S. Hieronymi in epist. 85. ad Evangelum, ideo Diaconos per saltum apud Romanos aliquando ordinatos Episcopos legi, quod in Episcopo Presbyter contineri crederetur, sive Presbyteratus Ordinem pariter ab eo accipi, qui Episcopatus gradu insigniretur: *Forsitan*, inquiens, *illi, qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissa benedictione Presbyterali, assertioni B. Hieronymi loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui Officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat Ministerio Episcopali*; cit. cap. 18. opinionem suam tum adstruere studet ex duplici libello, in quorum priori eadem ejus, qui ex Diacono, atque illius, qui ex Presbytero ordinatur, Consecratio legitur; in posteriori vero id unum præscribitur, ut in Pontificem eligatur, qui a Prædecessore fuerit aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus, pro utroque vero electo una eademque præscribitur Ordinatio; tum roborare satagit triplici exemplo Constantini, Valentini, & S. Nicolai I, ex quibus ille prior Clericus primum, ac Subdiaconus perinde, & Diaconus ordinatus in pseudo-Pontificem a Schismaticis consecratus legitur apud Anastasium; posteriores duos vero ex Diaconis legitimos in Pontifices adlectos, nullo Presbyteratus facto verbo, idem Bibliothecarius affirmat. Mutatum hunc deinde morem Sæculo XI, sub quo S. Gregorius VII. in Presbyterum ante ordinatus, quam Pontifex inauguraretur, in Actis Vatic. apud Baronium ad an. 1073. n. 27. legitur; sequenti vero Gelasius II. seorsim Presbyteratus gradu adauctus, antequam Pontificatum ascenderet, a Pandulpho in lib. de Rom. Pontif. refertur: atque ita tempore intermedio S. Nicolaum I. inter, & S. Gregorium VII. Ordinationes per saltum Romana in Ecclesia fuisse abrogatas existimat vir Eruditus. In hanc ipsam opinionem ingressus Martenius de Antiq. Eccl. Ritib. lib. 1. cap. 8. art. 3. n. 10. eam confirmare enititur cum exemplo Johannis

nis S. Galli diſcipuli, quem ex Diacono ordinatum Epiſcopum Conſtantienſem, Presbyteratu non ſuſcepto, haud obſcure tradit Valafridus Strabo in vita S. Galli lib. 1. cap. 25. apud Mabillonium Sæculo II. Bened., & in Annal. ad an. 613. n. 8, tum decreto Synodi Romanæ ſub Stephano III, ſive IV, quo Act. 3. Epiſcopi ex Diaconis, aut Presbyteris a Conſtantino pſeudo-Pontifice ordinati ad priſtinum Ordinem regredi præcipiuntur, & Act. 4. ad Pontificatum, niſi ex Diaconis, aut Presbyteris, aſſumi prohibentur. Qui pariter ante S. Gregorium VII, atque jam ſub Stephano IX. uſu Romanæ Eccleſiæ veniſſe, ut qui ex Diaconis eligerentur Pontifices, ii prius deinceps Presbyteri ordinarentur, exinde perſuaſum habet, quod ſiquidem apud Leonem Oſtien. in Chron. Caſſin. lib. 2. cap. 48. legatur a Stephano IX. Alphonſus Salernitanæ Eccleſiæ electus, primo Presbyter, atque ſequenti die Archiepiſcopus ordinatus, veti fiat valdequam ſimile id etiam Romana in Eccleſia uſu receptum, ut Diaconus per ſaltum, Presbyterarus gradu prætermiſſo, non amplius Ordinaretur Epiſcopus. Affirmativam eamdem pariter de Diaconis in Pontifices, impertranſito Presbyteratu, inauguratis partem tuiti ſunt, ac tenuere Pagius uterque, Senior ad an. 604. n. 4, & ſeq., Junior in Sabiniano, immutatum hunc morem ſub S. Gregorio VII. exputans; Chardonus hiſt. Sacram. lib. 1. de Ordin. cap. 1. Decretali inter alia S. Cæleſtini I. ad Epiſcopos Galliar. innixus, de qua paullo infra; Sandinus in Not. ad Sabinianum pag. 179, & ſeq. Mabillonii propriam faciens opinionem; ac Cennius in præfat. ad Synodum Later. Stephani III. an. 769. n. 14. pag. xxiii. Valentini, & S. Nicolai I. exemplis, ab Anaſtaſio allegatis, & a Mabillonio, permotus.

Atque horum quidem opinio ex eo confirmari poteſt, quod apud Græcos, alioſque Orientales Clerici per ſaltum frequenter ordinari conſueverint, quin ullum proprerea a Latinis negotium illis faceſſitum fuerit. Ita namque Lectores, omiſſis Oſtiarii, Exorciſtæ, & Acolythi gradibus, in Subdiaconos ordinari ſolitos liquet ex Græcorum libris ſive Archieraticis, ſive Euchologicis, apud Goarium, Morinum, Habertum, & Martenium; ex Synodo VIII. Act. 10. Can. 5; ex S. Johanne Damaſc. initio Dialogi adv. Mani-

Manichæos; Elia Cretenſi in Orat. 19. S. Gregorii Nazianz.; S. Maximo in lib. de Eccl. Hierarch. cap. 5; Georgio Presbytero in vita S. Theodori apud Surium ad diem 22. April.; Auctore Conſtit. Apoſtol. lib. 8; Niceta in vita S. Ignatii Conſtantinopolit., & Simeone Theſſal. in Dialogo de Sacram. Ordin. apud Morinum. Apertum ſit etiam ex aliarum Orientalium Eccleſiarum Ritualibus, Jacobitarum apud Kircherum, Syro-Neſtorianorum, & Maronitarum apud Morinum, a quibus ex Lectoribus, quos proprie Clericos, ſive ἐν Διαθμᾷ vocat S. Baſilius, prætermiſſis Oſtiarii, Exotciſtæ, qui eidem S. Baſilio ἐν Υπηρεσια nomine veniebant, & Acolythi gradibus, de quibus Codinus de Offic Aulæ Conſtantinopolit. pag. 347, promoveri ad Hypodiaconatum Clerici conſuevere. Quo de argumento adeundi Fleurius Inſtit. Jur. Eccleſ. par. 1. capp. 6, & 7, Witaſſius de Sacr. Ordin., Habertus in Pontif. Græcor., Drovinus tom. 2, Drointius lib. 8. de Ord., ac Berti lib. 36. cap. 2. Atque comprobatur Benedicti XIV. Conſtitutione 57. *Etſi Paſtoralis* ſuper Ritibus Græcanicis §. 7. n. 7., Bull. tom. 1. pag. 176., qua ſapientiſſimus decernit Pontifex, ut ſi Clericus Græcus Lectoratus Ordine dumtaxat initiatus majoribus Ordinibus Latino ritu inſigniri deſideret: *Antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omiſſos debet ritu Latino ſuſcipere. Si vero, præter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam Græco ritu aſcendit, & ex diſpenſatione itidem Apoſtolica facultas ſibi facta ſit cæteros Ordines ritu Latino ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorciſtatum tantummodo ſupplere cogitur; quum per Subdiaconatum Græco ritu collatum, Acolythatum, & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur.* Fieri forſitan etiam potuit, ut antiquitus Romana in Eccleſia, etſi non ſejuncta initiatione, eodem tamen tempore, quo quis Epiſcopus, & Pontifex inaugurabatur, Diaconus ſimul, ac Presbyter, ac Epiſcopus pariter ordinaretur. Quæ conjectura ex eo roboratur, quod apud Orientales, & Græcos ſolemne ſimiliter fuerit una cum minoribus Ordinibus Ordinem majorem, ac ſpeciatim cum Subdiaconatu Diaconatum etiam conferri. Quod conſtat ex Fauſto Nairone in Evoplia, Abrahamo Ecchellenſi in adnot. ad Canon. Nicæn. n. 18, Johanne Marone lib. de Sacerdotio

tio capp. 11, & 26, Johanne Darenſi in lib. de Hierarch. Eccleſ., & Dionyſio Barſalibi apud Labbæum tom. 2; quibus cohærent Orientalium Ritualia, Græcorum apud Morinum, Maronitarum apud Ecchellenſem, Cophtorum apud Kirkerum, & Melchitarum apud Habertum. Et certe Apoſtolicis temporibus eos, qui Epiſcopi eligebantur, ſimul & Presbyteros ordinari conſueviſſe cenſet Petavius de Hierarch. Eccl. lib. 2. cap. 5, & lib. 1. diſſert. Eccleſ. cap. 2. Quin etiam adjuvari conjectura iſta poteſt exemplis plurimis eorum, qui per ſaltum frequens ordinati leguntur: uti S. Cypriani, quem, prætermiſſis Ordinibus inferioribus, Presbyterum, & Epiſcopum ordinatum refert Pontius; S. Auguſtini, quem ex laico ad Presbyteratus Ordinem promotum tradit Poſſidius cap. 4; S. Paulini, qui gradibus aliis præteritis, derepente Barcinone Presbyter conſecratus fertur apud Chardonum de Ordin. lib. 1. cap. 15; S. Macedonii, qui ex laico pariter a Flaviano Antioch., invituſque Presbyter ordinatus legitur apud Theodoretum in Philoth. cap. 13; S. Otrogeſili, qui a S. Honorio Antiſiod. Subdiaconus ordinatus, ſubinde ab Atherio Lugdunen ad Presbyteratus, & Epiſcopatus Ordinem promotus refertur a pud Surium ad diem 20. Maji. Et certe in Galliis abuſum olim non leviſſe, ut paſſim ordinarentur per ſaltum Epiſcopi, liquido adparet ex S. Cœleſtini I. epiſtola 4. edit. Cout. ad Epiſcopos Provinc. Vien., & Narbon. cap. 3, ubi in eos vehementer invehitur, qui contra decreta Patrum (SS. ideſt Siricii epiſt. 5. n. 5, Innocentii epiſt. 37. n. 4, & Zoſimi epiſt. 9. n. 2.) Eccleſiis præficerentur, quin ullis antea Eccleſiaſticis Ordinibus fuiſſent inſtituti.

Contra tamen pugnant Morinus de Sacr. Ordinat. par. 3. exercit. 11. cap. 2. nullum extare exemplum Epiſcopatus non ante Presbytero collati affirmans; Thomaſſinus vet., & nov. diſcip. par. 2. lib. 1. cap. 86. n. 13, & ſeq., Lupus in diſſert. de Synodo VIII. cap. 5, Juveninus de Sacr. Ordin. diſſert. 8. q. 8. cap. 4, de Rubeis in diſſert. Crit., & Apolog. in S. Thomam diſſert. 27. cap. 4. n. 5, & Catalanus in Comment. ad Pontif. Roman. tit. 13. de Conſecratione electi in Epiſcopum §. 7. n. 3, quibus ego quidem victas dare manus haud moror, eo potiſſimum, quod poſteriorem in hanc opinionem propenſiori ferri animo perſpicio Be-

prælaudatis SS. Siricii, Innocentii I, Zoſimi, & Cæleſtini I. epiſtolis liquido adparet: quibus jungendum Synodi Sueſſionenſis II. judicium Act. 6, Sardicenſi Canoni 9. innixum, quo eum, qui ab Ebbone Diaconatu ſuſcepto dumtaxat, Presbyter deinde fuiſſet ordinatus, exauctorari debere juſſit, tanquam eum, qui ad Presbyteratum, ante non accepto Diaconatu, properaſſet: *Et oſtenſum eſt*, ita refert Flodoardus lib. 3. cap. 2. apud Harduinum tom. 5. pag. 51, *ex Concilio Sardicenſi, & ex aliis Conciliis eumdem* (Ebbonem) *Epiſcopum nihil de illius Ordinatione attigiſſe: ſed ſed qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad Sacerdotium proſilierat, in degradationem debitam reſilire deberet*. Quamvis autem Synodum emendatam S. Nicolao I. dixerimus in eo, quod invalide ordinatos ab Ebbone habuerit, emendatione tamen non indiguit in eo, quod ordinatos per ſaltum Presbyteros, quin ante Diaconatu fuiſſent inſigniti, gradu detrudendos decrevit. Quocirca jugulum ſibi met petunt adverſæ opinionis patroni, quum S. Cæleſtini decretalem, qua Epiſcopos, gradibus inferioribus prætermiſſis, ordinari prohibet; exemplaque pleraque, quibus per ſaltum ordinati plerique feruntur, in medium producunt. Quis enim, quæſo, obſtipus, adeoque ſit obſtupidus, ut putet deterrimum eum Romana in Eccleſia abuſum adoleſcere, obtinereque permiſſum, cui penitus ubique excindendo Rom. Pontifices S. Cæleſtinus, & ante ipſum SS. Siricius, Innocentius, & Zoſimus ſtrenue adeo incubuere?

Non moror autem ſive Conſtantini pſeudo-Pontificis, ſive ejuſmodi, ſiquæ alia proferantur, aliquorum exempla, in quorum Ordinatione vitium contigerit: quæ enim per nefas fiunt, atque ſi malis, ſpecialis ob cauſſæ pium intuitum facta tolerantur, in argumentum peſſime trahi ad ſuadendum ita pariter factum, atque præpoſtere quidem, Romana in Eccleſia, nemo probe non videt. Nec magis moror Græcorum, & Orientalium diverſum Ritum, ſive enim una ſimul duo, treſve conferantur Ordines, ut apud illos, ſive ſeorſim temporum ſervatis interſtitiis, ut apud Latinos, quid inde, quæſo, beneficii capi licet, ut confertus perinde, Presbyteratus Ordine prætermiſſo, Epiſcopatus ſuadeatur? Nec demum urget Pontificalis ſive libri, ſive Diurni ſilen-

tium, quo Diaconorum in Pontifices electorum in Presbyteros Ordinatio ibidem obruitur. Tanti quippe, veluti scite advertit Thomassinus, ista res est, ut solo perfici silentio certe non possit. Atque hoc quidem negativi argumenti genus est, cui nulla vis inest, dum certissima in contrarium veritas cogit. Et certe, velut acute observat Benedictus XIV. cit. Epist. §. 13, & seq. sacro Trid. Concilio Sess. 22. de Reform. cap. 2. cavetur, ne Episcopus quisquam eligatur, qui sex antea Mensibus sacro non fuerit Ordine initiatus, nulla tamen adhibita Diaconatus, aut Presbyteratus mentione. Quis tamen inde Concilii Trid. sententia ex Diacono Episcopum ordinari, Presbyteratu omisso, quempiam posse subinferat? Rursus post Tridentinum Concilium stylus obtinuit inserendi in Bulla data ad Subdiaconum electum in Episcopum, ut prius ad sacros Diaconatus, & Presbyteratus Ordines se promoveri curet apud Rigantium ad Regul. 24. Cancel. tom. 2. §. 1. n. 17. Quis vero hinc arguendum sibi sumat intermedio tempore inter Tridentinum Concilium, inductamque Romanæ Curiæ praxim istam Subdiaconos, non ante Diaconatu, & Presbyteratu susceptо, consecrari in Episcopos consuevisse? Sed hoc de argumento satis jam, atque super.

S Bonifacii IV. fidem, ob adjectam ab eo Synodo V. syngrapham S. Columbano evasisse valde suspectam, ideoque reprehensione dignam visam, ex ipsius epistola altera ad eumdem in Bibl. PP. Lugd. tom. 12. pag. 28. arguit Bossuetius defens. decl. par. 2. lib. 13. cap. 25, ex qua perinde id inferri putat Roman. Pontificum decreta velut irrefragabilia a illo non fuisse habita, donec Ecclesiæ universæ fuissent consensione firmata. Ex Hibernia nempe in Italiam post obitum S. Gregorii M. profectus, dum Bobiensis Monasterii gereret præfecturam, ob appositum Synodo V. a Sede Apostolica calculum, tam Episcoporum, quam Populorum scindi studia perspiciens, stimulisque ab Agilulfo Langobard. Rege, ac Theodelinda Regina conjuge acceptis, fertur ad Rom. Pontificem exarasse epistolam, in qua hæc inter alia habet: *Doleo de infamia Cathedræ S. Petri ... Multi dubitant de fidei vestræ puritate ... Ut honore Apostolico non careas, conserva fidem Apostolicam, confirma testimonio, robora scripto, muni Synodo ....*

De-

Dolendum enim, ac deflendum, ſi in Sede Apoſtolica fides Catholica non tenetur ... Jam veſtra culpa eſt, ſi Vos deviaſtis de veſtra fiducia, & primam fidem irritam feciſtis. Merito veſtri Juniores (ideſt inferiores) *vobis reſiſtunt, & merito Vobiſcum non communicant, donec memoria perditorum deleatur.* An Bonifacio III, aut IV. inſcripta epiſtola fuerit, dubitat Boſſuetius, quam tamen dubitationem exuere facile potuiſſet, conſiderando S. Columbanum ex Hibernia in Galliam an. 590. ſub Childeberto II. Auſtraſiæ, & Burgundiæ Rege profectum, an. 607. a Theodorico Childeberti filio Burgundiæ Rege Regno pulſum, in Auſtraſiam ſub Theodeberto Childeberti filio altero, ac Theodorici fratre ſe recepiſſe; quo a Theodorico armis devicto, ac perempto, an. 612. in Italiam pedem intuliſſe, ubi Bobienſi Monaſterio ædificato, in eo demum an. 615. fini conceſſit ſuo. Quæ omnia conſtant ex Fredegario in Chron. cap. 36, & ſeqq., Jona Scoto in ejus vita apud Surium ad 21. Novemb., & Cointio tom. 2 Annal. Franc. ad cit. annos; ex quibuſque rite conficitur epiſtolam, quæ Bobienſi e Monaſterio ſcripta circumfertur, intra annos 612, & 615. ſcribi oportuiſſe, ideoque ad S. Bonifacium IV, qui an. 608. Pontificatum aſcendit, tenuitque ad an. uſque 615.

Jam vero quod ad rei caput pertinet, quæ ſane fides præſumptæ huic Epiſtolæ ſit præbenda, ſequentia produnt. Atque ut ea non recoquam, quæ par. 1. tom. 1. Art. 2. §. 3. pag. 188. jam attigi, ſub S. Bonifacio IV. Synodum V. dubio omni procul Eccleſia univerſa amplexa jam fuerat, eamque probatam fuiſſe a Vigilio, a S. Pelagio I, a Johanne III, a S. Benedicto I, a Pelagio II, a S. Gregorio M., a Sabiniano, & Bonifacio III, qua de re Noriſius in diſſert. hiſt. de Synodo V. cap. 9, optime exploratum habebat, adeo ut Iſtris in oppoſitam conantibus partem jam tum nigra Schiſmatis adhæreret nota: itaque ſi totum id turpiter ignoratum a S. Columbano nefas eſt opinari, ejuſdem perinde Sanctimonia præmem. Epiſtolam, qua in S. Bonifacium IV. non minus, quam in ipſius Prædeceſſores injurius, inque Eccleſiam ipſam quin etiam minus æquus alioqui fuiſſe comprobaretur, eidem appingi prohibet: vel ſi germanum ejuſdem fœtum eſſe contendas, affirmare omnino oportebit errorem facti, quo deceptus

ali-

aliquando fuerit, tandem dedoctum, quod aliquando nimis in ſuo ſenſu abundaverit, aut imprudenter in Agilulfi, ac Theodelindæ ſtudia fuerit inflexus, ſummopere pœnituiſſe. Sed enim ſuperiora, quæ præfata in Epiſtola protulit, nullo pacto conſentiunt cum ſequentibus, quæ paullo poſt ſubjungit, quibus optimum alioqui, quo erga Apoſtolicam Sedem affectus ſtudio, animoque eſſet, apertiſſime manifeſtat. Nam mox Schiſma ſedare partis eſſe Pontificis diſerte affirmat: *Cauſſa ſchiſmatis*, inquiens, *incidatur cultello S. Petri*. Mox Apoſtolicam Sedem hoc quam vero, tam digno mactare elogio non dubitat: *Fidei ortodoxæ Sedem Principalem* adpellans. Mox ejuſdem Sedis Apoſtolicæ laudibus animi ſui devotionem accumulans, eidem ſe devinctum quammaxime deprædicat: *Nos*, ajens, *devincti ſumus Cathedræ S. Petri*.... *Roma per iſtam Cathedram tantum apud nos magna eſt, & clara*. Mox tandem, quod S. Columbani fidei clavum figit, Apoſtolicam Sedem a fide nullo deficere modo poſſe explicire profitetur: *Ego enim credo ſemper Columnam Eccleſiæ fixam eſſe in Roma*. Neque enim ſane, niſi ratione Apoſtolicæ Sedis, cui in perſona S. Petri de fidei indeficientia pollicitationes a Chriſto D. factæ ſunt; id credidiſſe S. Columbanus eſt exiſtimandus. Quæ quum ita ſint, non igitur Romanus Pontifex qualibet vi moveri a veræ fidei ſoliditate poteſt; nec cuiquam initum cum ea Sacrorum conſortium abrumpere fas erit, quod tamen paullo ſuperius idem ſcripſerat. Itaque ſuſpicari licet Epiſtolam hanc ab aliquo Synodi V. obtrectatore S. Columbano de induſtria fuiſſe affictam, quam ſuſpicionem magis auget ſilentium, quo eadem præteritur a Jona ejus diſcipulo, ejuſque vitæ Scriptore apud Surium loco cit., & Mabillonium Sæculo II. Bened. pag 5. Vel, ſi mavis, S. Bonifacium tanquam ſingularem perſonam in errorem prolapſum forte putavit S Columbanus, non etiam tanquam publici Eccleſiæ Magiſtri perſonam agentem. Vide Cl. Orſium de Rom. Potif. lib. 3. cap. 25. Bonifacio V. obtrectandi anſam temere Proteſtantes aliqui ſibi ſumunt ex epiſtola ad Eduinum Angliæ Regem, qua eum ab Idolorum cultu ad veram Chriſti Religionem allicere ſatagit, quaſi in ea ſcripſerit Chriſtum D. nos ab ſolo Originali peccato redemiſſe. At enim pudere eos debuiſſet ſummo-

ſummopere tam atrocem confinxiſſe calumniam, ſiquidem vocis illius *Solo* ne leve quidem in epiſtola illa veſtigium extet apud V. Bedam lib. 2. cap. 10, Baronium ad an. 625. n. 12, ac Labbeum tom. 5. pag. 660, ſed hæc tantum habentur: *Accedite ergo ad agnitionem ejus, qui ... pro veſtra redemptione Filium ſuum Unigenitum miſit, ut nos ab Originali peccato eriperet &c.* Quid vero ſi vox illa *Solo* fuiſſet inſerta? Fuiſſet ideo, velut obſervat Bellarminus lib. 4. cap. 10, ut principalis indicaretur cauſſa, atque in parvulis quidem unica, ob quam Chriſtus mortem oppetiit: unde Johan. 1. 24, ubi Latinus interpres legit: *Qui tollit peccata Mundi*, Græcus textus habet: Τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ideſt peccatum illud Mundi, Originale nempe, pro quo delendo præcipue Chriſtus D. in terram deſcendit.

DE HONORIO I, S. MARTINO I, JOHANNE VII, S. GREGORIO II, S. GREGORIO III, ET STEPHANO III.

§. VI.

INcredibile dictu, quam velis, equiſque defatigentur ex Schiſmaticis Nilus Theſſal. de Prim. Pontif., ut de Pyrrho apud Johannem IV. in epiſt. ad Conſtantinum Imp., ut de Paulo in epiſt. ad Theodorum P. M., ut de Macario in expoſit. fidei Synodo VI. Act. 8. inſerta, & apud Conſtantinum Imp. in Divali ad S. Agathonem, qui eamdem, qua ipſi infecti erant, maculam Honorio afflare non exhorruere, nihil dicam, ex Heterodoxis Magdeburgenſes Cent. 7. cap. 10, Forbeſius Inſtitut. hiſt. Theolog. lib. 5, Chaldenius in diſſert. de Monotheliſmo Honorii adverſus Binium, & Cabaſſutium edit. Witteb. 1710, Bruejus hiſt. Pontif. tom. 1. pag. 429, ad quos ex Janſeniſtis Auctores accedunt Opuſc. Gallice inſcripti: *La verité renduë ſenſible à tout le Monde*; alteriuſque, cui Gallice hic titulus: *Temoignage de la verité*; Ex Catholicis vero Maimburgus de Stat., & prærog. Rom. Eccl., Launojus, & Boſſuetius defenſ. decl. par. 2. lib. 12. cap. 21, & ſeqq., ut Honorium I. P. M. in Monotheliticæ hæreſis lutum

Intum trahant, detrudantque. Atque vim quidem in eo faciunt 1. Quod in duabus extantibus Honorii ad Sergium Conſtantinopol. Monothelitarum Protoparentem, a quo de ſententia interrogatus, rogatuſque fuerat, epiſtolis tum ſe ab ejus pravo dogmate de una in Chriſto D. volontate, & operatione haud abhorrere demonſtret, tum ab una, vel duabus in Chriſto dicendis volontatibus, & operationibus abſtinendum ſatius habeat. Sergio ſcilicet reſcribens Honorius, primo illius tanquam pro Catholica fide pugnantis ſtudium, laboremque laudibus celebrat, blande tamen refellens quidquid a fide devium, & obliquum in ſenſum paullo liberius Sergius effuderat, atque deinde ab unius, vel geminæ in Chriſto volontatis, & operationis aſſertione præcipit abſtineri. Quia vero indictum nec a Sergio, nec a Cyro Alex. ejuſdem erroris conſorte ſilentium teneri, ſervarique acceperat, altera ad Sergium epiſtola ſcripta, quod in prima præceperat, ſilentium nempe circa unam, vel duplicem in Chriſto D. volontatem, operationemque, vehementius inculcavit, & urſit; ſignificans in eadem epiſtola ſcripſiſſe ſe pariter tam ad Cyrum Alex. unam dumtaxat deprædicantem, quam ad Sophronium Hieroſolym. aſſerentem duas, ut hinc, & inde ſimiliter ab unius, ac duabus in Chriſto aſſerendis ceſſaret uterque, ac deſiſteret. Deſiderantur hæ duæ poſteriores Honorii epiſtolæ, quas fruſtra requiras. 2. Quod in Synodo VI. Act. 12, & 13. perlectis geminis ipſius ad Sergium epiſtolis, hæreſis dica Honorio conſcripta fuit, eo nomine is damnatus, ejus utraque epiſtola igne combuſta, atque in ſequentibus Action. 16, & 18. repetita in eum damnatio. Qua damnationis ſententia deinde a Synodo VII. Act. 7. in Definit. fidei, in Synodica ad Conſtantinum Imp., ac in epiſt. ad Clerum Eccl. Conſtantinopolit. una cum Monothelitarum Promachis inuſtus Honorius legitur. Quin etiam a Synodo VIII. Act. 7. eadem hæreſis cenſura perſtrictus Honorius putandus eſt, ſiquidem perlectis Synodi Romanæ ſub Hadriano II. geſtis, probata fuit ejuſdem Pontificis allocutio tertia, qua Honorium ſuper hæreſi accuſatum a Synodo VI., ideo anathemate damnatum aſſeruerat. 3. Quod Romani ipſi Pontifices Honorii ſucceſſores hanc Monotheliticæ hæreſis labem ab eo amoliri neſcierint, ac nequiverint,

ſatiuſ-

ſatiuſque idcirco habuerint contractam ab eo hæreſim fateri, quam fœdo ſe mendacii crimine inquinari. In quibus Hadrianus II, ut mox dicebam, in Synodo Romana Honorium ob hæreſis culpam a Synodo VI. male habitum fateri non detrectavit. Ante ipſum S. Leo II. in epiſt. ad Conſtantinum Imp., ad Ervigium Hiſpan. Regem, & ad ejuſdem Regni Epiſcopos Honorium & ipſe peſſime habuit, tanquam qui locum tam illuſtrem lapſu ſuo tam turpi dehoneſtarit, hæreſique effecerit ſua, ut Apoſtolica Sedes ab hæreticis, & ab hoſtibus deſpicatui haberetur. Qui duobus hiſce vero anteivit, S. Agatho in epiſt. ad eumdem Imp. in Synodo VI. Act. 4. relecta, & relata nec ab impacta hæreſis labe Honorium abſtergere ſibi aut ſumpſit, aut auſus eſt. Quo modo ejuſdem Honorii proximi Succeſſores Severinus, Johannes IV, Theodorus I, S. Martinus I, S. Eugenius I, S. Vitalianus, Adeodatus, & Donus I, a quibus pari ſententia proſcripti ſunt, quique unam in Chriſto voluntatem dumtaxat, operationemque dicerent, quique duas æque, atque unam tacendas eſſe indicerent, tacito etſi nomine, inter Monothelitas Honorium etiam hæreſis nomine habuiſſe exiſtimandi ſunt. 4. Quod de Monothelitarum rebus Scriptores qua Græci, qua Latini Honorio parirer hanc conſcribere hæreſis dicam, eumque in Monothelitarum demeruiſſe caſtris ſcribere non dubitaverint. Atque ita ex Græcis quidem S. Taraſius Conſtantinopolit. in epiſt. ad Patriarchas, & Theodorus Hieroſolym. in Synodica Act. 3. Synod. VII. inſertis; Epiphanius Diacon. in diſputat. cum Gregorio Iconomacho lecta in eadem Synodo VII. Act. 6; S. Nicephorus Conſtantinopolit. in Synodica ad Leonem III. P. M. apud Harduinum tom. 3. pag. 995; Agatho Diac., Eccleſiæque Conſtantinopolit. Carthophylax, ideſt Scriniorum cuſtos in Orat. poſt annos 30. ferme conſcripta, atque a Combefiſio in hiſt. Monoth. tom. 2. Auct. Bibl. PP. pag. 199. edita; Cedrenus, & Michael Pſellus in Carm. de ſeptem Synodis: ex Latinis vero V. Beda in lib. de ſex ætat. Mundi, ſive in Chron. in vita Conſtantini IV. Imp. tom. 2. Oper.; Anaſtaſius Bibl. in præf. ad Collectanea in Bibl. PP. Lugd. tom. 12. pag. 831, & Oper. Sirmondi tom. 3, & libro de geſtis Rom. Pontif. in Leone II. ſect. 148. tom. 4. edit. Blanch. pag. 105;

Auctor libri Diurni Rom. Pontif. in professione fidei a Pontificibus recens inauguratis emittenda; Ado Vien. in Chron.; Humbertus Silvæ Candidæ Episcop. in disput. adverſ. Nicetam Pect. apud Baronium in Append. tom. 17. nov. edit. Luc. pag. 678; Marianus Scotus in Chron.; Hincmarus Remen. in libro de non Trina Deitate, aliique, qui ad unum omnes Honorio Monotheliticæ hæreſis notam appingere non dubitant, ob idque juſte a Synodo VI. damnatum affirmare. Iſta ſummatim contra Honorium congeri, amplificarique valdequam ſolent.

Quibus antequam ſatisfaciam, retro paulliſper flectere veſtigia, in eaque paullo rurſus intendere, quibus ſuper. Artic. 12. pag. 382, ac ſeqq. ſpartæ hujuſce partem emenſi ſumus, atque obſervare præſtabit. 1. Haud recta incedere, mea quidem ſententia, ſententia quin imo Lupi in diſſert. de Synodo V. ad Act. 18, Petri de Marca apud Baluzium in ipſius vita præfixa lib. de Concord., Combefiſii in diſſert. Apolog. pro Actis Synodi VI. cap. 3, Garnerii in diſſert. 2. ad libr. Diurnum, & in Append. ad Not. cap. 2, Johannis Bapt. Tamagnini in hiſt. Monothel., Natalis Alex. hiſt. Eccl. ad Sæcul. VII. diſſert. 2, & Pagii utriuſque, Senioris ad an. 681. n. 7, & ſeqq., Junioris vero in *Honorio*, haud recta, inquam, incedere illos, inter quos Albertus Pighius, Baronius ad an. 681. n. 19, & ſeqq., ac 682. n. 2, & ſeqq, Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11, Jodocus Coccius in Theſ. tom. 2; Franciſcus Marcheſius in Clypeo Fortium, ſive Vindic. Honorii, Binius in Not. ad Synodum VI, Azorius Inſtit. Moral. lib. 1. cap. 5, a quibus nec plurimum abhorrent Papebrochius in Conat. diſſert 23, alias 16, & Baldinus in Not. ad Anaſt. tom. 4. ſect. 148. pag. 105., &ſeq, qui ad vindicandum ab hæreſi Honorium, atque liberandum a lapſu, eam intentatam antehac viam inivere, ut Acta Synodi VI. a Monothelitis depravata ad nos perveniſſe, atque forte depravationem hujuſmodi Theodoro pſeudo-Epiſcopo Conſtantinopolitano acceptam fore referendam exiſtimarent. Nam levibus horum conjecturis miſſis, quas ab illis convulſas videre licet, Acta Synodi VI. haud adulterata haberi, neque a Græcis fuiſſe corrupta, multa invicte ſuadent. Atque 1. Actorum Synodi VI. quinque exemplaria a Concilii Notariis exarata fuiſſe,

ſe, & quinque Patriarchis tradita, eorum vero aut ographum Sedis Apoſtolicæ Legatos accepiſſe Romam deferendum, quo S. Leoni II. conſignato, Pontifex Synodum calculo comprobavit ſuo, conſtat ex Act. 18. apud Harduinum tom. 3. pag. 1435. Itaque Synodi Acta omnia depravare, adulterareque Monothelitæ nequiverunt. Eſto enim tantum perpetrare nefas potuerit Theodorus Monothelitica labe a capite ad talos aſperſus, non tamen imputandum tantum flagitium Petro Monacho Patriarchæ Alex. vices agenti, neque Theophani Patriarchæ Antioch., neque Georgio Monacho Sebaſteno, ac poſtea Antiocheno Patriarchæ, tum Theodori Hieroſolymit. Patriarchæ vices gerenti, quos ea ab hæreſi abhorruiſſe quammaxime extra dubium eſt omne; multoque minus S. Agathonis Legatis, quos adeo deſides, Apoſtolicæque Sedis dignitatem voluiſſe deſpicatui objicere ſuſpicari non licet, ut proinde Synodi Acta depravari viderint, ac tacuerint. Neque etiam a Theodoro tam ſubito corrupta dici poſſunt, quandoquidem tum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præerat Georgius, tribuſque inſuper annis a Synodo VI. ſuperſtes tenuit, Theophane in Chronog. pag. 301, & ſeq. teſte, qui animo plane ſincero Monotheliticam exſecratus hæreſim legitur in Synodi Actis, lateque oſtenditur a Cupero hiſt. Chronolog. Patriarch. Conſtantinopolit. §. 43. Ad hæc depravata etſi darentur Acta Synodi VI, dandum nullo tamen eſt modo depravata etiam fuiſſe Acta Synodi ſive VII, ſive VIII, in quibus hacce de Honorii damnatione frequens fit mentio: id enim de iis Synodis violatis, vel ſuſpicari vetat teſtimonium, ſive S. Taraſii Conſtantinopolit. in epiſt. ad Patriarchas, ſive Theodori Hieroſol. in Synodica, Honorium a Synodo VII. male habitum diſerte ſcribentium; vetat & Anaſtaſii Bibl. ſides in præfat. hiſt. ad Synodum VIII. Hadriano II. P. M. nuncupata affirmantis, de ejuſdem mandato ſe Synodo iſti interfuiſſe, ſimul Acta Synodi manu ſua tranſcripſiſſe, deinde Conſtantinopoli Romam integra detuliſſe, ejuſdem juſſu Pontificis a Græca Latinam in linguam vertiſſe, in eaque Honorium anathemate fuiſſe confoſſum. Cui vero in mentem veniat a tot Epiſcopis Synodi ſive VII, ſive VIII. interpolationem fuiſſe ignoratam, adeo ut nullus de Actis Synodi VI. violatis vel ſuſpicatus

legatur; neque a Legatis Apoſtolicæ Sedis, dum ageretur de Roman. Pontificis damnatione, reclamatum contra impoſturam ſit, neque intruſam in Acta Pontificis damnationem ſit demonſtratum? Quì fieri demum potuit, ut tam gravi ſupinitate, ſtuporeque obſiderentur, ſimulque obruerentur, hinc quidem S. Leo II. in epiſt. ad Conſtantinum Imp., qua Synodum VI. confirmavit, & in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpan., qua Synodi VI. Acta ſe ad ipſos tranſmittere ſcripſit, atque Hadrianus II. in epiſt. ad Synodi VIII. Epiſcopos, qua ob hæreſis crimen Honorium poſt mortem potuiſſe damnari non ivit inficias; illinc vero Agatho Diacon., qui in Synodo VI Notarii munere perfunctus fuerat, in perorat. eadem in Synodo Honorio inflictum anathema affirmare non dubitans, Conſtantinus Imp., qui Synodi VI. Acta ad Epiſcoporum preces ſigillo ſuo, propriaque ſyngrapha obſignavit, atque S. Nicephorus Conſtantinopolit., qui in Synodica ad Leonem III, cui certe adrepere non fuiſſet auſus, vir alioqui ſanctitate conſpicuus, a Synodo VI. Honorio anathema dictum ſcribere non eſt verius? Quì fieri, inquam, potuit, ut Synodi VI. Acta fuiſſe vitiata adeo craſſe ignorarent, atque ignorantia deinde pari detinerentur Canonum doctiſs. Collectores Ivo, Anſelmus, Deuſdedit, Gratianus, ita ut ullo abſque delectu, ullaque abſque animadverſione Synodum VI. aliis adcenſerent? Græcis equidem ea familiaris, ac frequens inſedit ars furtive, ac fallaciter ſive Rom. Pontificum adulterandi litteras; ſive Synodicos depravandi Codices, adeo ut S. Leo M. in epiſt. 83. edit. Queſn. 97. Baller. 124. ad Palæſtinos Monachos de ſua ad S. Flavianum dogmatica ſe adhuc ſuperſtite vitiata conqueſtus ſit; S. Gregorius M. lib. 5. epiſt. 14. in Synodi Epheſinæ, & Chalcedonenſis Codicibus factas ſive depravationes, ſive detractiones ſe offendiſſe affirmarit; & S. Nicolaus I. in epiſtol. 5, & 9. ad Michaelem Imp. de violatis tam deceſſoris ſui Hadriani, quam litteris ſuis acerbe doluerit. Atque fraudis hujuſce, fallaciæque quidem exempla non deſunt in Synodicis Actis: duo ſiquidem Actis Synodi V. Monothelitica labe conſpetſa, veluti a Vigilio Papa ad Juſtinianum Imp., & ad Theodoram Aug. conſcripta, adjecta liquet. Synodi VI. Codici etiam, ut ejuſdem auctoritate exinde valerent, Canones duo ſupra centum, qui Trullani

lani vulgo nuncupantur, Græcorum itidem dolo attexti leguntur. A Synodi VII. actis denique eadem pariter fraude particula *Filioque* adempta fuit, ut hac detractione Spiriritus S. proceſſio a Filio decurtaretur. Verum tamen vix perpetrata fraus fuit, ut ſubinde, ſtatimque detecta patuit: unde in Synodo VI. Apoſtolicæ Sedis Apocriſarii eas Vigilio Epiſtolas falſo fuiſſe ſuppoſitas, falſatum Synodi V. Codicem, eique adjunctos non multo ante tres quaterniones, qui una cum duabus illis Vigilii epiſtolis in antiquis optimæ notæ Codicibus deſiderabantur, tam doluere, quam demonſtrarunt. Trullani Canones mox in dubium, mox in diſceptationem venerunt; in Synodo VII. a Patribus in pretio haud habiti ſunt; atque ſubinde explorato more a Synodi VI. Codice ſeparati, in Quiniſextam Synodum rejecti ſunt, quarum illa recepta, iſta reprobata. In Concilio denique Flor. ſeſſ. 6, & 7. Ferrariæ celebratis Card. Juliani opera Græcorum fraus detecta eſt, Græciſque vitiatum Synodi VII. Codicem cum abraſa particula *Filioque* producentibus alter, iſque antiquiſſimus, atque caſtigatiſſimus ex Vaticana Bibl. oppoſitus fuit, quo Græci textus depravatio evicta, oſtenſaque eſt. Si itaque Synodi VI. Acta, ubi Honorio dictum anathema habetur, ſimili dolo depravata fuiſſe vel leviter ſuſpicandi locus datus fuiſſet, putaſne ab exprobranda Græcis fraude, malaque fide in Synodis tum VII, tum VIII. Apoſtolicæ Sedis Legati abſtinuiſſent?

Obſervare 2. juvat multo minus rectam defendendi Honorii iniviſſe viam illos, qui errore facti, atque dogmatici quidem, deceptam Synodum VI. in Honorium anathema intorſiſſe affirmare non dubitant. Intimam Honorii ſententiam in epiſtolis ad Sergium eamdem Synodum non fuiſſe aſſecutam, ideoque perperam optimo Pontifici Monotheliticam hæreſim appinxiſſe, ut proinde non ſit, cur in Honorio a lapſu omni liberando multum defatigetur, atque fruſtranea ludatur opera. Atque hanc quidem defendendi Honorii rationem a Johanne de Turrecremata, a Baronio, a Spondano, a Bellarmino, a Pallavicino, a Richelio, a Lauræa, ab Aguirrio, aliiſque adinventam plerique ex Janſeniſtarum præſertim grege jactant, anſam exinde avide arripientes ſive Cl. Viris obtrectandi, ſive Rom. Pontificum decretis non obe-

obediendi, quam tamen licentiam comprimere, labem vero omnem Viris ab illis doctiſſ. procul depellere paullo ſuper. pag. 388, & ſeqq. adnixi ſumus. Siqui cætera parum conſiderate hanc Pontifices ab injuria redimendi rationem ſibi propoſuiſſe reperiuntur, næ ii profecto ita ab ſe longe pejus in errorem projici Eccleſiam non animadvertunt. Etſi enim in factis mere perſonalibus falli, & fallere ſive Pontifices, ſive Eccleſiam poſſe, ipſorum abſque injuria, fideique periculo dici poſſit, dici id tamen in factis dogmaticis nullo poteſt modo; id enim ſi ſemel dicatur, jam actum erit de fidei definitionibus, ſiquidem quæcumque fidei definitio circa factum dogmaticum obverſetur, uti fuſe ſuo expoſitum loco fuit. Sano, rectoque ſenſu tamen a Synodo VI. erratum in damnatione Honorii dici poſſe, erratum, inquam, in judicio, non doctrinali quidem, ſed criminali dumtaxat, infra dicemus Neque magis vero appropinquare illos arbitror, qui ad eludendam, evadendamque potius difficultatem, quam diluendam, enucleandamque id conſilii excogitarunt, & capeſſivere, ut affirmarent a Synodo VI. de Honorii epiſtolis actitatum non fuiſſe, ſed de ejus perſona dumtaxat, idque judicio, non doctrinali, ſed criminali ſolummodo, ducto ſcilicet ex informationibus, hominumque teſtimoniis, in quo plane Eccleſiam, Pontificeſque errare poſſe abſque fidei diſpendio nemo diffitetur: quod excogitatum ſane tamquam parum ſolidum, parumque Synodi VI. conforme ſententiæ pag. 385, & ſeq. paucis quidem, ſed quantum opus foret, operæque ferret pretium, exploſum videre licet. De adinventis defendendi Honorii aliis, uti de diſtinctione perſonæ ſingularis a Doctore publico a Melchiore Cano, & Epiſcopo Sueſſionenſi in 2. Admonit. par. 2. pag. 19, & ſeqq. excogitata; uti de diſtinctione judicii Epiſcoporum in Synodo a judicio Synodi Epiſcoporum a Johanne Bapt. Bartholi inducta; uti de diſtinctione Synodi prout ex Græcis ſolis conflatæ, a Latinis non etiam confirmatæ poſt Anaſtaſium, & Arſekin a Marcheſio, & Cavalcanti obtruſa, recolenda, ſi placet, quæ pag. 383, & ſeqq. obſervata jam ſunt. Quibus præoccupatis, jam operæ pretium eſt: ut 1. Honorii fidem nullam ex duplici ad Sergium epiſtola hæreſis labem contraxiſſe, nihilque ex damnatione in illum

illum a Synodo VI. lata fuiſse ipſius fidei dectractum oſtendatur: 2. ut in Honorium dicti a Synodo VI. anathematis cauſsa, eccur e ſacris tabulis ejus nomen eraſum, infamata memoria, igneque crematæ fuerint in eadem Synodo ipſius epiſtolæ, nitide explicetur: ut ad Honorii labefactandam fidem objecta ab adverſariis momenta enodentur, pleneque evacuentur; nihilque exinde negotii Honorii fidei faceſſiri poſſe evincatur, neque in Honorium vel ob fidei cauſsam Synodum etiam generalem agendum ex defectu juris ſibi licite ſumere potuiſse, vel ſiquid egit Synodus VI, id totum actum, profectumque ex Rom. Pontificum licentia, ab iiſque poteſtate accepta; vel ſuffragio tandem accedente factum demonſtretur. Quæ tria ſi ſemel rite, prout ſpero, placebitque Superis, præſtentur, Honorii profecto cauſsam numeris tum omnibus abſolutam exiſtimaverim.

Jam igitur quod ad 1. attinet, Honorium haud a fide deſeciſse, nec ulla hæreſis Monotheliticæ vel levem ei aliquando labem adhæſiſſe jamdiu Viris doctiſs. Petro de Marca, Abbellio, Natali Alex., Languetio, Fenellonio in epiſt. ad Queſnellum, aliiſque paſſim laudatis, ac vulgo ipſi Theologorum in Concluſionibus Theologicis, vel in Sorbona, & Navarra exagitari ſolitis arcte perſuaſum eſt, adeo ut Garnerius in Append. ad Notas in lib. Diurnum affirmare non dubitaverit: *Nunc vero pauci numero, iique ſuſpectæ aliunde fidei, vel non maximæ auctoritatis, Honorium Monotheliſmi damnant*. Age vero, ut ab eo, quod rei caput eſt, initium capiatur. 1. In medium veniant decantata adeo utraque Honorii ad Sergium epiſtola, quas ambas ſi ſano, & Catholico ſenſu tam vere, quam pie exponi poſse, uti confido, contingat, jam hoc nomine Honorius ab hæreſi excuſatus, & abſterſus abibit. Principio igitur, ut illud prætermittam, quod Anaſtaſius Bibl. in præfat. ad Collectanea, & poſt ipſum Arſdekin, tradidit, jure, meritoque in dubium revocari potuiſse, an revera Honorius illam dictaverit ad Sergium epiſtolam, ex qua illum damnandi occaſionem Synodus VI. ſumpſit, an potius aliqua in ea fuerint aſsuta ex Scriptoris ignorantia, aut ex odio quin etiam in ipſum: ut illud quoque præteream, quod Deſiderantius, & poſt ipſum Sommier hiſt. Dogm. lib. 7. cap. 17. conjecturis ſane haud con-

contemnendis ſuadent, epiſtolam Sergii nempe ad Honorium Catholicam fuiſſe, ac poſtea fraude Macarii pſeudo-Epiſcopi Antioch. falſatam, atque ita falſatæ exemplar ex Patriarchii Conſtantinopolit. Regeſto in Synodo VI. fuiſſe productum, quæ falſatio proinde in cauſſa fuerit, cur epiſtolæ Honorianæ Catholicæ alioqui cum ea collatæ ſententia per ſe bona, ac legitima, perverteretur, cujus perinde falſitatis ſpeciem in Sergii epiſtolæ in primis ſex, primo dempto, atque in poſterioribus quatuor a decimo ad decimumquartum Articulis ponunt, poſt quos decimum ſeptimum fraude etiam adjectum affirmant, conjecturaſque ſuas multis confirmant, quibus ego utique ad labem omnem ab Honorii epiſtolis eluendam non indigeo; principio, inquam, obſervatu valdequam digna, quæ de Honorii epiſtolis ſuo in Edicto habet Conſtantinus Imp. *Honorius*, inquiens, *hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſui extitit oppugnator*. Quibus ſignificatum dixit Petrus de Marca apud Baluzium in ipſius vita Honorium pugnantia ſcripſiſſe, atque hinc hæreſim confirmaſſe, illinc oppugnaſſe. Quomodo id! Quia dum de una, vel duabus Chriſti volontatibus taceri vult, atque ita errori favorem impendit, diſerte fidem adſtruit vel unius dumtaxat volontatis humanæ, vel duarum in Chriſto volontatum, Divinæ nempe, & humanæ, atque ita ſimul errorem profligat, fidemque defendit.

Sed enim introſpicere Epiſtolas ipſas juvat, & intereſt, atque in prima ſiſtendo, affirmat porro de una, vel duplici Chriſti operatione nihil hactenus ab Eccleſia definitum: *Non oportet*, inquiens, *ut unam, vel duas Energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare, quas neque Evangelicæ, vel Apoſtolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita, viſæ ſunt terminaſſe*. Heic pauxillum hærendum. Audis Honorium affirmantem ſuo nondum tempore de una, aut duplici in Chriſto D. volontate dogma ab Eccleſia definitum? Igitur etiamſi audires ipſum affirmantem ſimiliter unam dumtaxat in Chriſto volontatem ſibi videri, quia tamen ab hoc dogmate ibidem definiendo ſimiliter abſtinet, neque diſputari in utramque partem de una, vel duplici Chriſti volontate vult, ſententia ſua etiamſi erraſſet, non erraſſet tamen ex Cathedra, ſive ut Pontifex, ſed ut ſingularis perſona, ideoque

que qua Pontifex objecto erroris crimine omnino eſt exonetandus. Quod confirmatur ex eo, quod epiſtolas haſce Honorii ad Sergium tanquam dogmaticas haud habendas eſſe, ſed ut privaras dumtaxat id liquido probat, tum quod private, occulteque ad Sergium fuerint exaratæ, adeout latuerint diu in ſcrinio Patriarchalis Eccleſiæ Conſtantinopolit., ex quo autographa ipſa Latina cum Græca interpretatione erui neceſſe fuerit, ut in Synodo VI. Act. 12. recitarentur. Ignoratæ penitus fuerint in Eccleſia ipſa Romana, quum nullus ante Synodum VI. legatur, qui vel Monothelitica hæreſi aſperſus, vel contra hæreſi hujuſmodi adverſus, vel pro ipſis, vel contra ipſas vocem extulerit, eaſdemque vel defenderit, vel contra oppugnaverit. Ignoratæ pariter fuerint in Eccleſia Africana, ſiquidem quatuor in Synodis Numidiæ ſub Columbo, Byzacena ſub Stephano, Mauritaniæ ſub Reparato, & Carthaginenſi ſub Victore, Guloſo, & Probo, ut habetur in Synodico Pappi cap. 126, & ſeqq., & adparet ex ipſorum Synodicis in Synodo Lateranenſi ſub S. Martino I. Secrer. 2. relectis, duæ in Chriſto D. volontares, & operationes adſertæ leguntur, atque Pyrrho quidem, Sergio, & Paulo irrogatum anathema, Honorii tamen nulla facta habetur mentio. Tum quod præter morem Romanæ tum Eccleſiæ ſacrum epiſtolæ illæ conſcriptæ fuerint, non ante ſcilicet adhibitis vel Cleri Rom. conſiliis, vel Epiſcoporum ad Synodum vocatorum ſuffragiis; quæ ſane ratio agendi ejus deceſſoribus extitit ſolennis nedum, ſed etiam ſucceſſoribus Severino, Johanni, Theodoro, Martino, & Agathoni, a quibus adverſus Monotheliticam hæreſim Synodi adhibitæ ſunt, ut in laudato Synodico legitur a cap. 130. uſque ad 133, & habent Theophanes in Chronog., & Anaſtaſius in Theodoro ſect. 127: unde a Synodo VI. epiſtolæ Sophronii, Sergii, Macarii, aliorumque ſive Catholicorum, ſive Monotheliterum equidem Synodicæ appellantur, non ita Honorii epiſtolæ, ſed tantummodo *Scripta ab eo facta ad Sergium*: in quibus etſi ſimili de re ad Sophronium Hieroſolym., & ad Cyrum Alex. ſcriptæ referantur, & has privatas fuiſſe, unamque præruliſſe ſilentii legem exinde fit manifeſtum, quod alibi earumdem mentionem, exemplarque fruſtra quæras. Tum quod præter morem,

rem, quo Rom. Pontificum efferri decretales Epiſtolæ, dogmaticæque ſolebant, quæ, velut adnotavit doctiſs. Thomaſſinus, *ſingulis pene verbis exſertiſſimam poteſtatem, & juriſdicendi principatum oſtentant, atque adeo parendi neceſſitatem inferunt*, præterquamquod univerſis Epiſcopis ſive ſubſcribendæ, ſive in Diœceſibus evulgandæ dirigi conſueverunt, Honorius in his adhortationis verba adhibet, hortans imo Sergium, ut a vocabulo unius volontatis abſtineat, iccirco quod Sophronius ſe abſtenturum ſimiliter a geminæ volontatis voce ſpopondiſſet: cujuſmodi ſane conditionibus affici dogmaticæ Rom. Pontificum Epiſtolæ non ſolebant. Tum quod S. Agatho poſtea in epiſtola lecta in Synodo VI. Act. 4. aſſeverantiſſime affirmare non dubitavit Prædeceſſorum ſuorum neminem a veritatis tramite unquam deflexiſſe, ſed officium ipſis a Chriſto D. demandatum Fratres in fide confirmandi ſemper ad unum omnes adimpleviſſe. Quod non ita, puto, confidenter pronuntiaſſet, nec ita patienter ſane eidem Synodus auſcultaſſet, niſi & Pontifici, & Patribus eas Honorii epiſtolas non inter Encyclicas utique, dogmaticaſque, ſed in privatarum dumtaxat, ac familiarium cenſum fore referendas exploratum fuiſset. Atque hæc quidem in Melchioris Cani, & Epiſcopi Sueſſionenſis ſententia.

Aſt enim Honorius unam dumtaxat in Chriſto D. volontatem nunquam aſſeruit; vel ſi unam aſſeruiſſe tibi videatur, id aſſertum ſane de una ſolummodo humana ſcias. Enim vero quum hinc Sergius Conſtantinopolit., & Cyrus Alex. unam in Chriſto humanam volontatem negantes, Divinam tantummodo adſtruerent; illinc vero ex adverſo Sophronius Hieroſol., & Arcadius Cyprius duas in Chriſto diſtinctiſſimas volontates adſererent; neque in homine duas aliquando diſtingui volontates doctiſs. Pontifex ignoraret, ſuperiorem ſcilicet, ſive rationalem appetitum, & inferiorem, ſive appetitum ſenſitivum, ſeu animalem, deque poſteriori dicta a S. Matthæo cap. 26. 39: *Non ſicut Ego volo, ſed ſicut Tu*; & a S. Luca cap. 22. 42: *Non mea volontas, ſed tua fiat*, accepiſſe S. Ambroſium, ſicut expoſuiſſe S. Thomam par. 3. q. 18. art. 5. adnotavit Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 12. cap. 14; ea propter Honorio viſum forſitan eſt utrinque fuiſſe er-

ſe erratum ſive a Sophronio, & Arcadio, quaſi duas humanas in Chriſto volontates inducerent; ſive a Sergio, & Cyro, quod duplicem in Chriſto Divinam videlicet, & humanam volontatem inficias irent. Ergo utrique errori ut occurreret, geminam ingreſſus viam, primo ſive ab una, ſive a duplici in Chriſto volontate dicenda abſtinendum duxit, œconomia quadam ſibi agendum ratus, eo vel magis, quod hactenus ab ejuſmodi definitione Eccleſia abſtinuiſset (in quo excuſatione aliquali dignum fuiſſe negari etſi nequeat, nonnihil deliquiſſe tamen neque diffitendum eſt); poſtea tamen ſive de una, ſive de duplici Chriſti volontate diſſerendum adorſus, quæ ſibi eo de dogmate animo ſana inſederet ſententia, ſive quæ Romanæ Eccleſiæ traditio eſſet, in epiſtolis ad utroſque aperit. Ad Sophronium, & Cyrum ſcripta quidem periit, ſed quæ ad ipſos ſcripſerit, in epiſtola ad Sergium exarata, ſatis indicat. Itaque hæc in epiſt. 1. ad Sergium habet: *Confitentes D. Jeſum Chriſtum mediatorem Dei, & hominum, operatum Divina media humanitate, Verbo Dei naturaliter unita; eumdemque operatum humana ineffabiliter* &c. *Ipſe eſt & Carneus effectus plene Deus, & homo* &c. Et infra in epiſtolæ fine dictorum veluti compendium, faciens, *Unum D. Jeſum Chriſtum in duabus Naturis operatum Divinitus, atque humanitus* confitetur, ſecumque confiteri Sergium jubet. Quibus Honorium audiens duas in Chriſto naturas copulatas Divinam, & humanam, juxta S. Leonis M. definitionem in epiſt. ad Flavianum, profitentem; Chriſtum perfectum Deum, perfectumque hominem, juxta doctrinam a S. Agathone deinde in epiſt. ad Conſtantinum Imp. traditam, prædicantem; & Chriſtum D. operatum Divina, & humana, ſive Divinitus, & humanitus, confitentem, quis, rogo, recta conſecutione non arguat, non ſecus atque certiſſime contra Eutychianos arguebant S. Leo, & contra Monothelitas S. Agatho, ab Honorio duas proculdubio in Chriſto diſtinctas naturas, duas volontates diſtinctas, diſtinctaſque operationes duas agnitas fuiſſe, aſſertaſque? Atque hæc quidem liquida de duplici in Chriſto D. volontate Divina, & humana, quibus, adhuc lucem adferent, quæ repetit in epiſt. 2. ad eumdem Sergium.

Jam diſpicienda, quæ de una dumtaxat humana in Chriſto

D. voluntate in eadem 1. ad Sergium epiſtola ſubtexit, ut luce pateat non eſse, cur vel levis Honorio appingatur hæreſis labes. *Unde*, inquit, *& unam voluntatem fatemur D. N. Jeſu Chriſti, quia profecto a Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa: illa profecto, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata*. Quibus verbis non excludit plane a Chriſto D. voluntatem humanam, quatenus pro appetitu rationali accipitur, ſive pro hominis parte ſuperiori, in bonum propenſa, Divinæque prorſus conformi; ſed quatenus pro appetitu inferiori accipitur, qui Originali peccato infectus, ad malum, ſive peccatum facile inflectitur, Deoque difficile obſequitur. Ita enim ipſum optime interpretatus eſt, qui ipſius ſenſum intime noverat, quemque a Johanne Sympono ipſius amanuenſi perceperat, Johannes IV, de quo paullo poſt, cujus etiam interpretationem validiſſimo pro telo adverſus Pyrrhum adhibuit deinde S. Maximus. Atque hanc profecto germanam fuiſse Honorii ſententiam patet etiam cum ex ſcopo, tum ex contextu: Sergius quippe, ſcripſerat, quod qui duas in Chriſto diceret volontates, idem dicere conſequenter cogeretur duas in eodem Chriſto volontates contrarias: cui reſcribens Honorius Chriſtum non duas volontates contrarias habuiſſe docuit, ſed unam dumtaxat, ab ea contradiſtinctam, quæ rationali, Divinæque haud adverſanti, repugnat, qualis eſt appetitivus ſenſitivus a peccato vulneratus, qui teſte S. Thoma par. 3. q. 18. art. 16. volontatis etiam nomine ſæpius efferri ſolet; de quove perinde Honorius loca præcit. SS. Matthæi, & Lucæ uſurpat, nec non S. Pauli verba ad Rom. cap. 7. 25: *Mente ſervio legi Dei; Carne autem legi peccati*: Ex quibus ſubinfert: *Non ſunt hæc diverſæ volontatis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ*. Quaſi diceret difficultatem, quam Chriſtus D. in horto ad Crucem ſubeundam oſtenderat, non fuiſse diffidium, aut luctam Divinam inter volontatem, & humanam, Divinæ reluctantem, ſed humanæ naturæ motum dumtaxat ſuæ diſſolutioni reſiſtentem, ſive naturalem inclinationem, qua ut homo mortem refugiebat. Hinc collatis his, quæ ſive de duabus, ſive de una dumtaxat humana volontate Honorius diſſerit, cum his quibus interea ſive a duabus, ſive ab una volontate dicendis abſtineri vult,

vult, dicendi occaſionem habuit Conſtantinus Imp. ab Honorio idem dogma propugnatum fuiſſe, & oppugnatum: quod poſterius tamen dici hactenus expoſita Honorii germana doctrina non ſinit. Atque hinc fruſtra Tamagninus veritus, ne ob verba illa: *Unde unam volontatem* &c., tam grave Honorio negotium crearetur, ut difficile ab eo depelli poſſet, dicere potius maluit locum a Græcis depravatum fuiſſe, neque ab Honorio dictam *Unam volontatem*, bene vero *Novam* Quamvis enim ſuſpicari liceat Sergium, qui ſic libelli Mennæ ad Vigilium, Vigiliique viciſſim litterarum ad Juſtinianum, & Theodoram, ſicut & Cyrus loci ex S. Dionyſio Areop. tributis libris decerpti, corruptor, & falſator in Synodo VI. compertus, & comprobatus eſt, facile corrupiſſe, & falſaſſe haſce Honorii litteras; atque reapſe S. Maximus in epiſt. ad Marinum de hujuſmodi corruptione, & falſatione ſuſpicionem haud levem induerit, referens ſe accepiſſe ab Anaſtaſio Abbate, hunc vero a Johanne Sympono, qui Honorii juſſu hanc exaraverat epiſtolam, ipſum *Nullo modo mentionem feciſſe unius omnimodis volontatis*, fruſtra in id, inquam, adlaboravit: præter enim quam, quod tum Johannes IV. in Apologia pro Honorio, tum Anaſtaſius in præfat. ad Collect. locum illum Honorio adſcribunt, ac idemmet S. Maximus deinde eadem in epiſt. hac exceptione dimiſſa, in id incubuit, ut verba illa *Unam volontatem* &c. ſenſu Catholico exponeret, ex hoc loco Honorii cauſſa magis quam periclitetur, egregie defenditur, &, uti ajebam, validius propugnatur.

Cedo nunc mihi ſecundam Honorii ad Sergium epiſtolam, ex qua juſtum de integra Honorii fide judicium ferri, jamque factum confirmari confido. In ea igitur S. Leonis M. ipſiſſima verba in epiſt. ad Flavianum uſurpans, propriaque faciens, hæc circa finem habet: *Non unam, vel duas operationes in Mediatore Dei, & hominum definire, ſed utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, & Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & humanam, quæ carnis ſunt exſequentem.* Conferantur hæc, quæſo, cum hac S. Leonis periocha in epiſt. præcit., liquidoque conſtabit eumdem in utriuſque verbis ſubeſſe ſenſum: *Agit utra-*

utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, Carne exſequente, quod Carnis eſt. Quumque indubium ſit, quod vel Cyrus ipſe in epiſt. ad Sergium confeſſus eſt, a S. Leone præfatis verbis hæreſim Monotheliticam præfocatam in Eutychete fuiſſe, adeo ut eadem poſtea verba ad Monothelitas confodiendos uſurpanda duxerint Sergius Cyprius in epiſt. ad Theodorum Papam, Victor Carthag. in Synodica ad eumdem Pontificem, S. Martinus I. in allocutione ad Synodum Later. Secret. 1, S. Agatho in Synod. ad Conſtantinum Imperat., Sedis Apoſtolicæ Legati ad Synodum VI, ac Synodus ipſa Act. 2, ac 10, & in definitione fidei, ex eiſdem proinde verbis ab Honorio uſurpatis certiſſime licet concludere, eum neque latum unguem a S. Leonis aberraſſe ſententia, ideoque quammaxime a Monothelitica abfuiſſe hæreſi. Proſequitur Honorius, atque poſtremis hiſce verbis claudit epiſtolam: *Auferentes ergo ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare; ſed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum Operatorem Chriſtum D. in utriſque naturis veridice confiteri; & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potius duas naturas, ideſt Divinitatis, & carnis aſſumptæ, in una perſona Unigeniti Dei Patris, inconfuſe, indiviſe, atque inconvertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes.* Quibus verbis plane Honorius videri poteſt ludere, ut ita dicam, voluiſſe, ac ſecummet dimicaſſe, dum videlicet ſive unam, ſive duas in Chriſto operationes definire non vult, interea tamen duas naturas diſtinctim operantes qua Divina, qua humana diſerte confiteri debere adſerit. Quod quid aliud eſt, amabo, quam duas in Chriſto operationes Divinam, & humanam adſtruere? Atque ad utrumque hunc locum forſitan etiam Conſtantinus Imp. reſpexit, quum dixit Honorium ſibimet non cohærere, & conſtare, dum ſcilicet diſerte id profitetur, & prædicat, quod ſilentio ſatius prætereundum putat. Viden interea, ut unius operationis opinionem non ſuam utique Honorius hoc loci faciat, ſed aliorum quorumdam a ipſo referatur; qui dum viciſſim œconomiæ, ac diſpenſationis cujuſdam cauſsa a duplicis etiam operationis uſurpatione abſtineri vult, rem ipſam tamen apertiſſime adſtruit? In

eo

eo Monothelitici erroris ſumma ſita erat, quod ſiquidem in Chriſto unam dumtaxat eſſe perſonam doceat fides, unicam pariter exinde dimanare operationem Monothelitæ pugnabant, veluti liquet ex ratiociniis ab iiſdem adhibitis, a Sergio in epiſt. ad Cyrum, a Pyrrho in defenſ. Cyri in Synodo Later. Secr. 3, a Themiſtio in epiſt. ad Marcellinum, & Stephanum ibid., & in Synodo VI. Act. 10, & a Macario ibid. Act. 11. Hoc igitur hæreſis fundamentum Honorius impetens, falſumque oſtendens, duo affirmat, unum quidem dumtaxat, operatorem eſse Chriſtum D., duas tamen in eodem inconfuſe eſse naturas, atque non perſonæ, ſed naturæ proprietatem eſse operationem: quod quid aliud, obſecro, eſt, quam ex gemina natura geminatas operationes neceſsaria conſecutione concludere? Quemadmodum eodem adverſus Monothelitas argumento feliciter uſi ſunt in Concilio Later. S. Martinus I, & Maximus Aquilejenſis, ac deinde S. Agatho in Synodica ad Imperatores.

Conferunt ad Honorii orthodoxiam confirmandam tam facta inſignia, quam idonea Teſtimonia. Inter facta egregium eſt illud, quod Fauſtus Naironus in diſsert. de Orig., & Relig. Maronitarum §. 14, & ſeq. refert ex hiſtoria Arabica Latine reddita a Quareſmio in dilucid. Terræ S. cap. 33, ex alioque Codice Mſ. Syriaco, cujuſque hiſtoriæ veritas confirmatur a Jo: Cervera in ſuo Itiner. Hieroſolym. cap. 27, nempe Maronitis efflictim rogantibus, ut ſibi in Patriarcham Johannem Monachum, ob egregia merita dictum Maronem alterum, præficeret, Honorium non antea ipſorum feciſse votis ſatis, quam tum primo Legati ſui opera Antiochiæ degentis in ipſius fidem diligenter inquiſiviſset, ac tum perinde Romæ, quó cum Legato ille profectus fuerat, Synodo coram per ſemet de ipſius fide periculum feciset: quem a Monothelitica hæreſi maximopere abhorrentem compertum, Patriarchali dignitate adauctum remiſit Antiochiam, ubi Jacobitarum ingentem multitudinem ad orthodoxam fidem traduxit. Anno porro circiter 635. Johannes Maro inauguratus eſt, ſub eo ſcilicet temporis intervallo, quo ſuas Honorius ad Sergium inſcripſit epiſtolas, quarum 1. an. 634, & 2. an. 636. exarata eſt. Tum itaque temporis integerrima Honorii fides erat, ab omnique vel levi hæreſis ſuſpi-

ſuſpicione libera; quam deinde labefactatam fuiſse, nihil eſt profecto, quod vel leviter indicet. Factum alterum nunc accipe, quale refertur a Cedreno, Theophane, & Zonara, pro quorum fide tamen me vadem prorſus ſiſtere nolim. Scilicet auctores ſunt a Sophronio miſsam adverſus Monothelitas Synodicam a Johanne P. M. in Synodo probatam fuiſse. Viciſſim autem ab eodem Pontifice improbatam ſacram ab Heraclio Juſſionem adverſus Paulum Severianum editam de una dumtaxat volontate in Chriſto dicenda. Quod utrumque quum Imperator accepiſset, a Johanne Papa videlicet Sophronii decreta recepta, ſuam vero Divalem rejectam, pudore ſuffuſum, neque emiſsam reſcindere Juſſionem volentem, neque exprobrationes ſuſtinere valentem, Ecthesi ſanxiſse, ut ab una æque, atque a gemina volontate in Chriſto dicenda abſtineretur: quod ipſum refert Auctor vitæ S. Maximi Abb. Jam vero, quæ de Johanne Papa heic referuntur, ad Honorium potius referenda fore temporis ratio ſuadet. Nam Honorius a die 27. Octob. an. 625. ad diem 12. Octob. an. 638. Pontificatum geſſit, teſte Anaſtaſio. Sophronius an. 634. Synodum adverſus Monothelitas habuit, ex qua ad Pontificem M. Synodicam tranſmiſit; anno 636. rurſus Legatum Stephanum Doren. Romam direxit; atque tandem anno 637, aut inſeq. mortalitatem explevit, teſtibus Nicephoro in Chron., & Theophane in Chronog. Heraclius Juſſionem adverſus Paulum Severianum edidit an. 626, teſte Sergio in epiſt. ad Honorium, quo anno Conſtantinopoli habita ab eodem Sergio pſeudo-Synodus eſt, quæ cum altera Conſtantinopoli pariter an. 633. confundi non debet, ex qua ad Honorium de ſententia interrogatus Sergius reſcriptum dedit: ex quibus adparet id totum ſub Honorii tempus contigiſse; cujus poſtremo anno 638, ut oſtendit Pagius ad an. inſeq. n. 2, Ecthesis Heraclii evulgata eſt, ab Honorii ſucceſsoribus damnanda. Etſi vero Eruditorum vulgus neget ullam ſub Honorio Synodum Romæ habitam, ut mox tamen ex Nairono obſervabam, ob Johannis Maronis cauſsam an. 635. Honorius Synodum habuit, aut ſi malis, Cleri Rom. Conventum celebravit. Igitur, ſi conjecturis indulgere licet, ea in Synodo, ſive Cœtu lectis Sophronii Synodica, & Heraclii Divali, illa quidem probata eſt, hæc vero reprobata: quamvis

vis ſcandali vitandi, ſchiſmatiſque cauſa fieri potuerit, ut ab Honorio utrinque de una, duabuſque in Chriſto volontatibus diſputari fuerit vetitum: donec a Sophronii Legato Stephano Dorenſi quum accepiſſet neque Sergium, neque Cyrum præſcripto ſtetiſse ſilentio, fide ſoluto Sophronio facultatem ultro fecerit duas in Chriſto prædicandi libere volontates.

Ad Teſtes nunc accedendo, qui tam vere, quam pie Honorium ab omni prorſus hæreſis labe, ſuſpicioneque liberant, principio, ſi argumento negativo vis aliquando ineſt, tum profecto ineſt, quum de re adeo gravi agitur, & ab iis certe, qui cetera geſta ad eamdem rem pertinentia exacte proſequuntur. At in his de Honorio ne levem quidem ſuſpicionem excitaſse leguntur ſive ex Græcis Theophanes, Georgius Monachus, Zonaras, & Photius; ex Latinis vero Paulus Diacon., Hugo Floriac., Otto Friſing. Gofridus Viterb., Conradus Urſperg., Blondus, Platina, Sabellicus, aliique. Viciſſim autem Honorium diſerte ab hæreſis ſuſpicione vindicant ex ipſius ſucceſſoribus Johannes IV, qui in Synodo an. 641. Apologia pro Honorio adornata, & ad Conſtantinum Imp. miſsa tam probum in ſenſum Honorii epiſtolas ad Sergium interpretatur, quam in pravum inflectentes Monothelitas inſequitur. Cui eo magis fides adhibenda, quod ab ipſo homonymus Symponus, qui Honorio fuerat ab epiſtolis, de Honorii interrogatus ſententia, rectam ipſi inſediſse reſponderat. S. Martinus I, qui in Synodo altera damnatis Monothelitarum Promachis, quum hæreſis quoque nomine Honorio litem a Paulo Conſtantinopolit. in epiſt. ad Theodorum Papam motam percepiſset, hujuſmodi criminationem Secr. 4. nedum negando amovit, ſed accuſatorem acriter objurgando, eſt amolitus. Putaſne vero aut Paulum ab urgenda accuſatione fuiſse ceſsaturum, quam præ manibus Honorii ad Sergium litteras habens promovere poterat, aut Pontificem id auſum, ut de calumnia accuſatorem redargueret, ſi hæreſis ſuſpicione vel levi aſperſas Honorii litteras habuiſset? S. Agatho, qui e Synodo Romana ſimiliter habita datis ad Imperat. litteris Monothelitarum Anteſignanis infamiæ dicam conſcripſit, de Honorio vero nihil damnatione dignum habuit, quin ex ſuis deceſſoribus nullum unquam a fide deflexiſse confidentiſſime adſeruit:

adſeruiſset ne vero adeo confidenter, ſi vel levi ſuſpicione laboraſſet Honorius? Quo circa manifeſti erroris convincitur Melchior Canus, dum lib. 6. cap. 8. damnatum Honorium a S. Agathone in Synodo Rom., hæreſiſque nota ſignatum in epiſt. ad Synodum VI. ſcripſit, ſiquidem damnationis hujuſce ſive in Synodo, ſive in epiſtolis ne veſtigium quidem ſit reperire. Quo vero pacto dicta intelligi debeant S. Leonis II, & Hadriani II, infra dicetur. Ad hæc Honorii orthodoxiæ teſtes accedunt, & vindices Scriptores ætate coævi, & auctoritate inſignes, quibus Honorii fides, & geſta perſpectiſſima fuere. S. Sophronius Hieroſolym., qui, ſi fides adhibenda vetuſtiſſimo Codici Vaticano Arabice ſcripto, Hieroſolymitanæ Synodi acta ſub Sophronio referenti, ad refellendam calumniam, qua Cyrus Honorium ſecum, ac cum Sergio in ſententia ſtetiſſe ſcripſerat, conſtanter ſibi, non Cyro, nec Sergio, Honorium in Catholico dogmate conſenſiſſe defendit: *Ibi*, inquiens *etiam egimus de rationibus, & argumentis, quæ ex auctoritate pro ſe objectabat Cyrus, nimirum Honorium Papam Romæ, & Sergium in eadem eſſe cum ipſo ſententia: quod conſtanter de Honorio inficiabatur Sophronius*: Cui ſane ex litteris deperditis ejuſdem orthodoxia exploratiſſima evaſerat. Stephanus Dorenſis plus vice ſimplici Romam profectus auxilium a Pontificibus adverſus Monothelitas imploratum, Africani quoque Provinciarum quatuor Primates ad Pontifices per Synodicas accedentes, ut ipſorum zelum, & operam ad hujuſce deſtructionem hæreſis accenderent, in Apoſtolica Sede *Orthodoxorum dogmatum fundamentum* exſiſtere ille quidem affirmare non dubitavit, iſti vero *Indeficientem fidei fontem* ibidem conſiſtere confirmare non hæſerunt: quæſo vero, confidenter ne id affirmaſſet ille, confirmaſſent iſti, ſi vera, recenſque Honorii lapſus viguiſset memoria? Johannes Symponus apud Johannem IV, & S. Maximum, qui ut Honorio in exarandis ad Sergium epiſtolis calamum accommodaverat, intimam ejus ſententiam attigerat, non duas Divinam, & humanam negatas ab Honorio volontates teſtatus eſt, ſed duas contrarias duntaxat mentis, & carnis. S. Maximus Abbas, & Martyr, qui in diſput. cum Pyrrho in Bibl. PP. Lugd. tom. 12. pag. 502, & apud Baronium in Append. tom. 8. vet. edit. pag. 779, edit. nov.

nov. Luc. tom. 11. pag. 645. Johannis IV. in Apolog., cujus ſuam facit interpretationem, & Johannis Symponi teſtimonio innixus putidiſſimi Pyrrhum mendacii arguit Monotheliticam Honorio affingere hæreſim auſum; quorum ſimilia etiam ſcripſit in epiſt. ſive ad Marinum Presbyt., ſive ad Petrum Illuſt. apud Combeſi. ſium tom. 2. Oper. Anaſtaſius Bibl., qui in præfat. ad Collect. tum de dictata ab Honorio epiſtola ad Sergium dubium, litemque movet, atque de illa, ſi genuinus Honotii eſt fœtus, rectum fore judicium ferendum oſtendit, tum Johannis IV, & S. Maximi auctoritate ab Honorio hæreſis labem omnem depellit; tum demum in hiſt. ex Leone Iſauro tradit Honorium nonniſi Græcorum invidia, & dolo in Synodo VI. Monothelitis fuiſse adcenſitum. Atque horum veſtigiis inhærentes Honorium ab hæreſis labe omni abſterſerunt viri doctiſ. Emanuel Caleca in lib. adv. Græcor. errores in Bibl. PP. Colon. tom. 16, Lugd. tom. 26. pag 383, Jodocus Coccius in Theſaur. de Eccl. Hierar. cap. 13, Johannes Lovan. in tract. de perpet. Cathedræ S. Petri protectione, Genebrardus in Chronolog., Hoſius lib. 2. contra Brentium, aliique in decurſu paſſim laudati.

Ita ab hæreſis labe Honorio expurgato, inquirendum jam manet, quid porro cauſſæ fuerit, cur nihiloſecius hoc nomine a Synodo VI. damnaretur, ejus a ſacris diptychis memoria deleretur, dignæque, quæ flammis abolerentur, ejuſdem epiſtolæ dijudicarentur; quod perſcrutandum 2. loco propoſueram. Equidem ſunt, qui Honorium ab hæreſis culpa non modo vindicant, ſed vel a labe omni leviter exinde contracta, quod vel hæreſi patrocinatus ſit, & favorem impenderit, vel quod pro officio fidem non propugnaverit, ac in fidei defenſione ſegnius, quam par fuiſſet, ſe geſſerit: neque ſane gravia deſunt monumenta, quibus id probabiliter conficiant. Prudentiſſimo enim conſilio nomina unius, vel duplicis in Chriſto volontatis prohibuiſſe videri potuit; ſiquidem neque adhuc quid quam hiſce de nominibus ab Eccleſia definitum eſſet, atque ex unius præ altero horum nominum uſurpatione grave Eccleſiæ incommodum poſſet ingruere: unam enim volontatem Cyro, & Sergio propugnantibus, duas vero Sophronio, & Arcadio Cyprio defendentibus, exinde graviſſi-

viſſimum erumpi ſcandalum, exoritique ſchiſma poſſe exiſtimare jure, extimereque poterat. Ad hæc Neſtorii, Eutychetiſque ſectas, & hanc Heraclii Imp., & illam Coſroæ Perſarum Regis patrocinio in Oriente invaleſcere in dies intelligens, ne ab unius operationis voce Eutychianam, ne a duplicis uſurpatione Neſtorianam vires accipere majores contingeret, contentionis materiem de medio auferendam arbitratus, tum Sergio ab unius, tum Sophronio a duplicis volontatis abſtinendum vocabulo indixit in epiſt. 1. ita ſcribens: *Ne aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos, Nos veſana ſapere arbitrentur: aut certe, ſi rurſus unam operationem D. N. Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* In ſpem quin etiam, quam ei fecerant quammaximam Sergius, & Cyrus pollicentes, quod ubi dici aliquo modo permitteretur una dumtaxat in Chriſto operatio, ingenti Neſtoriani, Eutychianique numero ad Eccleſiæ unitatem revocandi eſſent, in ſpem, inquam, erectus fore tandem, ut Oriens a vetuſtis erroribus ad fidei integritatem regrederetur, indulgentia, & diſpenſatione utendum hac vice ratus, ſummoque recedendum a jure, in unius, aut duplicis operationis ſuppreſſionem conceſſit; eoque magis, quod nova hæc opinio commodæ interpretationi tum adhuc obnoxia eſſet, utquæ nedum ab Eccleſia fuiſſet eliquata; atque integram alioquin his abſque vocibus ſervari fidem poſſe haberet perſuaſum. Cujuſmodi ſane œconomiæ ſpeciem in pari Schiſmatis cauſſa probatam, laudibuſque celebratum nec ignorabat a S. Auguſtino lib. 3. adv. Parmen cap. 2, & a S. Gregorio M. in Paſtorali cap. 4; quibus poſtea ſuffragari non dubitavit S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 11; factoque ipſo prius traditam a SS. Athanaſio, & Epiphanio, SS. Baſilio lib. 1. contra Eunom, & Gregorio Nazian. in ejus Orat. funebri, qui vel a dicendo Patre *Ingenito* caute abſtinuerunt, vel circumſpecte de Spiritus S. Divinitate loquuti ſunt, ne potius quam ædificari fideles, obfirmari magis in errore hæreticos obtingeret. Hinc effectum, ut non deeſſent Viri doctiſſ., velut Anaſtaſius, Arſdekin, Baronius, Bellarminus, Duvallius, Deſiderantius, Spondanus, Sommier, Marcheſius, Aguirrius, Rocaberti,

ti, Cavalcanti, Bartholus &c., qui eam in opinionem abirent, ut errore facti deceptam Synodum VI, ſuæque poteſtatis limites prætergreſsam dicerent, dum in Honorio diſpenſationem hanc, agendique rationem ſapientiæ plenam anathemate plectendam adorſa eſt. In quo quidem errore facti diverſimode expoſito a diverſis non eſt cur diutius immorer, poſtquam diverſas adhibitas a diverſis limitationes, exceptioneſque pag. 382, & ſeqq. luculenter explicui.

Ex quibus præ aliis valde probabilis eorum opinio evadit, qui a Synodo VI. de Honorii epiſtolis inſtitutum fuiſse judicium putant criminale dumtaxat ex ſenſu præſumpto, reſpectu nempe habito ad Sergii epiſtolas manifeſte hæreticas, non ad verba, quæ rectum alioqui præſeferunt: in quo quidem judicii genere errore facti Synodum VI. errare potuiſse abſque piaculo dici poteſt, reque ipſa erraſse plerique ex illis tuta fide dixerunt. Cujus erroris conjecturam exinde capiunt, quod Synodi Patres Act. 13. hanc ſibi proferendæ in Honorium ſententiæ rationem propoſuiſſe leguntur: *Eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt*. Plus igitur reſpexiſse illos ad epiſtolam Sergii, atque ex hac de Honorii pari ſententia præſumpſiſse, quam ad ipſius Honorii epiſtolas, adparet. Nam Honorius alioqui diſertis verbis duas in Chriſto volontates dixerat, & dum unam dumtaxat volontatem dixit, id dixit de una dumtaxat humana. Deinde etiamſi anceps, dubiuſque in epiſtolis extitiſset, potius quam in deteriorem, in probum, uti Pontificem decebat quammaxime, inflecti ſenſum debebat. Nec imo fuiſse, cur de fide Honorii fortaſse dubitaretur, multoque minus damnaretur ob indictum de una, aut duplici volontate ſilentium, inde ſuadetur, quod de Sophronii fide nihil profecto fuerat dubitatum, quamvis hoc idem ſilentium, quod per id temporis utile videbatur, pariter fuiſset amplexus, ſervaſsetque plane, modo pactum non violaſsent Sergius, & Cyrus, uti liquet ex epiſtolis tam Sergii ad Honorium, quam Honorii ad Sergium. Injuſte igitur ex hoc capite hæreſis accuſatus Honorius eſt, condemnatuſque. Ex altero quin etiam capite infirma, & irrita a Synodo VI. in eum jaculata ſententia oſtenditur.

In id

In id enim incumbendum Synodo erat, ut diligenter inveſtigaret, an ejuſmodi epiſtolæ ab Honorio revera fuiſſent conſcriptæ, an ab hæreticis forte confictæ, de quo valdequam dubitaſſe Anaſtaſium vidimus. Earumdem enim autographum non ab Eccleſiæ Rom. tabulario, ut oportebat, ſed ab uno Carthophylacio Eccleſiæ Conſtantinopolit. depromptum, & quidem a Macario Antioch. pertinaciſſimo Monothelita productum in medium. Nec etiam, ut fuiſſet par, ad Latini autographi fidem Græca litterarum Honorii interpretatio ſatis exacta fuit, ſed unus Johannes Portuenſis Epiſcopus Latinum authenticum cum Græca verſione collatum concordare teſtatus legitur, in ejuſque unius teſtimonio Græcos Epiſcopos requieviſſe conſtat ex Act. 12. Nec alii præterea adhibiti teſtes fuerunt, qui de adornatis ab Honorio autographis, aut de ſubſcriptione ab Honorio ſaltem appoſita deponerent, qui ſane Roma accerſiri debebant, ubi tam Honorii exploratiſſimæ res erant, quam Romanos fidei retinentiſſimos fuiſſe ſemper plurimo experimento conſtabat. Præterea a Synodo VI. prolatam in Honorium ſententiam nedum ex falſo ſuppoſito crimine injuſtam fuiſſe propugnant, ſed ex defectu quin etiam juriſdictionis irritam fuiſſe, & invalidam. Conſtans enim, & certum eſt Romanum Pontificem Synodi non ſubjacere judicio, multoque minus Synodo VI. Honorium ceu hæreſis crimine obſtrictum anathematis vinculo obligare licuit, poſtquam a Johanne IV, a S. Martino I, & a S. Agathone ab omni certe criminatione fuerat abſolutus, Pontificibus MM. nempe inſciis, aut invitis.

Neque vero conſcios, ac conſentientes fore exputandos ſubinferunt ſive S. Leonem II, dum in epiſt. ad Conſtantinum Imp. Synodi VI. geſta confirmavit, & in epiſt. ad Hiſpanos Epiſcopos ejuſdem Synodi geſta ipſorum ſuffragio communienda tranſmiſit, quaſi nempe ejaculatam ſimiliter a Synodo in Honorium ſententiam comprobarit; ſive Hadrianum II, dum in allocutione ad Synodum Roman. inſerta Synodo VIII. Act. 7. a Synodo VI. damnatum Honorium, damnarique ob hæreſis cauſſam potuiſſe dixit. Nam alii quidem S. Leonis epiſtolas illas aut fuiſſe dolo confictas, præſertim ad Hiſpanos inſcriptas, exiſtimant, aut fraude interpola-

polatas, præſertim ad Conſtantinum Imp. exaratam, e qua ſi periocha de Honorio dematur, pronior fluet oratio, ac prioribus aptius poſtrema conjungentur; neque veri perinde ſit ſimile, ut Pontifex Epiſcopos Synodi VI, e quibus tres, & quadraginta, annis poſt undecim, adjunctis paris ingenii Sociis Canonibus in pſeudo-Synodo Trullana Romana ab Eccleſia improbatis operam impenderunt, neque alii defuere, qui hæreſis Monotheliticæ ſuſpicione laborarent, SS. Eccleſiæ Patribus, ac Doctoribus æquiparare, adcenſereque voluerit, ita Baronius, & Bartholi; alii vero (ne illud dicam, quod aliqui dicere non dubitarunt eidem pariter errori facti, quo Synodus VI. fuit decepta, quove perinde S. Leo fidem eidem Synodo adhibens deceptus fuit, id totum dictum fore deputandum) alii, inquam, ut Lupus, & Cabaſſutius, hanc ideo Honorii damnationem Græcis non denegaſſe S. Leonem, ſive diſſimulaſſe, benigna diſpenſatione ſibi utendum ratum, conjiciunt, ut a Græcis invidia graviſſime percitis, ægerrimeque ferentibus tot ſuis e Patriarchis, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum ignominiæ perpetua nota inflictos, hæreſiſque probro fœdatos perſpicere, ac propterea niſi una cum illis Honorium pari dedecore affectum viderent, quo ſolatium aliquod haberent, in apertum facile ſchiſma prorupturis, malum imminens averteret & procul amoveret. Hadrianus vero, præterquamquod a ſolis Orientalibus Honorium damnatum dixit, unde Occidentales eidem damnationi non adquieviſſe ſatis indicavit, ideoque adhæſionis hujuſce defectu intercedente damnationem in irritum ceſſiſſe; ac præterquamquod id unum dixit Orientalibus fas utique fuiſſe Honorio ob ſolam hæreſim reſiſtere, ac pravos ejus libere ſenſus reſpuere, non etiam licuiſſe anathematis ſententia in eum animadvertere; dixit quinimo neque Synodo fas id fuiſſe abſque prævia Apoſtolicæ Sedis auctoritate, quæ num intervenerit, ſane non exprimit; atque ſi interveniſſet: ea certe a S. Agathone fuiſſet adhibita; ſed adhibitam fuiſſe, quamvis auguratus ſit Lupus, nullibi liquido conſtat, quin potius deceſſorum ſuorum nullum a fide deflexiſſe conſtanter adfirmaſſe S. Agatho legitur. Cujus demum Legati ſi in Synodo VI. contra attentatum adverſus Honorium non reclamarunt, una in cauſ-

cauſsa fuit vel eorum fœda deſidia, qua meticuloſe ceſserint Græcis, una cum Sergio ſuo, quem mirifice colebant, ſententia damnationis perſtrictum Honorium volentibus; vel prudens diſpenſatio, qua pro plurimorum ſalute Honorium immolari, Eccleſiæque univerſæ pacem unius hominis honori prætulerint, utpote qui aliquid etiam cauſsæ dediſset, permittendum duxerint.

Abrupta tamen, & aſpera nimis hæc defendendi Honorii via aliis videtur, fatentibus haud facile Honorium a culpa prorſus omni expurgari poſſe, atque quin etiam gravis Rom. Pontificibus, & generalibus Synodis irrogetur injuria. Principio enim non uno peccatum ab eo videtur modo; atque levitate quidem; qua nempe in epiſt. 1. ad Sergium aſseveranter ſcribit ex Dei Verbo, ſive ſcripto, ſive tradito haud conſtare, num una an duplex in Chriſto dici volontas debeat; ſed ex Doctoribus nonnullos dumtaxat *Balbutiendo ad informandas parvulorum mentes* his uſos fuiſse vocibus; exinde inferens voces duplicis volontatis, utpote novas, & recenter inductas, *Dei Eccleſiis ſcandala generare*, ideoque refutandas eſse, & Grammaticis relinquendas; qui vero hujuſmodi delectantur vocibus, eos *Vanos naturarum ponderatores, & otioſe negotiantes* nuncupare non ambigit, atque horum ſimilia repetit in epiſt. 2. Sed enim certo eſt certius ex S. Scriptura, ex SS. Patribus, & ex Conciliis duas in Chriſto D. volontates confitendas eſſe. Diſertiſſime id docuit S. Leo M. in dogmatica ad S. Flavianum; id Concilium Chalcedonenſe duas adverſus Eutychem in Chriſto naturas definiens; id S. Sophronius centum, ut ipſius habet Synodica ad Sergium, aut etiam ſexcentis, duobus in libris hac de re elucubratis, uti legitur in Synodo Lateran. Secr. 2, Patrum ſententiis productis; id S. Martinus I. in præcit. Later. Synodo Secret. 5; id Synodus VI. demum Act. 4, 8, 10, & 18, adeo ut non balbutiendo, ſed diſerte docendo a Patribus, & Conciliis id dictum fuerit. Quis igitur patienter illum ferat affirmantem, quod duas in Chriſto D. volontates dicere novum, vanum, otioſum, & grammaticale ſit, ex quo Concilii Chalcedonenſis de duabus in Chriſto naturis inconfuſis, indiviſis, & impermixtis definitio, atque Apollinariſtarum, Eutychianorumque damnatio pendebat; atque qui veritatem de una, vel gemina in

na in Chriſto volontate indagarent, eos audire appellatos *Grammaticos*, *vanos naturarum ponderatores*, *otioſe negotiatores* &c.? Quo nomine ſane nuncupandi non erant, nec erunt S. Johannes Eleemoſynarius, S. Sophronius Hieroſolym., Arcadius, & Sergius Cyprii, Stephanus Dorenſis, S. Maximus Abbas, Victor Carthag., Stephanus Byzacenæ, Columbus Numidiæ, Reparatus Mauritaniæ Primates, Guloſus, & Probus Afri, Pontifices ſummi Severinus, Johannes, Theodorus, Martinus, Agatho, qui pro defenſione litterarum S. Leonis, & definitione Synodi Chalcedonenſis, pro dogmate nempe duplicis in Chriſto volontatis tot laboribus, tantoque ſtudio deſudarunt.

Nec etiam a negligentiæ culpa excuſandus videtur Honorius, quæ in cauſſa fidei culpa eſt depoſitionis, quin etiam damnationis pœna plectenda: ſiquidem par culpa ſit cenſenda ejus, qui errorem docet, & diſſeminat, atque ejus, qui non debet, & diſſimulat, & non damnat, & tacet, & tolerat. Ita enim exiſtimarunt S. Cæleſtinus I. in epiſt. 21. edit. Cout. ad Galliarum Epiſcop. cap. 1; S. Leo M. in epiſt. 18. edit. Baller. ad Januarium Aquilej.; S. Felix III. in epiſt. 1. ad Acacium, qui locus perperam a Gratiano 23. Q. 1. Anaſtaſio II. tribuitur; S. Martinus I. Secret. 2; Innocentius III. in Concilio Later. IV. Cap. 3. de *Hæreticis* in fine, Decret. lib. 5. tit. 7. cap. 13. §. 8; Honorius, & Theodoſius Imperat. in Reſcripto ad Aurelium Carthag.; Victor Carthag. in Synodica adTheodorum Papam; & S. Theodorus Studites in epiſt. ad Monachorum Præpoſitos. Quam proinde in negligentiæ culpam Honorium vocare non dubitarunt Pontifices ipſi recens inaugurati, in 2. fidei profeſſione poſt Synodum VI. fieri ſolita, quæ legitur in libro Diurno ab Holſtenio, ac deinde a Garnerio edito, Honorium ſegnitia ſua Monothelitis fomentum impendiſſe, ideoque cum Monothelitis damnatum fateri non veriti. Quamquam non deſint, ſive qui dubitent inſititia eſſe, quæ ibidem de Honorii damnatione feruntur, Garnerio in præfat. fatente quædam libro fuiſſe adſcripta, quæ adulterinam manum indicent, ſive qui ſuſpicentur eam fidei profeſſionem a quopiam Patriarcha Orientali ad Pontificem miſſam potius, quam a Pontifice ipſo emiſſam fuiſſe, ut quæ Græce magis, quam Latine ſcripta videa-

tur, atque diversa sit ab ea, quæ brevior a Sæculo IX. a Pontificibus emitti consuevit, referturque ab Ivone in Decreto par. 4. cap. 132, a Gratiano Can. 8. *Sancta octo* dist. 16, & a Baronio ad an. 869. n. 59. ex Codice Ms. Antonii Augustini, quam hic acceptam ex libro Diurno asserit. Negligentiæ pariter Honorium redarguit S. Leo II. in epist. ad Constantinum Imp., quod silentio nempe suo Apostolicæ Ecclesiæ puritatem maculari permiserit, & in epist. ad Ervigium Regem, & Hispan. Episcopos, quod desidiose Monotheliticam incipientem hæresim subito non suffocarit, sed negligendo confoverit; & immaculatam traditionis regulam suis a Prædecessoribus acceptam maculari conseruserit. Ob id Hadrianus II. in epist. e Synodo Rom. ad Synodum VI. haud negavit, quin Orientalibus fas fuerit Honorio obsistere, idest ob favorem hæresi impensum obtrectare. Eodem sensu etiam suo in Edicto Constantinus Imp. dixit Honorium desidia, silentio, & dissimulatione hæresim confirmasse, quod, ut par erat, pro officio eam non profligasset. Nec Honorii negligentiæ patrocinatur studium, spesque pacis, in quam assurrexerat fore, ut hac dispensatione, sive dissimulatione Nestoriani, Eutychianique ad Ecclesiam reducerentur: non enim eum fugiebat tam a S. Cælestino, & Concilio Ephesino damnatum Nestorii dogma de duplici in Christo persona, quam a S. Leone, & Synodo Chalcedonensi dogma Eutychetis de una dumtaxat in Christo natura; nec etiam ignorabat semel asserto, stabilitoque dogmate de duabus in una persona naturis, suapte veluti profluere dogma de duabus in eadem persona volontatibus, & operationibus: non ei igitur sub quovis prætextu, obtentuque pacis erat sive tacendum de duplici volontate, sive tolerandum unam dumtaxat volontatem dici: siquidem eo silentio, eaque simulatione fides de duabus in Christo naturis recta peteretur.

Quod vero rei caput est, peccatum ab Honorio conniventia videtur, ut qui in utraque epistola nec sibi satis cavit a Sergio, homine ad artem fallendi apprime composito, sed ejusdem imo consiliis nimis imprudens consensit, ejusque calumniis nimis præceps credidit. Suggessit Sergius unius, vel duplicis volontatis voces novas esse, veteribus ignotas: id Honorius non repulit, sed

ſed admiſit. Subjunxit Sergius duplicis volontatis intruſione, Sophronium ingentibus diſſidiis ortum feciſse, nec ullo Patrum teſtimonio novum inventum communiviſſe: id Honorius non reſpuit, ſed adoptavit. Confinxit Sergius Vigilio contrariam de una in Chriſto volontate inſediſse ſententiam, idque liquere ex libellis cum Mennæ, tum Vigilii ubique locorum evulgatis: Honorius nec impoſturam detexit, nec probrum Vigilio impactum abſtulit. Commonefecit Sergius a Cyro Alex. Eutychetis, & Dioſcori, Severi, & Juliani ſectatorum unionem procuratam ope Capit. 7, quo una Chriſti operatio fuerat definita: Honorius nec iniquum fœdus exhorruit, nec hæreticum Capitulum abrogavit. Miſcuit Sergius quædam fidei adverſa fronte contraria, & quædam in S. Leonis, Synodique Chalcedonen. injuriam conflata: Hæc Honorius ſilentio præteriit, ſatiuſque habuit inhibere, ne una deinceps operatio, vel duplex utrinque diceretur. Sub hac ratione igitur, quod Sergio connixiſſet, Honorius conſenſiſse, eademque ſenſiſse dictus, ideoque damnatus a Synodo VI. eſt. Neque dicere juvat ex diſpenſatione Honorium egiſse: nam ejuſmodi ratio tanti non eſt habita, ut propterea Ecthesi Heraclii, Typo Conſtantis, ac litteris Sergii, quibus pariter diſpenſation is cujuſdam ſpecies præferri videbatur, damnandis Pontifices, & Synodus VI. ſuperſedendum duxerint. Inter diſpenſationes enim, quæ adhiberi licite, vel illicite poſſint, diſtinguere oportet, quarum videlicet aliæ obverſantur circa fidei dogmata, aliæ circa perſonas in fide dubias. Et quidem, ſi de perſonis agatur, prudenter adhiberi diſpenſatio aliquando poteſt, qua damnatio ſuſpendatur, quo pacto factum a Vigilio circa perſonas Theodori, Theodoreti, & Ibæ, & a S. Martino circa perſonas Heraclii, & Conſtantis legitur, ſatius habentes ille tria Capitula, hic vero Ecthesim, Typumque damnare, non appellato nomine Auctorum, donec è re Chriſtiana eſſet, ut cum erroribus Auctores etiam damnarentur. Si vero de fidei doctrina occurrat diſſenſio, oppugnata a refractariis veritas, quæ jam a Patribus, & a Pontificibus in aperto poſita fuit, non diſſimulanda, ſilentioque obruenda, ſed defendenda, locoque ſtabilienda eſt. Quandoquidem igitur veritas de duplici volontate ex litteris S. Leonis, & Concilii Chalcedonenſis definitionibus

de duplici Christi natura ſuapte effluebat, ſicuti neque a Sergio, neque ab Heraclio in dubium vertenda fuerat, ita neque a Conſtante, neque ab Honorio ſilentio fuerat ſupprimenda. Jure igitur a Synodo VI. cum Sergio Honorius male habitus eſt, quod Honorius Sergio conſenſiſſet, non qua parte Sergius hæretico plane animo unam dumtaxat in Chriſto volontatem adſtruebat; ſed qua ficto pacis titulo de una, aut duplici volontate taceri volebat. Uterque concordiæ quidem ſtudio, œconomiæque ſpecie hæreſi favorem impendit, illamque fovit; ſed Honorius alienam, quia non deſtruxit; Sergius propriam, quia diſſimulavit. Uterque paria ſcripſit duobus Imperatorum Edictis, ſed Honorius Typo Conſtantis, quo pacis intuitu, de una, aut duplici Chriſti volontate ſilentium imponebatur; Sergius Ecthesi Heraclii, qua hæreſis promovendæ gratia unius volontatis dogma imperabatur. Utriuſque ideo litteræ dignæ, quæ igne delerentur, judicatæ, quod fidei præjudicium inferrent, & hæreſi favorem impenderent: Sergii, quod fidem ſubruerent, hæreſimque ſuffulcirent; Honorii, quod malum cum bono miſcerent, & cum mendacio veritatem involverent. Hæc S. Leonis II, Hadriani II, ac Pontificum generatim in præcit. fidei profeſſione, hæc Synodorum VI, VII, & VIII. de Honorio cenſura: a quibus injuria affectum Honorium dicere, idque totum ex errore facti, & quidem dogmatici, profectum, quæ religio prohibet, eadem pariter locum Honorii a labe prorſus omni liberandi non ſinit.

Atque ex his, quod 3. loco propoſitum fuerat, objectis facilis pateſcit reſponſio, quæ ex abunde dictis, etſi ſuapte veluti fluat, eam tamen paucis adhuc perſtrictam accipe. Igitur ad 1. hoc apto reſponſum: ex Honorii epiſtolis liquido, aut ego fallor, oſtenſum fuit eum de gemina Chriſti volontate recte ſenſiſſe; dumque unam dumtaxat adſtruxiſſe viſus eſt, de volontate humana fuiſſe loquutum, atque id unum voluiſſe, in Chriſto non duas extitiſſe ſecum pugnantes, unam Spiritus, alteram Carnis, volontates: in eo vero deliquiſſe, ſive a recta agendi ratione aliquatenus deviaſſe, quod dogma de duplici Chriſti volontate doctrinæ S. Leonis, & Synodi Chalcedonenſis de duplici in Chriſto natura affine, non defenderit, ut par erat, ipſumque decebat, atque:

que in tuto collocaverit: quod a Sergio ſubleſta fide, fraudeque circumveniri ſe paſſus, ab unius volontatis æque, atque a duarum volontatum uſurpatione abſtinendum præceperit: quod vanum, otioſum, & grammaticale affirmarit voces illas uſurpare novas, ac in Eccleſiæ ſcandalum introductas, quarum ne veſtigium quidem in Sacr. Scripturis, SS. Patrum ſcriptis, & Conciliorum Canonibus extet. Quod eſt hæreticum eſse non fide, ſed favore, non ſententia, ſed ſegnitie, non conſenſione, ſed conniventia., Ad 2. repono, ex his intelligi, quo demum nomine a Synodis VI, VII, & VIII. damnatus Honorius fuerit, quod negligentia, levitate, & conniventia hæreſim foverit, & hæreticis faverit; non quod opinione, electione, ac pertinacia hæreſi ſuffragatus ſit, & hæreticus formaliter, uti Scholæ loquuntur, fuerit. Atque hunc anathematis in Honorium a Synodis illis ceu in hæreticum lati ſenſum legitimum eſse, liquet ex Johanne IV, ex S. Martino I, ex S. Agathone, ex S. Leone II, ex Hadriano II; ex Conſtantino Pogonato, ex S. Maximo Abb., & Martyre, quibus Synodorum illarum ſenſus proculdubio fuit perſpectus, a quibuſque Honorium inter hæreſis non quidem auctores, ſed fautores dumtaxat adnumeratum oſtendimus. Et certe de Synodis agitur, quibus Apoſtolicæ Sedis Apocriſarii interfuere, quæque Romanis Pontificibus acceptæ, probatæque fuere: a quibus proinde errorem, ſiquid pejus de Honorio ſenſiſſent, facile dedocendas fuiſse, pronum eſt putare; a quo errore quidem ſi eædem ſe abſtrahi paſſæ non fuiſſent, futurum profecto fuiſſet, ut potius illis Rom. Pontifices aſſenſum denegarent ſuum, ideoque abſque robore adhuc manerent, quam illarum Synodorum integritati Apoſtolicæ Sedis dignitatem, decuſque poſthaberi conſentirent, & paterentur. Ad 3. repeto. S. Agatho, etſi ejus epiſtolæ a Collectore ſummæ Concil. Honorii nomen perperam adjunctum fuerit, ut vidit etiam Fleurius hiſt. Eccl. lib. 40. §. 27, atque hæreticis interſertum, unde Melchiori Cano errandi cauſa fuit, putandique ab eo Honorium fuiſſe damnatum, tanrum abfuit plane, ut Honorium ob hæreſim damnatum vel leviter indicaverit, ut potius nullum Prædeceſſorum ſuorum a fide deflexiſſe conſtantiſſime affirmarit. De S. Leonis II. germano, legitimoque ſenſu terque, quaterque, dilucideque jam dixi.

dixi. Ab Hadriano II. vero non utique hæresis dica Honorio conscripta fuit, sed ab Orientalibus anathema dictum fuisse, quod fuisset de hæresi accusatus, assertum, a qua perinde fuisse ab Occidentalibus, puta a Synodo Rom. sub Johanne, alteraque sub S. Martino absolutum indicare visus est: subjungens nec Orientalibus fas in Honorium ferendæ sententiæ fuisse, absque prævia Rom. Pontificis auctoritate, de qua paullo superius disputatum est. Quod si ab Honorii successoribus aliis subinde anathematis pœna sunt proscripti, qui duas in Christo volontates aut negarent, aut tacerent, quia hæresi in dies adolescente, tacendi non amplius adesset tempus, atque a tacendi hujusmodi œconomia hæresis incrementum, viresque acciperet, non ideo eadem Honorium censura perstrictum voluere, cujus dispar causa fuerat, & ratio. Ad 4. Auctoribus Auctores regero, plures paucioribus, recentioribus antiquiores, & potiores ignobilioribus, a quibus Honorium ab omni hæresis labe vindicatum dicebam. Quamquam & qui Honorium in hæreticorum albo descripsere, commode interpretari licet de Honorio hæreticorum fautore, non hæretico formaliter, sive de Honorio, qui hæresi patrocinatus sit, non qui hæresim propugnaverit. Atque de Honorii quæstione hactenus.

S. Martinum I. Novatianæ hæreseos accusare heterodoxi non exhorrescunt, quod in epist. 2. edit. Concil. ad S. Amandum Traject. Presbyteris, & Diaconis post Ordinationem peccantibus non dandam esse veniam docuerit. At commentum, atrocemque calumniam elevat, & evellit vel una epistolæ lectio, qua Pontifex ad collapsam ibidem Ecclesiasticam disciplinam erigendam, reformandamque jubet, ut Presbyteros, & Diaconos gravibus se flagitiis inquinantes, quorum causa dignitate S. Amandus se abdicare cogitabat, gradu deponeret, ac si resipiscerent, veniamque flagitarent, eos quidem absolveret, in pristinam tamen haud redintegraret dignitatem, a qua ipsum cum gravi Eccleſiæ Traject. incommodo abripere se se non permittit. Ex quibus patet S. Martinum non quidem de peccatorum venia, sed de restitutione ad pristinum gradum, juxta veterem disciplinam, deneganda fuisse loquutum, ac splendide in verbo suo ipsius accusatores esse mentitos. Johanni VII. crimini dat Bossuetius defens. par. 2. lib. 14. cap. 37.

cap. 37, quod Synodum Quiniſextam, ab eaque Canones duos ſupra centos, quorum plurimi optimam quamvis, antiquamque redolerent diſciplinam, plerique tamen, atque ſignatim quinque adverſa fronte quoſdam Romanæ Eccleſiæ Ritus, ac in toto quidem Occidente receptos, impetebant: ut Canon. 2, quo indiſcriminatim Apoſtolici Canones 85, ac Canones a Synodis, ac Patribus conditi abſque delectu admittendi decernuntur: ut Canon. 13, quo ſacra Eccleſiaſtici cælibatus lex Diaconis, & Presbyteris indicta reprehenditur, & reprobatur, & quidem tamquam quæ Evangelicæ veritati, & Apoſtolicæ traditioni repugnaret: ut Canon. 55, quo Jejunium Sabbati Romana in Eccleſia celebre rejicitur: ut Canon 67, quo abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato, velut ex Apoſtolico mandato etiam num obligante, Clericis ſub depoſitionis pœna, & Laicis ſub pœna Excommunicationis imponitur: & Canon 82, qua parte prohibetur, ne Chriſtus D. ſub Agni imagine depingatur, prout antiquis Patribus in figura oſtenſus eſt, ſed imagine hominis, qua demum figuræ omnes adimpletæ ſunt; quos propterea Canones una cum præfata Synodo tantum abeſt, ut S. Sergius I, precibus infimis etſi a Juſtiniano Imp. rogatus, probare voluerit, ut potius viriliter reprobaverit; Johannes, inquam, vano metu tertitus, iterum rogante Imperatore, Canones emendare renuerit, ſed ut miſſi fuerant, integros remiſerit, atque ut habet Anaſtaſius, & ſcribit Lupus in Scholiis, Canones illos eribare noluerit, ac triticum a palea ſeparare, ideſt bona a malis, & inutilia ab utilibus ſecernere, atque ita, ut arguit Boſſuetius, ſanæ doctrinæ debitum officium roganti Imperatori denegaverit, quinimo tacite probare viſus ſit, eo ipſo quo diſtricte non improbavit. At enim toto a veritate oſtio abhorret Boſſuetius, dum ex hoc Johannis VII. facto occaſionem carpendi Roman. Pontificum infallibilitatem arripuit, eorumque definitionibus fidem eripiendi debitam: quod fecit perinde Franciſcus Bruys tom. 1. pag. 509. poſt Mareſium gregalem alterum in peſtilentiſſimo libro Gallice inſcripto *Tableau des Papes &c.* pag. 48. Principio enim ſuppoſita in Rom. Pontifice duplici illa perſonarum acceptione, qua vel ut perſona ſingularis aliquid ſcribit, agitque, vel ut publicus Eccleſiæ Magiſter aliquid docet, ac definit,

finit, ex Johannis facto inferre legitime debuiſset, eum tum perſonam geſſiſſe ſingularem, quandoquidem, ut in more tum poſitum erat, neque ad conſilium Rom. Clerum advocarit, neque Synodi cujuſpiam ſuffragium adhibuerit. Sed enim hoc non opus eſt medio ad omnem procul a Johanne abigendam invidiam: nam ſatius eſſet cum Anaſtaſio fateri Johannem fragilitate, vanoque timore, ne rem ingratam faceret Imperatori, gratiaque apud ipſum excideret, Canones inter illos diſcernere, bonos, & utiles recipiendo, malos, & inutiles reſpuendo, abſtinuiſſe, ideoque debito officio nonnihil defuiſſe; non etiam dicere cogimur a Johanne fuiſſe probatos. Quos ſi probaſſet, certe non fuiſſet, cur timore correptus eoſdem non emendatos ad Imperatorem remitteret: cur enim timuiſſet id probando, quod apprime Imperatori placere, atque in optatis ſummopere haberi non ignorabat? Timor enim eorum eſt, in quibus quis ſibi ex alterius offenſione cavet, non etiam eorum, in quibus ſibi potius quis ex alterius aucupata gratia adblanditur. Ut ut tamen ex fragilitate timuiſſe, atque juſta quidem ei timendi cauſsa ex recenti S. Martini exemplo certe ſuberat, cum Anaſtaſio dicatur, & cum Lupo a debito utiles ab inutilibus, bonoſque a malis Can ones diſcernendi officio defeciſſe, ſi omni ſequeſtrato affectu, quam cum Juſtiniano tenuit Johannes, agendi ratio perpendatur, is majori agere prudentia nequiviſſe æqui, juſtique æſtimatori videbitur, quam eorum Canonum nullum recipiendo, ſed ad unum omnes reſpuendo, qui Concilii Oecumenici nomine, Pontifice Rom. inſcio, arroganter a Græcis jactabantur.

S. Gregorium II. ſolemniter erraſſe comminiſcitur Boſſuetius par. 2. lib. 14. cap. 38. in eo nempe, quod in epiſt. 2. edit. Concil. cap. 2, deſcripto a Gratiano Can. 18. *Quod propoſuiſti* 32. Q. 7, ſed perperam S. Gregorio III. tributo, (non ſecus atque Cap. 3, 4, & 9. eidem falſo adſcripſit Can. 5. *Presbyter* 2. Q. 5, Can. 9. *De homine* de Conſecr. diſt. 5, & Can. 110. *Parvulos* de Conſecr. diſt. 4.) S. Bonifacio Mogunt. reſpondens dixerit: *Quod ſi Mulier infirmitate correpta non valuerit debitum Viro reddere*, poſſit vir alteram ducere uxorem; idque dictum utique de infirmitate Conjugio jam inito ſuperveniente contendit, ita nempe Gratiano morem gerens,

gerens, qui hoc deſcripto Canone, hanc Pontifici temere notam infligit. *Illud*, inquiens, *Gregorii ſacris Canonibus, imo Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ penitus invenitur adverſum*. Verum dictum tam inſolens a duumviris hiſce quis patienter ferat, ſibique perſuadeat id unum doctiſſ. ignoraſſe Pontificem, quod neminem profecto latebat, nempe validi Matrimonii vinculum naturali, Divinoque jure eſſe indiſſolubile, in eoque dumtaxat caſu diſſolvi poſſe, quum unus Conjugum ad fidem convertitur, altero ſecedente, ſua in infidelitate obdurato, ut habetur 1. Corinth. 7. 15.? Ut enim non dicam, ut quidam volunt, S. Gregorium loquutum de Sponſalibus prioribus diſſolvendis, non de Conjugio jam celebrato, vel, ut alii cogitant, S. Gregorium diſpenſaſſe in Matrimonio dumtaxat rato, non conſumato, quandoquidem ex cauſſa legitima Pontificem id poſſe docent Theologi, multoque minus probem, quod aliis viſum eſt, S. Gregorium nempe, Divina ſepoſita inſtitutione, ſolaque naturali honeſtate ſpectata, in propoſita ſpecie Matrimonii, quæ honeſtatis naturalis legi haud adverſari videbatur, quum de Matrimonio ſpeciatim ageretur, quod inter non Chriſtianos initum, Sacramentum non erat, Germanis indulſiſſe, ut Matrimonium illud diſſolveretur: quam interpretationem, ne probem, id efficit utique, quod Pontifex ſciſcitanti S. Bonifacio ſe non aliud traditurum pollicetur, niſi quod S. Rom. Eccleſia tenet, ac docet, cum qua plane traditione, & doctrina interpretationem hanc, de qua fuſe Berardi par. 2. tom. 2. cap. 68. pag. 201, & ſeqq., adverſa pugnare fronte nemo probe non perſpicit, commode S. Gregorii reſponſum cum Gloſſa diſt. 20. Can. 1. *De libellis*, Viriſque aliis doctiſſ. interpretari fas eſt, ac præſtat de infirmitate Matrimonium præcedente, quæ poſtea innotuerat, quamvis ignorata fuiſſet antea, quando contractum Conjugium eſt, quæque perpetuam impotentiam inducebat. Quæ interpretatio Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, & traditioni innixa, vim vel levem S. Gregorii ſententiæ inferre nequit.

Splendida erroris ſpecies altera S. Gregorio III. affingi a maleferiatis quibuſdam, in Pontifices felle plenis, ſolet; quod nempe in epiſt. 1. edit. Concil. ad eumdem S. Bonifacium ipſius interrogatis faciens ſatis Cap. 1. relato a Gratiano Can. 52. *Quos*

a Paganis de Conſecr. diſt. 4, & Cap. 4. baptizatos a Paganis iterum baptizari præceperit. Qua tamen a calumnia ut Pontifex vindicetur, non opus eſt quidem ad illud confugere reſponſum, quod excogitavit Natalis, videlicet tum temporis nedum eliquatam veritatem fuiſſe de Baptiſmo valide collato a non baptizato. Etſi enim de eo certo pronuntiare ſuo tempore S. Auguſtinus non ſit auſus, ſed ad id Synodo plenaria opus eſſe ſcripſerit lib. de Bapt. contra Donat. cap. 53, & lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13; de ejus tamen valore dubitatum etiam tum tempore S. Gregorii III, tertio ideſt poſt S. Auguſtinum ævo, non facile conceſserim. Reſponſio ſuppeditatur a S. Bonifacio ipſo interrogante. Quæſierat nempe, an Baptiſmus collatus a Pagano, ſive à Presbytero Jovi immolante, vel ignorata forma, vel falſa probabiliter adhibita, vel joco, ſiquidem apud Ethnicos Sacerdotes non deeſsent, qui Chriſtiani Baptiſmi irridendi cauſſa, ritu conſimili ſuos infantes ablutos Jovi dedicarent, eſset nec ne repetendus: cui Pontifex affirmative, rectèque reſpondit. Et certe quæſtionem fuiſſe non de Miniſtro, ſed de forma, exinde fit evidens, quod pridem a S. Gregorio II. in præcit. epiſt. cap. 8. de Baptiſmi valore ex qualitate Miniſtri minime dependente edoctus fuerat. Manifeſtum fit etiam ex ſimili reſponſione, quam eidem S. Bonifacio deinde in epiſt. 10. edit. Concil. dedit S. Zacharias relatus quoque a Gratiano Can. 83. *In Synodo* de Conſecr. diſt. 4. nullum eſſe Baptiſmum docens, niſi verbis Evangelicis *In nomine Patris* &c. ſit conſecratus, validum vero, ratumque eſse verbis hiſce, etſi ab impiis, hæreticis, ac ſchiſmaticis collatum; atque viciſſim baptizandos iterum, qui a Presbyteris adulteris, ſacrilegis, & qui Diis gentium immolabant, baptizati fuerant, de quibus dubitabatur, an verbis Evangelicis Baptiſmum adminiſtraſsent: qua in doctrina, ut a deceſsore ſuo S. Gregorio decretis indivulſe adhæreret, Bonifacium admonet. Non me latet quidem a nonnullis hujuſmodi S. Zachariæ reſcriptum inter ſubdititia recenſeri. Sed mea non intereſt nunc hoc illi vindicare, hanc aliis integram dimitto ſpartam, ſatius habens ex doctrina tum temporis ubique recepta germanam S. Gregorio III. reſtituiſſe ſententiam. Quæ ane perſpicua magis adparet ex altera ipſius epiſtola ad S. Bonifacium

facium apud Gratianum Can. 2. *Presbyteri* dist. 68, qua Presbyteros ordinatos ab Episcopis, de quorum legitima dignitate, auctoritateque dubitabatur, iterum ordinari præcepit: juxta quod præceptum adornatus perinde legitur in Concilio Germanico an. 742. Canon 4; cui conformis editus alter est a Concilio Vermerienſi an. 752, & aut inseq. Canon 14, de quibus confer doctiss. Berardi par. 2. cap. 68. pag. 208.

Trigemini in erroris turpissimi culpam a Bossuetio lib. 14. cap. 38, aliisque Stephanus II, sive III. vocatur: 1. quod in Gallis agens a Monachis Brittiniacensibus variis de rebus Ecclesiasticis interrogatus in responsione ad 3. quæsitum de eo, qui Ancilla abjecta, Uxorem legitimam accipit, quasi polygamiam probarit, reponendo adhuc superstite Ancilla, quam sibi quis justis copulasset nuptiis, posse aliam superinducere ingenuam: 2. quod in resp. ad 2. quæsitum de casibus, in quibus Conjuges separare sive toro, sive vinculo liceat, in duobus tantum casibus leprosi morbi, & vexationis a Dæmone id licere docuerit: 3. quod in resp. ad 11. interrogationem de Presbytero, qui aqua deficiente periclitantem Infantem vino baptizaverat, hujusmodi Baptismum approbaverit hisce verbis: *Infantes sic permaneant in ipso Baptismo*. Atqui tam falso, quam frustra hæc Stephano objici sequentibus ostendo; atque in anteceſſum recolenda admoneo, quæ paullo superius pag. 608, & seqq. animadvertebam de triplici antiquitus usurpati Conjugii genere, cujus nempe aliud erat cum Uxore ingenua, quod *Justum* dicebatur, idest Jure probatum, ex quo qui progignebantur, justi liberi, seu legitimi audiebant; aliud cum Concubina, quod lege permittebatur, eratque verum quidem, legitimumque Conjugium, sed juxta meras naturæ leges, nulla accedente solemnitate a Jure inducta, ex quo proinde qui gignebantur, naturales liberi dicebantur; taleque reputabatur apud Romanos, si per annum integrum Vir Mulierem in vitæ societatem adsciviſſet, quo elapso Concubina Uxor justa evadebat, ac liberi exinde justi, legitimique habebantur; quod demum a Concilio Trid., ex defectu solemnitatis, sive præsentiæ Parochi, ac duorum Testium, abrogatum est; aliud demum cum Uxore simul, & Concubina, sive Ingenua, & Ancilla,

quod lege Divina, naturali, & humana prohibitum ſemper fuit, ex quo geniti propterea illegitimi, ſpurii, & injuſti reputabantur, de quo legere eſt inter alios Canonem 37. Concilii Rom. an. 826. ſub Eugenio II, inſtauratum a S. Leone IV. in Synodo altera Romæ an. 853. habita. Sciendum præterea antiquis Gallis, Angliſque fortaſſe, viſum aliquando fuiſſe, ex adulterio non modo, ut de Græcis certum videtur, ſed etiam ex gravibus aliis cauſſis Matrimonii vinculum jam legitime concluſum diſſolvi poſſe. Id augurari fas eſt ex Capitulari Pippini an. 752, ſive ex Concilio Vermerienſi Can. 5. apud Reginonem lib. 2. cap. 118, Burchardum lib. 6. cap. 41, & Gratianum Can. 6. *Siqua Mulier* 31. Q. 1, quo Viro Uxorem ſibi mortem machinantem dimittendi, aliamque accipiendi fit poteſtas; & Can. 9. deſcripto a Burchardo lib. 9. cap. 54, Reginone lib. 2. cap. 124, & Gratiano Can. 4. *Siquis* 34. Q. 1, quo Viro in longinqua peregrinanti, ſeque continere non valenti, alteram ducere Uxorem permittitur. Neque hinc longe abfuiſſe Theodorus Cantuar. legitur in ſuis Capitulis; ſiquidem cap. 11. apud Petitum Viro fornicationis vitandæ cauſſa, Uxore quinquennio abſente, aut in captivitate detenta, alteram ducendi facultatem facit; & cap. 116. apud Dacherium Spicil. to. 9. Mulierem adulteram abjicere, alteramque ſibi ſociare Viro indulgetur. Non huc tamen reſpexit Stephanus III. cit. Cap. 3, ſed Ancillæ nomine fornicariam Mulierem accepit, cum qua ſive conjugio, ſive fornicaria copula Virum conjungi poſſe pernegat, qui Ingenuam, ſive legitimam jam ante Uxorem duxerat, quandiu iſta ſuperſtes fuerit. Atque ita probe accipiendum Stephanum exinde ſuadetur, tum quod Cap. 1. in reſp. ad 1. quæſitum de eo, qui Ancillam, ideſt Pellicem abjicit, & Uxorem legitimam accipit, ſua facit S. Leonis M. in epiſt. 167. edit. Baller. ad Ruſticum Narbon. cap. 5. verba apud Gratianum Can. 11. *Ancillam* 32. Q. 2, de quibus dictum pag. 608; tum quod Cap. 5. in reſp. ad 5. interrog. de eo, qui Uxorem repudiarat, diſerte negat licere Viro alteram ducere, donec in vivis dimiſſa ageret, reſponſum confirmans ex Matth. 19 9, & S. Innocentio I. in epiſt. 3. edit. Concil. ad Exſuperium cap. 6, cui ſimilia ſcribit in epiſt. 9. ad Probum; tum quod Cap. 19. in reſp. ad 19. quæſitum de fœmina, quæ Virum in aliena

Pro-

Provincia mortuum falso putans, alteri nupserat, verba ipsissima usurpans S. Leonis M. in epist. 79. vet. edit. ad Nicetam Aquilejen. cap. 1. decernit ad Virum priorem de captivitate regredientem reverti pariter debere fœminam, quæ alteri se copulaverat. Quibus aperte significat se recte sensisse sive de illicita Uxorum pluralitate, sive de indissolubili Matrimonii vinculo. Quo loci illud observare juvat Stephanum ideo, Ancilla superstite adhuc, Viro alteram ducere indulsisse, sive licere dixisse, quod alicubi tum temporis ea vigeret disciplina, quod qui Mulieri alteri ligati consuetudine legitima nedum, sed etiam illegitima tenerentur, a Matrimonio ineundo, & cum Adultera maxime, etsi deinde soluta, arcerentur, veluti colligitur ex Concilio Triburiensi anno 895. Can. 51, ex S. Augustino lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 10. apud Gratianum Can. 2. *Denique* 31. Q. 1, cujus tamen contrariam lectionem esse ostendunt Maurini, & Correctores Romani emendarunt; liquet vero ex L. 11. §. 11, L. 4. ff. ad Leg. *Juliam* de Adulter., & ex Novel. 134. cap. 12. Ex quibus perinde facilis patet responsio ad 2. Absit enim, ut dicam eam Pontifici nostro pariter, quæ Gallis, Anglisque probata aliquando fuerat, animo sententiam insedisse, qua gravi ex causa Matrimonium consumatum dirimi posse putarit. Ibidem enim, idest in resp. ad 2. interrog. loquitur de separatione quoad torum solummodo, quippe duabus infirmitatibus illis cessantibus, invicem regredi Conjuges jubet. Ad 3. respondeo ex ignorantia casus objectionem oriri. Casus exposcebat, qua censura inurendus Presbyter esset, nihil vero de puero momenti erat, quem alió deportatum, inscio quocumque, Divinæ providentiæ esse relinquendum edixit. Et quidem quis tam supina laborasse ignorantia Stephanum putet, ut Baptismum aqua administrandum esse nescirot, cui alioqui difficiliora circa eumdem Baptismum de materia, forma, & Ministro, uti ex seqq. Capit. 12, 13, & 14. constat, exploratissima erant? Cæterum neque desunt viri doctis, quibus hæc Stephani responsa subdititia, commentitia, & arbitrio conficta visa sunt; atque præsens quammaxime, quod abesse a multis Codicibus advertit, & in aliis S. Siricio adscribi, ideoque quin ab imperito aliquo consarcinatore assuta infeliciter lacinia fuerit, Harduinus

in quæst.

in quæſt. de Baptiſmo non dubitat: quod Labbæus gloſſema e margine in textum temere intruſum exiſtimat; quod non ſatis authenticum, nec ex certo monumento conſtare Natalis in Theolog. Dogm. lib. 2. tract. 2. de Bapt. cap. 1. art. 2. Regula 2. aſſerit, ſed imo mendoſum, ac ita magis legendum: *Nulla ei adſcribitur culpa, ſi Infans permaneat in illo Baptiſmo*, arbitratur in hiſt. Eccl. Synopſi ad Sæcul. VIII. cap. 1. art. 6. Quæ certe lectio recte procedit, & caſui propoſito magis reſpondet, in quo Pontifex Presbyterum quidem, qui aqua non deficiente in vino baptizavit, pœnitentiæ ſubjicit, quam infligendam negat Presbytero, qui deficiente viciſſim aqua, periclitantem in vino Infantem baptizaverat.

DE HADRIANO I, EUGENIO II, S. NICOLAO I, JOHANNE X, JOHANNE XIII, & SILVESTRO II.

§. VII.

FErtur Hadrianus I. Baptiſmum a Carolo M. Saxonibns armis ſubactis vi collatum calculo ſuo comprobaſſe; quod nefas eſſe, vi nempe Infideles ad fidem cogere, docent explicite S. Gregorius M. in epiſt. 12. lib. 13, olim 15. lib. 12. ad Paſchaſium Neapolit. Epiſcopum, relatus a Gratiano Can. 3. *Qui ſincera* diſt. 45; Clemens III. Cap. *Sicut Judæi* Decretal. tit. de Jud., & Sarac.; Benedictus XIV. in Epiſt. de Baptiſmo Judæor. ad Archiep. Tarſenſem Viceſg. inter Conſtit. n. 28. ſub titulo *Poſtremo* §§. 4, 7, 36, & ſeq. Bullar. tom. 2. pag. 186; Synodus Toletana IV. Cap. 57, apud Gratianum Can. 5. *De Judæis* diſt. 45, quo Siſebuti Hiſp. Regis olim factum reprehendit, quod Judæos ad fidem vi compuliſſet; S. Auguſtinus in epiſt. 93, olim 48. ad Vincentium; S. Thomas Quodl. 2. art. 7, 2. 2. q. 10. art. 12, & par. 3. q. 68. art. 10; Card. Albitius de Inconſt. in fide cap. 11. n. 32., ita uſu Curiæ Rom. venire referens, & Card. Sanctorius in Rituali Sacram. pag. 209, & ſeqq. hanc Theologis, & Canoniſtis communem inſedere ſententiam affirmans. At enim objectioni huic ſatisfacit Erudit iſs. Benedictus XIV. in præcit. epiſt. §. 39. advertens Hadrianum quidem Carolo M. gratulatum legi in epiſt. apud Sir-

Sirmondum tom. 2. Concil. Gall. pag. 112, quod Saxones ad Baptiſmum accedere juſſiſſet, ibidem tamen ne leviter indicari modum, quo demum ii ad Baptiſmum adducti fuerint. Ad hæc obſervare non deſinit a Saxonibus fidem Imperatori fuiſſe obligatam, ſe ad Baptiſmum ſponte adventuros, poſtquam armis ſubacti victas ei dederant manus, veluti refert Annaliſta Loiſelianus apud Cointium tom. 6. Annal. pag. 110. Nec imo inficiatur, quin Regibus fas ſit Infideles devictos, captivoſque vi ad Baptiſmum adigere; Edictoque ſancire, ut Baptiſmo ablui renuentes e Regno eliminentur. Quo demum pacto excuſari factum Siſebuti (etſi hoc emendaverit in Synodo Toletana IV. Siſenandus, Mariana teſte tom. 1. pag. 207. edit. an. 1733.) cujus veſtigiis dein inhærentes Egicam, Ferdinandum, & Iſabellam vi, miniſque Judæos ad Baptiſmum impuliſſe refert idem Mariana tom. 1. pag. 202, & tom. 3. pag. 184, & 211. Et Regibus certe fas eſſe, nec abſque cauſa, Infidelium Infantes, parentibus invitis, ut baptizentur, imperare, docent Scotus in 4. q. 9. n. 2, & in quæſt. relatis ad quæſt. 2, Loaiſa in Not. ad Concil. Tolet. XVII. tom. 2. Collect. Aguirrii pag. 761; atque de pueris in bello juſto captivis loquendo, ſactoque inhærendo Mathatiæ, a quo Infidelium pueri bello capti circumciſi leguntur Machab. lib. 1. cap. 2. v. 46, tenent Cornelius a Lapide in hunc locum, & Suarez in par. 3. tom. 3. diſp. 25. ſect. 4. Confer in præd. epiſt. Benedictum XIV, qui docte, copioſeque de his multa ſcitu valdequam digna more ſuo diſſerit.

Eugenio II. ex duplici capite a Rom. Pontificum æmulis gravis conflatur invidia. 1. Quod purgationis, ſive probationis Ritum per aquam frigidam inſtituerit, vel illius ſaltem formam præſcripſerit, cujus exemplar Remigianis ex Membranis exhibetur a Mabillonio veter. Analect. tom. 1. pag. 161, quaſi nempe ſuperſtitionem in Eccleſiam invexerit. 2. Quod in Synodo Romana anno 826, quam poſtea in Romana Synodo altera an. 853. confirmavit S. Leo IV, qui perinde in ejuſdem conſortium erroris, culpamque ſimul vocatur, Can. 36. decreverit nulli licere, cauſſa fornicationis excepta, Uxorem dimittere, ſibique deinde adſociare aliam, quaſi videlicet Matrimonium diſſolubile quoad vinculum ob adulterium docuerit. Ad 1. antequam reſpondeam, obſervare 1. non

pœni-

pœnitebit varias olim in Provinciis variis purgationum formas, ſive probationum uſurpari frequens conſueviſſe, ad ſimilitudinem quamdam experimenti in Lege veteri a Deo ipſo in aqua Zelotypiæ inſtituti, de qua Numer. cap. 5. verſ. 17, & ſeqq., videndique Hadrianus Relandus Antiq. Sacr. cap. 5. n. 20, & Blaſius Hugolinus in Comment. ad hunc locum to. 2. Theſ. Antiq. Sac. edit. Ven. 1744: quarum ecce tibi quaſdam uſitatiores ſpecies. Fiebant 1. per ignem, ſive ferrum candens, & aquam ferventem, aut frigidam, quum nempe quis impactam calumniam ignitos vomeres manibus contrectando, aut nudis carbones pedibus calcando, aut per medium tranſeundo ignem, vel aqua qua ferventi, qua frigida immerſus, ulla abſque læſione expiabat. Quomodo leguntur apud Cedrenum ſub anno 506. quidam Epiſcopus ignis experimento paratum ſe exhibuiſſe ad probandam Ariano cuipiam fidem Catholicam; apud S. Gregorium Turon. de glor. Martyr. lib. 1. cap. 69, & 70. duæ Mulieres per aquam de adulterio probatæ, & cap. 81. fidei, & hæreſis experimentum feciſſe viciſſim Orthodoxus unus, alterque hæreticus; apud Hincmarum in libro de divortio Lotharii, & Teutbergæ, ab hac procurator miſsus ad probandam innocentiam aquæ ferventis judicio, ex aqua illæſus evaſiſſe; apud Surium ad diem 3. Mart., & Mabillonium Sæculo VI. Bened. par. 1. pag. 465. S. Cunegundis de ſuſpecta conſuetudine Militis cujuſdam ad S. Henricum Imp. delata, calumniam eluiſse ignitos vomeres, non ſecus atque flores, illæſis manibus contrectando. Celeberrima ſunt exempla S. Petri Ignei inde dicti, quod per ignem illæſus tranſiiſſet, de quo extat in Bibl. Medicea, teſte Lamio de Erudit. Apoſt. ſect. 2. Cod. 130. epiſtola a Florentinis ſcripta ad Alexandrum II, edita dein lucem a Brochio inter vitas SS. Florent., ac Luitprandi Mediol. an. 1102, de quo Landulphus Junior rer. Ital. tom. 5. Perhibet etiam Aimoinus lib. 5. cap. 34. a Ludovico II. Germaniæ Rege, qui armis Carolo II. Imperatori ad ipſius Regnum invadendum ſe comparanti impar, ad probationem per ignem, & aquam confugit, qua Imperatori fratri injuſte ipſum agere palam oſtenderet, decem homines cum ferro ignito, decem cum aqua ferventе, totidemque cum frigida ad judicium miſsos, coram Imperatoris miſſis, illæſos omnes remanſiſse. Ad pudicitiam ignito ferro pro-

probandam Carolo Craſso paratam ejuſdem ſe exhibuiſse Conjugem refert Annaliſta Saxo ad an. 887. Pari contrectatione ferri candentis illæſa prorſus manu viri ſui Ottonis III. juſſu interfecti, de tentata pudicitia a Maria Imper. falſo accuſati, innocentiam ejus Uxor evicit, ſi fides Gofrido Viterb. adhibenda, quam adimunt Pagius, & Leibnitius, non eſse tamen, cur tuto adhiberi nequeat, Muratorius diſsert. 38. autumat. Ita ita Synodo Moguntina an. 1028. quidam homo ingenuus de homicidio Sigefridi Comitis incuſatus, candenti ſe ferro expurgavit apud Chronographum Hildesheimenſem; atque ita Emma Angliæ Regina ſe innocentem coram Eduardo filio an. 1033. oſtendit. Pleraque horum ſimilia proſequuntur exempla de Hæreticis aqua probatis Annaliſta Moſomienſis ad an. 1066; de Furibus igne convictis Guibertus Novig. lib. 3. cap. 3, Hermannus de Mirac. S. Mariæ Laudun., & Mabillonius ad an. 1021, & 1030; ac de Monachis ita probatis idem Mabillonius in Annal. Bened. tom. 4, & Sirmondus in Not. ad epiſt. 39. lib. 3. Gofridi Vindoc. Probationes porro per aquam ferventem, ignitique ferri approbavit Synodus Triburienſis anno 895. Can. 22; per aquam frigidam plurimis congeſtis argumentis probavit Hincmarus Rem. in epiſt. 39. ad Hildegarium Melden., nec improbavit Ivo Carnot. in epiſt. 252. ad Radulphum Rem., dum aliæ non ſuppetant idoneæ probationes. Fiebant 2. per Monomachiam, ſive per Campiones in mallo, quum videlicet ſingulari certamine, quod ſcuto, & fuſta fiebat more veter. Francorum, & Germanorum, decernebatur de innocentia, vel crimine, de quo extant Leges 66. Langob. Caroli M., L. 3. Ludovici Pii, L. 31. Lotarii, aliæque Henrici I, & Ottonis II. apud Muratorium in diſsert. 39. Antiq. Ital. Atque hoc modo Ludovicus IV. Gall. Rex, Flodoardo referente lib. 4. cap. 31, de injuriis ſibi ab Hugone Comite inlatis in Synodo Engilenheimenſi an. 948. conqueſtus ad eaſdem ſingulari certamine expiandas paratum ſe exhibuit. Ita etiam Otto I. Imp., teſte Luitprando lib. 6. cap. 6, miſſis ad Johannem XII. P. M. Legatis de objectis patratis in ipſum criminibus ſe interpoſito juramento excuſavit, juſſitque, ut ſi Pontifex juramento non fideret, veritatem Legati duello probarent. Et ita duello jus in Siciliæ Regnum dirimendum viciſſim Carolum II. Andeg.

inter, & Petrum III. Arag. decretum refert Villanius lib. 7. cap. 85, quorum ſimilia pleraque exempla proſequitur Muratorius in diſſert. 39; quin etiam Eccleſiaſticorum, qui facultatem obtinuerunt duellum interponendi per ſuos homines, profert Mabillonius Analect. tom. 2. pag. 561.

Fiebant 3. ope Euchariſtiæ, quum impoſitæ criminationes Euchariſtiæ ſumptione expurgabantur: quem veterem ſane in Eccleſia morem viguiſſe obſervat Lupus tom. 4. in Not. ad Concilium Mogunt. an. 1049. ſub S. Leone IX. pag. 230. Atque hoc pacto Fridericus Mogunt. Archiep. poſtulatus judicio conjurationis initæ contra Ottonem I. Imp. innocentiam ſuam probavit apud Spondanum ad an. 941: & Sibico Spirenſis Epiſcopus in præcit. Synodo Moguntina ab adulterii crimine examinatione Sacrificii purgatus legitur apud Adamum Bremen. lib. 3. cap. 31. Qua in re celeberrimæ habentur terribiles conteſtationes in Euchariſtia exporrigenda factæ ab Hadriano II. ad Lotharium Franc. Reg. an. 869; a S. Gregorio VII. ad Henricum IV. Reg. Germ. an. 1077; & a S. Bernardo ad Guillelmum Aquit. Ducem. Pervulgatæ ſunt etiam de purgatione per Euchariſtiam facienda a Monachis furti ſuſpicione laborantibus ſanctiones Ludovici Pii in Capit. Aquiſgranenſi an. 817. Cap. 64; Synodi Wormatienſis an. 868. Can. 15, idem de Clericis decernentis Can. 10. apud Gratianum Can. 23. *Sæpe contingit*, & Can. 26. *Si Epiſcopo* 2. Q. 5; Synodi Cabilonenſis an. 894, cujus decreto Gerfredus Monachus necis veneno Adalgario Æduenſi Epiſcopo inlatæ accuſatus Euchariſtiæ ſumptione ſuſpicionem eluere juſſus eſt; & Canuti Regis Leg. Eccleſ. an. 1032. Clericis etiam idem onus impoſitum cap. 5. Fiebant 4. per Crucem, ita videlicet, ut dum Miſſa celebraretur, vel dum Pſalmi decantarentur, aut recitarentur Preces, duo homines ad Crucem conducti brachiis ſtarent expanſis; quorum qui prior defeſſus brachia depoſuiſſet, ejus pars victa habebatur. Cujus ritus mentio fit in Conventu Synodali, ſive Capitulari Caroli M. an. 779. cap. 10. apud Harduinum tom. 3. pag. 2057, & in L. 10. Langob. apud Muratorium diſſert. 38; exemplum vero referunt lite vertente circa an. 837. Epiſcopum Veron. inter, & Cives Ducangius in Gloſſ. V. *Crux*, & Ughellus.

lus Ital. Sacr. tom. 5; alterius quoque mem init Mabillonius in Append. Oper. Diplom. n. 5. Fiebant 5. per Juramentum ſuper Evangelia, Crucem, aut SS. Martyrum Reliquias. Reliquias porro ipſas Martyrum igne probari olim conſueviſſe conſtat ex Concilio Cæſarauguſtano II. an. 592. Can. 2; preces ejus rei gratia fieri ſolitas deſcribit Ruinartius in Not. ad S. Gregorium Turon. pag. 1366, exemplaque profert Mabillonius Sæculo VI. Bened. tom. 1. pag. 101, & 390, ac in præf. ad idem Sæcul. par. 1. §. 5. n. 45. Atque circa purgationes hujuſmodi ea olim praxis obtinebat, ut ſiquando Pontifices ſuſpicione laborarent, ſe purgarent vel Crucis, Evangeliique ſuper Caput impoſitione, quomodo Pelagius I, vel juramento ſuper Evangelia, quomodo Leo III, Paſchalis I, & Alexander II, vel Euchariſtiæ perceptione, quomodo S Gregorius VII. Epiſcopis vero impactas eluere notas, & diſpungere ſolemne erat, vel Euchariſtiæ ſumptione, ut ſupra dicebam, vel celebratione Miſſæ, adjectoque jurejurando, veluti ſe purgavit in Synodo Brennacenſi an. 580. S. Gregorius Turon. de impoſita calumnia Fredegundi Chilperici Regis conjugi, ipſo teſte lib. 5. cap. 49; vel juramento ſimplici, aut ſuper Evangelia, velut indixere Synodus Wormatienſis II. an. 772, cujus fragmentum refertur in Capitul. Reg. Franc. lib. 7. cap. 205, eique jungendum ex Capit. Eccl. Caroli M. tit. 3. cap. 2, & 3, ac Synodus Ænhamenſis circa an. 1009. Can. 26; vel juramento ſuper ſacras Martyrum Reliquias, ac ſuper S. Petri præſertim, ſi Epiſcopi eſſent, Romam ideo ad ignominiam eluendam accerſiri ſoliti. Cujus ritus exempla pleraque ſuppeditant S. Auguſtinus in epiſt. 137, nunc 78. de quodam Diſcipulo ſuo, & Bonifacio Presbytero flagitii ſe invicem incuſantibus, ac ſacramento ſuper locum ſepulturæ S. Felicis Nolani ſe purgare juſſis; S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 33. de Leone Catanenſi, & de Menna Toloſano, ſive ut alii volunt, in Campania, Epiſcopis lib. 11. epiſt. 8. apud Gratianum Can. 7. *Mennam* 2. Q. 5; de Maximo Salonitano Ravennæ ſuper Corpus S. Apollinaris a ſimoniæ labe ſe abſtergente lib. 7. epiſt. 79, & de Martino Diacono ad B. Petri Corpus ſe purgante lib. 7. epiſt. 18; Auctor vitæ S. Geminiani Mutin. Epiſcopi apud Bollandum ad diem 31. Jan., & Muratorium Rer. Ital. par. 2. to. 2.

de purgationibus ad ipſius ſepulcrum fieri ſolitis; & Willelmus Malmesbur. lib. 2. cap. 6. de Elredo apud Johannem X. Romæ ſuper Altare S. Petri conjurationis in Æthelſtanum Angl. Regem ſcelus perjurio amoliri non verito, paulloque poſt, Deo vindice, morte correpto. Nec unus erat vero ejuſmodi purgationis per juramentum Ritus. Antiquitus Clericus mala fama pulſatus ſolo interpoſito ſimplici juramento ſe purgabat, ac in gradu permanebat, juxta decretum S. Gregorii II. in epiſt. 9. ad S. Bonifacium relata a Carolo M. Capitul. lib. 7. cap. 205, ſive inter Capitula Eccleſ. an. 803. tit. 3. cap. 4, ac teſtimonium Ivonis Carn. in epiſt. 206. Poſtea vero, quia compertum eſt flagitio a pleriſque addi perjurium, ſacris ideo ſanctionibus cautum eſt, ut criminis accuſatus juraret non modo ipſe, ſed & alios ſecum ad jurandum adhiberet, qui proinde *Conjuratores*, aut *Compurgatores* vocabantur, quique pro qualitate criminis, ac perſonæ modo plures, modo pauciores erant adhibendi; atque Ritus hujuſmodi vocari ſolebat purgatio *Cum tertia*, vel *Quinta*, vel *Septima manu*, de quo inter laudata Caroli M. Capitula Eccl. tit. 3. cap. 2, ſive Capitul. lib. 5. cap. 34, & inter Leges Eccl. Canuti Regis Angl. extat Caput 5. de ſecunda etiam, & ſena manu. Atque ita Innocentius III. in epiſt. ad Archiep. Burdigal., Epiſcopum Agennen, & Abbat. Clarienſem, multorum accuſatum criminum Archiepiſcopum Auxitanum quinta purgare ſe manu præcepit; ſimilique purgatione objectum a Bala III, & Emerico Hungariæ Regibus inceſtus crimen eluiſſe Calanus Quinqueccleſienſis Epiſcopus conjicitur ex eodem Innocentio III. in Cap. *Cum in Juventute* de Præſumpt., & de Purgat. Canon. Confer, ſi placet, qui ejuſmodi probationum exempla congerunt, S. Gregorium Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 1, lib. de glor. Confeſ. cap. 14, & lib. de glor. Martyr. capp. 68, & 69; Theodorum Lectorem lib. 2. hiſt. Eccl., Ducangium in Gloſſ. V. *Judicium*, & V. *Aquæ*; Cellotium in Append. Miſcell. ad hiſtor. Gotteſchalci; Martenium de antiq. Eccl. ritib. lib. 3. cap. 7; Mabillonium locis ſupra indic.; Juretum in Not. ad epiſt. 74. Ivonis; Muratorium Antiq. Ital. tom. 2. par. 2. diſſert 38, & ſeq., alioſque.

Obſervare 2. juvabit frequentiſſimum olim fuiſſe probatio-

num

num hujuſmodi uſum, quæ tanquam *Dei Judicia* habebantur, veluti liquet ex dictis, atque ex Legibus Wiſigothorum lib. 6. tit. 1. cap. 3; Friſonum tit. 3. capp. 4, & 5, ac tit. 14. cap. 3; Langobardorum lib. 1. tit. 9. capp. 29, 35, & 39, ac videndus Muratorius rer. Ital. par. 2. tom. 1. de Rotari L. 367, ac Luitprandi lib. 5. L. 21; Francorum lib. 4. cap. 13; Append. 2. cap. 33, ac Baluzius adeundus in Capitul. Ludovici Pii an. 819; Alemannorum tit. 6. de *Juratoribus*; Siculorum a Carolo I. Sæculo XIII. apud Ducangium; atque ex Scriptoribus eorum temporum, Hincmaro Rem., Agobardo Lugd., Ivone Carn., Attone Vercell., aliiſque, de quibus fuſe Jutetus in Not. ad epiſt. Ivonis. Variæ autem erant formulæ, ſub quibus purgationes ejuſmodi fieri ſolebant, quarum pleraſque deſcribunt Juretus, Lindenbrochius, Goldaſtus, Mabillonius, Bignonius, Martenius, Ducangius, Martinus del Rio in Diſquiſ. Magic. lib. 4. cap. 4, Muratotius diſſert. 38, & ſeq., legereque præſtat apud Baluzium poſt Capitul. Reg. Franc. Generatim, qui probandi erant, adjurari ſolebant modo per S. Trinitatem, modo per Dei Filium, modo per tres Divinas Perſonas, ut habetur in Ordine 5. apud Martenium lib. 3. cap. 7. Aliquando adjurabatur vel ipſa aqua, vel ignis ipſe, in quibus fieri purgatio deberet, veluti legitur apud eumdem Martenium in Ord. 3. his verbis: *Adjuro te aqua frigida in nomine Patris Omnipotentis &c.* Quum vero purgatio per Euchariſtiam fiebat, hæc ferme adhiberi formula ſolebat, quam ex Synodo Wormatienſi an. 868. Can. 15. referunt Regino lib. 2. cap. 276, Burchardus, & Gratianus Can. 23, & 26. Cauſ. 2. Q. 5 *Corpus Domini ſit tibi* (vel mihi) *ad probationem hodie*; aut iſta alia, quæ habetur tom. 2. Capitul. Franc. edit. Pariſ. 1677. pag. 655, & ſeq. *Adjuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum S., & per veram Chriſtianitatem, quam ſuſcepiſti, & Baptiſmum quo te Sacerdos regeneravit, ut non præſumas ullo modo communicare, neque accedere ad Altare, ſi hoc feciſti, aut conſenſiſti &c.* Terribilior eſt, quam S. Gregorius VII. uſurpaſſe legitur apud Lambertum Scafnaburg. in Chron. ad an. 1077. imprecatoriis verbis conceptam. Quæ vero fiebat ſuper Reliquias, hæc præſcripta legitur Italis a Carolo M. in L. 38. Langob. *Sic illum Deus*

Deus adjuvet, & illi Sancti, quorum Reliquiæ istæ sunt &c; Quamvis autem probationes hujusmodi a Sæculo VIII, ac deinceps usque ad Sæculum XI, aut XII. Provinciarum usu receptæ ubique essent, & Ecclesiasticis quin etiam cæremoniis consecratæ, quatenus Judiciorum forma ita exigere tum temporis videbatur in ea parte, in qua de eruenda ex defectu testium a reis veritate agebatur, nihilominus defuere nunquam, qui abusum illum detestarentur, proculque Christiana è Republica abigere adniterentur. In quibus Romani Poctifices pro officii particula qua unam, qua alteram, qua ad unam omnes purgationum ejusmodi species abolere sategerunt: uti S. Nicolaus I. in epist. 50. de Lotharii, & Theutbergæ causſa; uti Stephanus V, sive VI. apud Gratianum Can. 20. *Consuluisti* 2. Q. 5, in Rescripto ad Heribertum Mogunt. an. 889, de cujus veritate dubitat quidem Van-Espenius Jur. Eccl. Univ. par. 3. tit. 8. §. 32, ejusdem tamen meminere Ivo Carn. in epist. 74, 205, 252, & 280, Baronius ad ann. 890. n. 7, & Carrierius in hist. Chronolog. Rom. Pontif.; ut Alexander II. in epist. ad Romaldum Cumanum relatus ab Ivone in epist. 74. ad Hildebertum Cenoman., & a Gratiano Can. 11. *Super* 2. Q. 5; ut Innocentius II. in Concilio Later. II. Can. 14; ut Alexander III. in Later. III. Cap. 20, & in Append. par. 8. *De Testibus* cap. 21. Lucius III, & par. 23. *de Juramento* cap. 1. Honorius II; ut Innocentius III. in Concilio Later. IV. cap. 18, & in Cap. *Ex litteris* de Excess. Prælat.; ut Honorius III. in Cap. *Dilecti* Decret. lib. 5. tit. de Purgat. vulgari; ut Alexander VI, a quo tentatum an. 1498. ignis experimentum in causſa Hieronymi Savonarolæ, ex Cardinalium consilio reprobatum legitur in ipsius vita a Jo: Pico Mirand. scripta tom. 2. in addit. ad cap. 15. pag. 313. edit. Paris. 1674, ac refertur a Benedicto XIV. de Canon. SS. lib. 4. par. 1. cap. 23. n. 4, sive Volum. 3. differt. 8. n. 4. Quorum æmulantes zelum purgationes per Monomachiam prohibuit Concilium Valentinum III. an. 855. Can. 12; per ferrum candens, & aquam ferventem Synodus Palentina an. 1322. cap. 26; per oleum fervens, & per natatum in flumine Crocodilis referto (qua de purgationis specie Indis familiari videndi Kaempfer Amœnit exotic. fascicul. 2. relat. 2. pag. 454, & Vincentius a S. Cathar.

Cathar. pag. 251, ubi etiam de probatione per immiſſionem manus in perforatam Serpentum capſam) Synodus Diamperitana, an. 1599. Act. 9. decr. 16; per aquam frigidam etiam Ludovicus Pius in Capitul. 3. Aquiſg. an. 829 cap. 12, & Lotharius L. 55. Langob.; per Crucem idem Ludovicus in Capit. 1. Aquiſg. cap. 27, idemque Lotharius L. 9. Langob., de qua Muratorius in diſſert. 38; per Euchariſtiam Robertus Francor. Rex in epiſt. ad Leotericum Archiep. Senon., de qua Helgaldus in ipſius Regis vita. Eodemque zelo demum invecti leguntur in probationes per aquam, per ignem, per certamina Agobardus Lugdun. in tract. hoc de argumento inſcripto, Atto Vercell. in Opuſc. de preſura Eccl. apud Dacherium Spicileg. tom. 8, edit. nov. tom. 1. pag. 402, & ſeqq., Ivo Carnot. in epiſt. 91. ad Hildebertum Cenom., quem a probatione per ignem, quam ab eo Henricus Angliæ Rex exigebat, graviſſimis deterruit verbis, Gofridus Vindoc. in epiſt. ad Petrum Santon. Epiſcop., de qua Sirmondus pag. 62; quas demum illicitas demonſtravit S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 8, illiciteque aliquando permiſſas 3. par. q. 80. art. 6. ad 3, quem ſequuntur vulgo de Schola Theologi.

Quæ quum ita ſint, mirari non ſubit ab Eugenio II. purgationis ritum per aquam frigidam inſtitui potuiſſe, ſeu verius ritus formulam præſcribi, ſi vera eſt, quæ ſub ejus nomine in pervetuſta Membrana Remigiana exhibetur a Mabillonio veter. Anal. tom. 1. pag. 161, quamque Sæculo IX. exararam exiſtimat; atque legitur in antiqua Collectione Canon. Monaſterii S. Mariani Antiſiodorenſis, eodem Mabillonio teſte, quæ hanc epigraphen præfert: *Hoc judicium, atque examinationem miſit Domnus Apoſtolicus* (Eugenius II.) *in Franciam, ut non violarentur ſacra Altaria Sanctorum, ſed per hanc adjurationem, & judicium aquæ frigidæ poſſit pateſcere veritas*. Formula vero hiſce præconcepta verbis erat: *Obnixe te deprecamur D. J. Chriſte, fac ſignum tale, ut ſi culpabilis eſt hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua*. Ita Oratio ſuper hominem recitanda: Oratio vero ad aquam benedictam ita habebat: *Suppliciter te D. J. Chriſte deprecamur tale præſentialiter facere dignare ſignum, ut ſi iſte, quod ei objicitur, eſt in aliquo culpabilis, non ſuſcipiat eum hæc aqua, ſed evaneſcat ipſe, & nullatenus*

latenus modo intro recipiat. Sed & ab Eugenio II. inſtituta ibidem legitur formula probationis per Euchariſtiæ ſumptionem, quæ hiſce verbis effertur: *Adjuro vos per Patrem, & Filium, & Spiritum S., & per Chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis, & per Unigenitum Filium Dei, per Evangelium, & per Reliquias, quæ ſunt in Eccleſia, ut non præſumatis communicare, neque accedere ad Altare, ſi hoc feciſtis.* Poſt quæ Sacerdos probaturis Euchariſtiam porrigens hæc verba proferebat: *Corpus hoc, & Sanguis D. N. J. Chriſti ſit vobis ad probationem hodie*. Quæ tamen formula Eugenii II. ætate facile antiquior videtur, atque ex dictis æſtimari debet. Ex quibus has ego quidem conjecturas eruo. Atque principio quidem etſi ob ejuſmodi purgationes ab Eugenio inſtitutas, vel indictas, in ſuperſtitionis vitium is eſſet vocandus, non tamen ut in fide lapſus foret laceſſendus: ſiquidem id culpæ eſſet genus, quo fidei, morumque doctrina nullatenus læditur, & violatur. Id ad diſciplinæ caput ſpectabat, quæ in hac difficillima materie de criminum admiſſione, vel purgatione, in qua alter indagandæ veritatis modus vel non apparebat, vel difficillimus ſuppetebat, Reipublicæ vero bonum modum aliquem, & quidem aſperum expoſcebat, quo crimina coercerentur, ſiquid aſperius, minuſque rectum præferre videretur, digna tamen excuſatione erat ea ratione, quod tum publica utilitate compenſaretur, tum quod nullus alius opportunior cohibendi facinora modus ſuppeteret. Unde ſi ob periculum, aut ſpeciem ſuperſtitionis, aut ſacrilegii modus ille per aquam frigidam, vel Euchariſtiam fuiſset omittendus, omittendus pariter fuiſset alter modus purgandi ſe per juramentum ob periculum perjurii. Quod ad probationem alioqui per Euchariſtiam pertinet, nullum quidem Eugenio faciendum eſſe negotium video, ſive quod ipſi neutiquam ejuſmodi inſtitutio referri accepta debeat, ſive quod nihil mali iſta præferat, quæ fide integra a S. Gregorio VII. poſtea fuit uſurpata, atque ad omnem abſtergendam ſuſpicionis labem Eccleſiaſticis perſonis indicta paſſim legitur. Quod vero ad probationem aquæ frigidæ attingit, neque Eugenium in ſuperſtitionis culpam vocandum cenſeo, quaſi Deum tentari debere, aut licite poſſe docuerit, aut præceperit. In Germania, & Gallia enim vero quum ob ejuſmodi probationes, quæ ad Altaria, ſive

ſuerp

ſuper Sacras Reliquias fieri ſolebant, frequentia eſsent perjuria, nec eiuſmodi probationes omnino prohiberi, abolerique poſſent, ſatius forte Pontifici viſum eſt eas permittere, quæ minus malum præſeferrent, formulamque præſcribere, quæ non ita Religionem lædere videretur. Id facile conjicere fas eſt tam ex formula ipſa, quam ex titulo ipſi formulæ præfixo, ex quo nempe pateſcit hac purgatione per aquam permiſſa voluiſſe Pontificem ſacrorum Altarium, & Sanctorum violationes, & ſacrilegia præcavere. Cæterum neque ſpernendæ ſunt conjecturæ Natalis Alex. in Synopſi hiſt. Eccl. ad Sæculum IX, & X. cap. 1. art. 4, quæ Papebrochio in Conat. §. 101. pag. 226. probatæ evaſerunt, quibus iſtius ritus inſtitutionem Eugenio abjudicat, veri haud ſimile arbitratus, neque credibile a prudentiſſimo Pontifice ritum inductum, quo Deus tentaretur, miraculum ab ipſo poſtulando, abſque neceſſitate; quod in Religionis plane offenſionem cederet. Neque vero monumenta a Mabillonio allata, & a Pagio Jun. comprobata omnino cogunt: ſiquidem quanto ea in pretio habenda ſint, ſive ex Scriptorum, ſive ex temporis ratione non facile quiſpiam ariolabitur; eademque penes dumtaxat fides ſit omnis, quum apud alios Scriptores, etſi diligentiſſimos, geſtorum Roman. Pontificum, ne veſtigium quidem extet leve hujuſmodi Eugenianæ inſtitutionis. Quod demum Eugenio 2. objectum eſt loco, ſic obiter diſpungo, ajendo Canonem 36. Concilii Romani ſub eo celebrati commode intelligi poſſe, ac debere, quomodo locum S. Matthæi cap. 19. v. 9: *Quicumque dimiſerit Uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*,, exponunt Juris Interpretes, ſcilicet de ſeparatione quoad torum, non quoad vinculum. Quæ interpretatio eo fulcitur momento, quod S. Leo IV. Canonem illum explicans, primæ quidem parti, in qua locus objectus habetur, nihil adjiciendum duxit, ſiquidem germanum ejus ſenſum ex ſe patere ſatis putaret, 2. vero parti, qua decernitur, ne Conjugis utriuſque receſſio, etſi mutuo conſenſu inita, ex religioſæ vitæ intuitu, abſque Epiſcopi conſcientia fiat, ut ab eo ſingulariter proviſo conſtituantur loco, pœnitentiam adjecit Conjugi alteri infligendam, qui poſtmodum a propoſito reſiliret, datamque pollicitationem non adimpleret. Ex quo perinde liquet perperam S. Leonem, inſignem-

que per injuriam in eumdem cum Eugenio pertrahi errorem.

S. Nicolaus I. de violata Sacramenti Baptiſmatis religione ad vulgus temere traducitur, quaſi alteram a præſtituta a Chriſto D.,& ab Eccleſia uſurpata in Baptiſmatis adminiſtratione, formulam præſcripſerit, dum in Reſcripto ad Conſulta Bulgar.cap.104. relato Can. 24. *A quodam Judæo* de Conſecr. diſt. 4, valere Baptiſmum, *vel tantum in nomine Chriſti* collatum docuit. Quod adverſa plane fronte contrarium eſſe contenditur ſive Evangelicæ inſtitutioni, ſive Eccleſiaſticæ traditioni, cujus liquidi teſtes extant ex Pontificibus S. Innocentius I. in epiſt. 22. edit. Concil. ad Epiſcopos Maced. cap.5, & in epiſt. 18. ad Alexandrum Antioch. cap.3; Pelagius I. in epiſt. 2. ad Childebertum apud Gratianum Can.30. *Si revera*,& Can. 82.*Multi ſunt*; S.Gregorius M. in epiſt. 61. lib. 9, alias 67. lib.11. ad Quiricum relatus Can.44. *Ab antiqua*, & Can. 84. *Hi vero* de Conſecr. diſt. 4; & S. Zacharias in epiſt.6. ad S. Bonifacium ibid. Can. 86: *Retulerunt*; ex SS. Patribus,&quidem Græcis S.Juſtinus in Apolog.; S.Baſilius to.2. pag.170; S.Athanaſius in Orat.2. contra Arian., & in epiſt. 4. ad Serapionem; S. Gregorius Nazian. in Caten., S.Jo: Chryſoſtomus hom.2. in epiſt.ad Epheſ.; S.Cyrillus Hieroſolym. in Cathech.16: Didymus lib.2. de Spir. S. interprete S. Hieronymo tom. 4; S.Jo: Damaſcenus de fide orthod. lib. 4. cap. 10; & Theophylactus in S. Matth. cap. ult.; ex Latinis quoque Tertullianus lib. de Bapt. cap.13, de Præſcript. cap.20, & lib. adv. Praxeam cap.26; S.Cyprianus in epiſt.73. ad Jubajan.; S. Hilarius de Synodis num. 85; S. Ambroſius de Myſt. cap. 4; S.Auguſtinus de Bapt. lib.3.cap.15, & lib. 6. cap.25; S.Hieronymus loc. cit.; S Fulgentius de Incarn. cap.11; S. Gaudentius Brix. pag.288; Ex Conciliis etiam Arelatenſe an.314.Can.8, Nicænum Can.8, & Anglicanum a S.Zacharia Papa confirmatum epiſt.10. ad S. Bonif., relatum Can.83. *In Synodo* de Conſecr. diſt.4, liquetque ex Euchologiis, Ritualibuſque Græcis,& Latinis,quibus Baptiſmi forma in Trinitatis nomine adminiſtrandi indicitur.Verum cur S.Nicolaus erraſſe dicatur, nihil eſt quod cogat. Quid enim prohibet, quominus probe cum Harduino in Quæſt.de Bapt.eumdem interpretemur eo pacto, quo Acta Apoſt cap.2.38,a S. Hilario præſertim de Synod.n.85;S.Ste-

pha-

phanus I. apud S.Cyprianum epiſt.74,ex ipſo,& Firmiliano potiſſimum a Coutantio in diſſert. de S. Stephani Sent. §. 3 ; & S. Ambroſius lib. 1. de Spir. S. cap. 3, a Maurinis edit. præſertim,& Berardi par.2. cap.77. tom.2. pag.327, & ſeq. , exponi ſolent,quod nempe quum dicitur Baptiſmus in nomine Chriſti collatus , id dictum accipi debeat vel de Baptiſmo a Chriſto inſtituto ; vel de Baptizando in fide Chriſti;vel de nomine Patris & Spiritus S.non excluſo a Chriſti nomine; vel de nomine Chriſti ſpeciatim expreſſo ; vel de Baptiſmo collato ex virtute, merito, & efficacia Chriſti, veluti fuſe explicant Theologi præſertim apud S. Thomam par.3. q 67.art.5,Heſſelium de Bapt. cap. 4,Harduinum in quæſt. de Bapt. in nomine Chriſti , Calmetium in diſſert. eodem de argumento, Natalem in Theolog. Dogm. lib. 2. tract. 2. de Baptiſ. cap.1. art.3, Tournellium , Drovinum , Berti , Sandinum de Apoſt. pag. 49 , ſexcentoſque alios , qua de re , ſi Superis placebit , alias in ſingulari diſſert.

Sed enim ſententia de invalido Baptiſmo , abſque expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione , collato , etſi certa , & communis , ideoque , meo quidem judicio, omnino tenenda ſit , nondum tamen ſatis eliquata eſt , multoque minus ab Eccleſia definita eſt dicenda , ideoque nulla contrariæ inurenda nota eſt . Nec enim unus neſcit in eam conſpiraſſe Synodum Nemauſenſem an. 1284. cap. de Bapt. apud Harduinum tom.7. pag. 904, Synodum Uticenſem circa ann. 1351. ſub Elia Epiſcopo apud Martenium lib.1. art.14; Ferrandum Diac. in epiſt. ad Anatolium Rom. Eccl. Diac. apud Sirmondum in Not. ad Facundum Hermian.; atque ut prætereantur S. Ambroſius , S. Baſilius , V. Beda , S. Bernardus, Theophylactus , & Dionyſius Carthuſ., quibus hanc pariter inſediſſe opinionem pugnat Cl. Orſius in diſſert. de Bapt. in Chriſti nomine collato ; contra vero contendente Drovino ; antiquiores Scholaſticos , auctoritateque potiſſimos , Hugonem Victor. de Sacram. lib. 1. cap. 13; Petrum Lombardum in 4. Sent. diſt. 3 ; Petrum Pictav. lib. 5. Sent. cap. 5; Alexandrum Alenſ. par.4. q. 13. ad 8; S. Thomam in 4. diſt. 3. art. 2. q. 2. ad 3; S. Bonaventuram par. 3. q. 66. art. 6; Scotum , Durandum , alioſque ex utraque Thomiſtica , & Scotiſtica Schola viros Doctiſs , quorum

deinde ſententiam tam in Concilio Baſileenſi die 16. Jan. 1433. publico e ſuggeſtu Johannes de Raguſio Ord. Præd. in Orat. de Commun. apud Harduinum tom. 8. pag. 1754, quam in Congregatione gener. Concilii Trid. die 17. Jun. 1562. Ludovicus Johannes Villetanus in diſput. de Commun. in reſp. ad object. 3. apud Harduinum tom. 10. pag. 341. propugnare non dubitarunt, cui proinde abſit, ut Theologica appingatur nota. Cæterum juxta hæc S. Nicolaum erraſſe, non ut Pontificem quidem ex Cathedra definientem, ſed ut perſonam ſingularem ex privata opinione dicentem, communis eſt hodie, receptaque reſponſio Bellarmini lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 12; Vaſquezii diſput. 143. cap. 3; Cani de loc. Theolog. lib. 6. cap. 8. ad 7; Eſtii in 4. diſt. 3. §. 5; Silvii in 3. par. S. Thomæ q. 66. art. 6; Tournellii, Natalis, Henno, Fraſſeni, Berti &c.; ideoque ejus reſponſum irreformabile quidem eſſe in ea parte, qua ſtatuit legitime baptizatum, etiamſi a Judæo, aut Pagano, non eſſe rebaptizandum; non etiam irrefotmabile in ea parte, in qua obiter de forma, ſub qua Baptiſmus fuiſſet ab Apoſtolis collatus, pertractans, valere Baptiſmum, in ſolo etſi Chriſti nomine adminiſtratum, perhibuit. Quippe qui non de forma, ſed de miniſtro interrogatus fuerat: in Reſcriptis autem Rom. Pontificum attendi debere præcipuam Reſcripti ſententiam, ſive Reſcripti partem, qua interrogationi fit ſatis, admonent; hancque dumtaxat vim legis habere, ideo quod in ea Pontificis animus haud defuerit, ut interroganti quidpiam agendum ex auctoritate indiceret; non ita pari habendas in pretio ſive Reſcripti præfationem, ſive rationes Reſcripto appoſitas, ſive ſententias extra propoſitum Reſcripto aſſutas, veluti Pragmatici advertunt.

Johanni VIII. ob reſtitutum Photium, Stephano VII, & Sergio III. ob irritas Formoſi Ordinationes dictas objectis jam abunde factum eſt ſatis, unde ad alios referre gradum præſtat. Itaque a Johanne X. an. 913. omnium primo turpis lucri gratia Cognationis ſpiritualis impedimentum inductum fuiſſe, ſcripturire in hiſt. Civil. lib. 7. cap. ult Jannonus pro temeritate non eſt veritus. At enim ſplendide in verbo ſuo eum mentitum obiter oſtendo. Ut ſileam enim de Canone Nicæno - Arabico 21. verſ. Turriani,

riani, 23. Ecchel., deque pſeudo-epigrapha epiſtola S. Deuſdedit ad Gordianum Hiſpal., cui innixus Juveninus ante Sæculi IV. exitum Impedimentum iſtud invectum haud recte exiſtimat, certe Impedimenti hujuſce indubia mentio occurrit in Codice Juſtinianeo L. 26. *De Nuptiis*; in Synodo Quiniſexta an. 691. Can. 53; in Romana ſub S. Gregorio II. an. 721. cap. 4; in altera ſub S. Zacharia an. 743. cap. 5; in Metenſi an. 753. cap. 1; in Moguntina an. 813. Can. 55; in Capitulis Herardi Turon. an. 858. cap. 66; atque jam ſane inductum ſuppoſuit Johannes VIII. in epiſt. 84. edit. Hard. ad Anſelmum Lemov., de quo poſtea Alexander III. in Concilio Later. III. par. 32. tit. de *Conjung. filiis* cap. 1, & ſeq; Decretal. lib. 4. tit. 11; ac conferendus Catalanus tom. 3. Concil. ad Can. Trullanum 53.

A Johanne XIII. P. M. omnium primo ſacris ritibus Deo conſecratam fuiſſe primariam Lateranenſis Eccleſiæ miræ magnitudinis recens ære fuſam Campanam, eique S. Johannis Bapt. nomen impoſitum, referunt Baronius ad an. 968. n. 93, Spondanus n. 4, Durandus de Rit. Eccleſ. lib. 2. cap. 22, Bellarminus lib. 4 cap. 12, & Caſalius de veter. Sacr. Chriſt. Ritib. cap. 43. Contra Campanarum uſum a Sabiniano in Eccleſiam invectum cenſent Polydorus Virgilius de rer. Invent. lib. 6. cap. 12, Genebrardus in Chron. ad an. 604. pag. 474, Panvinius in Epitome Rom. Pontif. pag. 27, & Ciacconius, nullo tamen ſuffulti teſtimonio: quod alii inventum S. Paulino Nol. referendum acceptum putant, velut Angelus a Nuce in Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 17, Gavantus, Grimoldus, & Franc. Bernardinus Ferrarius lib. 1. de Sacr. Concion. cap. 1. Exinde Rom. Pontificem turpiſſimi erroris, ac ſacrilegii accuſandi temere anſam arripuere Proteſtantes, ac maxime Magdeburgenſes Cent. 10. cap. 6, quod contra Chriſti D. inſtitutionem Ritum baptizandi Campanas in Eccleſiam induxerit. Quibus antequam os duriſſimum obſtruam, breviter obſervaſſe nec injucundum erit, nec inutile in veteres diverſos Populorum uſus, quibus ad publica ſive Civilia, ſive Sacra convocari ſolebant, atque utrinque erratum ab iis, ſive qui Sabiniano, ſive qui Johanni XIII. Campanarum uſum acceptum referendum opinantur. Apud Ethnicos igitur ad Thermas, & operas tintin-

tintinnabuli ſonitu convocari homines conſueviſſe diſcimus ex Martiali lib. 14. Epigram., & Juvenali Satir. 6. Eodem olim ſonitu Excubiarum præfectis excitare Vigiles in more poſitum teſtatur Suidas V. Δωγοφορεῶν: quo etiam e curru pendente de triumpho M. Furii Camilli Dictatoris admonitum Populum obſervavit Zonaras. Qui primus tintinnabula pridem ad januas poni ſolita in editiori loco ædis Jovis Capitolini poſuiſſe fertur, audit Auguſtus apud Svetonium in Octav. cap. 91; atque de Turribus, ubi affixa tintinnabula erant, mentionem non uno in loco fecere Strabo lib. 14. Geogr., Dio lib. 5. cap. 4., & Plinius lib. 3. cap. 13. Eorum vero uſum ad res præſertim Sacras adhiberi ſueviſſe apud Romanos auctores ſunt Macrobius Saturn. lib. 5, Sextus Pompejus, & Euſebius de præp. Evang. lib. 2. cap. 10. Apud Hebræos Tubis quidem vocari Populum ad ſacra, ſive admoneri de Solemnitate recurrente conſueviſſe refert Joſephus de bello Jud. lib. 5. cap. 9, ac patet ex Num. 10. 2, & Joel. 2. 15, & ſeq.; ſed tintinnabulorum ſonitu indicatus quoque Pontificis adventus legitur Exodi 28. 33. Exinde ductam a Chriſtianis Campanarum originem innuunt Alcuinus, ſive Auctor lib. de Divin. Offic. cap. 28, Uvalafridus de reb. Eccl. cap. 5, Amalarius de Eccl. Offic. lib. 3. cap. 1, & Guibertus Tornachus de offic. Epiſcopi cap. 15, & ſeq. Apud Chriſtianos igitur tempore perſecutionum convocari privatim ſingulos ad rem Sacram a Miniſtris Eccleſiæ, qui in epiſtola 11. pſeudo-epigrapha S. Ignatii ad S. Polycarpum *Curſores*, a S. Hieronymo vero in epiſt. ad Euſtochium *Præcones* appellantur, ſolitos fuiſſe obſervant Baronius ad an. 44. n. 78, & Gerardus Voſſius in epiſt. Plin. de Chriſt., atque legitur in Rituali Bellovacenſi edito an. 1637. Pace Eccleſiæ reddita apud Græcos mos tabulæ ligneæ pulſatione ad Officia Divina Populum evocandi obtinuit, de quo mentio fit a S. Ephræmo in paræn. 43, in Actis S. Anaſtaſii Martyr. in Synodo Nicæna II. act. 4. relatis, ab Anaſtaſio ibid. in Nota margin., a Metaphraſte in vita S. Jo: Chryſoſtomi, in vita S. Theodori a Surio ad diem 7. Jan., & a Jo: Moſcho grad. 18; quem ſua adhuc viguiſſe ætate ſcribit Amalarius lib. 4. cap. 21. Tubas etiam corneas uſu Monachis præſertim veniſſe patet ex Regula S. Pachomii cap. 3, & S. Jo. Climaco grad. 19, & in Pra-

to

to cap 11. Obſervat etiam Caſalius loc. cit. Monachos in Occidente nonniſi ab an. 740. Campanis uti cœpiſſe, ex conceſſione nempe a S. Zacharia Papa facta Caſſinenſibus ad Officia Divina Campanas adhibendi. Etſi vero Syris tintinabulorum uſum in Sacris veniſſe Lucianus de Merc. cond. ſit auctor, generatim tamen ad Græcos a Latinis Campanarum morem fuiſſe translatum, nec ante an. 865, quo ad Michaelem Imp. miſſam ab Urſo Patritiaco Venet. Duce Campanam perhibent Dandulus in Chronic. Mſ., ex eo Sabellicus Ennead. 9. lib. 1, & Goarius in Eucholog., pag. 560, apud eos vero obtinuiſſe, uſque dum ipſis a Turcis earum uſus ereptus fuit, ex Georgio Pachymere hiſt. lib. 7, & Michaele Pſello in orat. ad Conſtantinum Monomachum adnotat Leo Allatius in diſſert. de recent. Græcor. Templis pag. 101, & ſeq. A quo deinde tempore ligneo inſtrumento, quod *Symandrum*, ac *Semanterium* vocant, eſtque haſta decempeda binis malleis, ut Magius in lib. de Tintin. apud Byzantinos cap. 15, vel uno dumtaxat pulſa, ut Allatius loc. cit. ſcribit, Græci uti cœperunt, quo de Ritu idem Allatius in Ord. Offic. Divin. cap. 40, & ſeq., Beuvelet in Inſtruct. Manual. par. 2. cap. 4. §. 3, & Rayæus de Acoluthia Græcor. cap. 1. Ad hunc tamen diem in Monte Atho Campanarum uſum ſuperſtitem eſſe adnotat Grancolas in Comment. hiſt. ad Breviar. Rom. cap. 22. Apud Latinos demum etſi Tabularum uſum, ac etiam Tubarum frequentatum olim indicare videantur S. Gregorius Turon. in vit. Patrum cap. 4, & Vvalafridus cap. 5, veterem tamen eſſe, ætateque Sabiniani, & Johannis XIII. anteriorem Campanarum uſum documento ſunt idem S. Gregorius Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 23, & lib. 3. de Mirac. S. Martini cap. 23; Scriptor vitæ S. Columbæ an. 597. defuncti apud Mabillonium Sæculo I. Bened., & Martenium de antiq. Eccl. diſcipl. cap. 25; Ordo Rom. Sæculo VI. ineunte ſcriptus tit. de Sabbato S., & de Proceſſ.; Auctor vitæ S. Lupi Senon. an. 623. apud Surium ad diem 1. Septemb.; S. Audoenus in vita S. Eligii an. 650. lib. 2. cap. 21; V. Beda an. 700. circiter hiſt. lib. 4. cap. 23; Gutberius in epiſt. 89. inter Bonifac. ad S. Lullum; Othlonus lib. 2. vitæ S. Bonifacii Mog.; S. Ælredus in vita S. Eduardi Regis; Scriptor vitæ S. Sturmii Abb. Fuld. apud Mabil-

Mabillonium in præfat. ad Sæcul. III. Bened. par. 1. n. 102; & Synodus Triburienſis anno 895. in præfat. Quin etiam ante annum 965. Campanas benedicendi ritum obtinuiſſe, etſi Sancti cujuſpiam imponendi nomen benedictis nondum vigeret uſus, atque in Germania, Gallia, & Italia invaluiſſe, liquet ex Capitulari Caroli M. anno 789. cap. 18, atque ex Ritualibus Mſs., nominatimque ex Pontificali Gellonenſi, & Egberti, ejuſdem Caroli M. ætate exaratis oſtendit Martenius de antiq. Eccl. Ritib. lib. 2. cap. 21. Jam vero quod ad impactam Johanni XIII. calumniam attinet, is ſane Campanam benedixit, non baptizavit, ac Ritum, de quo poſtea Synodi Ravennatenſis II. an. 1311. Rubr. 8, & Colonienſis an. 1536. cap. 14, eaſdem benedicendi docuit, non baptizandi. Quæ benedictio quidem Baptiſmus deinde dicta eſt, non quod Baptiſmi forma reapſe uſurpatetur, ſed quod nonnullæ in Baptiſmo uſurpari ſolitæ Cæremoniæ, in iis benedicendis, uti lotio, unctio, aquæ luſtralis aſperſio, Sancti alicujus nominis impoſitio, adhibeantur. Verbo, non vere baptizantur, ſed benedicuntur, ac Divino cultui dedicantur, quomodo Templa, Altaria, Calices, Sacræ veſtes, aliaque ſacra Vaſa Dei cultui mancipantur. De vario denique Campanarum uſu vide-ſis Caſalium de veter. Sacr. Chriſt. Ritib. cap. 43; Card. Bonam Rer. Liturg. lib. 1. cap. 22. §. 7; Martenium de antiq. Eccl. Ritib. lib. 2. cap. 21; Roccam de Campanis cap. 6; Thierrium eodem de argumento; Boquilotium de Liturg. lib. 2. cap. 6; Berlendium de oblat. ad Altare §. 4. n. 7, & §. 6. n. 8, ac Benedictum XIV. Inſtit. 20. pag. 88, & 47. pag. 252.

De Silveſtro II. Pontificatum Magicis artibus adepto fabulam a Bennone Schiſmarico, quem Magiæ pariter accuſare S. Gregorium VII. non depuduit, confictam, quam ambabus deinde ulnis, pro ſuo pluſquam vatiniano in Pontifices odio, amplecti non dubitarunt Mornæus Dupleſſius in Myſter. iniq. pag. 224, & Magdeburgenſes Cent. 10. cap. 10. pag. 548; inconſiderate vero Bennoni fidem adhibentes Wernerus, Volfinkius, Martinus Polonus, Nauclerus, & Matthæus Weſtmonaſt., viden, ut ex elogiis, quibus Silveſtrum mactant Ditmarus Merſeburg. lib. 6, Helgaldus Floriac. in vita Roberti Franc. Regis, & Johannes Diac. in libel.

libello de Eccleſ. Later.; ex Silveſtri familiari conſuetudine cum SS. Majolo Clun., & Eberardo Salisburg.; atque ex nobili poſt obitum ipſi poſito Epitaphio, depellant prorſus, ac diſpungant Baronius ad an. 699. n. 3, & ſeqq., ac 1003. n. 1., & ſeqq.; Bellarminus lib. 4. cap. 12: Gretzerus in Myſta Salmurienſi cap. 43. to. 7. Oper. pag. 305, Coquæus in Antid. contra progreſſum 40. pag. 497; Papebrochius in Conat. §. 144; Pagius ad cit. an. n. 1; & Franciſcus ipſe Bruys hiſt. Pontif. tom. 2. pag. 307. Johannem XIX. gemini facinoris cum ſimoniæ, quaſi pecunia Pontificatum aquiſiverit, tum proditionis, quaſi vili pretio Apoſtolicæ Sedis dignitatem venalem fecerit, Univerſalis Epiſcopi, uni Pontifici Rom. peculiare, nomen Patriarchæ Conſtantinopolit. concedere paratiſſimus, niſi a Willelmo Abb. S. Benigni Divion., & a Richardo S. Witoni Virdun. deterritus fuiſſet, accuſatum a Glabro Rodulpho lib. 4. cap. 1, ab Hermanno Contracto in auctiori Chron., ab Hugone Flavin. in Chron. Virdun., & a Romualdo Salernit. in Chron. pag. 167. egregie vindicant Fulbertus Carnot. in epiſt. 38. ad Guidonem Silvanect. illum non largitione pecuniæ ingreſſum ſibi paraſſe, ſed ex laico inauguratum Pontificem, atque tam licite quidem, quam legitime exemplis S. Ambroſii Mediol., S. Germani Antiſiod., & Eubuli Remen., qui ex ordine Laicali ſubito ad Epiſcopalem gradum evecti leguntur, oſtendens; & S. Leo IX. in ep. 1. ad Michaelem Cerularium cap. 9, Græcos ea in ambitioſa petitione tituli Oecumenici a Prædeceſſoribus ſuis repulſam ſemper paſſos conſtantiſſime affirmans. Confer & S. Petrum Damian. in ep. 9. ad Nicolaum II, quod eſt Opuſc. 19. de abdicat. Epiſcop. cap. 3. tom. 3. Oper. pag. 213, qua Johannem, Pontificalis ſarcinæ pondere abjecto, Monachum induiſſe, uni deinceps Deo vacaturum refert. Ab eodem S. Petro Dam. lib. 4. epiſt. 9. ad Oldericum Firmanum Epiſcopum viciſſim S. Leonem IX. perſtrictum, quod Militaribus copiis ſe miſcuiſſet, recte defendunt, pieque abſolvunt Baronius ad an. 1053. n. 10, & ſeqq., S. Petro Dam. adverſari obſervans Gregorium IX. in epiſt. ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolit., Bonifacium VIII. in Cap. *Unam Sanctam*; Extrav. de Major., & Obed. cap. 1, S. Bernardum lib. 4. de Conſid. cap. 3, ceteroſque de Schola Theologos, a quibus hæreſis

nomine notantur, qui a Rom. Pontifice e duobus alterum gladium auferunt, neque nisi spiritualem concedunt. Excusatione cæterum eum dignum, quod mœrens, lugensque frequenter acciperet, in Gallia, & Germania Episcopos galeatos, & loricatos ad bella procedere: quod haud fecerat tamen S. Leo, qui licet Exercitum comitatus, eminus certaminis eventum expectare satius habuit; Johannes de Carthagena in propugnaculo Cathol. de Jure belli Rom. Pontif; Bellarminus de Script. Eccl. ad an. 1060 ac Benedictus XIV. de SS. Canon., qui postquam lib. 3. cap. 30. post Baronium ad ann. 1049. n. 12. observasset calumniatorum opera S. Leoni IX. infensum S. Petrum Dam. factum fuisse, cap. 36. opinionem Cajetani in Schol. ad cit. epist. Gregorii IX, Thomæ Montecatinii in respons. ad suas animad., & P. Vitalis Martii in respons. ad quæstiones Vallumbros. Fidelis Soldani cap. 10 existimantium a S Petro Dam. gladium materialem Rom. Pontifici non fuisse ablatum, amplectens, id unum putat voluisse, intendisseque S. Petrum Dam., gladium materialem competere quidem Pontifici, sed eum neque propria ipsius manu, neque aliorum ipso præsente, ac mandante ceu belli Duce, adversus hostes esse exerendum, & exercendum.

DE S. GREGORIO VII, ALEXANDRO III, INNOCENTIO III, JOHANNE XXII, MARTINO V, INNOCENTIO VIII, SIXTO V, & CLEMENTE XI.

§. VIII.

IMmanes inter calumnias, quibus in S. Gregorium VII. Pontificem Opt. a Berengario, a Bennone, a Conrado, a Sigeberto, a Bibliandro, ab Aventino, a Tilmanno, ab Illyrico, a Mornæo, ab Heideggero, a Goldasto, a Rivero, a Baylio, ab Allixio, a Bruejo, aliisque Sycophantis horum similibus invidia undique quæsita est, tanquam qui per vim Militarem, pecuniis sibi comparatam, Pontificiam dignitatem invaserit; in Henrici IV. Imp. jura temere irrepserit, atque infontem odio ferino habuerit; a Sacerdote Concubinario verum confici Sacrificium inficias iverit, ideoque

que Chriſtifidelibus ejuſmodi Sacerdotum intereſſe Sacris interdixerit; homicidiis demum, Adulteriis, Sacrilegiis, Magiis, omniſque genus ſceleribus operam dederit, vitamque non homine dignam, ſed bruto ſimillimam traduxerit; quos nebulones tamen ſi cum egregiis illis, quos innocentiæ S.Gregorii probariſſimæ, eximiarumque virtutum aſſertores, ac vindices indicavi par.1. To. 2. Art.8. §.1. pag.344. & par.2.To.3.Art.6.§.1. pag.633, viris compares, eo ſe habebunt modo, quo *Si conferas Fulicas Cygnis, & Aedona Parræ; Caſtaneis Corylos æques, Viburna Cupreſſis*, tot, inquam, tamque atroces inter calumnias, duo potiſſimum accuſationis capita, quæ proxime fidem tangant, diluenda mihi ſumo. 1. Quod a Berengarii circa Euchariſtiam errore haud procul abfuerit, veramque panis, ac vini in Chriſti D. Corpus, & Sanguinem fieri converſionem negaverit. Ita commenti omnium primi leguntur Berengarius in refutatione ultimæ profeſs. fidei, & Benno in ipſius vita; atque hoc quoque nomine, quod fidem de Euchariſtia in quæſtionem poſuiſſet, quin & labefactaſſet, judicio poſtulatum ab Epiſcopis 30. Schiſmaticis in pſeudo-Synodo Brixinenſi anno 1080. refert Conradus Urſperg. eodem & ipſe ſchiſmatis furore in Pontificem Optimum percitus. Ad commentum iſtud confirmandum ex Commentario Mſ.Bibl. Lambethanæ in S.Matthæum Hildebrandi nomine inſignito, quem a S.Gregorio VII. non diſtinguendum pro certo habet, fragmentum profert Petrus Allixius in præfat. ad libellum quemdam Johannis Pariſ. Ordin. Præd. inſcriptum: *Determinatio de modo exſiſtendi Corporis Chriſti in Sacramento Altaris &c.* pag.7, quo in fragmento Auctor quomodo converſio in Euchariſtia fiat, quærens, an formalis ſit, an ſubſtantialis: *Quod formalis*, inquit, *non ſit, manifeſtum eſt; quod forma panis, & vini remanent. Utrum vero ſit ſubſtantialis, perſpicuum non eſt*. Duobus expoſitis deinde modis, quo converſio iſta explicari ſolet, ſuam hac in quæſtione ſuſpendere opinionem ſatius habet. 2. Quod facto, & dicto in id contenderit, ut Principum temporalia Rom. Pontificis ſubjugaret poteſtati; eam ſibi exauctorandorum Regum aſſeruerit, exemploque peſſimo in Principum jura attentandi Succeſſoribus ſuis præiverit, atque Alexandro III, Innocentio III, Gregorio IX, Innocentio IV, Bonifacio VIII,

Johanni XXII, Urbano VI, Paulo II, Pio IV, S. Pio V, Gregorio XIII, & Sixto V. errandi pariter causa fuerit errore suo, quo apertissime contra Dei Verbi scripti, & traditi expressissima testimonia in jura Principum irrepsit: atque hoc quidem nomine, quasi violatæ Religionis erga Reges reum, post Schismaticos, & Hæreticos paullo superius indicatos, ad plebem S. Gregorium nostrum ignominiose traducere Maimburgus, Vigorius, Dupinius, Bossuetius, de Choyseul, Natalis &c. haud veriti sunt.

Verum his frontem omnino periisse oportet, quos hæc apud Plebem venditare non puduit. Quam enim 1. alienus fuerit S. Gregorius a Berengariana hæresi, egregiusque Catholici dogmatis de Transubstantiatione propugnator, facile demonstrari potest tum ex Synodis Turonensi ann. 1055, cui ipse Legatus præfuit, Romana an. 1059, cui ipse præsens subscripsit, duabusque Romanis aliis ann. 1078, & seq. sub ipso Pontifice habitis, in quibus Berengarius ad fidem de præsentia Christi D. in Eucharistia, juxta Evangelicam, Apostolicam, & Ecclesiasticam veritatem, deque panis, vinique in Christi Corpus, & Sanguinem conversione profitendam compulsus fuit; tum ex lib. 1. epist. 47, qua Mathildem Comitissam ad frequentem Eucharistiæ sumptionem adhortans, ad orthodoxam de eadem fidem explicandam SS. Ambrosii, Gregorii M., & Jo: Chrysostomi testimonia adhibet. Quod autem ad fragmentum attinet a Petro Allixio prolatum, illud S. Gregorio VII. abjudicandum, alterique Hildebrando Juniori circa an. 1150. adscribendum non dubitant ipsimet Warthonus in Auctario ad histor. Dogmat. Usserii pag. 405, & Fabricius in Bibl. med., & infim. Latin. lib. 7. gravibus conjecturis ducti, quod nempe longe a Nostri genio, ac sententia fragmenti auctor abludat. Nam ille Clavium potestatem S. Petro datam egregie extulit; super Petrum fundatam Ecclesiam prædicare non destitit; Monasticum Ordinem favore, & amore, quoad vixit, prosecutus est; Hæreticos nullibi quiete degere passus, undique profligare fategit. Hic vero Scriptor de Clavium potestate parum a Protestantibus diversam induit sententiam, eamque Apostolis ex æquo tributam scribit; Ecclesiam non supra Petrum, sed supra Christum ipsum ædificatam fuisse docet; Monachos non semel Pharisæis comparans.

rans, eorum tonſuram, veſtes, ac vigilias vellicat; cum Hæreticis viciſſim mitius agendum, morteque nequaquam afficiendos inſinuat. Demum quod rem extra dubium omne ponit, Scriptor hic S. Bernardum in lib. de Conſid., S. Gregorio VII. ætate certe inferiorem, citat, & ad ejus lectionem exhortatur. Quamquam, ut ibid. in Addit. obſervat Manſius, neque tam facile Scriptori huic Berengarii afflandus eſt error. Etſi enim de converſionis in Euchariſtia modo anceps hæſerit, atque diſputationis hujuſmodi pelagum ingredi detrectarit, de hoc tamen Catholico dogmate recte ſenſiſſe haud obſcure indicat cum in fragmenti principio, tum fine ſic inquiens: *Quum panis, & vinum dicantur a cunctis Sanctis, & a Fidelibus credantur tranſire in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti &c.* Propoſita deinde quæſtione, geminaque ratione converſionis ejuſmodi explicandæ, atque a propria ſe opinione temperans, hiſce concludit: *Quod ex auctoritatibus certum eſt, profitemur ſcilicet in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti converti: modum vero converſionis ignorare non erubeſcimus fateri.* Conſer & Mabillonium in præfat. ad Sæculum VI. Bened. par. 2. §. 7, & Coquæum in Antid. contra Mornæum ad oppoſit. 41 pag. 536. tom. 1. Neque majus S. Gregorio noſtro negotium fuerat ex capite altero faceſcendum ob Laicum Principum jus uſurpatum; nequeviolatæ fidei crimen propterea ipſi fuerat affingendum. Ut enim hac de re alea plena nihil aliud dicam, nullum profecto ab eo decretum emiſſum fuiſſe, quoRom. Pontificis in temporalia etiam Regum poteſtatem extendi definierit, vel Boſſuetio, & Fleurio compertum fuit. Certum eſt inſuper a Bonifacio VIII. Conſt. *Unam Sanctam* nihil hoc de jure fuiſſe definitum, ſed id dumtaxat ſtatutum, neceſſarium eſſe ad ſalutem, ut Fideles omnes Pontifici obedientiam præſtent, veluti obſervarunt Abbely, Cardinalis de Biſsi in docum. Paſtor. adv. Appel., Languetius in epiſt. ad D. de Lamoignon, & in altera ad Epiſcopum Bolonien., aliique paſſim doctrina præſtantes Galliarum Præſules. Cæterum graviſſima non deſunt argumenta, quibus, quominus violatæ Chriſtianæ Religionis, uſurpatique Principalis juris accuſemus Rom. Pontifices, abſterremur, & prohibemur. Paſchalem II. Inveſtituras Henrico Imp. per vim extorquenti

quenti relaxando peccaſse quidem, non fuiſse tamen cur peccati circa fidem coargui poſſet a S. Bruno Signino, a Guidone Vien., a S. Godefrido Ambian., a S. Hugone Gratianop., a Johanne Lugd., & a Gofrido Vindoc., documentis longe gravioris ponderis ex Johanne Cajetano, ex Ivone Carnot., ex Daimberto Senon; atque ex Synodis circa Inveſtituras habitis ſub S. Gregorio VII, Victore III, Urbano II, Paſchali II, & Calliſto II. planum eſt factum tom. 3. Art. 3. §. 2. pag. 245, & ſeqq. Innocentium II. a Petro Diac. lib. 4. cap. 97. Chron. Caſs. injuriam paſſum, dum Inveſtituras Lothario Imp. ab eo reſtituras falſo tradit; explicitiſſimo teſtimonio S. Bernardi in epiſt. 150. ad ipſum Innocentium, & Ottonis Friſing. lib. 7. cap. 18. oſtendunt duumviri hac in re nihil ſuſpecti Maimburgus hiſt. occaſ. Imper. lib. 4. pag. 433, & Bruys hiſt Pontif. tom. 2. pag. 632, & ſeq. Vide & Sandinum diſput. 19.

Ab Alexandro III. graviter erratum, ejuſque ſententia in errorem Pontifices aliquos ipſius Prædeceſsores incidiſſe, jactat Boſſuetius defenſ. declar. par. 2. lib. 14. cap. 40, & ſeq.; quia nempe in Reſcripto ad Ubaldum Oſtienſ. Cap. *Cum eſſet, de Teſtam.* alienum dixit a lege Divina, a SS. Patrum decretis, & ab Eccleſiaſtica diſciplina ad Teſtamenti valorem ultra duos, vel tres exigere teſtes: quum neminem lateat Chriſtianorum Principum Legibus, ac Populorum ubique praxi recepta, rata non haberi Teſtamenta, niſi ſeptem adhibitis teſtibus; & quia in Reſcripto ad Epiſcopum Salernit. Cap. *Licet, extra de Sponſa duorum*, poſtquam decrevit Matrimonium ratum cum una celebratum non diſſolvi poſteriori cum altera inito, & conſumato, ſubtexuit, aliter ſuis a Deceſſoribus aliquando judicatum, videlicet Matrimonium per verba de præſenti contractum, non tamen conſumatum, dirimi poſſe per aliud Matrimonium, in quo copula interceſſerit. Quo plane in judicio Pontifices illos a veritate deflexiſſe probat ipſius Alexandri definitio tota ab Eccleſia religioſe recepta. Sed enim abſque cauſſa Alexandrum Boſſuetius vexat, in invidiamque vocat, atque ad noxam aliis, quos ignorat, pariter inferendam præpoſtere inflectit. Atque nullus quidem in priori Reſcripto intervenit error: nec enim dixit lege Divina ſancitum, ne duo pluſquam, vel tres ad Teſtamenti valorem adhiberentur teſtes, ſed dumtaxat ex

eadem

eadem lege duos vel tres ſufficere. Nec etiam prohibuit, quin lege humana plures alibi ſtatui poſſent, ſed ſolummodo Eccleſiæ Rom. ſubjectis in temporalibus, & Spiritualibus legem ſancivit, qua impoſterum ad valorem Teſtamenti duos, aut tres ſufficere teſtes ſcirent. Quod ideo cautum voluit, quia in Eccleſia Veliterna conſuetudo inducta fuiſſet reſcindendi Teſtamenta, quæ non fuiſſent quinque ſaltem teſtium ſubſcriptione firmata. Qui ſi hac in lege ferenda detur etiam Dei Verbum ſcriptum, ac traditum perperam allegaſſe, falſaque proinde ratione ductus ad eamdem legem ſub pœna excommunicationis indicendam profiliiſſe, quid tum inde? Quandoquidem etſi S. Scripturam, & Traditionem ſuam fruſtra in ſententiam inflexerit, nihil ei tamen adverſum ab eo definitum conſtat. Quemadmodum quod etſi Nicæni Patres ad Filii Divinitatem contra Arium adſtruendam locum ex Gen. cap. 19. v. 24: *Dominus pluit ſulphur, & ignem a Domino*, fruſtra accerſiviſſe dignoſcantur, non propterea a fide deflexiſſe dicendi ſunt. Unde appoſite Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 6. cap. 8. ad 14. admonet duo in Reſcriptis Pontificiis diſtinguenda eſſe, intentionem, & concluſionem, ad quam principaliter mens Pontificis reſpicit, in qua ipſum falli, & fallere omnino neſcium affirmamus, atque rationes, & motiva, quæ a Pontifice Reſcripto perſæpe attexuntur, in quibus Pontificem eodem infallibilitatis privilegio gaudere non dicimus. Quod ad 2. Reſcriptum attinet, neque recte exinde Boſſuetius Alexandri ſententiæ aliquos ejus deceſſores erraſſe colligit. Certe Pontifex ullus huic Decreto Alexandri contrarium aliquando decreviſſe nunquam demonſtrabitur; unde fit, ut verba illa, in quibus vim adeo facit Boſſuetius: *Quamvis aliter a quibuſdam Prædeceſſoribus noſtris fuerit aliquando judicatum*, velut ex ſuggeſtione Epiſcopi Salernitani, ex hypotheſi ideſt, ſubjuncta habeantur, quod ſcilicet ille ſcripſiſſet a quibuſdam Pontificibus fuiſſe declaratum Matrimonium ratum conſumato diſſolvi. Nam Gonzalezio adnotante, Mutinæ in Italia maxime, & in Anglia paſſim abuſus invaluerat Matrimonium ratum diſſolvendi per ſubſequens conſummatum, occaſione forſitan accepta ex perverſa interpretatione Capitis *Sicut ex litteris de Sponſal.*, quo ſancitum fuerat Sponſalia dirimi per Matrimo-

trimonium, unde id pariter translatum fuerit ad Matrimonium ratum. Deinde, ut observat Nicolaus Duboisius, antea in Ecclesia nondum satis eliquata quæstio erat, an subsequenti Matrimonio consumato antecedens dumtaxat ratum dissolveretur; unde factum, ut diversi Ecclesiarum Præsules Salernitanus, Patavinus, Senenensis, Novicensis, Januensis &c. hac de re Apostolicam Sedem consulendam duxerint; non secus atque quoad Matrimonia eorum, qui impotentia, & frigiditate laborabant, diversa obtinuerat sive doctrina, sive praxis in Ecclesia Gallicana, & Romana, ita videlicet, ut ex diversis utrinque probabilibus rationibus diversimode a Gallis, atque a Romanis de hujusmodi Matrimonii validitate, sive invaliditate, ferretur judicium: fieri itaque potuit, ut diversa perinde Roman. Pontificibus affingeretur opinio, antequam nempe exploratissimam Alexander III. rem faceret.

Innocentii III. sententia ab hæresis labe expurgari haud posse sive Urbanum III. Cap. *De illa, de Divort.*, sive Cælestinum III. Cap. *Laudabilem, de Convers. Infidel.*, quod docuerint per hæresim ita Matrimonium dirimi, ut ei liceret conjugium aliud inire, cujus prior Conjux in hæresim prolapsus fuisset, adeoque ut ad eumdem ad fidem regredientem redire compelli nequeat; quorum proinde doctrina emendari indiguit ab Innocentio III. Cap. *Quanto, de Divortiis* fatente aliter suis fuisse a decessoribus decretum: *Licet quidam Prædecessores nostri* (Urbanus, & Cælestinus videlicet) *sensisse aliter videantur*; unde & pars illa Capitis *Laudabilem*, quæ legitur lib. 3. antiquæ Collect. 11. Decretal. Antonii Augustini, Collectioni jussu Gregorii IX. a S. Raymundo adornatæ non est inserta; ac tandem Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 5. in eos censuram intorquet, qui propter hæresim dissolvi posse Matrimonium diceret, ideo, inquam, ab hæresis labe abstergi Urbanum, & Cælestinum nequire Alphonsus de Castro lib.. de hæres. cap. 4, & Hadrianus VI, dum Lovanienſis adhuc doctor audiret, affirmare non dubitarunt. Innocentio III. vicissim ingenti piaculo vertitur a Bossuetio diligentissimo erratorum, in quæ prolapsi videri ipsi potuere Romani Pontifices; collectore cap. 41, ex præpostero ingenio relinquendi nihil intactum, quo infallibilitatis privilegium imminueret, ipsisque prorsus

ſus eriperet, ideo quod a Capitulo Ciſtercienſi conſultus, an Monachi cujuſdam ſacrilega Confeſſio ab ipſo Confeſsario revelanda eſset, tum ex ſua, tum ex Cardinalium ſententia, ideoque præhabita matura, & Canonica deliberatione, affirmative reſpondit; veluti refert Cæſarius Ciſterc. in hiſt. ſui Ordin. lib. 3. cap. 32: quod reſponſum, inquit, quatenus ſacrilegam Confeſſionem non eſſe ſub Sacramentali ſecreto omnino celandam edicit, Juri Divino, & naturali repugnare Theologi, & Canoniſtæ uno ore confitentur. Sed enim abſit a me, ut id ex Innocentii ſententia de Urbano, & Cæleſtino dicere audeam, cujus potius dicto tam vere, quam pie uterque ab hæreſis labe vel levi abſtergitur. Eodem enim Innocentio teſte, ab utroque dubitandi verbum uſurpatum eſt: *Videtur Nobis*; unde patet utriuſque Reſcriptum privatim opinando, ſingulariterque reſpondendo fuiſse datum, non etiam veluti ex Cathedra loquentes Eccleſiam univerſam dicto ſuo obligare eos voluiſse. Neque vero, ut ſuo advertimus ſæpe loco, Epiſtolis omnibus Pontificum, quæ vel inter Decretales relatæ ſunt, ea indiſcriminatim vis legis ineſt, ut tanquam e ſupremo Tribunali editæ inter fidei regulas ſint habendæ: diſtinguendum eſt enim in Decretalibus; atque quæ ad fidei caput ſpectant, non facile confundenda cum iis, quæ ſpeciem dumtaxat ſingularis doctrinæ præſeferunt, veluti paſſim Pragmatici admonent. Vel ex ignorantia vero caſus, cujus arguere doctiſ. Boſſuetium nolim, vel ex prurigine dicta Pontificum vituperandi, linquendique nullum illorum privilegia labefactandi locum, objectionem contra Innocentium procedere putaverim. Caſus fuerat de fingente Confeſſionem, quo in caſu vera omnimode Innocentii doctrina eſt. Nempe Cæſario narrante, Monachus quidam ſe abſque Ordine Miſsas celebrare die quadam Abbati ſuo in Confeſſione aperuerat, a quo tamen dolente, & illacrymante etſi rogatus, monitus, & juſsus, a tanto ſcelere ceſsare ſe nolle miſer reſpondit. Igitur de iſtiuſmodi caſu Innocentius conſultus reſpondit hanc *Confeſſionem eſſe prodendam, quia potius eſt blaſphemia, quam Confeſſio; nec debet Confeſſor tantam blaſphemiam, ac inſaniam celare, per quam periculum toti Eccleſiæ poterit incumbere.* Quo profecto in caſu peccatum in Confeſſione quidem pandentis, ſed

animo obdurato in eo perseverandi, quis censebit veram Confessionem peragi, quum ex institutione Christi ad eamdem necessaria sit ex parte pœnitentis intentio saltem peragendi Sacramentum (quamvis ob aliquam deinde causam suo valore frustretur, & a Confessario denegetur absolutio) quod profecto non peragit, qui sacrilege Confessionem simulat, animoque paratus est in peccato post Confessionem obsordescere?

Non morabor heic multis, quæ Cœlestino V. Pontifici sanctissimo vel a malevolis ex invidia, vel a bardis ex ignorantia objecta leguntur, quasi propria abusus sit potestate, de eaque pessime senserit, dum absolvere se a culpa, & a pœna aliquando pronuntiavit omnes, qui vere pœnitentes, & contriti in die Decollationis S. Johannis Bapt. ad Ecclesiam Aquilanam accederent. Indulgentiam hanc enim vere pœnitentibus, & contritis concessam, pœnæ reatum, qui culpa aliquando etiam dicitur, tantummodo respexisse, manifeste exinde patet, quod nonnisi pœnitentibus, & contritis concessa fuerit, in quibus sane pœnitentia, & contritione jam deletum culpæ omnem reatum supponere oportet, adeoque locum non amplius fuisse, ut a Pontifice absolveretur. Parum hinc abest censuræ alterius nota, quæ postea Bonifacio IX. inflicta est, quod nefandissima licitatione, iniquissimaque Indulgentiarum nundinatione pro ditione Mediolanensi, referente Bernardino Corio in hist. Rer. Mediol., ac pro Regionibus Germaniæ, referente Gobelino Persona in Cosmod. ætat. 6. cap. 86, & seq. eleemosynas conferentibus Indulgentiam talem largitus sit, qua etsi neque contriti, neque confessi, a quocumque peccato absoluti, ac liberi abirent. Commenta, & calumniæ sunt enim, quibus occasionem quidem præbuit, teste Niemo lib. 1. Schism. cap. 68, administrorum quorumdam effrenis licentia, ingluviesque inexplebilis, qui Jubilæum, sive Indulgentiam per diversa Regna promulgatum missi, cum potestate commurandi in alia pœnitentiæ, ac pietatis opera accessum cum iis, qui ad Urbem accedere nequirent, hujusmodi facultate turpiter in quæstum proprium abusi, peccata pœnitentibus sine pœnitentia relaxando, atque super quibusque irregularitatibus dispensando, ansam malevolis dederunt, uti Corio, uti Gobelino, eadem criminatione innocentem aspergendi

di Pontificem. Qui plane quam ab hujuſmodi abuſu abhorreret, documento ſunt, argumentoque evidentiſſimo ipſius Epiſtolæ ad Benedictum Ferrar.,& Beltraminum Novocom. in Italia, necnon ad Gerardum Rothenburg.,Nicolaum Miſnen.,ac Gerardum Hildesheimen.in Germania Epiſcopos apud Raynaldum ad an.1390. n.1, & ſeqq., quibus diſtricte mandavit, ut omni ſtudio, & conatu nefariis ejuſmodi nundinatoribus, ſacrilegiſque nebulonibus coercendis, caſtigandiſque incumberent; quorum pleroſque juſtas flagitiorum pœnas carceribus intruſos Pontifici dependiſſe refert Niemus lib.2. cap. 62. Neque magis eſt, cur morer mendacia, & maledicta,ſive ex odio erga Pontifices immani, ſive ex ſervili erga Principes timore conficta, a maleferiatis pleriſque adoptata, & a Puteano quammaxime in adulterata ſua diſſidii hiſtoria, & poſt ipſum a Franciſco Bruys hiſt. Pontif. tom.3. pag.346, indiſcriminatim congeſta, quibus Bonifacii VIII. fama, fideſque aſpergitur: poſtquam nempe ab invidia prorſus omni abunde illum abſterſerunt, ejuſque nomen, ac Religionem in tuto collocarunt, Aymo Maurianenſis Antiſtes apud S.Antoninum in Chron.par.3. tit.20. cap. 8, §. 21; idem S. Antoninus ibid. §§.1, & 3; Anonymus Vaticanus apud Raynaldum ad ann.1303. n.35, & ſeqq., ac 1311. n. 54, & ſeqq., & apud ipſum idemſemet Bonifacius; Clemens V. in Concilio Vienn., de quo Mauclerus de Monarch. par. 4. lib.7. cap. 18; Cardinales Richardus Petronus Senen., Petrus Hiſpanus,& Franciſcus Cajetanus apud Raynaldum ad an. 1312. n.11; Jo: Andreas in Mercuriali, ſive in Regulas lib. 6. Decret. de Renunt. cap.1; Petrus Paludanus in tract. de cauſsa immediata Eccl. poteſt. apud eumdem Annal. ad an.1297. n.34, & ſeqq.; Ægidius Roman. de Renunt. Papæ in Bibl. Roccaberti to 2. pag.1,& ſeqq; Jacobus Card. S. Georgii lib. 1. de geſtis a ceſſione S. Petri Cœleſtini uſque ad ejus Canonizat. cap.11. tom.3. Script. Ital. pag. 660; Card. Gentilis de Monteflorum Ord. Min. in Apolog. apud Eggs in Purpura docta tom.1. pag.264; Johannes Villanius lib.9. cap. 22; Franciſcus Pippinus in Chron. lib. 4. cap. 49. apud Muratorium Rer. Ital. tom. 9; Guido Baiſius in tract. ſuper hæreſi, & aliis criminibus Bonifacii VIII. ex Bibl. Eccl. Cathed. Lucen. a Manſio deſcripto Suppl. tom.3. pag.375,& ſeqq; Ferretus Vi-

centinus hiſt. lib.3 , de quo idem Manſius in Not. ad Raynaldum an.1303. n. 41 ; Jo: Rubeus in ejuſdem Actis Rom. edit. 1651, Recentioreſque alii plures , quibus parco.

AutNicolaum III,aut Johannem XXII.adverſa inter ſe fronte conflictantes , & quidem in re ad fidem ſpectante , quin erraſſe fateamur, fieri nullo poſſe modo ii pugnant, quibus præpoſtera cura ineſt errata , quæcumque poſſint, urgendi Pontificum, quos falli , & fallere nequaquam eſſe neſcios ſuadendum temere ſibi ſumpſerunt.Enim vero Nicolaus III. præſcriptam a Seraphico Patriarcha S. P. N. Franciſco Religioſæ vitæ formam,Regulamque declarandam adorſus Decretali *Exiit* lib.5. tit.12. cap.3., inter alia, quæ minus ambigua , & difficilia videri poterant , docuit §. *Porro* , quod abdicatio proprietatis tam in ſpeciali , quam in communi meritoria eſt , & ſancta , quam Chriſtus D. , & verbo docuit , & exemplo firmavit : quod ſi Chriſtus D. loculos interdum habuiſſe legitur , id egit infirmorum perſona ſuſcepta , cujuſmodi alienæ infirmitatis ſpeciem etiam in fuga aliquando monſtravit . Diſtinguens deinde in rebus temporalibus proprietatem , poſſeſſionem , uſumfructum , jus utendi , ac ſimplicem facti uſum , hunc poſtremum , nempe facti uſum ſimplicem, prout etiam ab ipſo utendi jure diſcretum, Minoritis ſolum reliquit. Quæ vero donata Minoritis eſſent utenda, in donantis dominio integra manere dixit ; a quo ſi dimiſſa fuiſſent , ne tum eorum , quæ Minoritis utenda dantur, qui nihil in utendo juris habent , incertum videretur eſſe dominium, iſtud,exemplo Innocentii IV, ad Eccleſiam Romanam tranſtulit , Minoritis ſolo facti ſimplici uſu relicto . Hanc porro Nicolai III. Decretalem confirmarunt deinde Bonifacius VIII, qui eam Corpori Juris inter Extravag. Communes lib.6. tit. *De Verborum ſignificat.* inſeruit, & Clemens V,qui eamdem magis explicuit Conſtit. *Exivi* ibidem, diſerte aſſerens rerum utendarum dominium ad Eccleſiam Roman eſſe translatum , Minoritis ſolo uſu facti ſimplici dimiſſo: utramque vero Decretalem Nicolai, & Clementis ratam habuit idemmet Johannes XXII. Extravag. *Quia quorumdam*, utriuſque declarationes vocans *Salubriter editas, ſolidas , claras , lucidas , & magna maturitate digeſtas* . Non obſuit id tamen,quin idem Johannes deinde in Extravag. *Ad conditorem*

Caro-

Canonum de Verb. ſignif. tit. 14. cap. 3. doceret ejuſmodi paupertatem, qua quis in rebus uſu conſumptibilibus abdicat ſe dominio omni, ſolo uſu facti retento, non eſſe poſſibilem, neque veram, neque Minoritis ad paupertatis Evangelicæ perfectionem aſſequendam utilem; ideoque rerum Minoritis utendarum ad Eccleſiam Romanam translatum dominium, quod ipſi videbatur abſurdiſſimum, ab eadem, rebus Sacris exceptis, abigeret. Nec his contentus, Extravag. altera *Cum inter nonnullos*, Cap. 4. declaravit hæreticum dicere Chriſtum D. hujuſmodi paupertatem, qua nec in ſpeciali, nec in communi aliquid habuerit, verbo, & exemplo docuiſſe, atque in iis, quæ habuiſſe Scriptura teſtatur, jus utendi non habuiſſe. Uſus ſcilicet ſine jure utendi eſſe nequire, ſive injuſtus eſſe Johanni videbatur. Quod ipſum denique in Extravag. *Quia quorumdam* Cap. 5. docuit, quæque in præfatis Extravag. docuerat, prolixius confirmavit. Quæ quum ita ſe habeant, alterutrum in fide erraſſe fateri neceſſe eſt; atque ita quidem erraſſe Nicolaum, ejuſque errorem a Johanne fuiſſe emendatum, fateri non dubitarunt vir doctrina inſignis, qui tum in Aula Pontificia verſabatur apud Raynaldum ad ann. 1318. n. 54, & ſeqq., & Card. Jacobus Novellus, in Pontificatu deinde Benedictus XII, in reſponſ. ad Fraticellos object. 13. apud Eymericum Direct. par. 2. q. 17: atque hæc quidem Boſſuetius valdequam urget, inculcat, & exaggerat.

Verum diſtinctionis ope haud operoſum evadit neutrum in fide erraſſe oſtendere, & utrumque in re fidei invicem conciliare. Tres igitur Nicolaum inter, & Johannem quæſtiones inſtitutas, pertractataſque fuiſſe obſervare præſtat cum Bellarmino lib. 4. cap 14, Wadingo ad an. 1322, Raynaldo ad eumdem ann. n. 65, & ſeqq., Bordono Sacr. Tribun. cap. 5, Natali hiſt. Eccl. ad Sæcul. XIII, & XIV. diſſert. 11, aliiſque infra allegandis. 1. An in rebus uſu conſumptibilibus ſeparari uſus a dominio queat; 2. An paupertas, quæ dominium prorſus omne excludit, ſolo uſu relicto, meritoria ſit, & ſancta; 3. An Chriſtus D. paupertatem hujuſmodi verbo docuerit, & exemplo. Quibus quæſtionibus invicem diſcretis, jam difficile non eſt Nicolao Johannem in fidei dogmate non eſſe contrarium oſtendere, vel ſi ſit, contrarium eſſe dumtaxat

taxat in doctrina ad Juriſprudentiam, vel Philoſophiam Moralem ſpectante. Quod igitur ad 1. attinet, quamvis non deſint, uti Natalis, qui hac in parte quoque cum Nicolao Johannem componere ſtudeant, hac nempe ratione, quod ſiquidem in ſua, ac Johannis opinione in rebus uſu conſumptibilibus a jure utendi, imo a rei dominio ſimplex uſus facti ſeparari nequeat, nam alioquin injuſtus eſſet, ideſt abſque jure, proinde iſtiuſmodi dominium impoſſibile, quod expreſse Romana ab Eccleſia removit Johannes, adjudicatum fuiſſe a Nicolao nefas eſt exiſtimare. Iterum iſtiuſmodi uſum injuſtum, quem in Minoritis inficiatus eſt Johannes, meritorium, & ſanctum nequaquam affirmatum a Nicolao fatendum eſt. Igitur, inferunt, Nicolao optime cohæret Johannes, illumque probe interpretatus eſt, quatenus earum dumtaxat rerum dominium Eccleſiæ Romanæ reſervavit, quarum ſimplex uſus facti Minoritis competit; atque Minoritis earum ſolum rerum uſum permiſit, & ſanctum, meritoriumque pronuntiavit, qui juſtus eſt: qua in re a Nicolao nihil Johannes diſcrepabat. At enim ſic argumentari, quid aliud eſt, quæſo, quam quod Nicolaus adſtruxit, deſtruere, atque viciſſim adſtruere, quod Johannes deſtruxit? Verius dixerim in hac quæſtione utique a Nicolao Johannem diſſenſiſſe, in re tamen, uti dicebam, non dogmatica, ſed philoſophica: nam Nicolaus ſimplicem facti uſum a jure utendi, ac dominio ſeparari poſſe abſque dubio affirmavit, quod Johannes ivit inficias. Quod ſi quæras, quem penes veritas ſteterit? penes Nicolaum ſteriſſe indubitanter reſpondeo. Enim vero Nicolao in ſententia præiverant Gregorius IX, Innocentius IV, & Alexander IV, a quibus FF. Minorum Regula fuerat explicata; in eamdem poſtea manibus, pedibuſque abierunt Clemens V. in Decret. *Exivi*, Martinus V. in Conſt. *Amabilis*, Eugenius IV. in Decret. *Proviſionis*, Calliſtus III, Pius II, Paulus II, & Sixtus IV. in Conſt. *Dum uberes*, a quibus Johannis XXII. Extravagans *Ad conditorem*, quatenus arctiſſimæ FF. Minorum paupertati derogare videbatur, motu proprio revocata fuit. Eidem Nicolai ſententiæ ſuffragantur Doctores, qui rerum ipſo uſu conſumptibilium, puta, eſculentorum, & poculentorum, uſum a dominio plane diſtingui, ac Minoritas rerum, quibus utuntur, utique non

eſſe

eſse dominos, recte docent, atque ita Bellarminus lib. 4. cap. 14; Navarrus tom. 2. Comment. 1. de Regul. n. 13, Comment. 2. n. 2, & ibidem de Reddit. q. 1. monit. 14, & 16, Leſſius de Juſt., & Jure lib. 2. cap. 13. dub. 8. n. 32; Dominicus Soto de Juſt., & Jure lib. 4. q. 1. art. 1; Rodriquez tom. 3. q. 29. art. 4; Bannezius in 2. 2. q. 62. art. 1. dub. 1. concl. 3, & 4; Ledeſma par. 2. in 4. q. 18. art. 1. dub. 2; Sanchez in Decalog. lib. 7. cap. 18. n. 5. Accedit ratio manifeſta: eſse etenim dominum rei non eſt præciſe rem deſtruere poſse quocumque modo, ſed poſse libere, ac pro libito deſtruere, quando, ubi, quomodo voluerit quis, vendere item, vendicare in judicio, donare, commutare &c., quorum neutrum ex vi Regulæ Minoritis competere poteſt, qui proinde rebus abſque jure quidem utuntur, at non propterea utuntur injuſte, cum alterius nempe injuria. Atque hinc ſponte fluit 2. quæſtionis reſolutio, ſcilicet hujuſmodi abdicationem meritoriam, & ſanctam aſſeruit Nicolaus, Johannes negavit, uterque vero citra fidei diſpendium. Quum enim quæſtio iſta a prima pendeat, palam fit inde, non niſi reſpective ad quæſtionem illam de diſtinctione uſus a jure, utrumque Pontificem fuiſse loquutum. Quamvis enim quæſtio iſta ad mores pertineat, quippe agitur de virtute, & vitio, neuter tamen in eo erravit; non Nicolaus, qui recte ſenſit; neque Johannes, qui hac de quæſtione nihil definiendo judicavit, ſed in ea opinione verſatus, quod uſus a jure diſtingui nequiret, ideo dumtaxat juri, & dominio rerum donatarum Minoritis renuntiavit, illudque Romana ab Eccleſia removit, quod eidem a Nicolao fuerat attributum, in quo nihil contra fidem ab eo peccatum eſt.

Quod itaque ad 3. quæſtionem pertinet, in quo rei caput eſt, graviorque de Chriſti D. paupertate difficultas conſiſtit, variæ cum Nicolao conciliandi Johannem viæ a Doctoribus excogitatæ ſunt, quas brevi modo compendio perſtringo. Initio Johannes ipſe in Extravag. *Quia quorumdam* ita Nicolaum interpretatus eſt, ut etiam ſenſerit Chriſtum, & Apoſtolos, quoad proprietatem quoque, aliquando habuiſse aliquid in communi, dum agens de loculis, quos Chriſtus habuiſſe in Evangelio legitur, eumdem interdum infirmorum imperfectioni condeſcendiſse, infirmorumque perſonam in loculis ſuſcepiſse affirmavit. Atque

ita ſenſiſſe pariter ait Nicolai Prædeceſsores Gregorium IX, & Alexandrum IV: cum quo ſtat pariter, quod aliquando Chriſtus, & Apoſtoli, quoad proprietatem, nihil ſive in communi, ſive in particulari habuerint. Cardinales, Epiſcopi, & Doctores a Johanne juſſi hac de quæſtione ſuam proferre ſententiam, diverſos concordiæ tentarunt modos. Petrus de Arreblayo Card. S. Suſannæ, Petrus alter Columna Card. S. Stephani in Cælio monte, Durandus a S. Porriano Anicienſis Epiſcop., Epiſcopi Soranus, & Lucerinus, ac Natalis Herveus Ord. Præd., quorum reſponſa ex Mſs. Bibl. Vatic. profert Raynaldus ad an. 1322. n. 56, & ſeqq., ac 1323. n. 58, & ſeqq., ita Nicolaum interpretati ſunt, ut dum aſſeruit Chriſtum D. abſolutiſſimam dominii rerum temporalium abdicationem tam in communi, quam in ſpeciali verbo docuiſſe, & exemplo, uti liquet ex Matth. 8. verſ. 20, & 10. verſ. 9, ac Luc. 8. verſ. 3, non negaverit tamen, quin etiam aliquando rerum aliquarum dominium habuerit, earum maxime, quibus utebatur, vel quas ad ſuum, ac ſuorum uſum accipiebat, idque perſonam infirmorum gerendo, uti liquet ex Johan. 12. verſ. 6, & 13. verſ. 29, cujus poſtea vitæ genus Fideles, qui erant Hieroſolymis ſub Apoſtolis imitari leguntur Actor. 4. verſ. 32, 34, & ſeq., quomodo Nicolao III. optime cohæret Johannes XXII. Card. Gaucelinus Nicolai ſententiam interpretatus eſt de rerum ad vitæ ſuſtentationem non neceſſariarum abdicatione apud eumdem Annaliſtam ad an. 1322. n. 65. Bertrandus Card. S. Mariæ in Aquiro ibid. num. 66. de abdicatione rerum omnium, quoad curas inanes, & nimias. Cardinales S. Cyriaci eodem loci, & de Turrecremata in Sum. de Eccl. cap. 112. Nicolai, & Johannis dicta, non ſecus atque loca S. Matthæi, & S. Johannis, ad diverſa tempora retulerunt, juxta quæ Chriſtus D. nec ſemper habuiſſe, nec ſemper abdicaſſe dicendus eſt. Cardinalis Viennenſis ſua, ac Pariſienſis Scholæ ex ſententia apud Raynaldum ad an. 1323. n. 38, & ſeqq. Evangeliſtarum diverſa de Chriſto D., & Apoſtolis loca ita eſt interpretatus, ut ii quidem rerum aliquarum mobilium dominio uſi fuerint, nunquam tamen dominio rerum immobilium potiti ſint; ideoque Nicolaum intelligendum fore inſinuat de bonis immobilibus, ſive de mobilibus omnibus, dum Chriſto D., & Apoſtolis

ſtolis dominium abjudicavit; Johannem vero de bonis dumtaxat aliquibus mobilibus, dum Apoſtolis, & Chriſto D. dominium aliquod adtribuit. Interpretationi huic inſtitit etiam Anonymus Doctor Avenionenſis apud eumdem Annal. ad an. 1324. n. 33, & ſeqq., quin etiam ipſemet Johannes XXII, quod nempe immobilium rerum, ac mobilium cujuſque genus dominium Chriſto D. abdicaverit, non etiam mobilium aliquarum. Cæterum nedum Nicolao non repugnare Johannem idem Doctor Anonymus perſuaſum habuit, ſed pugnam Nicolaum inter, & Johannem de re non fuiſſe, quæ ad fidem pertineret; ideoque, quod Nicolaus opinando dumtaxat protulerat, Johanni licuiſſe oppoſitum definiendo proſcribere; quodque ab illo in ſua dubietate relictum fuerat, ab iſto bono fuiſſe in lumine collocatum. Cæteroquin enim pro certo habet Pontificem Concilio ſuperiorem eſſe, a Pontifice in Concilium auctoritatem emanare, ac Pontificis eſſe dubia circa fidem etiam in Concilio dirimere, apud Raynaldum ad an. 1318. n. 55, ac 1324. n. 33. Card. Jacobus Novellus, in Pontificatu deinde, ut dixi, Benedicti XII. nomen adeptus, apud Eymericum Direct. par. 2. q. 17, ad Fraticel. object. 13. Nicolaum in Decret. *Exiit* opinando dumtaxat a Chriſto D., & Apoſtolis rerum omnium dominium fuiſſe abdicatum dixiſſe, ideoque a Johanne emendati, abſque fidei detrimento, potuiſſe, interpretatus eſt. Non ei igitur, ſicuti neque Anonymo Avenionenſi, ut imaginatur Boſſuetius, in erroris ſuſpicionem Nicolaus venit. Ubertinus de Caſali apud Baluzium Miſcell. tom. 1. pag. 307. a Johanne interrogatus ſuffragium iſtud tulit: Chriſtum D., & Apoſtolos in duplici ſtatu fuiſſe ſpectandos, qua Eccleſiæ Prælatos, quo pacto aliquorum dominio potitos fuiſſe; qua ſingulares perſonas, quomodo rerum omnium abdicationem fuiſſe profeſſos, quantum ſcilicet ad Jus Civile, quo res defendere ſuas poſſent, non quantum ad Jus naturale, quo ſcilicet rebus ad vitæ ſuſtentationem uti licite quirent. Atque huic Ubertini interpretationi hæſere perinde Alvarus Pelagius de planct. Eccl. lib. 2. art. 56, & 59, & Corduba lib. 4. Theolog. q. 3. in reſp. ad 5, qua proinde ratione cum Nicolao Johannem probe componunt. Cardinales Ord. Min. Vitalis a Furno, & Bertrandus a Turre, Berengarius

item Tuſcullanus, Arnaldus Rojardus Salernit., Monaldus Benevent., Caphenſis, Ulyſſiponenſis, Rigenſis, & Pictavienſis Epiſcopi ſuis in ſcriptis, quæ Apoſtolicæ Sedis judicio ſubjicere religioni duxere, quos poſtea ſequuti ſunt Faber de Reſtit. diſp. 45. cap. 2, Bellarminus lib. 4. cap. 14, Petra in Comment. ad Conſtit. 3. *Glorioſam* Johannis XXII. n. 40, aliique communiter, hanc inivere concordiæ rationem, quod Nicolaus Chriſtum, & Apoſtolos perfectiſſimam abdicationem in communi, & particulari aliquando verbo, & exemplo docuiſſe aſſeruit; atque viciſſim Johannes Chriſtum, & Apoſtolos aliquando etiam rerum aliquarum temporalium dominium habuiſſe dixit: quæ duo non pugnant ratione habita tum diverſi temporis, quo Chriſtus, & Apoſtoli rerum temporalium dominio aut ſe abdicarunt, aut potiti ſunt; tum diverſi vitæ generis, quod ad informandos perfectos, & imperfectos Chriſtus, & Apoſtoli verbo, & exemplo docuerunt. Ex quibus liquido patet, nec fuiſſe, cur ſententiæ hujus aſſertoribus quod Chriſtus, & Apoſtoli aliqua ſaltem ratione nihil tam in communi, quam in privato poſſederint, hæreſis notam Raynaldus appingeret, veluti ſcite animadvertit Manſius in Not. ad an. 1322. n. 54. tom. 5. edit. Lucen. pag. 204; neque cur tanto conatu Boſſuetius ſuadere niteretur a Nicolao toto diſſenſiſſe Johannem cælo, atque exinde alterum a fide deflexiſſe.

Alterius erroris cauſſam eumdem Johannem XXII. exagitandi, vexandique intexunt Maimburgus, Dupinius, Vigorius, de Witte, Boſſuetius par. 2. lib. 14. cap. 49, aliique, quaſi aſſeuerit Beatorum animas Deum non viſuras ante reſurrectionem, atque Millenariorum prædamnatum errorem ex parte recoxerit; cujus in erroris quidem accuſationem teſtes adhibent Ochamum in Opere 93. dierum, Marſilium Pariſien. in 4. q. 13. art. 3, Paulum Langium in Chron., Hadrianum in 4. tract. de Confirmat., Gobelinum Perſonam in Coſmod. ætat. 6. cap. 71, Eraſmum in præfat. ad S. Irenæum, Petrum Alliacenſem in Orat. de tollendo Schiſmate an. 1406. coram Carolo VI. habita, Gerſonem in ſerm. de Feſto Paſchat. apud Lenfantium hiſt. Concilii Piſani lib. 2. §. 67. pag. 146, & ſeq., alioſque, quorum etſi nutaret fides, non tamen in dubium vocari liceat ipſiusmet Johannis teſtimonium, qui

qui tum in duobus Sermon. Mſs. Bibl. Cantabrig., & apud Continuatorem Chronici Guillelmi Nangii ad an. 1333. publice e ſuggeſtu eum errorem propinaſſe legitur, tum a Johanne Villanio lib. 10. hiſt. Florent. cap. 230. fertur in litteris ad Philippum VI. Valeſium Franc. Regem ex S. Scriptura, & SS. Patribus pravam eam opinionem comprobari ſcripſiſſe; adeo ut in Gallia præſertim pervulgatum eſſet eum a Pontifice errorem revera propugnari, eaque propter Galliarum Rex, Epiſcopi, ac Doctores ingenti non abſque commotione adverſus Pontificem inſurgentes fidei ab ipſo appetitæ puritati in tuto ponendæ operam impendere ſuam officio duxerint. At enim hæreticorum hominum Calvini, Aventini, Pleſſæi, horumque ſimilium, (quos mirari valde ſubit hanc in Johanne damnare ſententiam, quam a Luthero præfat. in Geneſ., & a Calvino Inſtit. lib. 3. cap. 20. §. 24. doceri ignorare non debebant) hallucinatio hæc fuit, qua ſe pariter decipi Scriptores plane orthodoxi pati non debebant. Contra quos omnes adverſa fronte, inſtructoque agmine pro Johannis orthodoxia pura, & integra, marte longe meliori pugnant Jo: Villanius lib. 11. cap. 19, Ptolomeus Lucenſis in hiſt. Eccl. lib. 24. cap. 42, Continuator Chron. Nangii ad cit. an., Ulricus lib. 4. de beata Viſione Deitatis Johanni XXII. cum aliis tribus eodem de argumento nuncupato, Jacobus Novellus Card. S. Priſcæ, deinde in Pontificatu Benedictus XII. in libello de ſtatu Animarum apud Scheleſtratium in præfat. ad tract. de ſenſu, & auctor. decret. Concilii Conſtant., & in Conſtit. *Benedictus Deus*, de qua paullo poſt; ac poſt ipſos Alphonſus a Caſtro V. *Beatitudo* hær. 6, Sanderus de viſib. Monarch. lib. 7. pag. 1006, Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 14, & de Beatitud. SS. lib. 1. cap. 2, Baluzius Pontif. Avenionenſ. tom. 1. pag. 788, ac 792, ac ſeqq., Wadingus, Spondanus, & Raynaldus ad an. 1333, 1334, 1335, & 1336, Bullæus in hiſt. Univ. Pariſ. ad an. 1334, Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. XIII, & XIV. diſſert. 11. art. 2, Cardinalis de Biſsi, Languetius, Tournellius, Juveninus, Cavalcanti &c., ut jam communis in Scholis ſententia audiat, ea in re Johanni XXII. nullum faceſſendum negotium fore, neque factum aliquando fuiſſe, niſi a fidei ſubleſtæ, omninoque ſuſpectæ Viris, quibus proinde nullo auſcultare modo præſtet.

Age vero argumenta, & documenta, quibus id confici ſolet, breviori, quoad ejus fieri poterit, oratione comprehendamus. Opinioni igitur illi, quæ conformiter decretis pridem ab Innocentio III. Cap. Cum *Martha* de Celeb. Miſsar., & Cap. *Majores* de Baptiſ., a Clemente IV. in fidei profeſs. Græcis præſcripta, & a Concilio Francofordienſi in Synodica ad Epiſcopos Hiſpan., a Benedicto XII. poſtea confixa eſt, ab Eugenio IV. in Concilio Florent. inter Armenorum errores recenſita, & a Tridentino Seſs. 25. in Decr. de Invocat. SS. rejecta, de qua fuſe, doceque adverſus Cerenthianos Card. Laurentius Cozza in Comment. hiſtor. dogm. ad lib. S. Aug. de hæreſ. cap. 8; veteres adverſus, & novos Millenarios Card. Vincentius Petra in Comment. ad Conſtit. 4. *Benedictus Deus* Benedicti XII. tom. 4. edit. Ven. pag. 75; & adverſus Burnetium Muratorius lib. de Paradiſo, opinioni, inquam, de retardata Juſtorum Beatitudine uſque ad poſtremi Judicii diem, Johannem XXII. neque firmiter ex animo adhæſiſse, neque ut fidei articulum, Eccleſiæ credendam eam propoſuiſſe, ſed ſiquid de illa vel ipſe protulerit, vel proferri ab aliis permiſerit, id non aſſertive, ſed diſputative ſolummodo feciſſe, inquirendæ ſcilicet, inveſtigandæque unius veritatis gratia; atque ſi quid fidei diſſonum forte diſputatum fuiſſet, ab ipſo revocatum fuiſſe, retractatumque multa docent. Atque principio ſi veritate conſtaret, quæ ab eo edita fertur a Franciſco Carrierio apud Card. Aguirrium in Defenſ. Cathedræ S. Petri diſput. 32. Sect. 3, Conſtitutio, qua declaraverit Animas plene purgatas beari in Cælo, impias vero cruciari in Inferis ſtatim ab obitu, de qua dubitare neque videtur Thomaſſinus Theolog. dogmat. tom. 1. lib. 6. cap. 38. n. 6, confecta certe res eſſet: quia tamen Conſtitutionis hujus nulla apud Auctores mentio extat, nullum authenticum exemplar, quinimo eum paratum quidem ad deciſionem, ſed morte præventum id perficere nequiviſſe affirmet Benedictus XII, ad alia me convertere documenta oportet. Teſtimonio igitur ſunt Doctores Pariſienſes tres ſupra viginti, qui Inſtrumento publice edito die 2. Jan. 1333. apud Bullæum in hiſt. Univ. tom. 4, Spondanum ad an. 1334, Natalem Alex. loc. cit., & Cavalcanti in Append. ad Vindicias Rom. Pontif., atque Philippo Rege coram teſtari

ſtari non dubitarunt: *Quod quidquid in hac materia ſua Sanctitas* (Johannes XXII) *dixit, non aſſerendo, ſeu opinando, ſed ſolummodo recitando protulit*; idque multorum fide dignorum relatione ſe accepiſſe ajunt; ideoque nulla erroris ſuſpicione Johannem apud ipſos laboraſſe exinde liquet. Teſtis omni exceptione major accedit Benedictus XII, qui tum in proœmio libelli ſui de ſtatu Animarum, dum Cardinalis eſſet, Avenione ſub eo tempore adornato, quo hæc quæſtio Johannis juſſu agitabatur, apud Raynaldum ad an. 1335. n. 9, & ſeqq., perhibet Johannem non ex animo, ſed ſolum inquirendæ veritatis cauſſa, pleraque in favorem partis negantis dixiſſe, & ſcripſiſſe; diſerteque ita profeſſum fuiſſe ſemel, & iterum tam in Conſiſtorio publice, ingentique coram Populi multitudine, quam prope finem vitæ paratum ipſum affirmans publica fidei profeſſione edicere purgatas Animas ſtatim ad Dei viſionem admitti; tum in Conſtit. *Benedictus Deus* a Pontificatus initio edita fide confirmare ſua non dubitat Johannem deceſſorem ſuum plus vice ſimplici ſive in ſermonibus, ſive in ſcriptis, qua in privatis colloquiis, qua publico in Conſiſtorio declaraſſe, quod quæ de ſtatu Animarum ſeparatarum dixerat, & ſcripſerat, non aſſerendo, & credendo, ſed inquirendo dumtaxat, ac diſputando ea dixiſſe, & ſcripſiſſe; eumque demum prope diem moriturum die 3. Decemb. an. 1334. Cardinalibus, Prælatis, Doctoribus, publiciſque Tabellionibus convocatis ſinceram animi ſui de non retardata purgatis Animabus viſione beatifica fidem patefeciſſe, qua de re fuſe Raynaldus ad an. 1334. n. 35, & ſeqq. Quid vero quæro teſtes, dum liquidum, locupletemque ipſum, qui accuſatur, Johannem erroris ſui vindicem, innocentiæ ſuæ aſſertorem, ſuæque cauſſæ teſtem, advocatum, & Judicem habeo? Ita nempe is ea exardeſcente controverſia ſive privatis in ſuis cum Cardinalibus, Prælatis, & Doctoribus collationibus, ſive ſuis in Reſcriptis ad Petrum Rogerii Archiep. Rotomag., ad Philippum Valeſium Franc. Regem, & ad Franciæ Reginam, ſive publico in Conſiſtorio ſemel, & iterum proteſtatione, fideique profeſſione edita, prope vitæ finem præſertim, apud Villanium lib. 10. cap. ult. & lib. 11. c. 9, Cardin. Jacobum Novellum, ſive Benedictum XII. loc. ind., Wadingum ad an. 1333, Maimbur-

imburgum ipſum de Occaſu Imp. lib. 6, Raynaldum ad an. 1334. n. 27, & ſeqq., Naralem cit. diſſert. 11. art. 2, faſsus eſt, & profeſsus non aliam unquam circa ſtatum Animarum ſeparatarum ſibi animo inſediſse opinionem, curamque, quam S. Scripturæ, & SS. Patrum texius in utramque parrem proferre, atque Viris dignitate, virtute, doctrinaque conſpicuis ſe auctorem præbere, ut collatis invicem ſtudiis, eam diligentiſſime quæſtionem diſcuterent, uno eo conſilio ductus, ut apertam in lucem veritas ſedulo diſcuſſa prodirer; neque ſibi unquam in animo fuiſſe quidquam fidei minus congruum proferre, ac ſiquid præter meniem ſibi excidiſſet, dictum, ſcriptumque retractare, revocareque, atque demum ſe fateri, & credere ſeparatas Animas, quibus nihil expiandum ſupereſſet, ad Dei viſionem ſtatim admitti. Quæ vero extremo morbo correptus dicto, & ſcripro conteſtatus eſt, eadem pridem & dicto, & facto comprobavit, dum in Bullis Canoniz. SS. Thomæ Aquin., Ludovici Toloſ., & Thomæ Herfordienſ. Cælorum ingreſſum ad Deum intuendum, perfruendumque ipſis liquido adſeruit. Neque tandem, etſi hac de re minus eum recte ſenſiſſe daremus, quod omnino negamus, hæreſeos nota propterea inuri Johannes poſſet: ſive quia id ſenſiſſet, quando adhuc ira ſentire abſque hæreſis periculo fas eſſe videbatur, quum nulla explicita præceſſiſſet adhuc Eccleſiæ definitio; ſive quia in ſententia pertinax non fuiſſet, quandoquidem eum promptum ad revocandam ſententiam animum ſemper præſtiliſſe certum eſt, & conſtans.

De negata Mortuorum reſurrectione, Vita æterna, Animæque immortalitate accuſatus in Concilio Conſtant. Seſs. 11. legitur Johannes XXIII. Sed falſo rumore hanc de eo pervulgatam hæreſim fuiſſe, exindeque forte profectam hujuſmodi famam, quod quia Johannes peſſimæ vitæ fama laborabat, peſſimo loco patiter ipſius fides habita ſit, quaſi eo diſſolutæ vitæ genere neque vitam æternam, neque carnis reſurrectionem, neque animæ immortalitatem ſe credere demonſtraret; ideoque inter calumnias eſſe computandam exinde ſuadetur, quod in eadem Seſſione contra eumdem accuſationum Articuli quatuor ſupra quinquaginta, omneſque omnino ad mores pertinentes, propoſiti quidem, probatique fuere, idoneis adhibitis ad ſingulos Articulos teſtibus;

bus : hic vero de hæreſi articulus ulla abſque probatione teſtium productus fuit : quod indicium eſt illum aut ex invidia fuiſſe conflatum, aut ex induſtria fuiſse confictum. Deinde indubitati Pontificis loco Johannes hic non eſt habendus, certoque habendus loco illegitimi ab eo tempore fuit, quo vel ſponte Pontificatus abdicationem ſpoponderat, vel ſua pertinacia in retinendo Pontificatu ſchiſma in Eccleſia confovebat, quo in caſu Concilium eum vel e Pontificatu exciſum declarare, vel e Pontificatu dejicere potuit : unde non eſt, cur in eo ab errore expurgando laboremus, operamque ludamus, quandoquidem qui legitimis, & indubiis id officii, operæque libenter impendimus, ſpuriis, & ſuſpectis detrahimus, & denegamus. Martino V. viciſſim fœdiſſimam infamiæ labem inferunt heterodoxi, Beza, & Mornæus, eumque tanquam Sacrorum Canonum infractorem proſcindunt, convitiiſque ad plebem traducunt, quod referentibus B. Angelo a Clavaſio in Summa an. 1498, ideſt triennio ab ejus obitu, Nurimbergæ edita, & Silveſtro in Sum. V. *Papa* §. 17, a quibus S. Antoninus ſuæ aſſertionis teſtis appellatur, legem de Conjugiis ſolverit in primo gtadu, veniamque cuidam fecerit Matrimonii cum Sorore germana contrahendi. At enim ea in aſſertione erraſse utrumque, errandique occaſionem accepiſse ab adulteratore litterarum Apoſtolicarum, advertit Raynaldus ad an. 1431. n. 2. Perperam quoque S. Antoninum ſuæ aſſertionis teſtem a B. Angelo, & Silveſtro fuiſse appellatum obſervat Spondanus ad eumdem an. n. 3. S. Antoninus enim in Summa par. 3. tit. 1. cap. 11. diſerte loquitur de diſpenſatione conceſsa cuidam, qui Matrimonium contraxerat cum fœmina, cujus ſororem prius fornicarie cognoverat ; velut adnotarunt Bellarminus de Matrim. lib. 1. cap. 25, Coquæus in Antid. §. 62. pag. 268. tom. 2, Natalis in hiſt. Eccl. ad Sæcul. XV, & XVI. cap. 1. art. 3. §. 6, & Pagius in Breviar., cujus affinitatis impedimentum, quod nec juris naturalis eſt, nec Divini, Pontificem abſolvere poſse, Theologi, & Canonici Juris interpretes docent ; atque diſpenſandi quidem eam Pontifici inſtiſse cauſsam S. Antoninus ſubtexit, quod fornicatio eſset occulta, Vir ille vero Monaſticæ profeſſioni, aut longinquæ peregrinationi impar eſset, & gravia ex divortio ſcandala ſecutura fuiſsent : quam

quam in rem videndus etiam Gonzalezius tom. 4. n. 11. pag. 199. Cæterum quanta diſcuſſione, & quam matura deliberatione diſpenſationes concederet Martinus V, conſtat ex ea, quam demum Johanni Comiti Fuxenſi conceſſit, cui non ante cum prioris defunctæ Uxoris Johannæ Caroli Regis Navarræ filiæ ſorore Blanca novum inire conjugium permiſit, quam ad conſilium adhibitis tum a Synodo Conſtantienſi, tum ſeorſim a ſe ſemel, ac bis Viris dignitate, integritate, doctrinaque præſtantiſſimis, id neque Pontificiæ poteſtatis fines prætergredi, atque boni publici alioqui ratione poſtulari, quod nempe Navarræi Regni ſuæ aſſerendi ſtirpi, pacemque ita Fuxenſes inter, & Navarros conciliandi ſpes affulgeret, perſpectum habuiſſet. Diſpenſationis hujuſce, ex qua patet a Julio II. poſtea rem novam non fuiſſe tentatam, atque Henrico VIII. juſtum conflandi ſchiſmatis ſpecimen defuiſſe, Diploma refertur a Raynaldo ad an. 1418. n. 34, & ſeqq., ac Natali loc. cit. Mitto nugas contra Martinum V. a Pleſſæo Mornæo confictas, quas refutatas videre eſt a Gretzero in exam. Myſt. Pleſs. cap. 63. Neque magis moror ſive inane adverſus Pium II. de ambitu, jureque Principali invaſo commentum intruſum a Mornæo Myſt. iniq. pag. 578, a Riveto in Not. par. 2. pag. 617, & a Brueyo hiſt. Pontif. tom. 4. pag. 208, ac ſeqq.; ſive atrocem adverſus Six tum IV. de nefando contra naturam flagitio permiſſo calumniam intentatam a Cornelio Agrippa de Vanit. ſcient. cap. 64, abeodem Mornæo pag. 594, a Baleo Cent. 8. cap. 50, & a Juriaeo in præjudic. adverſus Papiſm. tom. 1. pag. 246. Nam abunde vindicatum Pium II. quidem videre licet a Coquæo tom. 2. pag. 291. edit. Mediol. 1619, & a Coefetello in reſp. ad Dupleſſium pag. 1197; Sixtum IV. vero a Gretzero in exam. Myſt. iniq. pag. 545, a Baylio ipſo in Dict. Crit., ipſoque Franciſco Bruys tom. 4. pag. 260, & ſeq.

Innocentio VIII. vitio vertit, teſtimonio innixus Dominici Viterbienſis, & Franciſci Maldentis Stephanus Infiſſura in Chron. Mſ. apud Raynaldum ad an. 1490. n. 22, quaſi dixerit privatam ſcortationem minime vetitam. Quæ plane tam injuſte, ac temere Pontifici imputatam, quam falſo, & inconſulte creditam calumniam vel uno eo documento evertit Cl. Annaliſta, quo ab ipſo ſe-

vere

vere in Sacerdotes Concubinarios ſive in Hiſpaniis, ſive in Galliis animadverſum oſtendit. Eumdem Pontificem in aliud pariter crimen vocavit Raphael Volateranus Geograph. lib.7. pag.80, quaſis Norvegis permiſerit Calicem ſine vino conſecrare, quod in ea Regione ob immenſa frigora importatum aceſceret. Sed enim dicteriis ſimiliter id deputandum, quibus ut Innocentium proſcindere impune poſsent, improbi quidam homines, inter quos Dominicus Viterb., & Franciſcus Maldentes, Diplomata ſub ipſius nomine confingere non ſunt veriti, falſaque vulgo privilegia vendere; in quorum cenſum illud quoque referendum, quo Gallo cuidam Sacerdoti Conjugium ab Innocentio permiſsum commenti ſunt, atque ſceleſtiſſima alia hujus genus ſunt ementiti; ut propterea illos Pontifex Sacerdotio exutos ſtrangulari laqueo, igneque concremari,ad inlatam ſibi labem, injuriamque eluendam,juſſerit. Videndi Bellarminus lib. 4. cap. 14, Raynaldus loc. cit., Bzovius ad an. 1490, Card.de Lugo de Euchar. diſput. 19.ſect. 8, Natalis in Theolog. dogm. lib.2. de Euchar. art.3. prop.4. reg.3, Gonetus in Clypeo Theolog. tom. 5. diſp.3. de Euch. art.6. §.2, Pagius in Brev., Miglioruccius Inſtit. Canon. lib. 2. tit. 6. in explicat. n. 44, Benedictus XIV. de Canon. SS. lib. 2. cap. 31. n. 2, Sandinus in vit. Pontif., aliique. Qui figlinis præterea Diploma illud adcenſendum ex eo capite arguunt, quod in Norvegia vina generoſiſſima conſervari experientia comprobavit, qua pariter compertum eſt vina facilius in calidioribus, quam in frigidioribus Regionibus aceſcere. Ex his vero Bzovius auctor eſt ſub ætate illa pleroſque litterarum Pontificiarum adulteratores in Norvegia ſupremo affectos fuiſse ſupplicio: Et ſane in Norvegia jampridem illum obtinuiſse abuſum, ut ob vini penuriam in Sacrificio poneretur in majori quantitate aqua, quam vinum, liquet ex Honorio III. in litteris ad Archiep. Upſalenſem Cap. *Perniciosus* Extra de Celeb. Miſsar., quibus abuſum ejuſmodi, veluti contrarium univerſalis Eccleſiæ conſuetudini, eradicari juſſit: ex quo proinde fieri potuit,ut poſtea abſque vino penitus Sacrificium conficeretur,inque hujuſmodi abuſus confirmationem Innocentii VIII. Diploma ab improbis confingeretur. Addit ex Bzovio Gonetus a Sacerdotibus quibuſdam impiis, qui poſtea ſceleris pœnas dedere,

nempe duumviri præmemorati, Diplomatibus Pontificiis falsificatis potuisse illis in partibus falsam hancce dispensationem publicari. Denique suppositâ dispensationis illius veritate, respondet Bellarminus Innocentium ita dispensando si erravit, in facti re, non dogmatis, errasse; quinimo ob extremam necessitatem dispensando, ut in altera tantum specie Eucharistia consecraretur, aut non errasse, aut errorem certe exploratum non esse. Et quidem de jure Divino esse, quod Sacrificium offeratur, non etiam, quod offeratur sub utraque specie, sed de jure dumtaxat Ecclesiastico, in quo gravissima ex causa dispensare Pontifex M. possit, scripsit Vir quidam Sanctitatis fama conspicuus, præfato Innocentii VIII. indulto, quod pro legitimo habebat, innixus, neque id propterea ejusdem Beatificationis causæ impedimentum attulisse refert Benedictus XIV, scripsere quoque apud Dianam Coord. to. 3. tract. 1. resol. 47. Doctores aliqui, in quibus Gabriel Biel lect. 84. in Canon. Missæ, & Johannes Major in 4. sent. dist. 13. q. 3: quamvis contraria S. Thomæ par. 3. q. 74. art. 1, communisque Theologorum tenenda omnino est sententia. De simili adulterina dispensatione Alexandro VI. afficta a Bartholomæo Fumo in Summa apud Natalem, referente illum dispensare voluisse, ut ubi vinum haberi nequiret, sine vino conficeretur Eucharistia, idem esto judicium: id nempe ex vago rumore a Fumo relatum, qui præterea re penitus discussa a viris doctis, quod dispensare Pontifex nequiret, Alexandrum a priori decessisse opinione affirmat. Quis igitur ob privatam opinionem, quam Pontifex aliquando prætulit, si vere prætulit tamen, ac dimisit certe postea, infallibilitatis privilegium inficietur?

Quæ duo Leoni X. de adducta in dubium Evangelii doctrina, deque negata Animæ immortalitate objicere Balæum, & Lutherum in cap. 19. Genes. non depuduit, adeo veri specie vel tenui destituta ipsis Baylio in Dict. in Antic. Leonis., & Brucjo histor. Pontif. tom. 4. pag. 382. visa sunt, adeoque putidi mendacii vel una Constit. *Apostolici Regiminis* in Concilio Later. V. sess. 8. editæ lectione aperte redarguuntur, ut diutius hisce refellendis immorari non sit opus. Magis igitur præstat, ut de Pauli III, quin tamen ejus nomini impactas a Vergerio, a Balæo, a Sleidano,

no, a Bruejo infamiæ notas moret, ſiquidem earum nulla ſummam fidei ſpectet, neque ullam prorſus fidem illorum mendaciis fore præſtandam oſtenderint Segni hiſt. Flor. lib. 12. pag. 317, & ſeqq., Spondanus ad an. 1549, & Panvinius in ipſius vita, præcunctis vero Emin. Quirinus, de Pauli III, inquam, juſſu confecto libello, inſcriptoque: *Conſilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Eccleſia*, brevis inſtituatur ſermo, inquirendo nempe, an is poſtea liber a Paulo IV. in librorum prohibitorum cenſum relatus fuerit, illeque ſit, qui legitur in Indice V. C. deſcriptus verbis hiſce: *Conſilium de emendanda Eccleſia*. Magna animorum contentione affirmant heterodoxi, atque præſertim Vergerius in Annot. ad Indicem Pauli IV, ex ipſo Schelhornius in Amœnit. litter. tom. 7, & in epiſt. ad Card. Quirinum, Kieslingius, & Breitingerus in epiſt. eodem de argumento ad eumdem Quirinum, eo conſilio, ut Romanos Pontifices a reformandæ Eccleſiæ volontate ſemper abhorruiſſe quammaxime ſuaderent; quo nempe diu, pridemque ducti S. Petri Damiani tractatum *De Correctione Epiſcopi, & Papæ*, quæ pars eſt epiſtolæ 12. lib. 1. ad Alexandrum II, avidè collegerunt, uti Goldaſtus de Monarch. Imp. tom. 2. pag. 43, & Pictetus in hiſt. Sæculi XI. pag. 632; Nicolai de Clemangis librum *De corrupto Eccleſiæ Statu* an. circiter 1400. elucubratum ſæpius edere in lucem ſtuduere, uti Uldricus Hutthenus, Leonardus Hutterus, Eduardus Bulklejus in ſpeculo Eccl. Pontif., & Hermannus ab Hardt in hiſt. Concil. Conſt. tom. 1. par. 3; & Orationum excerpta, quæ a viris pleriſque Religioſis, doctiſque in Concilio Conſtantien. pro reformatione Eccleſiæ habitæ fuerant, in lucem proferre, efferreque laudibus non deſtitere, veluti Schelhornius in Amœnit. litter. tom. 3. pag. 10. apud Manſium Suppl. tom. 4. pag. 105, & ſeqq. Affirmare quoque, pro ſuo erga Romanos Pontifices animo haud probe comparato, Launojus in epiſt. ad Jo: Barillonium non dubitavit. Contra, quin cogitando vel leviter ſuſpicarentur ejuſmodi Conſilium Pauli III. de emendanda Eccleſia illud ipſum fuiſſe, quod a Paulo IV. deinde librorum prohibitorum Indici adnumeratum eſt, in lucem edere, ſuæque Concilio Collectioni inſerere non dubitavit Crabbius: quod verò prætermiſſum a Surio fue-

rit, ac posterioribus aliis, doluit quammaxime Possevinus, atque proinde illud legentium oculis exhibere haud extimuerint Natalis in histor. Eccl. ad Sæcul. XV, & XVI, ac Mansius Suppl. tom. 5. pag. 538, & seqq., persuasum habentes tam longe diversam ab ea, quam a Luthero expetita, & profecta est, Ecclesiæ reformationem a Summis Pontificibus, & a Patribus Concil. Constant., & Tridentini excogitatam fuisse, & promotam, siquidem illa circa fidei doctrinam, hæc vero circa morum disciplinam tota obversaretur; quam alterius esse genus Consilium a Paulo III. editum ab eo, quod a Paulo IV. damnatum legitur. Id negant itaque Emin. Quirinus in Animad. ad Kieslingii, Schelhornii, Breitingeri epistolas, & ad Acta Lipsiensia an. 1747, ac Mansius in Not. ad Paulum III; videlicet ab vero abhorrere putant quammaxime Paulum IV. censura voluisse damnatum librum, cujus scribendi ipse cum Sociis Paulo III. auctor extiterat. Certe sub id temporis reformationem Ecclesiæ Catholicis, & Hæreticis vicissim desiderantibus, libri de Reformatione Ecclesiæ complures adornati sunt. Notus est liber Nicolai de Clemangis *De corrupto Ecclesiæ statu*, de quo mox dicebam. Extant in Collectione Contingii an. 1650. edita multa, quibus reformationis Ecclesiæ Rom. necessitas urgetur. Schelhornius ipse, præter Orationum fragmenta, quæ in Concilio Const. a plerisque pro Ecclesiæ reformatione sollicitanda habitæ sunt, e Codice Mss. evulgavit Friderici Staphili Consilium de reformanda Ecclesia Ferdinando I. suggestum. Contra hoc ipsum Pauli III. salutare, piumque Consilium de emend. Eccles. duo pestilentissimi elucubrati libelli sunt, Latine unus a Johanne Sturmio, Germanice alter a Luthero, teste Cochlæo in Act., & Script. Luth. apud Raynaldum ad an. 1539. n. 32, qui brevem alium perinde adversus Sturmium libellum scripsit sub hac epigraphe: *Æquitatis discussio super Consilio delectorum Cardinalium*. Fieri igitur potuit, ut alter ex his, (atque ad Sturmii quidem librum Pauli IV. respexisse proscriptionem affirmare, plurimisque sane confirmare Emin. Quirinus non dubitat) aut similis argumenti liber a Paulo IV. proscriberetur. Et certe in Indice libror. prohibit. confecto a P. Francisco Magdaleno Capiferreo, editoque Romæ an. 1632. prohibitus legitur liber sub hoc titulo:

titulo: *Consilium delectorum Cardinalium. Vide Æquitatis discussio*. At liber hic *Æquitatis discussio* a Cochlæo adornatus, ibidemque vetitus, uti Kieslingium monitum voluit Quirinus Animad. 13, Apologia est libri *Consilium delector. Cardin.* Ita ergo in Indice Rom. indicatur Consilium Novemvirale delect. Cardin.; de quo profecto obloqui neque ausos sua pro impudentia fuisse Sleidanum, Sekendorfium, Thuanum, Sarpium, Courayerum, Richerium, & Danielem Frankum observavit Cl. Quirinus in præfat. ad epist. Kieslingii, & in Animad. 30. ad epist. Schelhornii Injustæ Secess. ab Eccl. Rom. Sectar. pag. 10, & 194, quorum ex silentio optime arguit non hoc plane Consilium Novemviralea Paulo IV. fuisse proscriptum; Consilium vero de emend. Eccl. eodem in Indice ad incertos refertur Auctores: igitur Liber hic a Paulo IV. in Indice relatus, alius esse profecto debet a Consilio delect. Cardin. Pauli III. jussu pridem exaratus.

Sixtum V, aut Clementem VIII, sed magis illum, quam istum in Bibliorum editione immaniter errasse, exemploque suo edocuisse, nihil esse humani, quod æque, ac homines ceteri, pati Romani Pontifices non possint; neque hujusmodi esse infallibilitatis privilegium, de quo adblandiri sibi debeant, aut quo facile excidere nequeant, effutire non desinunt Heterodoxi, nonnullique ex Catholicis erga Pontifices optime, ut par esset, non comparati. Enim vero ajunt Sixtina Bibliorum editio tot erroribus conspersa est, adeo ut non defuisse viros graves, doctissimosque, qui eam publice esse prohibendam affirmare non dubitarent, memoriæ reliquit V. Card. Bellarminus in Commentariolo vitæ suæ, ubi refert Sixtinæ editionis negotium Viris doctiss. a Clemente VIII. delectis, ac inter alios, Bellarmino ipsi, Card. Alano, Mirandæ S. Palat. Magistro, Agellio, ac Petro Morino, qui idipsum perhibet in epist. ad Silvium Antonianum, retractandum fuisse demandatum. Addit ibidem Bellarminus se auctorem fuisse præfationis secundæ editioni Clementinæ præfixæ, qua ut Sedis Apostolicæ, idest Sixti V. honori, auctoritatique in re tanti momenti consultum iret, significaretur in prima editione Sixti præ festinatione aliqua errata irrepsisse, vel Typographorum oscitantia, vel aliorum incuria; subditque placuisse consilium Pontifici, ideoque

que in præfatione conſulto poſitum, quod Sixtus animadvertens non pauca in ſuam priorem Bibl. editionem præli vitio irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur, de integro quidem opere ſub incudem revocando cogitavit; quod eo morte prævento ſubinde perficere aggreſſi ſunt Gregorius XIV, & Innocentius IX, ſed iis pariter morte præreptis, tandem initio Pontificatus a Clemente VIII. opus, in quod Sixtus intenderat, Deo bene juvante, perfectum eſt. Si ergo a Sixto V. multa perperam in editione priori mutata ſunt, corruere pariter opus eſt editionis a Clemente adornatæ fidem, auctoritatemque; non enim potior eſt ratio, cur Sixtina reprobata, Clementina approbetur. Quare Thomas Jameſius Anglo-Calviniſta Bodlejanus Bibliot. Londini an. 1606. libro edito ſub hoc titulo: *Bellum Papale, ſive Concordia diſcors Sixti V, & Clementis VIII*, in quo menda in Sixtina editione a Clemente emendata ad duo millia recenſuit, hiſce Archiep. Cantuarienſem, cui librum inſcripſit, verbis feſtivus alloquitur: *Jam tandem Archipræſul in Deo, & coram hominibus Reverendiſſime, ad perpetuam Pontificum Romanorum infamiam, exegi monumentum, quod ſtatuo.* Recitat ſubinde contradictiones, quæ Bullas Sixti inter, & Clementis intercedere ſibi viſæ ſunt, atque ſubjungit: *Liquebit, quam diſpar, & diſſimilis ſit ratio Sixti, & Clementis: ait Clemens, negat Sixtus; ait Sixtus negat Clemens.* Et circa finem in hæc tam jactabundus, quam inſolens exit Sycophanta: *Confidentiſſimus de Bibliis ſuis Sixtus, metuens ſibi de ſuis Clemens, arrogans hic, modeſtus ille; ſed dumtaxat modeſtus? Mendax hic, & ille.* Eadem ſpatta aſſumpta Sixtinus Amama lib. 1. Antibarbari Biblici cap. 8, ſpecimina multa ex Jameſio mutuatus eſt, tum vocum, & ſententiarum, quas a Sixto male omiſſas Clemens bene reſtituit; tum aliarum, quas a Sixto perperam interpolatas Clemens optime expunxit. Collata deinde utraque invicem editione, contrarietatem utriuſque exhibuit: item diſcrepantiam ingentem in numeris; ac denique manifeſtam differentiam in locis ex induſtria mutatis exprobravit. Lambojus quoque tom. 1. epiſt. 5. acriter debacchatus adverſus præſumptam Rom. Pontificis infallibilitatem, hoc editionis Sixtinæ exemplo abutitur, Theologoſque complures hanc ſibi objectionem

ctionem proponentes, neque, ut ipſi videntur, ſatis facientes, variis, inconditiſque ſubſannationibus vellicat, & exagitat.

Verumtamen non erat certe, cur vel Jameſius, & Amama hinc ignominia Rom. Pontifices operiendi ſuperbe ſibi aditum, ſpemque facerent, vel Launojus noſtræ Communionis homines ſcommatibus impetendi anſam temere arriperet. Levi namque negotio, tamque ſolide, quam facile objectioni huic obviam ivere Theologi noſtrates, interque alios Gretzerus in defenſ. tom. 1. Controv. Bellarmini, Tannerus tom. 3. Theolog. de Fide diſp. 1. q. 4. dub. 6; Cabaſſutius in Not. Eccl. Sæculi VI. diatr. de Vulg. Bibl. edit.; Bonfrerius Prælog. cap. 15. ſect. 3; Simeon de Muis de Verit. edit. hebraicæ; Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. IV. diſſert. 39. art. 5; Card. Gotti Theolog. tom. 1. de loc. Theolog. q. 3. dub. 6. §. 4; ac nuper, aliis prætermiſſis, Emin., Doctiſſimuſque Cardin. Cavalchinus in Relat. Cauſsæ V. Servi Dei Card. Bellarmini ſuper dubio de virtutibus pag. 179, ſcilicet reponunt, etiamſi prior Sixtina editio non paucis erroribus conſperſa eſſet, hujus tamen editionis Bullam neque a Pontifice fuiſſe promulgatam; neque, etiamſi promulgata fuiſſet, eò ſpectaſſe, ut eam nobis editionem proponeret, veluti certa, Divinaque fide pro emendatiſſima credendam; neque, etiamſi pro emendatiſſima fide Divina credenda propoſita fuiſſet, ea propter errores contra fidem credendos fuiſſe propinatos: quandoquidem errores illi eſſent ad ſanam fidei doctrinam indifferentes, nihilque Catholicæ Religioni nocerent. Scilicet dum Sixtus emendatiora, imo emendatiſſima Biblia ſe ſuppeditare aſſeruit, non eo aſſeruit ſenſu, ut ab omnibus expurgata omnino mendis eſſent habenda, ut per id poteſtas futuris Pontificibus caſtigatiores publicandi Codices prærepta intelligeretur. In id etiam intendit Clemens, ut expurgatiorem quidem editionem præcedentibus exhiberet, non ita tamen intelligens, ut nihil poſthac in eis denuo emendari poſſet: recte tamen utrique edicens, ea in editione nihil contineri ſive fidei, ſive morum regulis diſſonum, & repugnans. Qua plane reſponſione evaneſcit quidquid eo argumento ſpei, & audaciæ ſibi fecerunt heterodoxi, & quidquid timoris, ignaviæque præconcepere Catholicorum nonnulli timentes,

tes, ubi non erat timor. De hoc argumento fusius ago in Dissert. Chronolog. Hist. Critic. Dogmat. in S. Scripturam, quæ, si Superis placet, publicam aliquando lucem adspicient. Immania inter mendacia, & maledicta referenda fore, quæ sive ex Marbasio adversus Paulum V, sive ex Collectore excerptorum pro defensione Censuræ S. Facult. Paris. edit. Monast. *1669.* adversus Alexandrum VII. tam improbe, quam impudenter effudit Franciscus Bruys hist. Pontif. tom. 5. pag. 170, ac 336, dubitabit profecto nemo, qui sensu plene non despuerit, atque utriusque gesta sincere digesta a Spondano & Gravezonio vel primoribus delibaverit labris; neque enim opus est cum iis contendere, quibus ita frons periit, ut mentiri, & maledicere otium sibi, negotiumque facere non erubescerent.

Improbo pro ingenio inflictum Quesnello probrum ulciscendi, in omnem Clementi XI. struendi vicissim invidiam intenti occasionem Jansenistæ, eumdem violatæ fidei ad vulgus traducendi ex homilia an. 1702. in solemni Paschatis die habita locum opportune nancisci sibi visi sunt. Periocham nempe illam, in quam festive Pontifex exierat: *Hodie forma Servi reversa est in formam Dei*, avide arripiens Jansenista quidam assumpto nomine Aviti Academici, juxta morem suis jam vulgatissimum sub larvatis delitescendi vocabulis, ita liberius debacchandi causa, libello evulgato sub hac epigraphe: *De Clementina periodo, Hodie forma servi* &c.. doctissimum Pontificem, tanquam qui verbis illis Eutychianam edocuerit hæresim, insectandum audacissime sibi sumpsit, ejusmodi rationi innixus, quod siquidem formæ nomine apud Veteres, Recentioresque natura significetur, proinde formam Servi reversam in formam Dei prædicando, utramque naturam invicem in Christo commixtam credidisse Pontifex dicendus est, ita ut prius in Incarnatione naturam Divinam commixtione quadam in humanam transiisse, & postmodum in Resurrectione humanam iterum in Divinam nova permixtione transmutatam fuisse putaverit: quæ est hæresis expressissima Eutychetis. Qua argumentatione peracta, jactabundus Pontificiæ infallibilitatis propugnatoribus his insolentiæ plenis insultat verbis petulantissimus Jansenista: *Qui è Magistris vestris ingeniu, eruditione*,

ne, calliditate præſtant, ab errore Eutychiano liberent hanc periodum. Sed enim nec ingenio, nec eruditione, quibus excelluit alioqui, qui abunde id præſtitit, Cl. Berti de Theolog. diſcipl. lib. 26. cap. 19, opus eſt, ad hanc a doctiſſ. Pontifice calumniam propulſandam; magis autem calliditate, & audacia eum abundare oportebat, qui probe orthodoxum Pontificis ſenſum in alienum, pravumque intorquere non erubuit. Certe ſi Clemens XI. ob illam periodum Eutychianæ hæreſis nota inurendus eſſet, eadem pariter inuri debere S. Cyprianus doctiſſ. Berti videtur, ut qui in Serm. de Reſur. eamdem periodum uſurpavit. Verum Sermo ille de Reſur. una cum undecim aliis in lib. de Cardinalibus operibus Chriſti comprehenſus, etſi olim S. Cypriano adſcriptus, inſcriptuſque ad S. Cornelium Papam, hodie tamen Arnoldo Bonæ Vallis Abbati, ex fide Codicis Mſ. Oxonienſis optimæ notæ, quo refertur ab ipſo Hadriano IV. P. M. nuncupatus, a Jo: Fello ad calcem Oper. S. Cypriani, aliiſque peritis Criticis reſtitutus eſt; quin ulli tamen in opinionem venerit Eutychianæ hæreſeos potuiſſe quidpiam labis Arnoldo adhærere. Qua certiſſime ab hæreſis ſpecie Clementem animum geſſiſſe tam alienum, quam longe diſtet lux a tenebris, exinde fit evidens, quod in homil. de Nativ. D. an. 1704. habita duas in Chriſto diſtinctas Naturas diſerte prædicat verbis hiſce: *Gemina in unam Perſonam conveniente Natura, verus Deus, & verus Homo natus eſt Chriſtus; ut illi vera ineſſet Deitas ad miracula operum; nec vera deeſſet Humanitas ad tolerantiam paſſionum*. Quum igitur dixit formam Servi reverſam in formam Dei, formam eo loci non pro natura, ſed pro effigie, ſive figura accepit, ita ut ſignificare voluerit, non quidem utramque Naturam in Chriſto fuiſſe permixtam, ſed effigiem Chriſti in paſſione contumeliis, & ignominia affectam in gloriam reſurgentis fuiſſe permutatam. Equidem non infrequenter formæ nomine acceptam fuiſſe, accipiendamque fore naturam non inficias ibo, quo plane modo ab Apoſtolo ad Philip. cap. 2. 6, & ſeq. & a S. Auguſtino in Pſal. 63. accepta legitur. Sed acceptam quoque formæ nomine aliquando figuram, ſeu effigiem, (non ſecus atque viciſſim figuram pro ipſa natura fuiſſe acceptam liquet ex S. Paulo ad Hebræos cap. 1. 3.) indubium evadit ex S. Marco cap. 16. 12; atque

que ita a Clemente noſtro formam acceptam pro figura tam ex ſcopo, quam ex contextu ſermonis aſsequi datur: ex ſcopo quidem, nam eò ſpectabat dumtaxat, ut diverſum in Chriſto indicaret ſtatum, ita ſcilicet ut ſicut ex priori effigie patientis ejuſdem probata evaſerat Humanitas, ita poſtea ex reſurgentis effigie manifeſtata ejus Divinitas fuerat. Quod ipſum in altera homilia pariter de Reſur. an. 1704. habita paullo aliter expreſſit: *Vir dolorum*, inquiens, *cui non erat ſpecies, factus eſt ſpecioſus præ filiis hominum; factus eſt incorruptibilis, qui potuit vulnerari; factus eſt immortalis, qui potuit occidi, factus eſt impaſſibilis, qui potuit Crucifigi*. Quæ plane nonniſi permutationem in externa figura, & effigie, non etiam utriuſque Naturæ permixtionem præferunt. Ex contextu vero, nam poſt objecta verba, hæc e veſtigio perſequitur. *Infirmitas in virtutem, mortalitas in mortalitatem, contumelia tranſivit in gloriam*. Quibus quid illuſtrius ad oſtendendum non aliam Pontifici inſediſse ſententiam, quam quod aliam Chriſtus D. tempore paſſionis, aliam poſt reſurrectionem effigiem prætulerit? Quidque efficacius ad retundendam procaciſſimi Janſeniſtæ temeritatem adeo levi ex ſpecie in Eccleſiæ Principem invidiam quærentis? Quærere perinde in Benedictum XIV. ex Epiſtola ad Epiſcopum Anguſtanum Windheimus, & ex Encyclica altera ad Galliarum Epiſcopos Scriptor Epiſtolæ Mſ. ad Ampl. S. R. E. Cardinales, & Cl. Theologos in Urbe Prænestе congregatos ab eodem Pontifice ſubinde damnatæ Conſt. *Cum ad nonnullos* die 5. Septemb. 1757, invidiam non extimuere. Sed uterque juſtas temeritatis pœnas dedere, ille quidem Cl. Muratorio in Diſsert. de Nævis in Religionem incurrentibus; iſte vero doctiſs. Patuzzio in difenſ. præl. Encyclicæ; unde non eſt, cur huic denuo tabulæ manum admoveam.

Privilegiorum itaque in perſona S. Petri Rom. Pontifici a Chriſto D. collatorum Vindicias, auſpice Deo, abſolvi, viribuſque, quibus valui, perfeci. Ut operam ad perficiendas omnem impenderem, in cauſſa fuit ſtudium illud, quo, ut Minoritam decebat, erga Apoſtolicam Sedem affectus ſummopere, ſemperque fui, quam tanti faciendam jugiter mihi fuit perſuaſum, quanti a religioſiore quolibet fiat ipſa Religio, in qua nempe, qui Petri ſolium

ſolium tenet, jure creditur Caput, Centrum, Columen, Magiſter, Princeps, Paſtor, & Pater. Ut autem opere *ipſo* perficerem, argumento, documentoque fuere ipſorum Pontificum, dicta, facta, & jura. Dicta, quidem, quibus quid facto opus eſſet, quantumque ſibi facultatis ineſſet in rebus ad Religionem ſpectantibus nec unus, vel alter, nec una, vel altera vice, ſed nullo non tempore, ſed ad unum omnes, iique qua ſapientia, qua ſanctitate præſtantiſſimi declarantes; jurium quoque ſuorum optimi æque Judices, atque teſtes idonei, neque de juris alieni invaſione ſuſpecti, neque de jurium ſuorum incremento ſolliciti; eadem non ex privato ingenio amplificantes, ſed ex Dei Verbo ſcripto, & tradito interpretantes, neque ignaræ Plebi venditantes, ſed a Potentum inſidiis, ſed a Schiſmaticorum injuriis, ſed ab Hæreticorum inſultibus vindicantes, eademque coram Epiſcopis, Conciliis, Eccleſiis, Chriſtiano Orbe extollentes, duo inter alia, ad quæ cetera velut ad caput redigantur, ſibi Divinitus facta privilegia prædicare non deſtiterunt, ut in fide nempe ſint infallibiles, ac poteſtate ſupra generalia ipſa Concilia præſtent. Facta vero, quibus dicta comprobantes, quid ubique gentium pro poteſtate, aut præcepto valerent, aut vellent oſtendentes, a cunctis ſibi ex officio faſces debere ſubmitti, a nullo ſibi poſſe abſque piaculo obſiſti docuerunt, & demonſtrarunt, rerum Divinarum, humanarumque ſummam gerendo, Temporalium abuſum coercendo; Spiritualium adminiſtrationem diſpenſando; Laicis cujuslibet genus loco ſuperſtando, Eccleſiaſticis cujuslibet gradus leges ſtatuendo; ſive eos, qui in Eccleſia eſſent, legibus, & moribus informando; ſive eorum, qui eſſent extra Eccleſiam, ſollicitudinem, & curam præferendo, milleque aliis modis rebus, perſoniſque omnibus proſpiciendo, operamque impendendo. Jura denique, quæ exerere uſquequaque viſi ſunt, mox in Concilia, vel ea indicendo, vel eis jubendo, vel de iis judicando; mox in Canones, eos vel relaxando, vel roborando, vel rejiciendo; qua de alienis juribus dijudicando, qua vetando ſuis de juribus a quopiam dijudicari. In Eccleſia univerſa, gradus Eccleſiaſticos hic inſtituendo, vel dimovendo; gradibus illic Epiſcopos vel removendo, vel reſtituendo; ipſis juriſdictionem

tum impertientes, tum auferentes, tum coercentes. In cauſſis cujuslibet genus ad fidem, ad mores, ad diſciplinam ſpectantibus: nunc de Religioſis Ordinibus aut veteribus inſtitutis, aut novis inſtituendis placitum ferendo; nunc de virtutibus, ſigniſque Servorum Dei judicium proferendo; hinc extirpantes Schiſmata, illinc exterminantes Hæreſes, hic, & illic Controverſias ſive facti, ſive fidei, juriſque aut privati, aut publici ſuprema poteſtate finientes; modo regulas morum præfiniendo, modo de Religione pertractantes libros proſcribendo; qua leges diſciplinæ decernendo, qua de factis dogmaticis definiendo; probantes fidei profeſſiones eorum, qui Chriſtianæ Religioni vota ſua nuncupaſſent, præſcribenteſque fidei formulas iis, qui Romanæ in Eccleſiæ caſtris merere cuperent; atque demum verbo, & exemplo, dicto, & facto ſemet in fide integros, & puros jugiter exhibentes. An autem, ut par fuiſſet, eratque in optatis, reapſe, feliciterque opus perfecerim, imbecillitatis meæ haud ignarus, valde dubito, & vereor, ſed liberalis de Lectoris humanitate mihi magnopere blandior. Certe dixiſſe pro viribus, quodque rei caput eſt, dimicaſſe pro veritate mihi videor: bene, an male, judicium eſto apud Doctos, pioſque, quos magno in honore, pretioque habeo, maxime autem apud Eccleſiam, cujus veluti Matris, ac Magiſtræ correctioni me, ac mea omnia ſive vivens, ſive moriens, ſponte, integreque ſubjicio. *Ego enim* præclaris hiſce S. Auguſtini in Epiſt. 143, olim 7. ad Marcellinum verbis colophonem operi imponere mihi peropportunum accidit, *fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid vel incautius, vel indoctius a me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio, nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum, atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum.*

EXPLICIT

PARS VINDICIARUM SECUNDA.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM
A

ACacius quam juſtas, graveſque ob canſſas Romanæ ab Eccleſiæ communione fuerit abſciſſus, eloquuntur litteræ SS. Felicis III, Gelaſii, Anaſtaſii II, Symmachi, Hormiſdæ, & Nicolai I; atque ultro citroque agnovere demum Orientales, qui nonniſi Acacii nomine e diptychis abraſo ad Romanæ Eccleſiæ Societatem admitti impetrarunt *pag.* 62, & *ſeqq.*

S. Agatho ſummo jure ad deceſſoris ſui S. Martini I. decreta adverſus Monothelitas admittenda Synodos in Græcia, Italia, Anglia, & Gallia adegit *pag.* 310, & *ſeq.*

S. Alexander I. librum adverſus Heracleonem elucubraſſe, miſſoque in Siciliam Sabiniano Presbytero, collectaque Synodo hæreticum illum damnaſſe fertur apud Prædeſtinatum: cui tamen fidem non adhibendam oſtendit Coutantius *p.* 33, & *ſeq.*

Alexander II. quorumdam hæreſim aſſerentium licite a Principibus laicis emi poſſe Epiſcopatus abſque crimine ſimoniæ a S. Petro Dam. ad ſe delatam damnavit *pag.* 88.

Alexander III, & poſt ipſum Pontifices alii, Valdenſibus, exindeque ſectis aliis ſubortis multo nomine infamibus exterminandis operam impenderunt omnem, qua cenſuras ferendo, qua congregando Synodos, qua Viros doctos, & pios adhibendo, qua indicendo Expeditiones *pag.* 93, & *ſeqq.* Nec erravit ipſe, dicendo ad Teſtamenti valorem duos, vel tres ſufficere teſtes; nec ipſius ſententia ex Prædeceſſoribus quiſpiam erravit, docendo Matrimonium ratum diſſolvi poſteriori conſummato *pag.* 718, & *ſeqq.*

Alexander IV. librum de Evangelio æterno proſcripſit, ex quo fruſtra perinde ab hæreticis in Rom. Eccleſiam invidia quæritur. Improbos quoque Guillelmi Santamoræi libros igne devovit, quo uno ſane digni erant *pag.* 97, & *ſeqq.*

Alexander VI. Pikardos, & Foſſarios compreſſit: quos perinde quiete degere non permiſit Julius II; qui pariter Urbi a Judaica, & hæretica ſuperſtitione expurgandæ ſedulo incubuit *pag.* 112. Falſo confingitur animo paratus ad indulgendum, ut abſque vino Euchariſtia conficeretur *p.* 738.

Alexander VII. Janſeniſtis tergiverſandi aditum intercluſit. Chriſtinam Sveciæ Reginam pio, qua decebat, officio excepit. Cum Iſacio Pereyro ad frugem regrediente benigne egit. Franciſcum Borium viciſſim in hæreſi obfirmatum probro affecit *pag.* 130, & *ſeq.* Neque cum Innocentio X. in cauſſa Rituum Sinenſium, neque cum Clemente IX. in cauſſa Janſenii conflixit *pag.* 348, 364, 372, & *ſeq.*

S. Anaſtaſio I. primum damnati Origenis

genis laudem perperam invidet Boſſuetius: nam ejus unius irrefragabili judicio Origenis damnatio univerſo demum in Orbe obtinuit *pag.* 53, & *ſeq.*

S. Anaſtaſius II. injuria afficitur, dum a maleferiatis nonnullis fertur Acacianorum fœdere ſe fœdaſſe; de improbo reſtituendo Acacio conſilia agitaſſe, atque Ordinationes ab eo celebratas perperam approbaſſe *pag.* 620, & *ſeqq.*

Apoſtolici Canones auctorem S. Clementem nec Romanum, nec Alexandrinum habent; iique Apoſtolorum ætate tam longe ſunt recentiores, quam Apoſtolicis ſcriptis auctoritate longe ſint inferiores. Quot vero apud Græcos, non utique tot apud Latinos obtinuerunt, ideo quod nonnulli doctrinam, diſciplinamque præferant Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ adverſam *pag.* 586, & *ſeqq.*

Ariani, ac Semiariani, perditiſſimum etſi hominum genus, Religionique infeſtiſſimum, quanti tamen penſi Religionis Præſes, Rom. Pontifex habendus foret, dicto, factoque haud ſemel docuere *pag.* 8, & *ſeq.* Pro verſatili ingenio, & in fide inconſtantia, plures in ſectas diſtracti ſunt, pluriesque fidei variarunt formulas, videlicet uſque ad 11, vel 13, vel 16. vices *pag.* 183, & *ſeqq.*, & 273. Ad Eccleſiæ judicia eludenda ad fraudes, doloſque confugere frequens ipſis, ſolemneque fuit *pag.* 246, & 271. Ab eorum, ac Socinianorum invidia vox *Homouſion* defenditur; cum Antiochenis vero Patres Nicæni conciliantur *pag.* 272, & *ſeqq.* Veteri inſuper hæreſi additus Anabaptiſmus uſu deinde eiſdem venit *pag.* 494, & *ſeq.*

Ariſtotelis libri diverſam, & adverſam ſæpius, ac Pariſiis quammaxime, fortunam experti ſunt. Quinam perinde juſtas Rom. Pontificum ſubierint iras, & quorum viciſſim lectio permiſſa, atque pura verſio procurata *p.* 328, & *ſeqq.*

S. Athanaſius Symbolum an ediderit, quod claro ſub ejus fertur nomine, an potius ab aliis fuerit procuſum: quando, & ubi prima ejuſdem Symboli facta habeatur mentio *pag.* 212, & *ſeq.*

S. Auguſtinus, aliique de Schola Theologi, quod ad SS. Trinitatis, & Incarnationis myſteria clarius explicanda novas uſurpaverint voces a Clerico temere redarguti vindicantur *pag.* 313, & *ſeq.* Celebris ejus locus, quo ad hæreſis ſuæ defenſionem abutuntur paſſim Janſeniſtæ, quo probo accipi ſenſu debeat *pag.* 356.

B

BAptiſmi in collatione fides, in Confirmatione fidei robur confertur *pag.* 438, & *ſeq.* Ad Baptiſmum vi cogi Infideles nequeunt; etſi factum id aliquando a Regibus legatur. Licet Regibus tamen edicto ſancire, ut Infideles Baptiſmo ablui detrectantes Regno faceſcant; licere quin etiam imperare, ut Infidelium captivorum Infantes, parentibus invitis, baptizentur, docent haud infimi ſubſellii Theologi plerique *pag.* 694, & *ſeq.* Baptiſmum ſub trium Perſonarum invocatione conferendum eſſe certa quidem videtur ſententia: contrariæ tamen Theologica inuri nota nequit *pag.* 706, & *ſeqq.*

S. Be-

S. Benedicto II. fidei ſuæ rationem reddere, ſeque ab hæreſis ſuſpicione apud eum liberare officio, religionique habent Hiſpani Epiſcopi *pag.* 311, & *ſeqq.*

Benedictus XII. miſſo ad Armenos errorum catalogo, ejurari ad unum eos omnes jubet. Jubenti vero Pontifici facientes illi ſatis, ex impactis erroribus quos edita Apologia diſpunxerunt, quos profeſſione fidei adornata ab ſe abjecerunt *pag.* 101.

Benedictus XIII. Synodi Ebredunenſis ſententiam adverſus 50. Advocatos ſofores invicto vindicavit animo, & Apoſtolica communivit auctoritate *pag.* 134.

Benedictus XIV. libellis pleriſque Schiſmatis, hæreſiſque ſpiritu imbutis, ac Religioni, poteſtatique Eccleſiaſticæ infeſtis perpetuæ infamiæ notam inflixit *pag.* 134, & *ſeq.* Qui Pontifici tam docto, quam pio obtrectare inſigni protemeritate non eſt veritus, dignum profecto ſe exhibuit, qui vapularet multis *pag.* 369, et 746.

Beza, dum pro concione diſſereret, ea diſponente, permittenteque Deo, protulit tam vera, quam expreſſa de ſucceſſione in Apoſtolica S. Petri Sede in hanc uſque diem propagata, quæ fruſtra apud ſuos quærantur *pag.* 22, & *ſeq.* Quorum ſimillima de poteſtate Rom. Pontificis ſumma vel ab invitis Blondello, Bucero, Bullingero, Bunnio, aliiſque ſectariis veritas extorſit. Videſis V. *Hæretici*.

S. Bonifacio IV. quæ inſcripta a S. Columbano fertur epiſtola, quave Pontifex de Synodo V. probata reprehenditur, aut ſiglinis certe deputanda eſt, aut in ea certe repugnantia ſcripſiſſe, ſecumque met pugnaſſe S. Dei homo dignoſcitur *pag.* 652, & *ſeqq.*

Bonifacius V. a Proteſtantibus quibuſdam invitus per injuriam in errorem rapitur, quaſi docuerit Chriſtum D. a ſolo peccato originali homines redemiſſe *pag.* 654, & *ſeq.*

Bonifacii VIII. nomine quæ circumfertur, fidei profeſſio ad Philippum Franc. Regem tranſmiſſa, a maleferiato quopiam procuſa fuit *pag.* 238, & *ſeq.* Ejus famam, fidemque ab invidia abunde liberarunt, tutoque in loco Viri dignitate, virtute, doctrinaque præſtantiſſimi poſuere *pag.* 723, & *ſeq.*

Bonifacius IX. tantum abfuit, ut ſacrilega nundinatione venales Indulgentias faceret, ut potius in ſacrilege facientes ſevera animadverſione proceſſerit *pag.* 722, & *ſeq.*

Boſſuetius ſuis ipſius telis Grotium, ejuſque Symmiſtas jugulat *pag.* 24, & *ſeq.* Pleroſque e ſegregum caſtris impenſa opera ad recta fidei orthodoxæ relegenda veſtigia feliciter reduxit *pag.* 29, & *ſeq.*

Breviario Romano ex Romanis ipſis Pontificibus ſumma præ ceteris adceſſit præſtantia, & auctoritas: quæ in cauſſa facile profecto fuit, cur cæterarum Breviariis Eccleſiarum prælatum ſæpe fuerit; atque plurimo certe præferri nomine meruit. Quod non prohibuit tamen, quin circa privata SS. facta reformatum perſæpe fuerit; ac reformatione in pleriſque etiamnum indigere doctis quampluribus videatur *pag.* 452, & *ſeqq.* Videndus & de Souſa in diſſert. de auct. Brev. Rom.

Brueys

Brueys Franciſcus auctor hiſt. Rom. Pontif. a S. Petro uſque ad Benedictum XIII. volum. 5. comprehen. ſæ, qua nullum Pontificis laceſſendi finem fecit, ut Superis tamen placuit, deſipere tandem deſiit, veritateque agnita ad frugem regreſſus lacrymis delere probra, quibus Pontifices indigne affecerat, quoad vixit, non deſtitit *pag.* 30, & *ſeq.*

C

S. CÆleſtinus I. gloriam de Neſtorio prædamnato, deque compreſſis Pelagianis reportavit; qui & formam ſententiæ ferendæ in hæreticos Patribus Epheſinis præſcripſit. Novatianorum etiam reliquiis delendis incubuit, fruſtra, iniqueque conquerente Socrate, & iſti compatiente Bruejo. In Semipelagianos inſuper ſtilum exeruit, multaque ſe laude dignum exhibuit *pag.* 57.

S. Cæleſtinus V. Indulgentiam largiendo, a pœna quidem ſe abſolvere dixit, non etiam a culpa, uti maligni quidam perperam eum interpretati ſunt *pag.* 722.

Caelibatus ſacra Clericis majoribus indicta lex utraque in Eccleſia Græca, & Latina vetuſtiſſima eſt. Caput de S. Paphnutio eidem legi intercedente, prout legitur in hiſt. Eccleſ. Socratis, & Sozomeni, fide valdequam nutat *pag.* 321, & *ſeq.* Epiſtola quoque S. Udalrici Auguſtani nomine de Nuptiis Clericis majoribus non interdicendis inſcripta gravi ſuppoſitionis morbo laborat, a quo eam ſanare fruſtra Proteſtantes defatigantur *pag.* 223, & *ſeqq.*

Calliſto II. Petrobruſianorum damnatio accepta debetur: cui perinde excindendæ peſti Romani Pontifices alii operam impenderunt *pag.* 90.

Calvinus etſi Religionis infenſiſſimus hoſtis, de Religionis tamen Præſide, Rom. Pontifice ea ſcriptis tradidit, quibus ſibimet jugulum peteret: Pontificis nempe Primatum Divino quidem jure ſubnixum negans, a tota retro tamen Patrum antiquitate ſummo in honore habitum affirmans *pag.* 19, & *ſeq.*

Campanæ, Populi ad Sacra convocandi gratia, quo demum tempore uſu Eccleſiæ venerint. Diverſus olim porro apud Ethnicos, Judæos, & Chriſtianos Populum convocandi ad publica ſive civilia, ſive ſacra obtinuit Inſtrumentorum ritus: cui demum Campanarum ſuffectus eſt uſus; atque hic quidem a Latinis ad Græcos translatus apud hos demum periit. Sabiniani, & Johannis XIII. ætate antiquior eſt, atque jam ſub ſæculo VI. inductus videtur *pag.* 709, & *ſeqq.*

Carolinus Codex, a Carolo M. ſic denominatus, qualis eſſet, quorum, & quot epiſtolas complecteretur, a quo editus, & qua demum fide ſit dignus *pag.* 81.

Catechumeni precum Eccleſiæ participes erant, quin etiam pro ipſis Euchariſtia aliquando oblata legitur, unde in hac parte Eccleſiaſticis pœnis etiam ſuberant *pag.* 511.

Centuriatorum quinam peſſimo hoc audiant nomine, ac quot peſtilentiſſimo Centuriarum operi adjutrices manus admoverint. Atque ii quidem S. Petri in Eccleſia Primatum inficiari non veriti, quin tamen

tamen is a veteribus Patribus, quos proinde dictis proſcindere non abſtinent, agnitus fuerit, & aſſertus, in dubium evocare non ſunt auſi *pag.* 21.

Chirotonia Græce, Latine Manuum impoſitio multis apud Græcos, Latinoſque modis accipi conſuevit. Nempe 1. pro Manuum impoſitione curatoria. 2. pro Electione ſacra. 3. pro Confirmatione. 4. pro Ordinatione. 5. pro Impoſitione pœnitentiæ. 6. pro Presbyterii benedictione *pag.* 581, & *ſeqq.*

S. Clementi I. Nicolaitarum, Baſilidianorum, Gnoſticorum, ac Simonis Magi damnationem acceptam refert Auctor Conſtit. Apoſtol. hypobolimæus tametſi ſcriptor. Ab eo cæterum Ebionitas damnatos tradit S. Epiphanius *p.* 33. A calumniis ipſi affictis a Photio de altero excogitato Mundo, de Phœnicis uſurpato exemplo, deque Chriſti Divinitate haud ſatis liquido prædicata; atque a Proteſtantibus de negato SS. Imaginum cultu, deque communi inducto Conjugum uſu abſolvitur prorſus, & abſtergitur *pag.* 426, & *ſeqq.*

Clementi III. recens in Gallia enatam controverſiam, an aqua vino in Calice mixta in Chriſti Sanguinem converteretur, integram ſiſtere officio habuit Gaufridus Clarævall., qua de quæſtione egit poſtea Innocentius III. *pag.* 97.

Clemens IV. de hæreſi ad ſe delatum Narbonenſem Antiſtitem labem eluere juſſit. Berengarianam item hæreſim ejurare Thidericum Bavarum coegit. Santamoræi denique libros igni devovit *pag.* 98, & *ſeq.*

Clemens VI. rem a deceſſore ſuo Benedicto XII. cum Armenis bene cœptam optatum ad exitum deduxit. Gentibus etiam aliis finitimis Evangelii lumen inferri curavit, quam ſubinde curam abſolvit Innocentius VI; a quo præterea rediviva Pelagiana hæreſis ſuffocata eſt. Flagellantium ſectæ, cui alia pleraque indita præterea nomina, abolendæ ſedulam impendit operam, quam deinde ſuſcepit Gregorius XI. *pag.* 101, & *ſeqq.* Quæ morti proximus ab ſe dicta, vel ſcripta diſputando, vel ſcribendo forte contra fidem revocavit, ea revocare intellexit, quæ ſibi fortaſſe veluti doctori privato excidiſſent *pag.* 242.

Clementis VII. ad laudum cumulum indefeſſum acceſſit ſtudium, quo Lutheranæ, & Calvinianæ hæreſi deſtruendæ impenſe deſudavit *pag.* 114.

Clemens VIII. Gallos Epiſcopos acriter objurgavit, quod indebitum ſibi jus arrogaſſent Henrico IV. Regi abſolutionis beneficium impertiendi, id ad Pontificis M. jus pertinere affirmans. Maronitas errorum ſuſpicionem eluere juſſit; & Malabaros opera Meneſſii Sacris noſtris inſtruxit *p.* 129. Videſis V. *Sixtus V.*

Clemens IX. benegnitate quidem cum quatuor Refractariis Epiſcopis egit, ſed non propterea fidem prodidit, neque formulario Alexandrino robur detraxit *pag.* 131, & *ſeq.* Noſtro impacta a Queſnello de reddita Janſeniſtis pace calumnia diluitur, & deletur *pag.* 370, & *ſeq.*

Clementis XI. laudi vertitur, quod tam fidei Catholicæ, quam Pontificiæ auctoritatis vindicem egregium

gium haud ſemel adverſus Janſeniſtas, & Queſnelliſtas ſe præſtiterit. Quod par nobile Principum dexteritate ſua ad Sacra noſtra traduxerit. Clementinæ deinde Conſtitutionis *Vnigenitus* aſſertores ſe dedere Innocentius XIII, Benedictus XIII, & XIV. *pag.* 132, & *ſeqq.* Rectiſſime quoque in Rituum Sinenſium cauſſa proceſſit *pag.* 365, & *ſeqq.* Nec ei nitū inſignem per injuriam ab Avito Academico hæreſis Eutychiana aſſlatur *pag.* 744, et *ſeqq.*

Cognationis ſpiritualis impedimentum non utique a Johanne X, multoque minus turpis lucri gratia, veluti commentus eſt Jannonus, inductum fuit, ſed jampridem apud Græcos ſub Juſtiniano Imp., & apud Latinos ſub S. Gregorio II. obtinuerat *pag.* 708, & *ſeq.*

Concilia particularia indicantur a prima ad hanc poſtremam ætatem, a quibus ob Pontificiæ auctoritatis defectum contra fidem turpiter peccatum eſt, turpeſque ſint hæreſes probatæ *pag.* 162, & *ſeqq.* Contra vero Concilia quotquot, in quibus res fidei bene definitæ, hæreſeſque rite damnatæ leguntur, non abſque Pontificis nutu prævio, aut conſenſu poſt adhibito robur in Eccleſia obtinere demonſtrantur *pag.* 165, & *ſeqq.* Circa dogmata, ſive facta dogmatica neque inter ſe Concilia, neque cum Rom. Pontificibus conflixerunt unquam, conflictaruntque, ut Janſeniſtæ jactant *pag.* 347, & *ſeqq.*, 373, & *ſeqq.*

Concilio generali de factis dogmaticis infallibiliter dijudicandi jus non ademere, nec ideo a Generali VI. in hujus genus judicio erratum fuiſſe docuere Baronius, Bellarminus &c. *pag.* 387, & *ſeqq.* Concilio generali de factis dogmaticis definienti fides debetur Divina, *pag.* 396, & *ſeqq.* Etſi vero Græcis non infrequens ars fuerit adulterandi tam Pontificum decretales, quam Synodorum Codices, ejuſdem tamen Concilii VI. Acta depravata non fuiſſe demonſtrantur *pag.* 659, & *ſeqq.*

Concubinæ nomine olim veniebat tum Pellex, alias Uxor *Gratuita*, & *Sodalitiaria* dici ſolita, cum qua legitimum nunquam ſubſtitit Matrimonium; tum Uxor legitima, ſed abſque Nuptiarum ſolemnitate ducta, cum qua tamen indiſſolubile contrahebatur vinculum conjugii. Quatuor vero præſertim modis Concubina diſtinguebatur ab Ingenua, 1. ratione diſparitatis in regimine familiæ, 2. ratione deſponſationis, 3. ratione filiorum, 4. ratione modi deſpondendi. Atque cum Concubinis hujus genus frequens olim apud Hebræos, Romanos, & Chriſtianos, licitumque obtinebat conjugium *pag.* 609, et *ſeqq.*, 691, & *ſeq.*

Confirmationis ordinarium Miniſtrum Epiſcopum eſſe traditio quidem eſt vetus, de qua dubitare non ſinunt explicitiſſima Patrum teſtimonia. Quæ tamen non prohibet, quin ex diſpenſatione Summi Pontificis extraordinarius Miniſter evadere ſimplex Presbyter queat. Atque Pontificis hæc diſpenſatio adeo ſane neceſſaria eſt tam apud Græcos, quam apud Latinos, ut ex ejus defectu nedum illicita, ſed etiam invalida Confirmatio eſſet. Et Græcis quidem facultas hæc perſæpe interdicta legitur *pag.* 630, & *ſeqq.*

Con.

Conjugium ob adulterium, & graviſſimam etiam aliam ob cauſſam, etiam quoad vinculum diſſolvi poſſe aliquando Græcis, Anglis, Galliſque aliquibus viſum eſt *pag.* 692.

S. Cornelius prolatam a Concilio Carthaginenſi adverſus quinque Preſbyteros damnationis ſententiam, ad preces Africanorum Patrum inflexus ratam habuit. Qui perinde Novatianum anathematis telo ab ſe confixum odio cunctis habendum Aſianis, Italis, Afriſque denuntiavit, eoque utique ſucceſſu, ut Synodis ubique habitis in Novatianum damnatio fuerit conclamata *pag.* 40, & *ſeq.* De Baptiſmo a Novatiano ſuſcepto idem diſſerens, de ejuſdem effectu, non autem valore dubitavit: ac ſi dubitaſſet etiam de valore, juſta dubitandi non ei defuiſſet cauſſa *pag.* 436, & *ſeqq.*

D

S. DAmaſo fucum etſi facere Apollinariſtis aliquando ſucceſſerit, nihil inde tamen illibatæ ejus fidei vel levis quidpiam labia adhæſit, qui fraude detecta ſevere deinde in eos animadvertit *p.* 10, 48, & *ſeqq.* A S. Damaſo, ſicut & a S. Ambroſio latas a Synodis in hæreticos ſententias eo loco habitas, ut neque a Pontifice ipſo amplius hæretici audiendi ſint, non recte imaginatus eſt Coutantius *pag.* 11. Tam in Italia, quam in Illyrico, tam in Gallia, quam in Hiſpania prolatæ in Arianæ hæreſis Promachos, ac in Macedonium damnationis ſententiæ auctorem ſe dedit *pag.* 46, & *ſeqq.* Cujus ideo ſententia ſummi, ut par erat, ab Orientalibus habita eſt. De Millenariis quoque, de Luciferianorum reliquiis, deque Priſcillianiſtarum Anteſignanis profligatis triumphum reportavit *pag.* 50. Quin eidem primum accepta ſint referenda additamenta Symbolo Nicæno facta tam de Filio, quam de Spiritu S., non dubium eſt *p.* 278, & *ſeqq.*

S. Dionyſius Alexandrinus ad S. Sixti II. tribunal Sabellium de hæreſi detulit, delatuſque eodem ipſe viciſſim nomine ad æquivocum Pontificem M. apologia elucubrata ſuſpicionem omnem abſterſit *pag.* 41.

S. Dionyſio Areopagitæ ſuppoſita Opera fuiſſe, quae ſub ejus venerando circumferuntur nomine, dubitare hodie non licere videtur. Quo tempore, quibuſque ab Impoſtoribus conficta opera æſtimari queant *pag.* 316, & *ſeq.*

S. Dionyſius Papa in Marcionem nedum maledictionem inſtauravit, nedum Arii præfocavit inſaniam, ſed una ſimul tam Sabellii, quam oppoſitam Tritheitarum hæreſim profligavit *pag.* 41, & *ſeq.*

Dioſcorus innumeros quamvis Epiſcopos in partes Eutychetis pertrahere valuiſſet, non plus minus tamen decem, qui damnationis ſententiæ in Pontificem M. latæ ſubſcribere conſenſerint, ſuum affiare furorem potuit *pag.* 13.

Donatiſtæ validius peſſimæ cauſſæ ſuæ patrocinium, quam a Romano Pontifice, quæri non poſſe approbe perſuaſum habebant: quamquam inſtabilium, ac deſperatorum inſtar illud ipſum poſthabere Tribunal poſtea reveriti non ſint *pag.* 7.

E

S. ELeutherus Montano, Alcibiadi, & Theodoto hæreſis nomine, ab Eccleſia Lugdun., & Vien. ad ſe delatis infamiæ dicam inflixit. Quod ad negotium perurgendum miſſum S. Irenæum inficiatus Valeſius ex fide Euſebii, & S. Hieronymi refellitur, non ſecus atque Blondelli, & Dodvvelli elumbes conjecturæ evertuntur. Nec erat perinde, cur eumdem Valeſium de Synodo Hieroſolymitana hac de re habita ſuſpicio inceſſeret *pag.* 36, & *ſeq.* Ab eodem S. Eleuthero liminibus Eccleſiæ prohibiti fuere Florinus, & Blaſtus Presbyteri, in quos ſtilum pariter ſuum exacuiſſe S. Irenæus legitur *ibid.* Qui S. Eleuthero Cataphrygum dogmata, & ſectam probata evaſiſſe comminiſcuntur, veluti Proteſtantes, næ ii vel fidem imprudenter Tertulliano præbent, vel ex falſo rumore fabellam profectam abſque delectu amplectuntur *pag.* 433, & *ſeqq.*

Eraſmus etſi aſperiori ingenio præditus, nec, ut par erat, erga Religionis jura religioſe admodum demiſſo, germane tamen orthodoxus, quamvis animo nihil ad aſſentandum comparatus eſſet, nec eidem præterire ſilentio Pontificum vitia ſumma cordi ineſſet religio, indubium eſt tamen eum Apoſtolicæ Sedis obſequio, obedientiæque nunquam deſiiſſe, nihilque detraxiſſe, quin etiam jura ſua integra, ac ſarta tecta eidem ſemper juſſiſſe, ſeque, libroſque ſuos ejuſdem ſubmiſiſſe reverenter judicio *pag.* 18, & *ſeq.*

Erneſtus Lantgravius Haſſiæ datis ad Gebennenſes litteris, quas frigide, inepteque oppugnandas Calviniſta non nemo ſuſcepit, publicas fecit rationes, quibus arcte perſuaſus Rom. ad Eccleſiæ avitam fidem ſe receperat *pag.* 28, et *ſeq.* Fecere idipſum bonam ad frugem regreſſi Chillingvvorth, Ferrierius, Kircher Johannes, Burg Albertus, Kuſter Ludolphus, Metternichius, Schioppius Gaſpar, Wicelius, Vanslebius, aliique *pag.* 27, et *ſeq.* Vide V. *Hæretici*.

Euchariſtiæ fidem ex determinata formula profiteri Berengarius plus vice ſimplici compulſus eſt; profiteri quoque adverſus Berengarianam hæreſim Epiſcopi, Virique alii viciſſim inſignes ſolemne habuerunt *pag.* 321. Erraſſe circa Euchariſtiam SS. Gelaſium, Gregorium M., Gregorium VII. &c. inſigni cum mendacio calumnia jactant Novatores, a quorum injuria tamen ii abſolutiſſime redimuntur, ſuo nempe quiſque loco.

S. Eugenius I, ut quidam putant, S. Martino I. viventi, pulſoque in exſilium ſuffectus, ex ipſius conſenſu legitimus ſtatim ab initio Pontifex fuit. Verius tamen, ut pugnant alii, nonniſi Pontificis abſentis vices geſſit, ſive Vicaria poteſtate defunctus eſt, donec, S. Martino hominem exuto, legitimis votis Pontificatum adeptus eſt *pag.* 520, & *ſeq.*

Eugenio II. non eſt, cur invidia cretur, errorique vertatur, quod purgationis ritum per aquam frigidam inſtituiſſe feratur, aut illius ſaltem formulam præſcripſiſſe *pag.* 695, et *ſeqq.*, 703, & *ſeqq.*

Eugenius III. Gilbertum Porretanum ad

ad geminum revocandum errorem jure coegit ſummo, Eudonem vero hæreticum inſaniſſimum carceri mancipari juſſit *pag.* 93.

Eugenio IV. laudi acceſſit, quod egregiam præter operam Huſſitis profligandis impenſam, Amedeum quemdam errores diſſeminantem deſipere docuit *pag.* 111.

Eutycheti pro Veteratorum more, ad occultandam hæreſim diverſas verborum ambages quærere familiare fuit. Exinde, opinor, fieri potuit, ut diverſæ hæreſum ſoboles ex Eutychiana ſuborirentur *p.* 397, & *ſeq.*

Excommunicationis olim quædam obtinebat ſpecies, qua inter Eccleſias conſortium in rebus Eccleſiaſticis ſuſpenſum quidem, abrumptumque foret, non etiam in rebus fidei *p.* 289.

F

S. FAbiano Apologeticam, qua fidem liberare ſuam inſtituebat, Origenes inſcripſit. Videſis V. *Origenes*. Ab eodem Pontifice ejaculata in Privatum a Concilio Carthaginenſi damnationis ſententia, Africanis Patribus rogantibus, comprobata legitur *pag.* 40.

S. Felici I. tam Pauli Samoſateni damnatio, quam epiſtola ad Maximum Alex. referri accepta debet: qua in re fœde decepti ſunt Baſnagius, Fabricius, & Lequiennius. Quæ Epiſtola magni profecto in Eccleſia olim facta eſt *p.* 42, & *ſeq.*

S. Felicis II, de cujus ſanctitate ambigere nefas eſt, Pontificatus cum Pontificatu Liberii multis probe componi modis poteſt *p.* 498, *ſeqq.*; 516, & *ſeqq.*

S. Felix III. egregium Chriſtianæ fortitudinis exemplum præbuit non modo, Zenoni Imp. reſiſtendo, ſed Pontificiæ etiam auctoritatis in hæreticorum Promachis confodiendis. Tam inique vero, quam falſo zeli præcipitis in Acacio damnando accuſatur, qui exinde majori ſe laude dignum potius exhibuit *p.* 61, & *ſeqq.*

S. Felici IV. damnationis primum in Semipelagianos latę gloria debetur: cujus in partem deinde venit S. Bonifacius IV. Synodos Arauſicanam II, & Valentinam confirmans *p.* 66, & *ſeq.*

Fidei catholicæ formulas procudere ad unum Pontificem M. pertinet *p.* 182, & *ſeqq.* In fidei formulis tam falſo, quam frequenter variarunt Hæretici, qua Veteres, ut Ariani, & Semiariani, qua Recentes, ut Lutherani, & Calviniſtę *p.* 183, & *ſeqq.* Igitur inter fidei formulas a Pontificibus præſcriptas locum habent, quæ a S. Cornelio e Novatiano ſchiſmate redeuntibus propoſita legitur *p.* 191, & *ſeq.* Quę vero ſub S. Eutychiani nomine de Sacramento Synodali fertur, longe poſterioris ętatis videtur. Quę ab Oſio, non ab Euſebio, nec ab Hermogene, in Nicæna Synodo contra Arianos procuſa fuit *p.* 192, & *ſeq.* Quæ a Liberio Semiarianis præſcripta refertur. Quæ a S. Damaſo adverſus Arianos, Macedonianos, et Apollinariſtas edita eſt, cui utroque ſubſcribere pollice Orientales paſſim officio duxere *p.* 193, & *ſeq.* Quæ adverſus Pelagium, et Cæleſtium ſuæ Tractoriæ inſerta a S. Zoſimo fuit *p.* 194, & *ſeq.* Quæ a S. Cæleſtino I. contra Neſtorium, cui

cui ſubſcripſiſſe Epiſcopi 6000. feruntur. Quae a S. Leone M. adverſus Eutychetem, cui ſyngrapham appoſuiſſe Epiſcopi 1200, aut 1600. leguntur *pag.* 196. Quæ ab eodem Pontifice Manichaeis, Donatiſtis, et Pelagianis ad fidem regredientibus, et quæ adverſus Priſcillianiſtas præfixa habetur *p.* 197, *& ſeq.* Quæ Orientalibus ab Acacii Schiſmate ad unitatem venientibus S. Hormiſdas, quam deinde S. Agapeto, et Hadriano II. Graeci nuncuparunt *p.* 198, *& ſeq.* Quae a Vigilio Ruſtico, et Sebaſtiano ante Ordinationem. Quae a S. Gregorio M. e ſchiſmate Aquilejenſi redeuntibus. Quae a S. Agathone adverſus Monothelitas, et quae a SS. Leone II, et Benedicto II. a Monothelitica reſipiſcentibus hæreſi propoſita eſt *p.* 200, *& ſeq.* Quae Felici Urgellit., et Synodo VII. ab Hadriano I. Quae Orientalibus a Leone III. Quae a S. Nicolao I, Hadriano II, et Johanne VIII. in cauſſa Sacr. Imaginum, et S. Ignatii; et quae Orientalibus a Schiſmate emergentibus a S. Leone IX, aliiſque ad hanc uſque diem *p.* 202, *& ſeqq.*

Fidei porro ſacramento Romano Pontifici ſe obligandi Metropolitas in receptione Pallii jam ab aetate S. Gregorii II. invaluiſſe uſum ſuadetur *p.* 201. Epiſcopis etiam praefixa fidei profeſſio legitur paſſim a S. Nicolao I, Innocentio III, Gregorio IX. &c., Eccleſiaſticis aliis dignitatibus a Pio IV, Clemente VIII, Urbano VIII. &c. *p.* 202, 206, ac *ſeqq.* Fidei formulas praeterea vice plus ſimplici praeſcripſiſſe leguntur Berengario Victor II, Nicolaus II, Alexander II, et S. Gregorius VII; a Schiſmate recedentibus idem S. Gregorius, Paſchalis II, Alexander III; ab haereſi exſurgentibus Innocentius III. *pag.* 205, *& ſeq.* Fidei quoque profeſſionem Epiſcopis Rom. Pontifici faciendam indixere Synodi Tridentina, et Lovitienſis *pag.* 207. Academiis S. Pius V; Ordinibus Militaribus Gregorius XIII; Graecis idem Gregorius; Chaldeis Paulus V; Janſeniſtis Alexander VII, et Clemens XI; Epiſcopis, et Miſſionariis in Malabaria Clemens XII, et Benedictus XIV; Abbatibus, aliiſque juriſdictione quaſi Epiſcopali inſignitis, Officialibus Militiae S. Georgii, aliiſque Orientalibus qua Epiſcopis, qua Sacerdotibus idem Benedictus *pag.* 208, *& ſeq.*

Fidei Catholicae profeſſionem adverſus haereſes omnes edere cuilibet adulto ad Baptiſmum accedenti veteri erat in more poſitum *p.* 210, *& ſeq.* Fidei quoque ſuae accuratam Rom. Pontifici exigenti rationem reddere tenebatur, quicumque fidei ſuſpicione laboraret. Atque ita reddidiſſe leguntur S. Dionyſio Papae homonymus Alex.; S. Julio I. S. Athanaſius, aliique Graeci Praeſules *p.* 211, *& ſeqq.*; S. Damaſo S. Petrus Alex. *p.* 213, *& ſeq.* An genuini ſint fidei libelli, qui ſub SS. Gregorii Neocaes., Athanaſii, et Gregorii Nazian. nomine circumferuntur; tres quoque alii a Queſnello producti, dubium eſt *p.* 214, *& ſeq.* Ita S. Caeleſtino I. Maximianus Conſtantinopolit.; S. Sixto III. Proclus *p.* 215, *& ſeq.* De fidei libello a Leporio ex conſilio S. Auguſtini edito, de altero eidem S. Au-

S. Auguſtino adſcripto a Queſnello, deque tertio a Bachiario ſcripto diſputatur *p.* 216, *& ſeqq.* Ita S. Leoni M. S. Turribius, Theodoretus, S. Flavianus, Anatholius, Maximus Antioch. *p.* 218, *& ſeq.* SS. Simplicio, Gelaſio, Anaſtaſio; et Hormiſdae Orientales *p.* 219, *& ſeq.* S. Johanni I, Johanni II, S. Agapeto, et Vigilio Graeci Imperatores, et Praeſules *pag.* 221, *& ſeq.* Ita ſe puros in fide Pontificibus ſolebant probare Epiſcopi *p.* 222, Patriarchae *p.* 223; Latini quoque Imperatores, Reges, ac Principes *p.* 225, *& ſeq.* Fidei denique profeſſionem ad formulam a Pontificibus ſaepe praeſcriptam exigere officio, religioniique habuere Synodi ipſae *p.* 228, *& ſeq.* Quando, et quare inductus mos, ut Rom. ipſi Pontifices fidei profeſſionem ederent *p.* 229. *& ſeqq.* Factum id nunquam ad patefacien. dum ſe falli pariter, ac fallere poſſe *p.* 231, *& ſeqq.*

G

S. GElaſii decretum de Scripturis authenticis, et apocryphis a Proteſtantium inſultibus obiter defenditur *pag.* 229, et *ſeqq.* Etſi graves conjecturae non deſint, quibus eidem Opus de duabus in Chriſto Naturis abjudicetur, exinde tamen, etſi germanus ejuſdem detur fœtus, anſam Proteſtantibus arripere non licuit eumdem de negata Euchariſtiae veritate vexandi, exagitandique. Qui neque peride Euchariſtiae partem unam ſine altera ſuſcipi abſque ſacrilegio nequire aſſeruit *p.* 301, *ſeq.*, 612, et *ſeqq.*

S. Gregorius multa inter alia, quibus Magni ſibi nomen fecit, ea locum habent, quod Conſtantinopoli Eutychium Patriarcham diſputatione victum ad haereticum librum igne cremandum adegerit. Quod in Italia Idololatriae, et Arianiſmi reliquias penitus deleverit: aliquos de Animarum immortalitate, et Corporum reſurrectione dubitantes rationum pondere compreſſerit: Magos, et Maleficos procul faceſcere compulerit: Incorrupticolarum renaſcentem haereſim extinxerit, et abuſus quoſdam emendaverit. Quod in Sicilia Manichaeos, Schiſmaticos in Liguria, et Iſtria, ac Barbaricinos in Sardinia bonam ad frugem traduxerit. Quod Donatiſtarum in Africa reliquias, Agnoetas in Ægypto, et Conſtantinopoli Pelagianam haereſim profligarit. Quod Arianorum in Hiſpania, et in Anglia Ethnicorum converſioni manum utramque dederit. *p.* 69, et *ſeqq.* Nec erat vero, cur ei negotium faceſſeretur ſive ab heterodoxis de Ethnicorum, et haereticorum Religioni infeſtis libris ab eo diſperſis *p.* 306, et *ſeqq.*, ſive ab orthodoxis nonnullis de facultate Presbyteris facta Confirmationis Sacramentum conferendi, multoque minus, cur in invidiam vocaretur de tribus dumtaxat Sacramentis aſſertis, de Purgatorio igne ab ipſo primum excogitato, deque negato SS. Imaginum cultu, ſiquidem nihil non fidei, Pontificioque juri conforme perpetraſſe probatur *p.* 629, et *ſeqq.*

S. Gregorius II. omnium primus Iconoclaſtis compeſcendis ſtuduit: cujus ſtudium poſtea imitati plerique

Succeſ-

Succeſſores ejus ſunt ; eodemque tuto animati Orientalium plurimi dignitate, virtuteque inſignes Viri pro SS. Imaginibus ſtrenue, viriliterque ſtetere *pag.* 73, & *ſeqq.* Qui contra erga SS. Imagines minus propenſi Galli Epiſcopi aliquot viſi ſunt, ii errore facti decepti a Pontificibus dedoceri poſtea libenter paſſi ſunt ; quibus non erat proinde, cur Proteſtantes aliqui invidiam conflarent *pag.* 76, et *ſeqq.* Conjugium porro ob infirmitatem Conjugum alteri ſupervenientem diſſolvi Noſter non docuit : id perperam ei adſcribitur a Gratiano *pag.* 688, et *ſeq.*

S. Gregorio III. falſa de Baptiſmo a Pagano invalide adminiſtrato non adhaeſit opinio : bene vero Baptiſmum per jocum, vel forma ignorata, vel falſa imo adhibita collatum iterandum docuit *pag.* 689, et *ſeqq.*

S. Gregorius VII. ingentem laudum cumulum retulit ex damnatione haereſis Berengarianae, Henricianae, et Vvecilianae *p.* 87, et *ſeq.* Atrocem ideo per injuriam a Berengariana haereſi haud procul abfuiſſe jactatur : nec ejus eſt opus fragmentum Comment. in S. Matthaeum, ex quo Allixius calumniam hanc confirmandi anſam temere accepit : nec, etſi ejus fuiſſet, exinde haereſis iſtius rite revinceretur *p.* 715, et *ſeqq.*

Gregorius XI. in deceſſoris ſui Urbani V. curas ingreſſus in Germania Beguardis, in Delphinatu, et Sabaudia Lollardis, et Turlupinis, peſtibuſque aliis in Polonia, Bohemia, et Sileſia excindendis totus incubuit *p.* 104, et *ſeq.* Perniciosae Vvicleffi praeſertim haereſi praefocandae ſollicitiſſimus accurrit, nihilque, quo prorſus ſuffocaretur, intactum reliquit. Quod et praeſtitere ſubinde Bonifacius IX, Alexander V, Johannes XXIII, et Martinus V. *pag.* 105, et *ſeqq.* Morti proximus revocavit, quae forte perſona velut ſingularis fidei minus conformia aut protuliſſet, aut ſcripſiſſet *p.* 242.

Gregorius XIII. Religioni ubique reparandae validiſſimam ſuppoſuit manum; atque in ejus temeratorem Gebhardum Truchesium ſevere animadvertit *p.* 128. Haud diſpar pro fide ſtudium inſedit Gregorio XIV. *ibid.* XV. item *p.* 130.

Grotius, quem ſuis perinde telis confodit Illuſt. Boſſuetius, ad Unitatem Eccleſiae tuendam unius Rectoris neceſſitatem adſtruere, ejuſque deinde partes uni Romano exercendas Pontifici, tanquam legitimo S. Petri ſucceſſori, adſerere non dubitavit : fide affirmans inſuper ſua hanc Principatus in Romano Pontifice neceſſitatem, utilitatemque perſpectam fuiſſe, ingenueque probatam ſapientioribus Proteſtantium aliis pleriſque : in quibus ſane praeclara in hac ſententia par Leibnitius ſtetiſſe legitur *p.* 24, & *ſeq.*

H

HAdriano I. damnati haereſis nomine Felicis Urgel., et Elipandi Tolet. laus debetur ; cujus judicio dein integre adquieſcere officio habuerunt Italiae, Galliae, et Germaniae Epiſcopi *pag.* 79, et *ſeq.* Ob haereſim etiam damnatus ab eodem legitur Egila Hiſpanus Epiſ-

Epiſcopus *p.* 80. A Leone III. demum compulſus haereſim abdicavit Felix, ſincere vero, an ne ficte dubium eſt *p.* 81. Noſtro haud viſum fuit Infideles ad ſuſcipiendam fidem vi cogi poſſe, ſed bene feciſſe Carolum M. Saxones armis devictos, poſtquam ſponte fidem ſe amplexuros ſpopondiſſent, ad Baptiſmum accedere jubendo *pag.* 694, & *ſeq.*

Hadrianus VI. in his, quæ dum privatus doctor Lovanienſis propria ex opinione dixit, ſcripſitque, fidem profecto haud noſtram obligat *pag.* 243.

Hæreſes declarare, Hæreticoſque damnare ad unius Pontificis M. jus ſummum ſpectat *pag.* 31, & *ſeqq.* Ab Apoſtolorum porro ætate uſque ad ſuam hæreſes 88, aut 89. dinumeravit S. Auguſtinus: totidem circiter a S. Auguſtino uſque ad Lutherum, & Calvinum a Viris in hac re diligenter verſatis recenſentur *ibid.* Ante Concilium Nicænum hæreſes 90 circiter ab Eccleſia præſertim Romana proſcriptæ, ullius abſque Concilii opera, peſſimo ſtatim ubique nomine audierunt. Atque quidem pontificis unius ſententiam profligandis ubique hæreſum monſtris ſat eſſe, ſuperque perſuaſum habuit Thomas Morus *p.* 32. Hæreſum ſectæ porro ſingillatim a Romanis damnatæ Pontificibus ſub horum ſingulis nominibus indicantur.

Hæretici evadendæ invidiæ gratia ſæpius ad Apoſtolicam Sedem confugiendi conſilium inivere, quod eis tamen bene nunquam ceſſit *pag.* 2, & *ſeqq.* Ita Marcion, Montaniſtæ *pag.* 3, & *ſeq.*; Origenes, Ruffinus *pag.* 5, & *ſeqq.*; Fortunatus cum aliis quinque pſeudo-Epiſcopis, Donatiſtæ *pag.* 7; Ariani, Semiariani *pag.* 8, & *ſeqq.*; Apollinariſtæ, Priſcillianiſtæ, Pelagiani, *pag.* 10, & *ſeqq.*; Neſtorius, Eutyches, Photius, Abaelardus *pag.* 12, & *ſeq.* Ex hæreticis multi deteriori ſub ætate adverſus Rom. Pontificem inſoleſcere viſi ſunt, non etiam ſuperioribus Eccleſiæ ſæculis *pag.* 13, & *ſeqq.* Neque defuere tamen, qui veritate cogente Rom. Pontifici idoneum reddere teſtimonium auditi ſunt, uti Wicleffus; Huſſitæ, Lutherus, Calvinus *pag.* 15, & *ſeqq.*; Centuriatores, Melanchon, Bucerus, Bunius, Bullingerus, Beza, Ivellus, Naperus, Blondellus, Janſenius, Grotius, Leibnitius &c. *pag.* 21, et *ſeqq.*

Hæretici complures, neque generis proletarii, Divinæ gratiæ affulgentæ lumine, deſertis Sectariorum Caſtris, ad Pontificias ſe transferre partes ſuæ e re ſalutis duxerunt. In quibus Bremorcarti in Helvetia Cives; Chizzuola; Oricovius, Memorantius Dux; Staphilus; Molinæus; Soræus; Remundus; Monlucius; Vvicelius; Perronius; Spondanus; Morinus; Schioppius; Vvovver, Ferrierius; M. Launojus; Pitſæus; Kircher; Chillingvvorth; *pag.* 25, & *ſeqq.* Plantavitius; Ahmedus Ben-Zin Ulabedinus; Erneſtus Lantg. Haſſiæ; Viguierius, Pelliſſonius; Sorbierius; Pappinus; Brackelius; Lambecius; Pereyrius; Vanslebius; Stenon; Obrecth; de Mahis; Sully; Jo. Conſtans Elector Saxoniæ; Jo. Fridericus Dux Brunſv.; Saurinus; David Brueys; Kuſter;

ter; Burg; Metternichius; Franciſcus Bruys; Jo. Balduinus Juriſconſultus inſignis, qui Calviniſtico e veneno convaleſcens pudenda hæreticorum flagitia in palam fecit *pag.* 28, et *ſeqq.*

Hæretici fruſtra occaſionem ex noſtræ Communionis hominibus dogma de Euchariſtia inficiandi quærunt *pag.* 175, & *ſeqq.* Perperam quoque ex Rom. Pontificibus SS. Gelaſio, Gregorio M., & Gregorio VII. Videſis horum V. Magna cum in variandis fidei articulis, tum in varias ſe diſcindentibus ſectas inconſtantia notantur: cujuſce ſpecimen exhibetur in Arianis, et Semiarianis *pag.* 183, et *ſeqq.*, in Lutheranis, et Calviniſtis *pag.* 187, et *ſeqq.*, et in Eutychianis *pag.* 298. Tam Veteribus, quam Recentibus familiare fuit, ad Eccleſiæ judicia eludenda, diſtinguere factum a jure, pugnareque circa jus non quidem, bene vero circa factum Eccleſiam falli, et fallere poſſe *pag.* 246, et *ſeqq.* Videſis V. *Ariani*, *Neſtorius*, *Eutyches*, *Janſenius*. E contra a Patribus, ac Theologis novas ad explicanda fidei dogmata uſuepatas voces carpere pro temeritate haud verentibus perfringitur frons *pag.* 313, et *ſeq.* Per quingentos, aut etiam per ſexcentos annos Rom. in Eccleſia Apoſtolicam doctrinam integram, puramque fuiſſe retentam diffiteri non audent *pag* 640. Inique vero, fruſtraque exinde, quod emendatione, et reformatione indigere videatur, in eamdem Rom. Eccleſiam invidiam quærunt *p.* 739.

S. Hilarus quo Macedonii, Neſtorii, Eutychetiſque hæreſibus excindendis conſtantiſſimo inſtitit animo, eo ipſo earumdem patrono Viro Principi obſtitit *pag.* 60, et *ſeq.*

Hiſpanis ab Epiſcopis afficta labes de minus reverenter habitis tam Rom. Pontificum litteris, quam Synodi V. actis procul amovetur *pag.* 73, 173, et *ſeq.* Ab hæreſis viciſſim macula apud Pontificem M. fidem liberare ſuam officio ipſi habent *pag.* 312, et *ſeqq*

Honorium I. a lapſu excuſandi, et ab hæreſi liberandi variæ a doctiſſ. Viris excogitatæ ſunt viæ *p.* 383, et *ſeqq.* Quæ viæ fuſius exponuntur, atque inter eas, quæ commodiores, juxtaque veriores haberi, viderique poſſint ad omnem procul ab Honorio hæreſis labem amoliendam, proponuntur *p.* 655, et *ſeqq.* Et certe neutra ex Honorii ad Sergium epiſtola hæreſis vel levis eum aſpergendi labe argumentum capi poteſt *p.* 662, et *ſeqq.* Siquid igitur humani paſſus Honorius eſt, id paſſus eſt ſane præter fidei diſpendium; neque a Synodo VI. tanquam fidei proditor damnatus eſt, ſed ut fidei negligens defenſor, ſive ut hæreſis fautor *pag.* 680, et *ſeqq.*

Honorius IV, et poſt Ipſum Nicolaus IV, Bonifacius VIII, Clemens V, Johannes XXII, Benedictus XII, Gregorius XIII, Innocentius VI, et Martinus V. hæreticis Apoſtolicis, et Beguardis ex Valdenſium ſecta ſubortis exterminandis operam navaverunt omnem: unde mirum, quod eo impudentiæ devenerint Beauſobrius, et Bruejus, ut peſtibus hiſce nihilominus patrocinium impendere inſtituerint *pag.* 99, et *ſeq.*

S. Hormiſdas de Orientalibus demum ab

ab Acacii defenſione abductis, adductiſque ad Eccleſię unitatem laudem tulit, non ſecus atque de damnatis Acephalis a Severo, et Theopaſchitis a Cnaphęo prognatis: in quos perinde animadvertit S. Agapetus *pag.* 64, et 67. Scythas Monachos cohibens, ab eis tamen aſſertam propoſitionem non proſcripſit, quam poſtea Johannes II. probavit, Acœmetis damnatis, qui eam negabant. Itaque neuter fidei doctrinam lęſit, labefactavitque *pag.* 623, et *ſeqq.*

S. Hygino Eccleſiam adminiſtrante, Cerdoni, et Valentino ſub Catholicę fidei ſpecie Romanę in Eccleſię jura ſacra irrepere contigit aliquando, donec larva detracta ab Eccleſię adytis ejecti ſunt *p.* 34.

I

Janſenius pro vafro, quo mire prędituſ erat, ingenio, ad omnem, quę ſucceſſu famę ſuę, fideique inuri potuiſſet juſte, notam elevandam, pręcavendamque, id conſilii arripuit, ut ſe, Auguſtinumque ſuum, ſuo antequam fini concederet, juſtiſſimo Eccleſię Romanę judicio ſubmitteret *pag.* 24.

Janſeniſtis Eccleſię decreta eludendi aditus omnis Pontificum cura eſt intercluſus *pag.* 130, *ſeqq.*, 246, *ſeqq.*, 268, et *ſeqq.* A Pontificibus decreta de factis dogmaticis fidem haud obligare, ſed eis deberi ſilentium dumtaxat obſequioſum fruſtra contendunt *p.* 347, & *ſeqq.* Non ſecus atque perperam Thomiſtas, qui tam longo ab ipſis diſtant intervallo, in partes rapere conantur *pag.* 370.

Idololatrię, ac ſuperſtitionis inter ſpecies quinam actus recenſeri tuto poſſint. Quę adorationis origo, et quot modi. Qui Civiles, qui Sacri, qui Idololatrici: quos inter poſteriores Ritus profecto Sinenſes, & Malabarici plerique locum habent *pag.* 365, et *ſeqq.*

Jejuniorum lex in Catholicis ſacra, laudabiliſque, et ab Eccleſia rite indicta, in Hęreticis ſuperſtitionis aſperſa, vituperioque digna, et ab Eccleſia jure prohibita *pag.* 43, et *ſeq.*

Imperatores pridem Orientis, ac perinde Occidentis Imperii habenas ſuſcepturi fidei profeſſionem manu propria ſubſignatam ad Rom. Pontificem ante tranſmittere ſolebant. Ipſis diverſa coloris mixtura ſcribere, ſubſcribereque pro diverſitate Reſcriptorum in more poſitum erat *pag.* 220, *ſeq.*, 225, et *ſeq.*

S. Innocentius I. ſummo jure in Pelagii cauſſa proceſſit, a quo lata in hęreticum ſententia ubique obtinuit. Ejus dein innixi judicio SS. Zoſimus, Bonifacius II, Cęleſtinus, Sixtus III, et Leo M. Pelagianos ubique coercendos denuntiarunt *p.* 55, et *ſeq.* Nec denegandam Virginibus lapſis pœnitentiam edixit, nec invalidas habuit Arianorum Ordinationes, veluti per calumniam Apoſtolicę Sedis oſores jactant *p.* 525, *ſeqq.*, 571, et *ſeqq.*

Innocentius II. Henricianos, in Lutheranis, et Calviniſtis redivivos, quos deinde ad profligandos S. Bernardi, Alberici, et Gaufredi operam adhibuit Eugenius III, Petrobruſianos, Arnaldum Brixien., quem poſtea imitati ſunt Valdenſes, Huſſitę, Vvicleffiſtę &c., Pe-

trum Abaelardum, agente preſertim S. Bernardo, una damnationis involvit cenſura *pag.* 90, et *ſeqq.*

Innocentius III. Joachimi Abb. non perſonam damnavit, ſed propoſitionem, quam fruſtra quidam ab eo amoliri inſtituunt, quidam vero germanum ejus ſenſum intime non ſunt aſſecuti *pag.* 395, et *ſeq.* Ejus ſententia nec Urbanus III, nec Cæleſtinus III. errarunt, quaſi abſolute docuerint per hæreſim Matrimonium dirimi. Nec ipſe erravit, quaſi dixerit Confeſſionem ſacrilegam a Confeſſario revelari poſſe *p.* 720, et *ſeqq.*

Innocentius IV. in his quę privatis in ſcriptis docuit ut ſingularis perſona, fidem haud noſtram obſtringit *p.* 243.

Innocentius VIII. atrocem per calumniam a Proteſtantibus ad vulgus traducitur, quaſi privatam ſcortationem haud prohibitam dixerit. Falſo quoque confingitur Norvegis indulſiſſe, ut abſque vini ſpecie Euchariſtiam conficerent *p.* 736, et *ſeqq.* Videſis V. *Alexander VI.*

Innocentius X Janſenii libro infamię dicam, qua certe dignus erat, conſcripſit, qua perinde Barchoſii librum affecit *p.* 130.

V. Innocentium XI. juſtis afficere laudibus vel Proteſtantes ipſi compulſi ſunt. Inique vero eumdem velut erga Janſeniſtas affectu paullulum inflexum traducunt. Quietiſtarum errores ut detexit, e veſtigio damnavit. Quo perinde munere egregie perfunctus eſt Alexander VIII. *p.* 132, et *ſeq.*

Innocentius XII. de ſuis perperam interpretatis litteris juſte conqueſtus eſt. Delatos a Gallis Epiſcopis Quietiſtarum errores proſcripſit. Inique vero agit Larrejus, dum Gallos Epiſcopos imbecillitatis coarguit, quod hujuſce cauſſę judicium ad Pontificem detulerint *p.* 132, et *ſeq.* A Janſeniſtis deinde Conſtitutiones Apoſtolicas vindicavit Innocentius XIII. *p.* 134.

Johannes II. cum S. Hormiſda non conflictavit. Videſis V. *S. Hormiſdas.*

Johannis VII. potius, quam vitio, laudi vertendum fuerat, quod Synodi Quiniſextæ Acta neque probare, neque imo emendare dignatus ſit, ſed qualia miſſa fuerant, ad Juſtinianum Imp. remiſerit: ita enim Canones illos, ex quibus certe quinque Rom. Eccleſiæ ritibus adverſabantur, ad unum omnes ab ſe reſpui oſtendit *p.* 686, et *ſeqq.*

Johannem X. omnium primum Impedimenti Cognationis ſpiritualis auctorem tam falſo, quam temere faciens Jannonus refellitur *p.* 708, et *ſeq.*

Johannes XII. hęreticam propoſitionem de Clavium poteſtate ob peccata a Pontifice auferribili in pſeudo-Synodo Romana enuntiatam proſcripſit *p.* 84.

Johanni XIII. vitio inique vertunt hęretici, quod Sacro ritu Deo primariam Eccleſię Later. Campanam conſecraverit. Ea enim benedictio fuit, non baptizatio. Nec ei vero, nec Sabiniano Campanarum uſus primum acceptus eſt referendus *pag.* 709, et *ſeqq.* Videſis V. *Campanæ.*

Johannes XIX. cum a Simonię labe, qua Pontificatum acquiſiviſſe, tum a proditionis crimine, qua Grecis Patriarchę *Oecumenici* titulum venalem facere paratus fertur, abunde abſtergitur *p.* 713.

Johan-

Johannes XXII. errores Jo. de Poliaco, Petri Jo. Olivi, Marſilii Patav., Jo. Janduni, Ekardi, Rizardi, Burgini, Græcorum in Cypro &c. fugiendos omnibus indixit *p.* 99, et *ſeqq.* Fidei vero, famęque ſuę in hęreſis ſuſpicionem adductę ſolemni declaratione optime conſuluit *p.* 241, et *ſeq.* Cum Nicolao III. in quęſtione de Minoritarum paupertate, quod ad fidei pertinet caput, approb componitur *p.* 724, et *ſeqq.* Ab impacta demum circa dilatam ſeparatis Animabus Dei viſionem erroris nota abſtergitur *p.* 730, et *ſeqq.*

Johannes XXIII. de negata Mortuorum Reſurrectione, Vita ęterna, Animaeque immortalitate ex vitae peſſimo genere potius, quam ex perverſa mentis opinione ſuſpectus evaſerat *p.* 734, et *ſeq.*

Julianus Eclanenſis ſemel, et iterum, ſed fruſtra at Rom. Pontificis gratiam, quod ſua intereſſe ſummopere non ignorabat, irrepere tentavit. Fidei libellum ab eo inſcriptum fuiſſe, non quidem S. Zoſimo, ut viſum Garnerio, Coutantio, et Fabricio, ſed Auguſtino Aquilejenſi oſtendit Noriſius *p.* 11, et *ſeq.*

S. Julius I. pro officii parte in Photini haereſim diligenter inquiri juſſit *pag.* 46.

Julius III. in perſequendis ubique gentium haereſum, atque Lutheranae praeſertim, et Calvinianae monſtris operae non pepercit *pag.* 117, et *ſeq.*

Ivellus Anglo-Calviniſta ſuis ſemet telis confodit, dum Romanam Eccleſiam ob fidei puritatem, a qua defeciſſe jactat, ſummo a Patribus honoris loco habitam conſentit *pag.* 23.

L

S. Leo M. multarum laudum cumulum retulit ob repreſſos Romae Manichaeos, in Iſtria Pelagianos, Priſcillianiſtas in Hiſpania, Eutychianos in Graecia, quorum ipſi prae Synodo Chalcedonenſi accepta damnatio eſt referenda *p.* 58, et *ſeqq.* Chalcedonenſis Synodi Acta non omnia confirmavit *p.* 361, et *ſeq.* In Catholica doctrina de Chriſto D. pro omnibus mortuo nihil a S. Auguſtino diver. ſum, et a Catholicae Eccleſiae doctrina alienum docuit *p.* 605, et *ſeqq.* Concubina dimiſſa Conjugem ingenuam ducere Viro licere docens, non intendit docere Matrimonium cum Concubina legitime contractum licite diſſolvi per ſubſequens cum Ingenua initum: ſed de Concubinis loquutus eſt, quae vere Pellices erant, non quae legitimae eſſent Conjuges *p.* 608, et *ſeqq.*

Leo III. contra Graecanicae Synodi nefaria decreta de licita diſpenſatione circa Matrimonium cum altera, priore vivente Uxore, de Regibus haud Divinae legi obſtrictis, deque Epiſcoporum legitima, amplaque diſpenſandi circa leges Eccleſiaſticas auctoritate Judex ſupremus interpellatus a S. Theodoro Studita legitur *p.* 82. Idem Pontifex ad omne procul abigendum ſcandalum ſemet ab impactis flagitiis Sacramenti religione expurgavit *p.* 234, et *ſeq.*

S. Leo IX. cum Fermentacea alias pleraſque apud Graecos invaleſcentes haereſes bonis omnibus odio habendas denuntiavit. Ejus in obedien-

dientia, obſequioque perſeverabant adhuc Patriarchae Alexandrinus, Antiochenus, et Hieroſolymitanus *p.* 85, et *ſeq.* Berengarium primus Sacrorum interdixit conſortio, in quem perinde ſeveritate egerunt Victor II, unaque adverſus Erigenam Nicolaus II, Alexander II, et S. Gregorius VII: quorum exemplo, zeloque excitati contra Berengarium in arenam deſcenderunt Viri doctrina, pietate, dignitateque illuſtres *p.* 86, et *ſeq.* A S. Petro Dam. Noſter perſtrictus, quod Militaribus copiis ſe immiſcuiſſet, quam recte, tam pie ab aliis defenditur *p.* 713, et *ſeq.*

Leoni X. omnium primo ex damnato Luthero promerita laus debetur *p.* 112, et *ſeq.* Inique porro negligentiae hac in profliganda haereſi Pontifices MM. redarguuntur. Nam Leonis proſequuti ſtudia nihil praetermiſere, quo Lutherana, non ſecus atque Calviniana, aliaeque ex his ſubortae peſtes undique propellerentur, Hadrianus VI, Clemens VII, Paulus III, Julius III, Paulus IV, Pius IV, S. Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V. &c., quorum partes deinde Viri doctrina, dignitateque praeſtantes ingenti numero adjuvare, egregieque ſuſtinere non deſiterunt *pag.* 113, et *ſeqq.* A Leone noſtro in dubium Evangelii doctrinam adductam, Animaeque immortalitatem negatam effutientibus haereticis nae, qui aurem vel unam accommodent, vehementer errant *p.* 738.

Liberio peſſima fide adſtruitur epiſtola ad Valentem, et Urſacium de Romae damnato S. Athanaſio. Eumdem fruſtra in partes rapere ſuas Ariani, eique facere Semiariani fucum tentarunt *p.* 9. Ejuſdem lapſum, etſi non deſint, qui conjecturis haud contemnendis negent, veri tamen videtur ſimilius eum formulae Sirmienſi ſubſcripſiſſe, ideoque a lapſu prorſus omni excuſari nequire. Siquidem vero formulae ſuſcripſit non ſecundae, ſed vel tertiae, vel primae, atque primae indubitanter quidem, lapſus proinde in fide dici nullo poteſt modo *p.* 466, et *ſeqq.*, 476, et *ſeqq.* Neque Liberium a fide lapſum ſuadent S. Euſebii Acta *pag.* 491, et *ſeqq.*, neque Pontificatus ſub eo a S. Felice II. geſtus: cujus quidem cum Pontificatu Liberii conciliandi gravis ſubeſt difficultas, non deeſt tamen, nec una ratio *p.* 498, et *ſeqq.*, 516, et *ſeqq.*

Libri Religioni, morum honeſtati, Regibus, bonoque Reipublicae infeſti Judaeis, Ethniciſque ipſis inviſi evaſerant *p.* 249, et *ſeqq.* Ideo pro cura Reipublicae ab Imperatoribus ſummopere curatum eſt, ne Libri importarentur, aut legerunt improbi. Qua in ſententia pariter ſtetere Juriſperiti, Philoſophi inſignes, quin haereticorum Promachi *p.* 250, et *ſeqq.* Multo igitur potiori jure pro bono Religionis curando a Rom. Pontificibus ea ſedulo cura ſemper induta eſt, ut e Chriſtifidelium manibus pravos libros eriperent. Ita factum ab Apoſtolis diſcimus, ita facere ad Eccleſiam pertinere docent Patres *p.* 254, et *ſeq.* Ergo Epiſcopis ea jugiter ſollicitudo inſedit, ut libros impios Chriſtiana e Republica exterminarent *p.* 255, et *ſeqq.* Praeſertim vero, ut librorum, qui a Rom. Pontifice prohibiti fuiſſent, Indicem promulgari in Diœceſibus pro-

proeurarent *p.* 260, et *ſeq.* Potiores itaque Pontificis M. eſſe partes toto pro Chriſtiano Orbe providere, ne librorum impiorum lectione Chriſtifidelium mentes, et mores contaminentur, indubium facit tam ipſorum poteſtas in Eccleſia ſumma, quam jugis ab Eccleſiae exordio praxis: cujuſce tum poteſtatis, tum praxis teſtes accedunt Patres, ſpecimen exhibent Scriptores, documenta vero Doctores ſuppeditant *p.* 261, et *ſeqq.*

Libros igitur prohibendo, de vocibus definiendo, propoſitiones damnando &c. jure, & officio defungi ſuo dicto, & facto Pontifices ipſi demonſtrarunt *p.* 270, et *ſeqq.* Ita S. Dionyſius, et Liberius *p.* 272, et *ſeqq.* S. Damaſus *p.* 278, et *ſeqq.* SS. Anaſtaſius, et Innocentius I. *p.* 285, et *ſeqq.* SS. Cæleſtinus, & Felix IV. *p.* 291, et *ſeqq.* S. Leo M. *p.* 295, et *ſeqq.* SS. Gelaſius, et Hormiſdas *p.* 299, & *ſeqq.* Vigilius, et Pelagius II. *p.* 304, et *ſeqq.* S. Gregorius M. *p.* 306, et *ſeqq.* Theodorus, et S. Martinus I. *p.* 309, et *ſeqq.* SS. Agatho, Leo II, et Benedictus II. *p.* 310, et *ſeqq.* Hadrianus I, Leo III, Stephanus III, et S. Nicolaus I. *p.* 314, et *ſeqq.* Hadrianus II, Johannes IX, et S. Leo IX. *p.* 318, et *ſeqq.* S. Gregorius VII. *p.* 321, et *ſeq.* Innocentius II, Eugenius III, et Alexander III. *p.* 325, et *ſeqq.* Gregorius IX, Clemens V, Johannes XXII, Clemens VI, Urbanus V, et Gregorius XI. *p.* 332, et *ſeqq.* Pius II, Paulus II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, et Leo X. *p.* 337, et *ſeqq.* Paulus III, Julius III, Paulus IV, Pius IV, Paulus V, Innocentius X, Alexander VII, V. Innocentius XI, Alexander VIII, Innocentius XII, Clemens XI, & Benedictus XIV. *p.* 341, et *ſeqq.* Librorum Index a quo primum editus, et a quibus poſtea ampliſicatus, reguliſque adauctus fuerit *ibid.*

Lutherus denſiſſimis obrutus dum nondum tenebris eſſet, tenueque adhuc videret lumen veritatis, ſuo Rom. Pontificem ſummo ideſt haberi in Eccleſia loco debere, ſeque ipſum illi reverentem prębere, obedientemque plus vice ſimplici faſſus eſt, et profeſſus *p.* 16, et *ſeq.* Lutherus, et Calvinus a qno primum fuerint damnati, et a quibus potiſſimum oppugnati *p.* 112, et *ſeqq.* Quæ, et quot, et quam una pejor altera e Luthero, et Calvino ſubortæ ſectæ *p.* 187, et *ſeqq.* Eo eorum Sectarii turpiter lapſi ſunt, ut in Johanne XXII. reprehenderent, quod a Luthero, et Calvino doctum haud ignorare debebant *p.* 731.

M

S. MArcellini lapſum in perſequutione Diocletianæa plurimæ etſi conjecturæ, neque levis ſane ponderis ſuadeant, longe potioris tamen auctoritatis documenta confictum illum fuiſſe demonſtrant. Etſivero lapſus ille daretur, integra tamen loco ipſius ſtetit fides *p.* 443, et *ſeqq.*

Marcion hæreſis notatus Romanæ in Eccleſiæ Communionem, ingenti pecuniæ inlato pondo, adrepere fruſtra tentavit. Quæ de eo memoriæ tradidit Tertullianus, in Cerdonem potius quadrare Eruditis pleriſque viſum eſt *p.* 3.

S. Martinus I. Presbyteris, & Diaconis

conis poſt Ordinationem peccantibus gradus reſtitui prohibuit quidem, non etiam denegandam veniam docuit, ideo per injuriam Novatianæ incuſatur hæreſis ab heterodoxis *p.* 686.

Martinus V. cum Vvicleffi, tum Huſſi ſectis excindendis haud impigrum ſe dedit. Cujus veſtigiis inhærentes Eugenius IV, Calliſtus III, Pius II, & Paulus II. a tam nefanda peſte expurgandis Pannoniis ſedulo allaborarunt *p.* 109, & *ſeqq.* Fruſtra, vero, ac falſo in culpam infracti Canonis accerſitur, quaſi legem de Conjugiis in primo gradu ſolverit *p.* 735, & *ſeq.*

Martyris, & Confeſſoris nomen pro eodem olim promiſcue uſurpatum perſæpe legitur *p.* 504, & *ſeqq.*

Melanchon nec adeo inſipientem, nec adeo impudentem ſe dedit, ut ignoraret, & inficiaretur Roman. Pontificem in Eccleſia univerſa Principem eſſe, huncque Principatum conferre, ut doctrinæ unitas in Eccleſia integra vigeat, nec ab hoc Principatu ſuos admodum Proteſtantes abhorrere *pag.* 21, & *ſeq.*

S. Melchiades Manichæos ut Romæ detexit, extemplo damnavit: quorum occaſione perinde leges ſapientiæ plenas adverſus ipſorum ſuperſtitiones dedit *p.* 43, & *ſeq.*

Montaniſtæ Apoſtolicæ Sedis communionem ſuffurari adgreſſi ſunt, qua tuti deinde a ſententiis in ſe latis a Synodis abirent. Atque fucum quidem Pontifici Rom. facere aliquando eis ex ſententia ſuccеſſit: apud quem tamen, comperta fraude, ingenti laborare deinceps infamia cœperunt *p.* 3, & *ſeq.*

Morus Thomas Religionis ille vindex inſignis Concilia quidem ad hæreſes extirpandas optima eſſe affirmabat, neceſſaria omnino non etiam, ſed eis explodendis unam parem eſſe S. Petri Cathedram omni prorſus ab errore immunem *p.* 32.

N

NAperus etſi, ut Novatorum mos eſt, non ſatis ſibimet conſtans, in eo turpi verſatus errore ſit, ut erroribus tandem Romanam ſuccubuiſſe Eccleſiam, fideique jacturam feciſſe jactaret, nefas tamen arbitratus eſt dubitare, quin eadem diu in fide ab Apoſtolis conſignata permanſerit integra, neque detrimenti, aut mutationis aliquid perpeſſa fuerit *p.* 23. Videſis V. *Hæretici*.

Neſtorio ambiguis, & ad fallendum compoſitis verbis hæreſim circumveſtire ſuam, non ſecus atque Veteratoribus aliis, non inſolens accidit *p.* 293, & *ſeq.* Eidem patrocinium deferre Proteſtantes quoſdam nuperos non depuduit. Quamquam is immunis fuit ab errore circa Euchariſtiam, cujus in culpam a Catholicis nonnullis non vere vocatur *p.* 374, *ſeq.*, & 394.

S. Nicolaus I. Theopaſchitas bonis omnibus odio habendos denuntiavit *p.* 84. Temere vero de violata Sacramenti Baptiſmatis religione ad vulgus traducitur, quaſi nempe alteram a præſtituta a Chriſto D. formam induxerit *pag.* 706, & *ſeqq.*

Nicolao III. in celeberrima de Chriſti D. paupertate quæſtione Johannes

hannes XXII, quod ad fidei caput attingit, haud adverſatus oſtenditur *p.* 724, & *ſeqq.*

Nicolao IV. eo, quo ipſe vehementer flagrabat adverſus hæreticos, zelo pariter accendere Religioſos viros, Magiſtratus Civiles, ac Reges terræ cordi maximopere fuit *p.* 98, & *ſeq.*

Numiſmata, Indulgentiis adnexis iis, qui eadem deferrent, a S. Pio V. omnium primo conſecrata refert Gabutius *p.* 125.

O

Occidentalis libra, quæ aurea, & quæ argentea olim eſſet: quot utraque ſolidis, & quot ſeriplis viciſſim ſolidus olim conſtaret. Quæ Orientalis, in quo ſita inter utramque differentia; a quo, & quando differentia; hæc inducta fuerit *p.* 459, & *ſeq.*

Ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis &c. peractæ utrum illicitæ nedum, ſed etiam invalidæ olim haberentur, eſſentque, quæſtio eſt, quæ ingentibus difficultatibus jactatur, quæque doctos in partes diſtraxit. Pro affirmativa parte documenta potiora afferuntur, quæ hauriri poſſunt ex Pontificibus *pag.* 531, & *ſeqq.*; ex Conciliis *p.* 536, & *ſeqq.*; ex Patribus, & Scriptoribus *pag.* 540, & *ſeqq.* Quibus nihilominus ſatiſſit, locaque eorum omnia de illicitis Ordinationibus accipi debere oſtenduntur *p.* 571, & *ſeqq.*, 581, & *ſeqq* ,594, & *ſeqq* Pro negutiva vero ponderis longe majoris proferuntur argumenta ex Pontificibus *p.* 547, et *ſeqq*; ex Conciliis *p.* 556, et *ſeqq.*; ex Patribus, Scriptoribus, ac Theologis *p.* 566, et *ſeqq.*, atque parti huic utroque ſubſcribendum pollice concluditur *ibid.*

Ordinatos olim ex Diaconis Epiſcopos, Presbyteratus gradu pertranſito, docent plerique: contra longe verius alii pugnant nullum Epiſcopatus non ante Presbytero collati extare exemplum. Apud Orientales equidem Clerici per ſaltum ordinari conſuevere Subdiaconi, quin etiam ſimul cum Subdiaconatu conferri Diaconatum ſolemne fuit: apud Latinos quoque haud infrequenter Epiſcopi per ſaltum ordinati feruntur: ſed enim Ordinationes ejuſmodi per ſaltum, gradu inferiori prætermiſſo, Eccleſia ſemper exſecrata eſt, neque unquam Epiſcopus, Presbyteratu non ſuſcepto, ordinatus oſtendi poteſt *pag.* 643, & *ſeqq.*

Orientalis Eccleſia nullo unquam tempore ad par cum Romana gloriæ faſtigium aſſurgere meruit, ſuos, ingenteſque perſæpe manes perpeſſa. Quatuor enim Patriarchales Orientis Sedes quam perpauci cum Sanctitatis laude occuparunt, tam quamplurimi hæreſis multiplici eaſdem ignominia conſpurcarunt *p.* 403, & *ſeqq.* De ingenti Romanam inter, & Orientales Sedes diſcrimine præclara Bahanis Patricii in Synodo VIII. ſententia *p.* 406, & *ſeq.*

Origenes errorum perſonam ſibi impoſitam Romanum apud Pontificem exuere religioni duxit, ea ductus ratione, quod eidem tam fidei, tum factorum rationem ab omnibus reddi oporteat *p.* 4, & 39. Ex

Origene ortum duxiſſe, ſive in Origenis doctrina fundamentum habere, etſi ſiculneum, hæreſes Manichæorum, Quietiſtarum, Epicurræorum, Spinoſæ, Calvini, Socini &c. viſum nonnullis eſt *pag.* 40. Origenem multo nomine, abſque fidei injuria, laudibus celebrare Eccleſiæ Patribus, quin etiam pleriſque in locis benigne interpretari Catholicis doctoribus licuit, non ita tamen, ut ab omni prorſus erroris ſpecie idem abſtergi potuerit *p.* 351, 391, & *ſeqq.*

P

PAulus III. indefeſſa tam propria, quam Virorum plurimorum opera Lutheranæ, Calvinianæque profligandæ hæreſi inſudavit *pag.* 114, & *ſeqq.* Conſilium de emendanda Eccleſia ab eo elaboratum, a Paulo IV. deinde velut ab Eccleſiæ emendatione valdequam abhorrente fuiſſe damnatum mentiuntur heterodoxi *p.* 738, & *ſeqq.*

Paulus IV. nihil eorum prætermiſit, quo ubique gentium Religio pura ſervaretur, aut in priſtinum reſtitueretur decus *p.* 118, & *ſeq.* Ejus proteſtatio circa errata Prædeceſſorum facta perſonalia dumtaxat, non facta dogmatica reſpiciebat *p.* 243, & *ſeq.* Indicem librorum improbatæ lectionis confici omnium primus juſſit; qua de re fruſtra ipſi litem intendunt Proteſtantes *p.* 341, & *ſeq.*

Paulus V. invaleſcentes in America hæreſes in exordio ſuffocare ſtuduit *p.* 129, & *ſeq.* Mendacia, & maledicta, quibus inique a Marbaſio, & Bruejo appetitur, abunde diluta apud Eccl. hiſt. Scriptores videre licet *p.* 744.

Pelagius I. ad omnem ab ſe de violata Chalcedonenſis Synodi religione ſuſpicionem amoliendam planam facere cunctis fidem ſuam ere Chriſtiana, caritateque duxit *p.* 236, & *ſeq.*

S. Petrum a fide defeciſſe, certeque potuiſſe fidem prodere ex negatione Chriſti, ac reprehenſione S. Pauli inferunt quam inique, tam falſo Schiſmatici, & Hæretici *pag.* 410, & *ſeqq.* Sed enim S. Petri fides ne levem quidem eclipſim unquam paſſa oſtenditur: a S. Paulo vero reprehenſus is utique fuit, non tamen ob violatam fidem, ſed malum ob eventum operis *p.* 412, & *ſeqq.*

Petro Lombardo in celebris Sententiarum Operis elucubratione magno uſu Petri Abaelardi libros quinque de Theolog. veniſſe obſervavit Johannes Cornubienſis in Eulogio ad Alexandrum III. *p.* 92.

Pius II. Reginaldum Pekopium ob hæreſim Sacerdotio exuit. Hæreticos alios Matrimonium lege Divina vetitum jactantes cohibuit. Zaninum nefandas ob hæreſes carceri mancipavit *pag.* 111, & *ſeq.* Inique de ambitu, pervaſoque jure Principali a Mornæo, & Bruejo accuſatur *p.* 736.

Pius IV. Regiones ubique ab hæretica labe vel abſtergere, vel ſervare immunes indefeſſe ſtuduit. Inſigne diſtrictionis Eccleſiaſticæ in octo Epiſcopos hæreſi aſperſos ſpecimen exhibuit *p.* 119, & *ſeq.* Provinciam bene a Paulo IV. inceptam de Indice libror. prohib. conficiendo ad exitum perduxit *p.* 342, & *ſeq.*

S. Pius

S. Pius V. flagrantiſſimę, qua rei Catholicæ reparandæ, erigendæ, & augendae, quoad vixit, incubuit, ſollicitudinis plurimum experimentum præbuit *pag.* 121, & *ſeqq.* Baji, & Heſſelii propoſitiones cenſura, quam poſtea Gregorius XIII. publicam fecit, inſtauravitque Urbanus VIII, primus aſſecit: quas deinde fruſtra, ac temere defendere adnixus eſt Gerberonius. Ab hæreticis fucum, quem ſuis aliquando Prædeceſſoribus facere licuerat, fieri ſibi non permiſit *p.* 126, & *ſeq.*

Pontifex Romanus eo poteſtatis gradu in Eccleſia vel ab hæreticis habitus eſt, ut ejus unius munimine adverſus Epiſcopos omnes ſe tutos exiſtimarent *p.* 2, & *ſeqq.*; ut adverſus eum vel Synodi ſententia nihil valere poſſit *p.* 9; ut Religionem offendere nihil alioqui veriti, ejus tamen dignitatem offendere ſummopere reveriti ſint *p.* 13. Pontifici Rom. hæreſes declarandi, damnandique hæreticos jus ſummum ineſt *p.* 31, & *ſeqq.* A Pontificibus adverſus hæreticos geſta, & decreta, ut a S. Silveſtro adverſus Arium, a S. Damaſo adverſus Macedonium, a S. Cæleſtino adverſus Neſtorium, Muſivis exprimi Romæ in Baſilicis curavit S. Sixtus III. *p.* 57, & *ſeq.* Pontificum hæreſes proſcribentium judicio tuto, firmiterque ſtandum dicto, factoque demonſtrarunt per Orbem Epiſcopi Orientales, Itali, Africani, Germani, Hiſpani, Galli, Angli &c. *p.* 50, 71, & *ſeq.*, 74, 75, & 79. Pontificis unius definitione authentica, & indefectibili fidei quæſtiones finiri, hæreſeſque profligari ratum fixumque ſtat; nihil vero fixum, ratumque, quod abſque Pontificis nutu, conſenſuque ab Epiſcopis fuerit præjudicatum; neque ab Epiſcoporum acceptatione viciſſim Pontificis judicia pendent *pag.* 89, 135, & *ſeqq.*, 149, & *ſeqq.*, 159, & *ſeqq.*, 162, & *ſeqq.*, 172, & *ſeqq.* Videſis V. *Hæretici*, & V. *Concilia*.

Pontificis Rom. ad partes attinet fidei formulas præſcribere, recipereque profeſſiones *p.* 182, & *ſeqq.* Videſis V. *Fidei formulæ*. Ejus perinde officio cedit irrefragabili definire judicio de factis dogmaticis, de propoſitionibus, deque libris ad Religionem, moreſque reſpicientibus *p.* 245, et *ſeqq.* Videſis V. *Libri*. Atque Pontifici quidem de factis dogmaticis, libriſque definienti ſilentium obſequioſum nedum, nec fides Eccleſiaſtica dumtaxat, ſed Divina etiam debetur *p.* 305, 309, 336, & *ſeq.*, 347, & *ſeqq.*, 354, et *ſeqq.*, 396, et *ſeqq.* Ex Pontificibus Catalogo SS. Martyrum 33, SS. Confeſſorum 82, Martyrologio Rom. 78. adſcripti ſunt. Pontificatu minus digni 7, vel 8. dumtaxat viſi ſunt, quorum nullus tamen erroris circa fidem vel levis argui poteſt, quin etiam obſequium ipſis deferri, nihil fuit, quod prohibuerit *p.* 400, & *ſeqq.* Quando Pontifex ſingularem dumtaxat, et quando publicam Doctoris perſonam induat, quomodo dignoſci poſſit *p.* 407, et *ſeqq.* Ad unum autem ſingillatim omnes quam pie, jam vere ab omni vel levi circa fidem lapſus ſuſpicione liberantur *p.* 410, et *ſeqq.* Ex Subdiaconis, quandiu Subdiaconatus Sacros inter Ordi-

nes non eſt adcenſitus, nullus, bene vero ex Diaconis, atque frequenter ad Pontificatum aſſumpti ſunt; nec ante tamen, quam Preſbyteratus Ordinem ſuſcepiſſent, Epiſcopali charactere ſunt inſigniti *p.* 643, et *ſeqq.*

Praedeſtinati libro in pleriſque multis fidem prudenter denegandam fore documentis plurimis fit manifeſtum *p.* 33, et *ſeqq.*

Propoſitio aliqua diverſis habere partes, aut diverſos pati ſenſus poteſt. Senſus etiam alius, qui ab Auctore mente praeconceptus eſt, alius, quem verba ipſa praeferunt. Juxta quam diſtinctionem propoſitionum damnatio a Pontificibus facta procedit *p.* 354, et *ſeqq.* Propoſitio aliqua quot modis in altera comprehendi poſſit; quove modo demum ad fidem pertinere dicatur *p.* 397, et *ſeq.*

Purgationis, ſive Probationis, ad criminis cujuſpiam eluendam ſuſpicionem, variae olim vigebant ſpecies & formae: uti per Ferrum candens, et Aquam ferventem, aut frigidam: uti per Monomachiam, ſive certamen ſingulare: uti per Euchariſtiam, per Crucem, per Juramentum ſuper Evangelia, ſive Reliquias *p* 695, et *ſeqq.* Quamvis autem frequens harum probationum eſſet uſus, Legibus civilibus inductus, quin etiam Caeremoniis Eccleſiaſticis conſecratus, earumque pleraeque eſſent formę, non defuere tamen ex Pontificibus quammaxime, ex Synodis, ex Principibus, ex Epiſcopis, ex Doctoribus, qui abuſum hunc deteſtarentur, eque Chriſtiana propellere Republica adniterentur *p.* 700, et *ſeqq.*

R

ROſarius Soraeus poſtquam a Calvini caſtris ad Catholicorum partes, Divinae affulgente gratiae lumine, rediiſſet, redeundique auctorem ſe dediſſet Condaeo Principi, Navarraeque Regi, ad vetus miſer ingenium relapſus eſt *pag.* 26. Videſis V. *Haeretici*.

Ruffinus Aquilejenſis famae ſuae, fideique, qua plurimum ſe laborare perceperat, meliori proſpicere ratione neſcivit, quam Apoſtolicae Sedi fidem ſuam probatam facere tentando, ab eaque formatas impetrare *p.* 5, et *ſeq.* Sua de cauſſa exaratam ad Johannem Hieroſolymit. a S. Anaſtaſio I. epiſtolam fruſtra Ruffinus olim, ac poſtea Halloixius in ſuſpectis habuere. Ab eodem Pontifice damnata quidem Ruffini verſio fuit, non etiam perſona: qui imo Viris ſapientia, & Sanctitate conſpicuis amicitia, & communione conjunctus ad mortem uſque manſit. Quin inſuper erga ipſum cenſurae modum nonnihil exceſſiſſe S. Hieronymus Viris eruditis nonnullis viſus eſt *p.* 6, et *ſeq.*

S

SAcramentis in tribus Baptiſmo, Confirmatione, & Ordinatione Characterem imprimi indelebilem, vetus, et conſtans eſt in Eccleſia tam Orientali, quam Occidentali doctrina, jugi Pontificum, Conciliorum, & Patrum traditione comprobata *pag.* 545, & *ſeqq.*

Semi-

Semipelagiana ab hæreſi tam pie, quam vere Viri plerique doctrina, virtuteque illuſtres abſolvuntur. Neque profecto in hæreticorum album referendi ſunt, qui hæreſi alioquin huic ante ſtuduiſſe viſi ſunt, quam eadem ab Eccleſia damnaretur *p.* 290, et *ſeq.*

Severinus, ejuſque Succeſſores Monotheliticam damnantes hæreſim, ne leve quidem dubitandi, quin damnatione vere digna hæreſis eſſet, veſtigium reliquere, adeo ut raptim in eorum abire ſententiam officio duxerint Græci, Afri, Hiſpani &c. *p.* 71, et *ſeqq.*

S. Silveſter I. poſt S. Dionyſium P.M. in Arii damnatione Nicænis Patribus ſententia præivit: cujus vices in Oriente agens Oſius tum alias confixit hæreſes, tum ſchiſma compeſcuit Meletii, tum Nicænam procudit formulam *p.* 44, et *ſeqq.*

Silveſtrum II. Pontificatum Magicis artibus fuiſſe adeptum fabula eſt a Schiſmaticis conficta, ab Hæreticis adoptata, ſed a noſtræ Communionis Viris doctiſſ. funditus everſa, & exploſa *p.* 712, et *ſeq.*

S. Simplicius tam fidei in Concilio Chalcedonenſi ſtabilitæ loco tuendæ fortem appoſuit animum, quam frontem eamdem fidem ſubruere molientibus oppoſuit duriſſimam *p.* 61.

S. Siricius præter indefeſſam, quam profligandis ubique hæreſibus, ac præſertim Priſcillianæ, Manichææ, Joviniani, Bonoſi &c. ipſe operam impendit, ad eaſdem penitus exterminandas ut pariter vires conferrent, Maximum, Valentinianum, & Theodoſium Imp. excitavit, urſitque. Ad eumdem de hæreſi etiam delati leguntur a Theophilo S. Epiphanius, & viciſſim a S. Epiphanio Johannes Hieroſol. *p.* 52.

S. Sixto II. peſſima fide Sexti Pythagoraei librum Ruffinus ſuppoſuit; ſuppoſitum imprudenter credidere plerique, impudenterque defendit Siberus. Nam eum Noſtro abjudicant Origenes, SS. Hieronymus, Auguſtinus, & Gelaſius, aliique Viri doctiſſ. *p.* 440, & *ſeqq.*

S. Sixtus III. a Deceſſoribus ſuis SS. Silveſtro, Damaſo, et Cæleſtino, ac tribus a primis Synodis Oecumenicis adverſus Arium, Macedonium, & Neſtorium decreta, & geſta Muſivis exprimi curavit *p.* 57, & *ſeq.* Eidem perperam tres Pelagiani erroris inſperſi libri affinguntur a Garnerio. Atque is quidem tam a Pelagianis favore impendendo, quam a Neſtoriana fovenda hæreſi alieniſſimus fuit *p.* 600, et *ſeqq.*

Sixtus IV. Petro Oxomenſi hæreſis notam inflixit *p.* 111. Inſignem vero per calumniam jactatur ab hæreticis de nefando contra naturam flagitio permiſſo *p.* 736.

Sixtus V. Apoſtolicæ, Pontificeque dignæ, magnanimitatis adverſus Principes, nec unum ſpecimen exhibuit *p.* 128. Perperam ejus Bibliorum editionem cum edita a Clemente VIII. confligere, ideoque ab vero alterutrum immaniter aberraſſe jactant Jameſius, Amama, & Launojus *p.* 748, & *ſeqq.*

S. Soter librum de Extaſi adverſus Cataphrygas adornaſſe, quem oppugnans Tertullianus Pontificis indignationem incurrerit, fertur apud Prædeſtinatum, cui tamen haud fides adhibenda *p.* 34, & *ſeq.*

Stephanus III. neque Polygamiam unquam probavit, neque Matrimo-

monium gravem ob cauſſam diſſolvi quoad vinculum poſſe cenſuit, neque Baptiſmum in vino adminiſtratum ratum habuit. Ex præpoſtera ipſius interpretatione triplex hæc ipſi afficta calumnia proceſſit *p.* 691, et *ſeqq.*

Symboli Apoſtolici fidem emittere Adultum quemque ante oportebat, quam ad Baptiſmum accederet *p.* 210, & *ſeq.* Symbolum S. Athanaſii qua occaſione editum feratur; quove primum tempore referri cœperit *p.* 212, & *ſeqq.* Symbolo Nicæno additamenta de Filio, & Spiritu S. a S. Damaſo omnium primo facta ſunt *p.* 278, & *ſeqq.* Symboli Apoſtolici tamen ullo abſque additamento inter Miſſarum ſolemnia recitandi in Eccleſia Romana, Africana, Italica, & Gallicana mos diu obtinuit *p.* 281, & *ſeq.* Nicænum demum inductum Sæculo V. in Antiochenam eſt. Conſtantinopolitanum denique in Orientalem Sæculo VI; in Hiſpanicam Sæculo eodem; in Gallicanam Sæculo VIII, & in Romanam Sæculo IX. *p.* 282, & *ſeqq.*

S. Symmachi dictum de Euſtathio Sebaſteno Romana ab Eccleſia damnato, deque Synodi Gangrenſis Canonibus eidem probatis, quo accipi ſenſu debeat, varia eſt Doctorum interpretatio *p.* 65, & *ſeq.*

T

S. Teleſphorus diris cunctis devoviſſe Theodotum Coriarium legitur in libello Synodico. Verum damnatio haec S. Victori rectius tribuenda videtur *pag.* 34.

Thalmudicos Judaeorum libros quam juſte Rom. Pontifices frequenter damnarunt, flammiſque dignos judicarunt, tam impie defendendos vindicandoſque ſibi Proteſtantes ſumpſere *p.* 330, & *ſeq.*

Theodoretus tanquam fons primarius habetur erroris de Spiritus S. a ſolo Patre proceſſione *p.* 350. Multo etiam alio ex capite ſe reprehenſione dignum exhibuit, neque excuſari ſatis a nonnemine potuit; quamvis ſi erravit, pertinax in errore non manſit, ſed erroris labem deinde omnem eluit *p.* 379, & *ſeq.*

Theodorus Mopſveſtenus non ob errores utique, bene vero ob egregias dotes alias a SS. Patribus aliquando laudatus legitur *p.* 349, 378, & *ſeq.*

V

Vanslebius Michael Ægypto, & Æthiopia peragratis, ibidemque non alia, quam quae Romana in Eccleſia ſacra ſunt, coli dogmata perſpiciens, ſat habuit, ſuperque, quo Lutherana ab haereſi ad fidem ſe recipere religioni duceret *p.* 29.

S. Victori P. M. Cataphrygum Ecthesis aliquando ſapuiſſe videtur, neque ab hominibus ad pietatis faciendum fucum affabre comparatis abhorruiſſe; donec fraude detecta, eos procul Eccleſia pepulit *p.* 36, & *ſeq.* Blaſtum perinde in errore pertinacem Sacrorum conſortio prohibuit. In Valentinum, Sabellium, & Noetum anathema diſtrinxiſſe fertur apud Synodicum. Quod tamen cum hiſtoriae veritate, & Chronologiae minus congruit. Certum eſt tamen ab eo Theo-

Theodotum, Ebionem, & Artemonem fuiſſe abdicatos *p.* 34, & 38. Per falſitatem igitur, & fraudem ipſi Artemonis, & Cataphrygum haereſis olim, ac recens afflata fuit *p.* 434, *& ſeq.*

Vigilius inſignem per injuriam fingitur pacem Eutychianorum primipilis reſtituiſſe *p.* 68. Ab eo Origenistis inflicta damnatio illico in Eccleſia obtinuit, adeoque, ut Origenis defendendi non ſuperfuiſſe locum ipſimet defenſores agnoverint *ibid.* Quo ſenſu Ibam defenderit, excuſaritque *p.* 381. Quae ſub ejus nomine ad Acephalorum Promachos fertur epiſtola, figlinis adcenſetur a pleriſque Viris doctiſſ.; etſi vero eiuſdem detur, nullum ipſius orthodoxiae, qua Pontificis legitimi perſonam gerentis, detrimentum affert *p.* 625, *& ſeqq.*

Virgines velandi diverſa quoad ætatem diſciplina in Eccleſia obtinuit. Solemni vero Virginum conſecratione Conjugium ſane ſolvebatur: neque in hac præfigenda lege de injuria queri, niſi a ſalaciſſimis Proteſtantibus, Romana potuit Eccleſia *p.* 525, et *ſeq.*, 530, et *ſeq.*

Urbani II. auctoritatem potiſſimum in Roſcellino profligando adhibendam ſibi ſtatuit S. Anſelmus *p.* 89.

Urbano V. Minoritarum opera Valdenſium ducenta millia in una Bulgaria ad Eccleſiam traducere feliciter contigit. Peſtes alias in Germania compeſcere cordi fuit *p.* 103. Quæ morti proximus revocavit, ea fuere dumtaxat, quae ipſi veluti perſonae ſingulari forte opinando contra fidem excidiſſent *p.* 242.

Urbanus VIII. P. Joſephi Pariſ. opera Richerium ad ſanam reduxit mentem. Montacutium ad fidem redeuntem perhumaniter amplexus eſt. Ut erat vero avitæ fidei retinentiſſimus, Janſenii libro ignominiam inuſſit. Quo perinde e libro excerptas quinque famoſas propoſitiones ſtigmate confixit Innocentius X. *p.* 130.

Wicleffus veritate aliquando compulſus vera, rectaque Romano de Pontifice ſenſit, & ad Urbanum VI. ſcripſit. Cui diſpar verbis non abivit Pezibramus, nec Hieronymus Pragenſis, nec Huſſitae alii *p.* 15, *& ſeq.* Ex 266. profecto, neque minus errorum capitibus peſtilentiſſima haec Vvicleffiana conflata eſt haereſis *p.* 105, *& ſeq.*

Vvicellius Georgius eo ipſo, quo permotus a Lutheri partibus ſe ad caſtra noſtra tranſduxit, graviſſimo poſtea argumento Lutheranos exagitavit, eodemque feliciter utendi ſe auctorem Caſſandro, & Maſio dedit *p.* 27.

Z

S. Zacharias delatos ad ſe haereſis nomine a S. Bonifacio Moguntino Adelbertum, et Clementem damnare moratus non eſt *p.* 78.

S. Zephyrinus Pontifices inter praecipuos, qui de haereticis ſive ſcripto, ſive ſententia debellatis victoriam retulere, a S. Optato Milevit. nobili recenſetur elogio. Atque in his quidem Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus &c. juſtiſſimas ejus experti ſunt iras. Proclus etiam, aliique Montani Sectatores ab eodem Pontifice dira cuncta perpeſſi ſunt *pag.* 38, *& ſeq.* Montani porro Secta in duas ſubinde diſſecta eſt; atque unius ca-

put

put evaſit Proclus, alterius familiam ducendam ſuſcepit Eſchynes *ibid.* Tam vero pie, quam recte ab impacta Montaniſmi nota Noſter redimitur *p.* 434, *& ſeq.*

S. Zoſimus Pelagii, Caeleſtiique haereſi tantum abeſt, ut patrocinatus aliquando fuerit, ut ſummo potius jure, ſolemniterque ipſos proſcripſerit; ejuſque piene judicio adquieſcere officio, religionique Occidentales Eccleſiae, Orientaleſque duxere *p.* 387, *& ſeqq.* In ferendo de Caeleſtii libello judicio recte ſe geſſit, nec Eccleſiae confirmari conſenſu indiguit *p.* 362, *& ſeq.*

		Errata.	*Corrige.*
Pag. 8.	lin. 10.	tadem	tandem
33.	1.	exporam	exponam
39.	33.	animas	animæ
45.	35.	exdem	eaſdem
146.	7.	cap.	pag.
216.	33.	Conciliis	Concilio
231.	23.	deſuetudieem	deſuetudinem
234.	pag.		240
308.	1.	obſequens	Obſequens
317.	28.	parvique	pravique
336.	35.	Sychophanta	Sycophanta
383.	24.	ſe	ſed
465.	18.	*Capitolo*	*Capitolio*
496.	20.	deſæviſſe	deſæviiſſe
511.	4.	ſuperſtionem	ſuperſtitionem
563.	35.	reciperentunt	reciperentur
589.	22.	qnam	quam
607.	10.	hunc	hoc
632.	1.	10.	109.
645.	27.	impertranſito	pertranſito
647.	19.	impertranſito	pertranſito
720.	6.	Senenenſis	Senenſis
735.	33.	inſtiſſe	inſtitiſſe

MAG 715

Digitized by Google